2139.


NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA
204
6 H
15
VITT. EMAN. II
ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google



R. P.

LAVRENTII

A' SANCTA FRANCISCA

SACRVM

THEATRVM

BIBLIORVM

Digitized by Google

Digitized by Google

204-6-H-15





Digitized by Google

SACRVM THEATRVM BIBLIORVM

IN QVO EXPONVNTVR COMMENTARIA LITERALIA, ET MORALIA,

NECNON SEXAGINTA SACRA DVBIA IN QVOLIBET CAPITVLO;

Et omnia, tàm Literalia, quàm Moralia, & Dubia per SS. Patrum doctrinam explicata, confirmata, & decisa elucidantur.

OMNIBVS NVNC RECENS RESERATVM

A. R. P. LAVRENTIO A' S. FRANCISCA

Augustiniano Eremitano Discalceato Romano Eminentiss. ac Reuerendiss. Principis SAVI S.R.E. Cardinalis MILLINI Theologo.

TOMVS II. IN GENESIM.

CVM QVINQVE INDICIBVS LOCVPLETISSIMIS.

I. Paragraphorum Moralium. II. Locorum Sacræ Scripturæ. III. Interpretationum nominum. IV. Ad Conciones copiosissimo. V. Rerum, & Verborum.



VENETIIS. M. DC. LXXXX.

Typis, & Sumptibus Antonij Tiuani.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google



SERENISSIMO
COSMO III
MEDICEO
MAGNO DVCI HETRVRIÆ

F. LAVRENTIVS A' SANCTA FRANCISCA
Auguſtinianus Eremitanus Diſcalceatus Romanus Eminentiſs. ac Reuerendiſs. Principis SAVI S. R. E. Cardinalis MILLINI Theologus.

ÆTERNAM FELICITATEM.

EDICEORVM originem è Media nonnulli, ab Athenis quamplurimi deducunt. Sed dixerim, SERENISSIME DVX, modo Athenarum (quàm priſcam Atticam Vrbem Tuï Patriam) Pa-

Vghell. ital. tom 4. Ammirat. in hiſtor. fiorent. Aldus Iunior in vita Coſmi Steph. Ioannin. de Monarchia Medicea lib. 1.

§ 4 trem,

trem, & Principem; nàm nec Athenas Hetruria, nec Florentia florentes musarum domos Te regnante desiderant. Euolant hìc stellæ ab oriente sapientiora ducentes ingenia. Solum fertile, genium felix, non alibi cœlo liberaliore doctiores fruuntur, quàm sub tuis Orbibus gentilitijs, quia non alibi clariores ducunt dies, quàm quos tui solis iubar illustrat. Hinc tuam Magnificentiam rem Literariam splendidissimè exornantem obstupens Minerua, Te suum Benefactorem antiquo MEDICEORVM LAVRENTII Heroas elogio deprædicat: *COSMVM III. ingeniorum liberalem educatorem, artiumque omnium, & elegantiarum Patrem præclarum, vatum hospitem, & Æmulum. COSMVM eruditi sæculi Decus*. Hæc sunt historiæ fragmenta magis, quàm Encomia; nam hæc sunt insignia, hæc ornamenta, hæc auctoramenta Regiæ tuæ domus, quæ vna cum sanguine, ac sceptro iustus, ac germanus tot Heroum successor hæreditario iure, SERENISSIME COSME accepisti, viuū magnarum animarum compendium, quæ in te spirant, ac per te sperant reuiuiscere. Itaque, & reddis acceptas à veteribus, & profers nouas: vt si eos non habuisses maiores, ex te eos creare posses, & à te series principium sumeret. Alij alieno nobilitantur sanguine, Tu nobilitaris proprio; imò, & alios nobilitas.

S. Matthæus cap. 2. v. 2.

Iouius elog. 14.

Familia MEDICEA per tot sæculorum tractum

ducta

ducta Æternitati par iudicatur. Quòd sicut hæc, cùm tempora comprehendat, principium temporis excludit; ita & Tuæ nobilitatis series, cum stirpes contineat, radicem non prodit. Qui sursum velit redeundo ascendere, gradus quidem ille conficiet: sed in verticè nunquam terminoue consistet. Hanc solam nobilitatem fert venerabilis vetustas: consumpsit ætates; extinxit memoriam: obruit monumenta: oppresit historiam. Licet legenti, licet commemoranti membra pulcherrima numerare, ac inspicere, & admirari: Sed non licet caput agnoscere; nouo sanè prodigio, vt speciosior sit ad commendationem aspectus truncus; quàm iustum cum suo capite corpus.

Petrus Angelius Bargæus lib. 3. Syriados v. 7. & 8.

Ioannes Villapandus Borghinus.

Lelius Torelli dè cæde Kadagasi Gætarum Regis. Epigram.

Petrus Angelius Bargæus vbi supra.

Ritthersusius stem. Genealog.

Verùm tanta nobilitatis auiditas Tibi fuit, vt modum excogitares, quo nobilitatem augeres. Cùmque non posses acceptum à maioribus Magnis Ducibus sanguinem illustriorem facere, reddendo quem accepisti, auxisti splendorem.

Ille verè iustus est Princeps, qui pace, cùm metu animi, terrore oculi, strepitu aures vacant, cùm ille obseruatur à suis, & notatur ab alienis, officium præstat, sine querela, sine calumnia. Talem tute, Regie Princeps, Te geris, præter iniuriam, vltra expectationem, supra famam, intra admirationem, extra inuidiam. Votis publicis par, priuatis maior. Animata Lex. Corrigis magis exemplis, quàm minis: sola te vitia fugiunt. Exulant ab Aula tua molliculæ illæ insidia-

dia-

diatrices Aulæ, aſsentatio, ſimulatio, illecebra. Domi regnat concordia: Foris iuſtitia: vbique Religio: It comes ſplendor virtuti, ne deteratur neglectu, ne obſoleſcat contemptu. Amas generoſas ingenio tuo ſimiles. Mediocritatem ſeruas, ſed Heroicam, & propè exceſsùm, remoto longiùs vitio. Vera in Te ſunt, quæ in Heroibus finxit Antiquitas. Parum eſt implere, quod hæc optauit: æquaſti quod ipſa finxit. Quid de Te ſcribat. Poeta eſse non poteſt: Vates quòd diuinet, poteſt. Periculum eſt, ne de Te hiſtorici mentiantur: ſcribent quippè licèt exaggerent, minora vero. Perfecti Principes alibi, quamquam pauci extitere. Vnus Tu idea perfectorum. Totum in hoc compendium, quòd Aula MEDICEA Pietatem alit, Religionem illuſtrat, auget, & Fidem, Armis in Numinis cultum verſis. O immenſum veræ nobilitatis iubar!

Talis tantæue Pietatis mea etiam Auguſtinenſis Eremitarum Diſcalceatorum Religio monimenta demonſtrat. Cęnobium SS. Auguſtini,& Chriſtinæ aureis potiſsimùm MEDICEÆ Beneficentiæ radijs in nitorem à FERDINANDO, & CHRISTINA Fel. M. Erectum conſpicitur. Religioſam pietatem charitas indè ſecuta, nunc in dies pretioſis donarijs, pecuniarijs largitionibus, & eximiæ propenſionis MEDICEO Patrocinio, effuſioriſque beneuolentiæ, diligitur, ſubleuatur, tuetur.

Hinc


Hinc officij mei esse duxi aliquid in Te obsequij signum præbere, quod, & Tibi iucundum, & meæ Religioni gratum esset. Id verò Literarium, & meæ professioni congruum esse debuit; nimirum opus SACRVM THEATRVM BIBLIORVM, cuiusmodi est, quod in humillimum obsequij mei munus offero.

Accipe ergo SERENISSIME DVX, hoc, amoris, & obseruantiæ meæ erga Te Symbolum & tesseram. Rude quidem opus, & impolitum (quamquam magni corporis caput) verum est. Sed Altare ex lapi- *Gen. cap. 12. vers. 7.*
dibus impolitis extructum Deo placuisse ex Sacra Scriptura non ignoro. Illius Viduæ pauperculæ duo minuta non respuit Deus, quia *omnem victum suum,* *S. Luc. cap. 21. vers. 4.*
quem habuit, misit in Gazophilacio. Hæc paupercula (verbis D. Hieronymi vtor) me, & similes mei, signat, qui mitto quod possum, & quod non possum Tibi offerre desidero. Nil potui offerre meliùs, quàm meorum fructum studiorum. CELSITVDO TVA SERENISSIMA nihil potest conferre maius, quàm tuum in me Præsidium. Cæterùm neque Magnitudinem tuam pæniteat Patrocinij, quo nihil possit donare maius, nec ea detrectet munus, quo nihil possit accipere minus, Quid enim à CELSITVDINE TVA, nisi magnum, quid à me nisi paruum possit proficisci! Magna TV potes, si

DVX

DVX MAGNVS es: ego qui minima queo, impotentiam supplens, supplex votis Æternum Numen imploro, vt mihi, meæ Religioni, & Mundo COSMVM III. MEDICEM diutissimè incolumem seruet, & in dies maiori felicitate fortunet.

AMI-



AMICO LECTORI
SED VERO, IDEOQVE RARO.



R S *longa vita breuis*, in ſtudio Sacræ Scripturæ veriſſimum eſt dicere. Ea de cauſa, ex tot, & tam vaſtis aliorum commentarijs quaſi mellilegium facere, & relictis furfuribus pollinem dare decreueram, in primo Tomo iam expoſui. Do etiam, & in hoc Secundo; ſed quia [illegible] capita, [illegible] ſententiæ; vt multis obedirem (quamuis nulli mea inſufficientia, quod ſummoperè diſplicet, ſatisfaciam) multa neceſsè [illegible] nouiter ponere. Quæ [illegible] ſint, lege volumen, euoluta videbis. Apellis modo [illegible] à tergo huius voluminis telæ cenſuram omnium, quos in meo corde [illegible] zelantes veneror, plurimi faciam; vſquè dum accedentibus Mo[illegible] [illegible]unt, tunc caput erigam indè meo conſilio ſcripturus.

Verum quidem eſt, inquis, ſed [illegible] plurimi enim primi venerunt, & in laborem tuum introierunt. Q[illegible]? Alij laborauerunt; ergo ego laborare non debeo? Plurimi ſuper G[illegible] eruditè, ac dilucidè ſcripſerunt ergo ego ſecundùm propriam (quæquæ ſit) ſufficientiam non ſcribam? Vndè locus? Huiuſmodi illationes non agnouit Maximus Eccleſiæ Doctor S. P. N. AVGVSTINVS. Ipſum audi. *Non tamen propterea putet me tacere debuiſſe, quia non tam expeditè, ac dilucidè quàm illi, eloqui potui. Neque enim omnia, quæ ab omnibus conſcribuntur, in omnium manus veniunt, & fieri poteſt, vt nonnulli, qui etiam hæc noſtra intelligere valent, illos planiores non inueniant libros, & in iſtos ſaltem incidant.* Et concludit. *Ideòque vtile eſt plures libros à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic.* *S. P. N. Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 8. ante medium.*

Audio Ariſtarchum more ſuo obloquentem

Non venit ex hortulo, floſculus iſte tuo.

Huic quid reſpondeam neſcio, quia (Teſte Lypſio) *Omnia, noſtra ſunt & nihil. Nihil noſtrum eſt*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *Quandoquidem non eſt eius, qui demeſſuit, ſpica; ſed eius qui ſementem fecit.* Tamen etſi nil noſtrum ſit, *quid prohibet*, *Lypſius in Polyt.*

ſcribit

Seneca lib. 1. de ira cap. 6.

scribit inter gentiles Moralissimus, *alienis vti, ex parte, quæ nostra sunt?* Ita vsus habet: *Aliusex alio, Sapiens, Olim, & Nunc;* ait S. Clemens Alexandrinus.

Cæterùm quale quale sit opus accipe; mei studij messis est; Certùm quòd in tumulto, non in otio, tabescam. Tu verò Patientia labores, tuaque beneficentia compensa, quia (Ouidius cecinit;)

Ouidius lib. de Ponto.

Corrigere at res est tantò magis ardua quantò

Magnus Aristarcho maior Homerus erat.

Addiderim etiam nil facilius, facile si malè, difficile si benè fiat. Hac super re Virginem me appello; nam si ad mordacitatem æmulatio meipsum impulit, cùm à me principium dare recordor, extinguitur hæc ipsa libido. Tamen necesse est censuram esse; sed faciant periti; nam etiam Medicus exulcerat feritum, ni sit annosus Chirurgus. Vltimò illud S. P. N. AVGVSTINI libenter vsurpo, & ad te mi candide Lector conuerto. Audi. *Si aduerteris, quæ tibi rectè displicebunt, ego ipse conspicior; in his autem, quæ tibi placent, ille amandus, ille prædicandus est, apud quem est fons vitæ, & in cuius lumine videbimus lumen.*

S.P.N. Augustinus Epist. lib. epist. 33.

Vale.



S.P.N.

S. P. N.

AVGVSTINVS

(COLVMNA, ET FIRMAMENTVM VERITATIS, ET VERE' COLVMNA NVBIS, IN QVA THRONVM SVVM POSVIT SAPIENTIA DEI

Dicit Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 7. de Operibus Spiritus Sancti cap. 19.)

Omnibus sacras literas legentibus atque interpretantibus scribit

Lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. col. 1. pag. mihi 79.



Rit diuinarum scripturarum solertissimus indagator, qui prius totas legerit, notasque habuerit, etsi nondum intelligentia, iam tamen lectione, deindè illa, quæ in eis apertè posita sunt, diligentiùs inuestiganda sunt. Tum verò facta quadam familiaritate cum ipsa lingua diuinarum scripturarum, in ea quæ obscuriora sunt aperienda, & discutienda pergendum est, vt ad obscuriores lectiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, & quædam certarum sententiarum testimonia, dubitationem de incertis auferant. Et in lib. 3. cap. 1. col. 1. pag. mihi 97. dicit

Homo timens Deum, qui voluntatem Dei in scripturis sanctis diligenter inquirit, præmunitus scientia linguarum, ne in verbis locutionibusque ignotis hæreat: præmunitus etiam cognitione quarundam rerum necessariarum, ne vim naturamue earum, quæ propter similitudinem adhibentur ignoret, adiuuante etiam codicum veritate, quam solers emendationis diligentia procurauit, veniat ità instructus ad ambigua scripturarum discutienda, atque soluenda.

APPROBATIO THEOLOGORVM RELIGIONIS.


Os infrascripti ex commissione Reuerendissimi Patris Martini à Sanctissima Trinitate nostræ Congregationis Generalis Vicarij attentè perlegimus Tomum hunc Secundum SACRI THEATRI BIBLIORVM à R. P. Laurentio à S. Francisca Romana eiusdem Congregationis Theologo, & Concionatore compositum, ipsumque vti omnibus, & maximè Concionatoribus vtilissimum luce dignum iudicamus. Romæ die 11. Nouembris 1689.

Fr. Augustinus Maria à S. Nicolao Sac. Theologiæ professor, & Secretarius Prouincialis.

Fr. Anselmus à S. Emygdio Sac. Theologiæ Professor, & Philosophiæ Lector.

Nos Fr. Martinus à SS. Trinitate Fratrum Erem. Discalceatorum S. Augustini Congregationis Italiæ, & Germaniæ Gen. Vic.


Pus SACRI THEATRI BIBLIORVM Tomum Secundum à R. P. Laurentio à S. Francisca Romana Concionatore, & Theologo elaboratum, à duobus nostræ Congregationis Theologis, quibus id specialiter commisimus, reuisum, cùm nihil contra fidem, bonos mores, aut Principes esse affirment, imò quamplurimis ecclesiasticis eruditionibus ornatum inuenerint, quantum ad Nos spectat, facultatem concedimus, vt typis mandari possit. In quorum fidem, &c.

Dat. in Conuentu nostro Iesu Mariæ de Vrbe hac die 20. Nouembris 1689.

Fr. Martinus à SS. Trinitate Generalis Vic. &c.

Loco ✱ Sigilli

Reg. lib. 3. fol. 117.

Fr. Bruno à Iesu Sec. Generalis



INDEX

PARAGRAPHORVM, ET DVBIORVM MORALIVM.

A.

Quare

Digitized by Google

Quare n in tot hostes triumphorum gloria alacriores Abramus audet si exigua impetiti manu victoriam concedunt Haienses pauci (vti legitur Iosue cap. 7. vers. 4.) *Ascenderunt tria millia pugnatorum qui statim terga vertentes percussi sunt à viris vrbis* : Hai, & strage vicinorum perterrita de Iosue militibus reportauere victoriam? Gen. 14. vers. 14. parag. 20.

Quare Abrami vernaculi de tot Sodomorum Regibus triumpharunt? Gen. 14. v. 14. §. 21

Quare Abram cum esset consultissimus vir non consultauit de auxilio ferendo consanguineis? Gen. 14. vers. 14. §. 22.

Quare Abram aduersus Assyrios Sodomæ expugnaturus irruit super eos nocte, & Gigas ille Philistæus qui exprobrabat agminibus Israel prouocans singulos ad singulare certamen, *Procedebat verò manè, & vespere, & stabat quadraginta diebus?* Gen. 14. v. 14. §. 23.

Quare Abram non nisi cum numeratis vernaculis iuit? Gen. 14. vers. 14. §. 24.

Quare, & quomodo Abram exijt incertamen cum tam paucis hominibus, hostesque cum suis in fugam conuertit, ac tandem percussit omnemque predam ex eorum manibus liberauit? Gen. 14. vers. 15. §. 26.

Quare Lot suos non protexit inimicis depulsis cum Abramus non solum inimicos depulit sed subegit? Gen. 14. vers. 16. parag. 27.

Quare Abram credentium Pater Lothum cum sua substantia à captiuitate liberat? Gen. 14 vers. 19. §. 29.

Quare Abramus tantum promeruit, vt tam gloriosam victoriam tamque largam benedictionem obtineret, & vt ei primus occurreret Melchisedech cum pane, & vino Eucharistico typo? Gen. 14. vers. 18. §. 36.

Quare Abramo offertur Eucharistiæ Sacramentum in figura panis, & vini à Melchisedech? Gen. 14. vers. 18. §. 44.

Quare Abram benedictus à Melchisedech post Reges deuictos? Gen. 14. vers. 19. §. 45.

Quare Melchisedech, vt Abramo benedicat panem, & vinum profert? Gen. 14. v. 19. §. 46

Quare Abram de bonis Regis Sodomorum voluit ipse dare decimas Sacerdoti? Gen. 14. vers. 20. parag. 47.

Quare modo Abramus lucet benedictus qui nec tot aduersarijs victis plenè resplenduerat laudibus celebratus? Gen. 14. v. 20. §. 48.

Quare Sodomorum ipse Rex suis animabus minimè contentus eas, quæ Abrami bellico iure fuerant, petulanter quæsiuit? Gen. 14. vers. 21. parag. 50.

Quare Abram iurauit propter Deum excelsum, quod nihil acciperet de omnibus quæ Regis erant Sodomorum? Gen. 14. vers. 22. parag. 51.

Quare Abram iurando ad iurandum facilis, & expromptus perhibetur? Gen. 14. v. 22. §. 52.

Quare dixit Abram *Leuo manum meam?* Gen. 14. vers. 22. §. 53.

Quare Abram sic se eximit à Regis Sodomorum muneribus? Gen. 14. vers. 22. §. 54.

Quare Abram necessum fuit tam obnixè Deũ obtestari eiusque absolutissimæ potestatis in in cælo, & in terra memoriam facere? Gen. 14. vers. 22. §. 55.

Quare Abram nihil admitere voluit quæ Pentapolitani Principis erant? Gen. 14. vers. 22. & 23. parag. 56.

Quare Abram contemnit quod iure belli victoria fecit suum? Gen. 14. v. 23. §. 58.

Quare Abram recusat opima spolia quæ ab ipso restaurata illi vltrò offerebant Reges? Gen. 14. vers. 23. §. 59.

Quare memorantur hic Eschol, Aner, & Mambre? Gen. 14. vers. 24. §. 60.

Quare modo tam accuratè à corde Abrahæ expellitur timor ac diuina protectio, vt scutum ac clypeus ei promittitur? Gen. 15. vers. 1. parag. 1.

Quare tam amplis promissionibus adimpletur Abramus, dum ei dicitur à Domino: *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis?* Gen. 15. vers. 1. §. 2.

Quare timere prohibetur Abram qui frena immodicæ potius adhibere debuerat letitiæ cohibendæ? Gen. 15. vers. 1. §. 4.

Quare timet Abram, vt Deus dicat illi noli timere? Gen. 15. vers. 1. §. 5.

Quare si Deus tam beneuolus extabat Abramo tantum illi suum exponit desiderium de liberis, & clarè, & apertè sobolem non postulat? Gen. 15. vers. 2. §. 6.

Quare Abram dixit: *Ego vadam absque liberis* cum terra illa esset ei promissa in possessionem filij eius? Gen. 15. vers. 2. §. 7.

Quare cum Abramus tot, & tanta à Domino haberet ait. Quid dabis mihi? Gen. 15. vers. 2. §. 8. & 9.

Quare Dominus statim, ac Abram e bello reuertitur dicit ei; Ego protector tuus sum, & merces tua magna noli timere? Gen. 15. vers. 1. §. 10.

Quare si habet Abram multos consanguineos nempe Lot Filium fratris sui non obsecrat vt sua hereditas tantarum rerum ad suos fratres transeat, sed ad seruum familiæ suæ? Gen. 15. vers. 3. §. 11.

Quare dixit Abram mihi non dedisti semen, & ecce vernaculus meus Heres meus erit? Gen. 15. vers. 3. §. 12.

Quare Abrã tot felicitatibus plenus, & diuitijs carebat hærede seruus autem carebat diuitijs, & exundabat hæredibus? Gen. 15. vers. 3. §. 13.

Quare in prima promissione Deus Abramo tantum locutus est, & in secunda manibus suis ipsum foras eduxit, vt audiat firmitatem promissi. gen. 15. vers. 4. §. 14.

Digitized by Google

Digitized by Google

ret nepos eius Loth. gen.18.v.35.§.60

Quare Angeli non magis armatos se exhibent; vel cur non potiùs ad instar nigrarum nubium fulminant, sed solùm in peregrinorum facie veniunt. gen.19.vers.1.§.2

Quare Deus, qui vnicum Angelum misit ad ferociam leonum Danielis sedandam (vt Dan.cap.6.vers.22.) vnicum non miserit ad libidinem Sodomitarum puniendam? gen.19 vers.1.§.8.

Quare postulanti Abrahamo, vt ira Dei dimittatur à Ciuitatibus Sodoma, & Gomorrha, id non conceditur, nisi ibi inuentus sit certus iustorum numerus: roganti verò Loth pro Segor absquè pacto vel conuentione, quòd ibi iustus reperiatur, mox indulgetur, gen. 19.v.21.§.29

Si Angeli valdè benigni in homines sunt, non poterant inferre malum vrbibus, donec iustus egrederetur, quare ergò ita instant, vt festinando exeat? gen.19.vers.22.§.31

Quare vxor Loth ciuitates infames ardentes respiciens vertitur in salis statuam, & Abraham easdem aspiciens non punitur, gen.19. v.26.§.41

Quare Moab, & Ammon vocati fuere infantuli filiarum Lothi, gen.19.v. 37.& 38.§. 57 & 58.& 59

Quare dicitur, quòd Abraham in terram Gerar descenderit? gen 20.vers.1.§.1

Quare Abrahamus prioribus relictis sedibus in Vrbe Geraris habitare maluerit, gen. 20. vers.1.§.2

Quare si Pharao (vt supra cap.12.vers.16.) ictibus durissimis flagellatur, ob Saræ raptum Abimelech minis tantummodò deterretur? gen.20.v.1.§.3

Quare duo Abimelechi duas habentes domi in eadem Geraris ciuitate pulcherrimas mulieres Saram vnam, alteram Rebeccam, Rex primus minis corripitur, secundus verò nullum sinistrum habuit? gen.20.vers.2.§.6

Quare Abraham, qui pro vno captiuato nepote Loth aduersùs quinque Reges exurgit, nunc pro erepta sibi vxore ab vno solo rege non magis irascitur? gen.20.v.2.§.7

Quare ad arguendum Abimelech, vt reddat Saram viro suo, in somnis Angelus venit; ad increpandum Dauid de adulterio Bersabee venit Nathan cum parabola, & figura: Ioannes verò Domini præcursor non in somnis, sed in vigilia, non in figura, sed propalanter dixit Herodi *non licet tibi habere vxorem fratris tui?* Marc.cap.6.v.18. gen. 20.vers. 3.§.11.

Rapitur Sara à Pharaone, rapitur & ab Abimelecho; igitur quare ob idem commissum Pharao magnis plagis flagellatur, Abimelech verò res magno rationis pondere discutitur? gen.20.v.3.§.12

Si Abimelech non tetigit Saram quare mille argenteos (vt infra) dedit, vt si eius fuisset virginitate fruitus, gen.20.vers.4.§.16

Si iustus fuit Abimelech, Deo ipso testante, scio, quòd in simplicitate cordis feceris, quare in eum animaduertit quasi peccatorem? gen.20.vers.6.§.23.

Quare Abraham nunc *propheta* nominatur, qui hactenus nusquam propheta fuit dictus? & quidnam refert quòd sit aut non sit propheta, vt sua viro vxor reddatur. Gen. 20. v. 7. §. 25

Quid est, quòd tunc præstet oues, & boues, & seruos, & ancillas, quibus Rex Abraham ditauerat, vt resarciret contumeliam, mille argenteis Saram munerat ad honorem vultus. gen.20.v.16.§.45

Quare Abimelech Saræ *ob velamen oculorum* donauit argenteos mille. gen. 20. v. 16.§.53. & 54.

B

QVare si semel Deus fideliter omnipotens suo Abramo beneficè dixit *Benedicam tibi*, opus fuit addere erisque benedictus. gen.12. Vers. 2. parag. 18.

Quare larga quidem Benedictio, & opulenta felicitas dicitur eis qui benè de Abramo dicunt eumque laudibus celebrant. E contrario autem hi qui eum vituperijs dehonestant infami execratione mulctantur. gen.12.vers. 3. parag. 20.

Quare ipsa Ciuitas quæ priùs vocabatur Bala postquàm precibus Lot seruata est à communi Pentapoleos incendio dicta est Segor, vt habetur infra cap. 19. gen. 14. v.2.§. 2.

Quare si milites in bituminis cecidere puteos Moyses ait Reges qui fugerant cecidisse. gen. 14. vers. 10.§. 11.

Quare hæc benedictio quæ à Deo excelso imperatur super Abram non explicatur. gen. 14. vers. 8. §. 37.

Quare Melchisedech, vt Abramo benedicat panem, & vinum profert. gen. 14. vers. 19. parag. 46.

Quare si ex SS.Patrib. *Puteus iste viuentis* Baptismatis fontem, de cuius aquæ beneficio viuimus, significat, ad quid *videntis* additur? gen. 16. vers. 14. §. 58.

Quare Deus in noua lege Baptismum mitissimum subrogauit rigidæ circumcisioni, quæ, dùm infans octo dierum erat, exequi debebat. gen. 17. vers. 12. §. 36.

Quare pro tàm magno beneficio sibi solique populo collato, rex tantus ita exiguum munus *Ecce mille argenteos*, donauit. gen. 20. vers. 16. §. 43.

C

QVare dixerunt venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat

Quare

Quare exprimitur Abrahamum risisse, cùm caderet: *cecidit in faciem suam, & risit?* gen. 17.v.17.§.46

Quare cecidit Abraham in faciem suam, audiens futuræ prolis repromissionem, gen.17 v.17 §.49.50.51

Quare Abraham non antea ausus est ridere, quàm in faciem ceciderit. gen. 17. v.17.§.52

Quare Patriarcha non pigritauit vsquè circumcisionis omnium domesticorum perfectionem. gen. 17. vers. 24. §. 58.

Quare etiam Abraham pater ille excelsus in perfectionis culmine positus subiacet circumcisioni. gen. 17. vers.24. §. 59.

Quare refert Moyses, eodem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius, & omnes viri domus illius pariter circumcisi sunt. gen. 17. vers.26. & 27. §. 60.

Quare sub Ilice, cuius fructus in porcorum alimoniam cadere solet, Angelis ab Abrahamo paratur cælæste conuiuium. gen. 18. vers. 4. §. 11.

Quare Abraham tribus veris peregrinis conuiuium parat non in domo sua, sed foris. gen. 18. vers.8. §. 21.

Quare Abraham non alio quidem tempore, quàm dum familiariter cum Deo loquebatur, *loquar* dicit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis*. gen. 18. vers. 17. §. 39.

Quare dicitur, quòd clamor Sodomorum multiplicatus esset, & peccatum eorum aggrauatum. gen. 18 vers. 20. §. 42.

Quare si puluis cinisque Abraham demeretur colloquium, non veretur accessum. gen. 18. vers. 23. §. 47.

Quare Abraham se puluerem, ac cinerem dicit. gen. 18. vers. 27. §. 52.

Quare Abraham ciuitatem cum Angelis pariter non intrauit, præsertim cùm ibi habitaret Nepos eius Loth. gen. 18. vers.33. §. 60.

Quare si cęcitate percussi exleges isti nequeunt aditum inuenire, necessum erat ostium claudere. gen. 19. vers. 10. §. 13.

Quare à minimo vsquè ad maximum cæcitate percussi fuere omnes Sodomitæ. gen. 19. vers. 11. §. 14.

Quare non pari omnes cæcitatis pœna, sed iustum Tobiam longè maiori, minori verò Sodomitas, & Syros (4. Reg. cap. 6. v.18.) Deus affecit? Siquidem Tobias cæcus omninò factus, nihil videbat; Sodomæ verò ciues, & hostes Syrios, non cæcitate tota, sed ea moderata percussit. gen. 19. vers. 11. parag. 15.

Quare Loth cùm de Sodoma exiret non statim montem ascendit, vt in illo saluus fieret, sed in ciuitate paruula quieuit. gen. 19. vers. 19. §. 27.

Quare Angeli, vt peccatricem ciuitatem funditùs euerterent, vrgent Loth iustum pergere in locum designatum. gen.19. v.21. §.30

Si multæ ciuitates submersæ fuere, quare de solis duabus Sodoma scilicet, & Gomorrha tantùm fit mentio? gen. 19. vers. 24. §. 30.

Quare exprimitur, *subuertit Ciuitates has, & omnem circa Iordanem?* Nonnè sub erat, quòd ciuitates punirentur? Ad quid vltrà, regiones circumiacentes multantur supplicio? gen. 19. Vers. 25. §. 39. & 40.

Quare Deus si opponit criminis grauitatem, en morieris subdit indè scio quòd simplici corde feceris. gen. 20. vers. 6. §. 21.

D

QVare si Turrim Babel ædificaturi noucrunt homines illi se in pœnam peccati dissipandos, operi muliundo operam nauant dicendo venite faciamus Turrim antequam diuidamur, vel vt legit philo antequam dissipemur. gen. 11. vers. 4. §. 11.

Quare si omnes erant tanta vnione, ac amicitia colligati vnde diuisionem, ac separationem coniecturauerunt, gen. 11. vers. 4. §. 12.

Quare Deus tàm solerter præcauet & solicitè consultat de impediendo ædificio quod humana audacia fabricare non eualet. gen. 11. vers. 5. §. 15.

Quare si Deus non loco mouetur qui semper vbique est totus descendere hìc dicitur. Descendit Dominus, vt videret ciuitatem & Turrim quam ædificabant filij Adam. gen. 11. vers. 5. §. 16.

Quare si vulgata dicit quòd descendit Dominus vt videret ciuitatem, & turrim quam ædificabant filij Adam. Septuaginta legunt quam ædificauerant. gen. 11. vers. 5. §. 17.

Quare refert Moyses Deum descendisse descendit Dominus, &c. si vbique est immensitate totus. gen. 11. vers. 5. §. 18.

Quare quando istorum hominum mens ad cælum ascendere tractat: faciamus turrim, cuius culmen ad cælum pertingat tunc legitur descendit Dominus, &c. Et venite descendamus, &c. gen. 11. vers. 5. §. 19.

Quare ad suffocandam omnem carne aquis diluuij sat est quòd Deus dixerit delebo omnem carnem (gen. cap. 6. vers. 7.) At ad puniēdos filios Adam in turri Babel dicitur quòd Deus semel, & iterum descenderit. gen. 11. vers. 6. §. 23.

Quare Deus voluit confundere, & diuidere Turris Babel ædificatores exleges. gen. 11. vers. 7. §. 26.

Quare diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras. gen. 11. vers. 8. §. 27.

Quare vt confundat linguas descendere decretat Dominus. gen.11. vers. 7. §. 30.

Quare si exleges illi cessarũt ab opere vti legitur: & cessauerunt ædificare ciuitatem, nihilominùs dispersionẽ patiuntur. *Diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras*. gen. 11. Vers.

in terra in signum magnæ reuerentiæ, tres illos iuuenes hospitio recepit. gen. 18. vers. 2. §. 6.

Quare si Abramus hospitalitatis beneficium conferebat, protestatur se illud accipere. gen. 18. vers. 3. §. 9.

Quare ly. *Reuertens veniam ad te tempore isto*, à Lippomano vertitur, *Redire redibo* ad te sicut hora viua. gen. 18. vers. 10. §. 26.

Quare iterum dixit Angelus, *Iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vita* comite. gen. 18. vers. 14. §. 33.

Quare homines illi nequissimi audent reprehendere, ac punire hominem iustum dicentes; *Recede illuc, & rursus ingressus es, inquiunt vt aduena*, Numquid vt iudices? te ergò ipsum magis, quàm hos affligemus. gen. 19. vers. 9. §. 12.

I

Cur Ioannes circa lumbos hic autem circa Mammillas precingebatur. gen. 11. vers. 8. §. 31.

Quare Abram timebat se interfecturum ab Ægyptijs. gen. 12. vers. 12. §. 41.

Quare Abram iurauit propter Deum excelsum quod nihil acciperet de omnibus quæ Regis erant Sodomorum. gen. 14. vers. 22. §. 51.

Quare Abram iurando ad iurandum facilis & expromptus perhibetur. gen. 14. vers. 22. parag. 52.

Quare dixit Abram *Leuo manum meam*. gen. 14. vers. 22. §. 53.

Quare dicitur *Verumtamen gentem cui seruituri sunt ego iudicabo*. gen. 15. vers. 14. parag. 46.

Quare exprimitur Neque enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. gen. 15. vers. 16. §. 51.

Quare narratur de Sarai non genuerat liberos, de Matre Sampsonis, & Samuelis itidem, & de præcursore Ioanne Baptista, & non erat eis filius. gen. 16. vers. 1. §. 1.

Quare Ismaelis nomen prædictum fuit à Deo, & illud Samuelis sic à Numine dilecti minimè prædicitur. gen. 16. vers. 11. §. 39.

Quare Ismael nomen cùm habuerit primus ab Angelo, nescitur tamen, bonus ne, an malus fuerit. gen. 16. vers. 11. §. 41.

Quare ferus Ismael, si homo, & si humanus quomodo ferus. gen. 16. vers. 12. §. 43.

Quare Ismael progenies nominatur fera, agrestis furax, barbarica, & pugnax, quæ nec cum fratribus suis pacis fœdera init. gen. 16. vers. 12. §. 46.

Quare scriptum est de Ismaele: *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum*. gen. 16. vers. 12. §. 47.

Quare dum æquè euarientur nomen Abrahami (& infra cap. 32. vers. 28.) nomen Iacobi, *Nequaquam*, inquit; *Iacob appellabitur nomen tuum sed Israel*, tamen vtriusque non est æqua in nomine constantia. gen. 17. vers. 5. §. 17.

Quare nomen, quod modò imponitur Isaac nascituro perseuerat absquè alia mutatione vsquè in finem vitæ cum illo, quando Abram & Iacobi nomina habent finem. gen. 17. vers. 15. §. 42.

Quare ex Isaaco promittit Deus quòd Reges essent emanaturi: *Et reges populorum orientur ex eo*. gen. 17. vers. 16. §. 43.

Quare ex Isaaco Reges, & ex Ismaele Duces exoriundos promittit Deus. gen. 17. vers. 16. §. 44.

Quare non dicitur Patriarcham nostrum risisse in Ismaelis natiuitate, sicut modo ridet in promissione secundi filij. gen. 17. vers. 17. parag. 53.

Quare Deus Abrahamo de Ismaele dixit, quòd ipsum augeret, multiplicaret, & de ipso Reges etiam promanarent. gen. 17. vers. 18. & 20. §. 54.

Quare sub ilice, cuius fructus in porcorum alimoniam cadere solet, Angelis ab Abrahamo paratur cæleste conuiuium. gen. 18. vers. 4. parag. 1.

Quare per tot modos declaratur Saræ infœcunditas. gen. 8. vers. 11. §. 28.

Quare Abraham inquit Deo. *Non est hoc tuum qui indicas omnem terram nequaquam facies iudicium hoc*. Gen. 18. vers. 25. §. 50.

Quare gehennale hoc incendium non infimissimæ terrarum cauernæ eructans sed supernè è cælo ruere perhibetur. gen. 19. vers. 24. parag. 37.

Quare, si pœna ignis, & sulphuris futura destinatur peccatoribus in inferno, nunc ad viuos Sodomitas præmittitur in hoc vita. Gen. 19. vers. 24. §. 38.

Quare ly. *Venite Deus ad Abimelech* iuxtà hebraicam veritatem dicitur venit Iudex. & cur Deus hic nomen Iudicis sibi assumit. gen. 20. vers. 3. §. 9.

Abimelech cum ignorantia matrimonij Saræ ipsum accepit in suam, Ioseph sanctissimæ Dei Genitricis sponsus factum ignorans, quod Virgo haberet in vtero de spiritu Sancto (Matth. cap. 1. vers. 18. & 19.) *voluit occultè dimittere eam*.

Quare si Angelus vice Dei Abimelech minatus est, non arguit pariter Iosephum, quamuis interueniente ignorantia vellet virginem dimittere æqualis enim videtur defectus alienam admittere, ac innocentem propriam dimittere. gen. 20. vers. 3. §. 10.

Quare ad arguendum Abimelech, vt reddat Saram viro suo, in somnis Angelus venit: ad increpandum Dauid de adulterio Bersabee venit Nathan cum parabola, & figura: Ioannes verò Domini præcursor non in somnis,

sed

Digitized by Google

Quare

Quare (si puer octo dierum natus non circumcidatur non ex eius defectu, sed ex parentum incuria prodit) lex pœnam non infligit parentibus, sed pueris circumcisis. gen. 17. vers. 14. §. 39. & 41.

Quare Abrahamo, candenti sole tres Angeli obijciuntur numero discreti, sed mysterio vniti, & Lot gemini obijciuntur, illeque sub vesperum. gen. 18. vers. 2. §. 7.

Quare Abraham agens cum tribus, cùm ablutionem pedum offert, in singulari loquitur, *Domine, &c.* Ac Loth referens sermonem ad duos, in plurali verba profert, *Obsecro Domini, &c.* Gen. 18. vers. 3. §. 10.

Quare Lothus angustiorem appofuit mensam duobus, cùm Abrahamus lautiorem appofuerit tribus. gen. 18. vers. 8. §. 20.

Quare Abraham diùque pijs altercatus interrogationibus Deum, nec verbū vnū de Cognato Loth, nec pro eius interpellat salute, ne vniuersalis supplicis incendij comburatur. gen. 18. vers. 24. §. 48.

Quare Lothum Sanctissimum tandiù passus est Deus, vt inter Sodomitas moraretur, qui ne Angelis quidem specie tenùs hominem referentibus pepercere, in quos violentos tentauerunt conatus. gen. 19. vers. 5. §. 8.

Quare nam Lothus tota nocte domi occlusus, cùm à populo vallaretur. gen. 19. v. 6. §. 9.

Quare Loth in tanto discrimine moras traxerit, & in monendo Generos tempus consumpserit. gen. 19. vers. 14. §. 17.

Quare Loth tot virtutum dotibus exornatus nexuerit moras, properantes intuitus pœnas. gen. 19. vers. 15. §. 19.

Quare Loth dissimulauit Angeli conatum, vt exiret de ciuitate. gen. 19. v. 15. §. 20.

Quare, postulante Abrahamo, vt ira Dei dimittatur à ciuitatibus Sodoma, & Gomorrha, ei non conceditur, nisi ibi inuentus sit certus iustorum numerus: Roganti verò Loth pro Segor, absquè pacto vel conuentione, quòd illic iustus reperiatur, mox indulgetur. gen. 19. vers. 21. §. 29.

Quare Loth accepta incolumitatis tessera adhuc timorem concussus. Fugerit, cùm prius in Sedor, diuino protectus auxilio mensferit. gen. 19. vers. 29. §. 48.

Quare Loth inter Sodomitas castus fuit, & inter filias incestuosus. gen. 19. v. 33. §. 53.

Quando Loth non sensit, quando cum filiabus concubuit. gen. 19. vers. 35. §. 55.

Si ex dicto S. P. N. Augustini; *Est potens ad subuertendum, fœmina instrumentum*, Quare non eadem passus Loth, quæ vxor illius. gen. 19. vers. §. 60.

Quare in Rege barbaro erga peregrinos Abraham, & Saram tanta liberalibus armentorum, & pecuniarum. gen. 20. v. 16. §. 92

M

Quare in descriptione generationum istius secundæ ætatis non dicit Scripturas: Mortuus est sicut dicit describendo primam ætatem. gen. 11. vers. 10. §. 59.

Quare Abram perrexit vadens, & vltra ad meridiem progreditur. gen. 12. v. 9. §. 59.

Quare relictis tot nominibus notissimis nempè *Lacus Asphalti, & mare mortuum*, laci istius maluit textus noster illud vocare in præsenti Mare salis. gen. 14. vers. 3. §. 4.

Quare Melchisedech obuiam factus victorianti Abramo protulit panem, & vinum, & benedixit ei. gen. 14. vers. 18. §. 32.

Quare Altissimi Sacerdos Dei Melchisedech, *Qui erat figura Christi, sicut docuit Paulus*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus in coll. cap 6. de Abramo; huic à cæde Regum triumphali cum reuerteretur post repudiatam pinguem deuictorum prædam panem, & vinum protulit, in quibus Christi carnem, & sanguinem Patres Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum benedixit ei. gen. 14. vers. 18. §. 33.

Quare victori Abramo à cæde quinque Regum obuium cum fuisset Melchisedech, dicitur de eo, *Erat Sacerdos Dei Altissimi*. gen. 14. vers. 18. §. 34.

Quare tot prætiosis cibarijs homini pleno Melchisedechus occurrit proferens panem, & vinum. gen. 14. vers. 18. §. 39.

Quare tanti epuli conuiuia Melchisedech sine Patre, & sine Matre, & sine Genealogia, introducitur dum dicit Moyses. At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum erat enim Sacerdos Dei Altissimi. gen. 14. vers. 18. §. 40.

Quare, & vnde, (quando agni, & vituli Deo litabantur etiam à Sanctis) habuit Melchisedech quod panem, & vinum offerret. gen. 14. vers. 18. §. 41.

Quare Melchisedech sine Patre, & Matre introducitur proferens panem, & vinum. gen. 14. v. 18. §. 42.

Quare dicitur Rex Salem quando Melchisedech panem vinumque Abramo protulit. gen. 14. vers. 18. §. 43.

Quare Abram benedictus à Melchisedech post Reges diuictos. gen. 14. vers. 19. §. 45.

Quare Melchisedech, vt Abramo benedicat panem, & vinum profert. gen. 14. vers. 19. parag. 46.

Quare Abram sic se eximit à Regis Sodomorum muneribus. gen. 14. vers. 22. §. 54.

Quare hoc potissimum tempore, his circumstantijs, & neque antea vnquam hoc obsequij genus à Melchisedecho, Abram præstitum. gen. 14. vers. 18. §. 57.

Quare memorantur hic Eschol, Aner, & Mam-

N

grat peregrinatione vtilissima. gen. 11. vers. 27. parag. 47.

Quare si Thare fugiens de vr Chaldæorum tulerat Abraam, & Nepotem suum Lot etiã ex ea non eduxit secum Naehorem filium suum, & apud exleges illos reliquit. gen. 11. vers. 31. §. 52.

Quare Gigas ille superbus Nemrod ignem eolere docuit secundùm illos, qui dicunt, quòd homines huius temporis timebant destru-ctionem futuram per ignem. gen. 11. §. 60.

Quare Abrabam nomen hic gloriosiùs extenditur, & augustiori voeabulo, gloriosioriq. Elogio Abraham appellatur. gen 17. vers. 5. parag. 16.

Quare dum æquè euariantur nomen Abrahami, & (infra eap. 31. vers. 28. nomen Iacobi. *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*: tamen vtriusque non est æqua in nomine constantia. gen. 17. vers. 5. §. 17.

Quare de nomioe suo fecit Deus Abrabami nomen; dùm litera H, addita de nomine diuino sumpta communiter exponunt Doctores. gen. 17. vers. 5. §. 18.

Quare nomen datur ex diuino conflatum homini centinario. gen. 17. vers. 5. §. 19.

Quare Agar (vt ex hebræo habetur) Deo nomen attribuit, quod à fortitudine desumitur, dixit enim, *Tu EL videns me*. gen. 6. vers. 13. §. 56.

Quare Abraham ad secundas transiuit nuptias gen. 16. vers. 3. §. 8.

Quare nomen, quòd modò impooitur Isaae naseituro perseuerat vsquè ad finem vitæ cum illo absque alia mutatione, quando Abram, & Iacobi nomine finem habente. gen. 17. vers. 15. §. 42.

Quare Abrahamo, candeoti sole, tres Angeli numero diferetí objiciuntur, at mysterio vniti, & Lot objiciuntur gemini, illique sub vesperum. gen. 18. vers. 2. §. 7.

Quare Abraham eiuitatem eum Angelis pariter non intrauit, præsertim cùm ibi habitaret Nepos eius Loth. gen. 18. vers. 33. §. 60.

Quare Angeli ooo magis armatos se exhibent, vel eur non potius ad instar nigrarum nubium, fulminant, sed solùm in faeie peregrinorum veniunt. gen. 19. vers. 1. §. 2.

Quare Regem Abimelechum mouit, vt Saræ nuptias tàm auidè expetiret. gen. 20. vers. 2. parag. 4.

Quare ad arguendum Abimelech, vt reddat Saram viro suo, io somnis Angelus venit; ad increpaodum Dauid de adulterio Bersabee venit Natham eum parabola, & figura Ioannes verò Domini præcursor non in somnis, sed in vigilia, non in figura, sed propalanter dixit Herodi, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*. Marci cap. 6. vers. 18. gen. 20. vers. 3. §. 11.

Quare Abimelech interminata fuit mortis pœna, & quidem à Deo, eò quòd nuptiarum contrahendarum animo io aulam tulerit Saram palàm dictitantem, fecisse Abrahæ Sororem, quòd etiam Abrahamus profitebatur. gen. 20. vers. 6. §. 22.

O

Q Vare dieitur cumque proficifcereotur de Oriente, si iam in Armeniæ regione, quæ orientalis dieitur ratione ipsius Babyloniæ homines illi erant, cur inde profecti sunt. gen. 11. vers. 2. §. 2.

Quare refert Moyses Lot recessisse ab Oriente. gen. 13. vers. 11. §. 32.

Quare si Lotb sufficiebat vnum oppidum vna Ciuitas ad habitandum dicitur in plurali quòd morabatur io oppidis. gen. 13. vers. 12. §. 36.

Quare antequam largis adeò pollicitationibus Abramum prosequeretur leuare oculos illum iussit, & totam prius lustrare terram, Leua oculos tuos, & vide, &c. gen. 13. vers. 14. parag. 43.

Quare in hoc pugnaci congressu, & felici triumpho viri sanctissimi nulla resooet precum vox quæ, & illi animos ingereret, & opem Dei auxiliarem accerferet. gen. 14. v. 18. §. 38.

Quare in hoc dupliei solis occasu in primo timet, & horret Abramus, ooo verò in secundo eum in hoc posteriori exprimatur quòd facta fuerit ealigo tenebrosa, quæ ex se magnam formidinem incutere valebat. gen. 15. vers. 17. §. 53. & 54.

Quare ex hebræa origioe in verbo illo. *Vocauit* nomen Domini, Oratio exscribitur. gen. 16. vers. 13. §. 52.

Quare si oratio ista Agaris afflictionum vi extorquebatur, tantum meruit. gen. 16. vers. 7. §. 23.

Quare vt appareat obsequium Abrahami erga Deum, & subiectio tota, quædam minima particula corporis designatur, & non potius Instituitur aliquod signum, quod in toto homiois corpore appareat. gen. 17. vers. 11. parag. 33.

Quare Abraham pro tanto benefieio gratias, sicut Agar, magnis vocibus non persoluit, sed eecidit in faeiem suam, veluti suam in Deum magnam obedientiam, ac venerationem protestatus absquè verbo vllo. gen. 17. vers. 17. §. 45.

Quare Abraham omni virtutum genere ornatus per cursum 100. annorum, vbi veres defecerant, sterilis reputabatur, quòd pro magno opprobrio, pro tunc appendebatur geo. 18. vers. 11. §. 27.

Quare si Angeli Sodomam petebant, ad quid notat diuinus spiritus, quòd in illam dire-

Digitized by Google

tantum locutus est, & in secunda manibus suis ipsum foras eduxit vt audiat firmitatem promissi. gen. 15. vers. 4. §. 14.

Quare modo progenies Abrami comparatur stellis si antea comparata fuit pulueri: gen. 15. vers. 5. §. 18.

Quare dum tanto terrore, ac horrore conturbatur Abram dicitur ei: Tu autem ibis ad patres tuos in pace. gen. 15. vers. 15. §. 47.

Quare Dominus nunc Abramo promittit tàm latam, & amplam terram, quæ lacte, & melle fluebat, quæ multos populos, & regna sub se continebat. gen. 15. vers. 19. 20. & 21. §. 60.

Quare si Deus promissiones Abramo iam, fecerat nouam pollicitationem modò publicat. gen. 17. vers. 2. §. 10.

Quare, Patriarchæ promittuntur reges ex suo semine egressuri, & quinam sint isti qui tegum nomine Abrahamo pollicentur. gen. 17. vers. 6. §. 20. & 21.

Quare promittitur Abrahamo, quòd Dominus erit Deus illius, & eius sobolis. gen. 17. vers. 7. §. 22.

Quare promittit Dominus esse filiorum Abrahæ Deus, dicens *Eroque Deus eorum*. gen. 17. vers. 8 §. 23.

Quare Deus pro filijs Abrahæ tantum partem legis mandat, circumcidere scilicet, particulam præputij. gen. 17. vers. 11. §. 27. & 28

Quare in hoc membro præputij instituta fuit a Deo circumcisio. gen. 17. vers. 11. §. 32.

Quare puerulis tenellis octiduaris tàm dirum circumcisionis vulnus mandatur. gen. 17. vers. 12. §. 37.

Quare (si puer octo dierum natus non circumcidatur non ex eius defectu, sed ex parentum incuria prodit) lex pœnam non infligit parentibus, sed pueris incircumcisis. gen. 17. vers. 14. §. 39. 41.

Quare dicitur de puero incircumciso *delebitur anima* illa de populo suo. gen. 17. v. 14 §. 40.

Quare ex Isaaco promittit Deus, quod reges essent emanaturi: *Et Reges populorum orientur ex eo*. gen. 17. vers. 16. §. 43.

Quare ex Isaaco Reges Ismaele Duces exoriundos promittit Deus. gen. 17. vers. 16. §. 44.

Quare cecidit Abraham in faciem suam audiens futuræ prolis repromissionem. gen. 17. Vers. 17. §. 49. & 50. 51.

Quare dicitur exaudiuit Dominus Abrahami preces si Ismael feritati addictus, *coram Deo non vixit*. gen. 17. Vers. 20. §. 55.

Quare addit Moyses *sicut præceperat ei Dominus* si Deus non præceperat vt illa ipsa die præceptum impleret de circumcisione Abraham. gen. 17. vers. 23. §. 57.

Quare si pauperes, & egenos hospitio recipere volebat Abrahamus, eos è propinqua ciuitate non conuocat, sed tantùm aduenas quærit, & in ipso meridiano feruore diei. gen. 18. vers. 1. §. 1.

Quare Abrahamus in huiusmodi hospitio tantum promeruit, nam hic plus quodammodo promissionis recepit, quàm dùm in holocaustum filium obtulit. gen. 18. v. 1. §. 2.

Quare Abraham, cùm esset vir potentissimus, tanta erga peregrinos, ignotosque submissione se habuerit. gen. 18. vers. 2. §. 4.

Quare si Abrahamus stabat, vt viaens venientes peregrinos in domum suam introduceret eos vidit non à longè, sed propè se. gen. 18. Vers. 2. §. 5.

Quare si Abrahamus Dominum Angelorum, ac Angelos agnoscebat, panes apponebat. gen. 18. vers. 5. §. 13.

Quare Abraham, si Angelos cognouerat, offert aquam ad abluendos pedes. gen. 18. vers. 6. §. 15.

Quare Abraham coctos tres panes sub cinere præstat tribus Angelis. gen. 18. vers. 6. §. 18.

Quare Abrahamo non alio quidem tempore, quàm dùm familiariter cùm Deo loquebatur: *Loquar* dicit, *ad Dominum meum, cùm sim pulnis, & cinis*. gen. 18. vers. 17. §. 39.

Quare dicitur, quòd clamor Sodomorum multiplicatus esset, & peccatum eorum aggrauatum. gen. 18. vers. 20. §. 43.

Quare dicit Deus (cùm omnia illi nuda, & aperta sint) descendere velle, vt videat Sodomorum crimina. gen. 18. vers. 21. §. 45.

Quare Abraham se puluerem, ac cinerem dicit. gen. 18. vers. 27. §. 52.

Quare Angeli non magis armatos se exhibent, vel cur non potiùs ad instar nigrarum nubium fulminant, sed solùm in facie peregrinorum veniunt. gen. 19. v. 1. §. 2.

Quare apud Abrahamo multa clargiuntur, apud Loth verò multa infliguntur supplicia; si in vtraque domo Angelis conuiuium, & panis apponitur. gen. 19. v. 3. §. 6.

Quare Dominus ignem pluisse, & sulfur *à Domino* dicitur, cùm sat esset dixisse, pluisse Dominum. gen. 19. vers. 24. §. 35.

Quare si Pharao (vt cap. 12. vers. 16. supra) ictibus durissimis flagellatum ob Saræ raptum, Abimelech minis tantummodò deterretur. gen. 20. vers. 2. §. 3.

Rapitur Sara à Pharaone, rapitur, & ab Abimelecho, igitur quare ob idem commissum Pharao magis plagis flagellatur, cum Abimelech verò res magno rationis pondere disseritur. gen. 20. vers. 3. §. 12.

Quare si Deus Abrahamum Prophetam vocat verba indè dubitanter profert dicens, cogitaui mecum dicens, forsitam non est timor Dei in loco isto. gen. 20. vers. 7. §. 24.

Quare Abraham Propheta nominatur, qui hactenus nusquam Propheta dictus fuit? Et quidnam refert quòd sit, aut non sit Propheta, vt sua viro vxor reddatur. gen. 20. vers. 7. §. 25.

Digitized by Google

dit, sed ad Abrahamum ait, *Quare risit Sara?* Gen.16.v.13.§.32

Quare Angeli grauate ferunt, quòd Sara rideat risum, hoc est Isaacum paritura? Gen. 18.v. 15.§.35

Quare Deus non reprehendit Abrahamum ei consilia ntem dum dicit: *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio?* Gen. 18. vers. 25.§. 49

Quare tot ratiocinationes inter Deum, & Abrahamum de supplicio Sodomæ, & Gomorrhæ ciuitatibus infligendo? Gen. 18. vers. 26.§.51

Quare homines illi nequissimi audent reprehendere, ac punire hominem iustum, dicentes. *Recede illuc, & rursus* ingressus es, inquiūt, vt aduena, numquid vt iudices? Gen.19.v.9. parag. 12

Si ad multos Angelorum mandatum se extendebat, quare non dicunt in plurali nolite respicere sed tantùm in singulari loquuntur, ac si cum vna tantùm persona sermo esset, *Noli respicere*. gen. 19. v.17.§. 23

Quare duo Abimelechi duas habentes domi in eadem Gerasis ciuitate pulcherrimas mulieres, Saram vnam, alteram Rebeccam, Rex primus minis corripitur, secundus verò nullum sinistrum habet. gen.20.v.2.§.6.

Esto Abimelech peccauerit, tollens maritatam Saram in palatium, regnum verò, si in hoc nullatenus peccauit, cur Regis obnoxium reatui afficitur. gen. 20. v. 9.§. 32.

S

QVare exprimitur quod terra erat sermonis vnius scribendo Moyses erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem. gen. 11. vers.1.§. 1.

Quare Abraham ille Hebrææ gentis eximius Patriarcha, illustrium populorum natura, & moribus fæcundus Saram duxit vxorem sterilitatis malo laborantem. Erat autem Sara sterilis, nec habebat liberos. gen. 11. vers. 30. parag. 43.

Quare Deus non statim promissa dona concedit Abramo sed in longum tempus differt dicens: *Faciamque te in gentem magnam, &c.* Si spes quæ differtur affligit animam. Dixit Spiritus Sanctus in Prouerbijs cap. 13. vers. 12. Gen. 12. vers. 2.§. 14.

Quare Abram iussus exire de cognatione sua traduxit secum Sarai vxorem suam. gen.12. vers. 5. parag. 28.

Quare primus locus terræ promissionis qui Abramum exulem excipit, & quem inauspicatò Sanctissimus Patriarcha inhabitat non sinè nominis Sacramento *Sichem* nominatur. gen. 12. vers. 6.§. 31.

Quare apparuit Dominus Abramo in terram Sichem, & non magis in Chaldea. gen. 12. vers. 7.§. 32.

Quare Abramus à Chaldæis, ac Chananæis fugiens, ad conualles, ac montes tendit, vt ibi sacrificia Deo offerat. gen. 12. vers. 8. parag. 35.

Quare ait Abram vxori dic obsecro quod Soror mea sis. gen. 12. vers. 13.§.43.



Quare visa Sara ad miraculum pulchra ad Pharaonem per Principes fama refertur. gen. 12. vers. 14. & 15.§.46.

Quare Sublata est Sarai in domum Pharaonis. gen. 12. vers. 15.§. 47.

Quare benè fuit Abramo propter Sarai. gen. 12. vers. 16.§. 49.

Quare non statim vt Pharao Saram domui suæ habuit ad eam accesserit. gen. 12. v.19.§.57.

Quare Pharao Saram è domo dimisit, quam sibi copulauit. gen. 12. vers. 19.§. 58.

Quare exprimitur quod Sodomitæ pessimi erant. gen. 13. vers. 13.§. 37.

Quare antequam Sodomorum hominum iniquitas ac turpitudo in corporibus suis denotetur prius tamen Paraphrastes scribit quod erant iniqui cum suis diuitijs? Legit enim ipse seu vertit. Viri Sodomitæ erant iniqui cum suo Mammona, & pessimi in corporibus suis. Ad quid id potius nobis exponitur. gen. 13. vers. 13.§. 39.

Quare nominantur hic exleges Sodomitæ, & additur quod fuissent pessimi, & peccatores coram Domino. gen. 13. vers. 13.§. 60.

Quare, & quomodo fuit vera promissio de æternanda terra in semine Abrahæ si nullum est Abrææ semen quod regnet in terra. gen. 13. vers.15. §. 46.

Quare prima comparatio de multiplicaturo Abrææ semine abiecto fit pulueri, secunda micantibus stellis. gen.13. vers. 16. §. 51. & vers. 16.§. 52.

Quare si numerosam fæcunditatem, & examina ingentia sequuturæ stirpis denotare volebat Deus; non satis erat vel à sola stellarum multitudine vel à pulueribus duxisse exemplum. gen. 13. vers.16.§. 53.

Quare Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ terga verterunt, & ceciderunt. gen. 14. vers. 10.§. 9.

Quare dicitur Rex Salem quando Melchisedech panem vinumque Abramo protulit. gen. 14. vers. 18.§. 43.

Quare Abram recusat opima spolia quæ ab ipso restaurata illi vltrò offerebant Reges. gen. 14. vers. 23.§. 59.

Quare modo tam accuratè à corde Abrææ expellitur timor ac diuina protectio vt scutum ac clypeus ei promittitur. gen.15.v.1.§. 1

Quare filij Abram appellātur à Domino multæ luces, & multæ stellæ *numera stellas*, & Christus Dominus Apostolos suos (cum multi essent) vocat singulariter lux, *Vos estis lux mundi*. Matt. cap. 5. v. 14. Gen. 15. vers. 5.§. 15.

Quare

vt panes conficeret, ſtatim cucurrit, nec expectauit, quid Sara reſponſi daret. gen. 18. verſ. 6. §. 16.

Quare Abrahamus ſi, & ſeruos, & ancillas habebat, ad armentum ipſe properat, & Saræ committit ſimilam commiſcere. gen. 18. verſ. 6. §. 17.

Quare, ſi Sara ridendo delinquit effugit pœnam, & Lothi vxor Angelis ſtipata exemplum manſit in Salis conuerſa. Gen. 18. verſ. 9. parag. 22

Quare Sara in tabernaculo ſtabat dùm tres illi Angeli ab Abraham hoſpitabantur, abſconſa, ita vt illi interrogarent, *Vbi eſt Sara Vxor tua*. gen. 18. v. 9. §. 23.

Quare, ſi Abraham, & Sara ſenes erat nonagenarij, imò, & coniux ſterilis, dicitur, *Et habebit filium Sara*. gen. 18. v. 10. §. 25

Quomodo Abraham omni virtutum genere ornatus per curſum 100. Annorum, vbi vires defecerant, ſterilis reputabatur, quod pro magno opprobrio, pro hunc appendebatur. gen. 18. verſ. 11. §. 27

Quare per tot modos declaratur Saræ infæcunditas. gen. 16. v. 11. § 28

Quare dùm Zacharias Præcurſoris pater de ſe dicit, quòd ſit ſenex (vt Lucę cap. 1. v. 18.) caſtigatur (vt ib. verſ. 20.) Sara verò dùm ait: *Nùm verè paritura ſum Anus*. Nullam pœnam incurrit. gen. 18. verſ. 13. §. 31

Quare Saram de riſu Dominus non reprehendit, ſed ad Abrahamum ait; quare riſit Sara. gen. 18. v. 13. §. 32

Quare in Scriptura non ſolùm Saræ defectus ſcribitur, quòd riſerit, & negauerit, ſed etiam ſtatim excuſatio exprimitur ipſius timore perterrito. gen. 18. verſ. 15. §. 34

Quare Angeli grauatè ferunt, quòd Sara rideat riſum, hoc eſt, Iſaacum paritura. gen. 18. v. 15. §. 35

Quare Dominus Abrahamo exitium Sodomitarum reuelauit. gen. 18. v. 18. §. 40

Quare dicitur, quòd clamor Sodomorum multiplicatus eſſet, & peccatum eorum aggrauatum. gen. 18. v. 20. §. 43

Quare ab Angelis, poſtquam a domo Abrahami procul abeunt, tunc de ſubuerſione Sodomorum pertractatur. gen. 18. v. 21. §. 44.

Quare Abrahamus *ſemel* ſe locuturum affirmat, & non potius ad quinque iuſtos proceſſit. gen. 18. verſ. 31. §. 55.

Quare, quando modo excidio parando magis appropinquabat, non dicitur expreſſiùs aliſſe contra Sodomam. gen. 18. v. 33. §. 57

Quare Abraham non proſequutus eſt ad Deum preces, vt parceret Sodomitis, ſi minores quàm decem iuſti deprehenſi fuiſſent. gen. 18 verſ. 33. §. 58.

Quare Loth eum vidiſſet Angelos peregrinorum formam habentes, ſe ferum (hoc enim ſignificat Puer *in domum pueri* veſtri) dicit, ac inferiorem geſtu corporis exhibet, dum ſe pronus inclinat in terram. gen. 19. verſ. 2. parag. 5.

Quare titulo *Domini* vocantur Angeli à Loth, & hoc numero ſingulari, cùm eſſent plures, *Quaſo Domine mi, &c.* gen. 19. v. 18. 19. §. 24.

Si Angeli deducunt Patriarcham in montem, vt incolumem ab incendio reddant, quare ait Loth, non poſſe ſe ibi ſaluari. gen. 19. verſ. 19. §. 26.

Quare, & quomodo Angelus impotentem ſe fatetur ad quidquam contrà Sodomam, ſi Loth ad vrbem Segor non recedat. gen. 19. verſ. 22. §. 32.

Quare cùm diuina vltio deſæuiret, vt ingenti incendio deuaſtaret Sodomam, notat ſacer Textus, quòd ſol egreſſus eſt ſuper terram. gen. 19. verſ. 23. §. 33.

Quare Angeli ad Sodomorum euerſionem vſquè ad ortum ſolis cunctanter expectant. gen. 19. verſ. 23. §. 34.

Si multæ ciuitates ſubmerſæ fuere, quare de ſolis duabus, ſcilicet Sodoma, & Gomorrha fit tantùm mentio. gen. 19. verſ. 24. §. 36

Quare, ſi pœna ignis, & ſulphuris futura deſtinatur peccatoribus in inferno, nunc ad viuos Sodomitas præmittitur in hac vita. gen. 19. v. 24. §. 38.

Quare vxor Loth verſa eſt in ſtatuam ſalis, non quando habitat in Sodomis, ſed quando ad illam conijcit oculos. gen. 19. verſ. 26. §. 42.

Quare, ſi Sara errauerat ridendo, & riſum negando, & nullam retulit pœnam, vxor verò Lot hic ſolùm retrò aſpiciendo tam acriter punitur. gen. 19. verſ. 26. §. 44.

Quare Loth accepta incolumitatis teſſera adhuc timore concuſſus fugerit, cùm primus in Segor diuino protectus auxilio manſerit. gen. 19. verſ. 29. §. 48.

Quare in monte, qui in ſalutem Loth à Deo datur, in tam turpia ſcelera incidit, cùm inebriatus inceſtum patrat. gen. 19. verſ. 30 parag. 49.

Cur non quieſcit Lot in Segor quam ipſe poſtulauerat, & verbis Angelicis erat ei conceſſa. gen. 19. verſ. 30. §. 50.

Quod Regem Abimelechum mouit, vt Saræ nuptias tàm auidè expeteret. gen. 20. verſ. 2. parag. 4.

Quare Abimelech tulit in vxorem Saram effætam, ac vetulam. gen. 20. verſ. 2. §. 5.

Quare duo Abimelechi duas habentes domi in eadem Geraris ciuitate pulcherrimas mulieres, Saram vnam, alteram Rebeccam, Rex primus minis corripitur, ſecundus verò nullum ſiniſtrum habet. gen. 20. verſ. 2. §. 6.


Quare Abraham Saram Sororem ſuam, num verò vxorem prædicat. gen. 20. verſ. 2. §. 8.

Quare venit ad Abimelech Deus per ſomnium non per vigiliam. gen. 20. verſ. 3. §. 13. & 14.

Qua-

Digitized by Google





INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ EX VTROQVE TESTAMENTO.

vers. 15.

vers. 15. Domine mi, audi me: Terra, quam postulas, quadringentos siclos argenti valet: istud est pretium inter me, & te; sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum, ibid.

vers. 16. Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat audientibus filijs Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ, cap. 12. vers. 6. num. 27.

Cap. 24. vers. 2. Dixitque ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat, Pone manum tuam subter femur meum, cap. 15. §. 31.

vers. 3. Vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, ibid.

vers. 7. Dominus Deus cæli, & terræ, qui tulit me de domo patris mei, & terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: semini tuo dabo terram hanc, cap. 12. vers. 3. §. 21.

vers. 16. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro, cap. 16. num. 112.

Cap. 25. vers. 9. Et sepelierunt eum Isaac, & Ismael filij sui in spelunca duplici quæ sita est in agro Ephrō filij Seor Hethæi è regione Mambre cap. 17. parag. 16.

vers. 18. Habitauit autem ab Heuila vsquè Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios, cap. 16. n. 29.

Cap. 27. vers. 27. Eccè odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, cap. 14. §. 37.

Cap. 28. vers. 5. Cùmque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ, cap. 11. vers. 31. §. 50.

Cap. 29. vers. 13. Qui cùm audisset venisse Iacob filium sororis suæ, occurrit obuiam eis, cap. 13. vers. 2. num. 15.

Cap. 30. vers. 17. Et exaudiuit Deus preces eius: concepitque, & peperit filium quintum, cap. 16. §. 22.

Cap. 31. vers. 28. Non es passus vt oscularer filios meos, & filias: stultè operatus es, & nunc quidem, c. 17. §. 17.

Cap. 34. vers. 1. Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, cap. 12. vers. 6. num. 24.

vers. 2. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit: cap. 12. ibid.

Cap. 39. vers. 12. Dormi mecum: Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras, cap. 16. num. 108.

Cap. 41. vers. 12. Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia, cap. 20. §. 13.

vers. 13. Audiuimus quidquid postea rei probauit euentus: ibid.

vers. 14. Protinùs ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei, ibid.

vers. 5. Vocauitque nomen primogeniti Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domum patris mei, cap. 19. parag. 56.

Cap. 45. vers. 17. Onerantes iumenta ite in terram Chanaan, cap. 16. §. 32.

vers. 18. Et tollite indè patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me: ibid.

vers. 28. Et ait: sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit: Vadam, & videbo illum antequam moriar, cap. 15. §. 60.

Cap. 46. vers. 3. Noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi, ibid.

Cap. 48. vers. 15. Benedixitque Iacob filijs Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Isaac, cap. 17. §. 2.

Cap. 49. vers. 9. Catulus Leonis Iuda, c. 14. §. 37.

vers. 14. Issachar asinus fortis accubans inter terminos, ibid.

vers. 17. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, cap. 17. num. 74.

vers. 18. Salutare tuum expectabo Domine, cap. 14. §. 37.

vers. 20. Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus, ibid.

vers. 21. Nephtali, Ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis, ibid.

vers. 22. Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, ibid.

Ex Exodo.

Cap. 1. vers. 12. QVantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant, cap. 15. parag. 46.

vers. 13. Oderantque filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis, cap. 11. vers. 3. §. 5.

vers. 14. Atque ad amaritudinem perducebant, ibid.

Cap. 2. vers. 17. Superuenere pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis, adaquauit oues earum,

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Ex Deuteronomio.

ta, atque donaria, primogenita boum, & ouium, cap. 14. n. 71.

Cap. 20. v. 7. Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam, cap. 14. n. 98

Cap. 23. v. 3. Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum, cap. 19. n. 95

Cap. 32. v. 11. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis, cap. 19. n. 85

Ex Iosue.

Cap. 1. v. 9. Ecce præcipio tibi, & confortare, & esto robustus. Noli timere, & noli metuere: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris, cap. 15. §. 4.

Cap. 7. vers. 4. Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum. Qui statim terga vertentes, cap. 14. §. 20.

Cap. 19. vers. 3. Et Haserfual, Bala, & Asem, cap. 14. vers. 2. num. 15.

Cap. 24. vers. 32. Ossa quoque Ioseph, quæ tulerunt filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph, cap. 12. v. 6. num. 24.

Ex libro Iudicum.

Cap. 13. v. 3. Cui apparuit Angelus Domini, & dixit ad eam: Sterilis es, & absque liberis: sed concipies, & paries filium, cap. 16. §. 1.

Ex I. Regum.

Cap. 1. v. 2. Et habuit duas vxores nomen vni Anna, & nomen secundæ Phenenna. Fueruntque Phenennæ filij: Annæ autem non erant liberi, cap. 16. §. 1.

vers. 15. Respondens Anna, nequaquam, inquit, Domine mi: nam mulier infelix nimis ego sum, vinumque, & omne quod inebriare potest non bibi, cap. 16. §. 22.

vers. 23. Et ait Elcana vir suus: fac quod bonum tibi videtur, cap. 16. §. 12.

vers. 27. Pro puero isto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulaui eum, cap. 17. §. 54.

Cap. 2. vers. 13. Veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fusciculam tridentem in manu sua, cap. 17. §. 31.

vers. 14. Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, ibid.

Cap. 16. vers. 12. Misit ergo, & adduxit. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie, cap. 16. §. 38.

Cap. 17. vers. 16. Procedebat verò Philisthæus manè, & vespere, & stabat quadraginta diebus, cap. 14. §. 23.

vers. 50. Præualuitque Dauid aduersùm Philisthæum in funda, & lapide, cap. 18. §. 57.

Cap. 25. vers. 41. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei, cap. 18. num. 18.

Ex II. Regum.

Cap. 1. v. 21. Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum, cap. 16. num. 73.

Cap. 11. vers. 9. Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ cum alijs seruis Domini sui, & non descendit ad domum suam, cap. 20. §. 17.

Cap. 12. vers. 8. Si parua sunt ista, adijciam tibi multò maiora, cap. 18. §. 12.

Cap. 16. vers. 7. Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret Regi: Egredere, Egredere vir Sanguinum, & vir Belial, cap. 19. §. 42.

Ex III. Regum.

Cap. 11. v. 26. Ieroboam quoque filius Nabat, Ephrathæus, de Sareda, seruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua: leuauit manum contrà Regem, c. 14. n. 80.

Cap. 17. vers. 18. Dixit ergo ad Eliam. Quid mihi, & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum? cap. 19. §. 26.

Cap. 22. vers. 1. Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam, & Israel cap. 13. vers. 9. §. 27.

vers. 3. Dixitque Rex Israel ad seruos suos: Ignoratis quòd nostra sit Ramoth Galaad,

Digitized by Google

superbi ab initio placuerunt tibi ; sed humilium , & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio,cap. cap. 11. vers.4. num. 14.

Cap.10. vers.5. Imposuit itaque abræ suæ ascoperam vini , & vas olei , & polentam , & palathas , & panes , & caseum , & profecta est, c. 14.§.39.

Ex Iob.

Cap. 1. v.18. Filijs tuis,& filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, c. 15.§.44.

vers.19. Repentè ventus vehemens irruit à regione deserti , & concussit quatuor angulos Domus,quę corruens oppressit liberos tuos , & mortui sunt, & effugi ego solus vt nuntiarem tibi , ibid.

vers.20. Tunc surrexit Iob , & scidit vestimenta sua , & tonso capite corruens in terram , adorauit,ibidem.

Cap.2.v.10. Si bona suscepimus de manu Domini , mala quare non suscipiamus: in omnibus his non peccauit Iob labijs suis ,cap. 16.num. 64.

Cap. 5. v. 12. Qui dissipauit cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod fecerant, c.11.v.6.n.73

Cap. 6.v.6. Aut poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? cap. 19.§.10

Cap. 11.v.12.Vir vanus in superbiam erigitur , & tanquam pullum onagri se liberum natum putat, cap. 16.n.48.

Cap.14.v.7.Lignum habet spem : si præcisum fuerit , rursum virescit , & rami eius pullulant ,cap. 18. n.73.

Cap. 15. v.34.Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum , qui munera libenter accipiunt, cap.14.n. 109.

Cap. 17.v.12.Noctem verterunt in diem,& rursum post tenebras spero lucem , cap. 15.n.120.

Cap.19.v.25.Scio enim quòd Redemptor meus viuit , & in nouissimo die de terra surrecturus sum, cap. 15. §.47.

Cap. 20. v.11.Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius , & cum eo in puluere dormient, cap. 15.§.50.

vers. 16. Caput aspidum suget , & occidet eum lingua viperæ cap. 11.n.91.

Cap. 29. v.16.Pater eram pauperum: & causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam,cap. 18, num. 51.

Cap.31.v. 21. Si leuaui super pupillum manum meam etiam cùm viderem me in porta superiorem , cap. 14.n.80.

Cap.33.v.15.Per somnium in visione nocturna , quando irruit sopor super homines & dormiunt in lectulo, cap.20.n.6.

vers. 16. Tunc aperit aures virorum , & erudiens eos instruit disciplina , ib.

vers. 17. Vt auertat hominem ab his quæ facit , & liberet eum de superbia , ibidem.

Cap.34.v.10.Absit à Deo impietas , & ab omnipotente iniquitas, cap.18. n.57.

vers. 11. Opus enim hominis reddet ei , & iuxtà vias singulorum restituet eis , ibidem.

vers. 12. Verè enim Deus non condemnabit frustrà , nec omnipotens subuertet iudicium , ibidem.

Cap. 38. vers. 35. Numquid mittes fulgura , & ibunt, & reuertentia dicent tibi ; Adsumus? cap. 17.§. 57.

Cap. 40. vers. 18. Eccè absorbebit fluuium, & non mirabitur : & habet fiduciam quòd influat Iordanis in os eius , cap. 14. §. 50.

Cap.41. vers.25. Omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ, cap. 16. num. 71.

Cap. 42. v. 1. Respondens autem Iob Domino dixit, cap. 11. vers. 5. n.66.

vers. 2. Scio quia omnia potes , & nulla te latet cogitatio,ibid.

vers. 8. Sumite ergo vobis septem tauros , & septem arietes , & ite ad seruum meum Iob , & offerte holocaustum pro vobis : Iob autem seruus meus orabit pro vobis: Faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia , cap. 20. n. 13.

Ex Psalmista.

Psal. 4. v.10. Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me , cap. 16. num. 81.

Psal.6. vers.7. Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum : lacrymis meis stratum meo rigabo, cap. 15. §. 56.

Psal.11. vers.6. Propter miseriam inopum , & gemitum pauperum , nunc exurgam , dicit Dominus , cap.. 6.§.38.

Psal. 13. vers. 3. Omnes declinauerunt , simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum : non est vsquè ad vnum , cap. 11. num. 110.

Ps. 15. v.9. Propter hoc lætatum est cor meum , & exultauit lingua mea : insuper , & caro mea requiescet in spe , cap. 11. vers. 8. §. 38.

Psal. 16. vers. 5. Perfice gressus meos in semitis tuis : vt non moueantur vestigia mea , cap. 17. §. 5.

vers.15.

Psal.96.v.10. Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas Sanctorum suorum de manu peccatoris liberabit eos, c.16.n.17

Psal. 101.v. 7. Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio, cap. 16.n. 82.

vers.8. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto, ibidem.

Psal.103.v.15. Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis, c.18.n.76

Psal.109.v.4. Iurauit Dominus, & non pænitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, cap. 14.num.67.

Psal.111.v.2. Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur, cap. 12. vers.5.n.77.

vers. 3. Gloria, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi, ibid.

vers.9. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi, cap. 11. vers. 4. num. 65.

Psal.114.v.4. Tribulationem, & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui, cap. 11.v. 2.n.60.

Psal. 115. v. 12 Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? cap.. 12. vers. 7. num. 30.

vers. 13. Calicem Salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, ibid.

vers.17. Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo, ibid.

Psal. 117. v. 6. Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo, c.15.n.85

Psal. 118. vers. 9. In quo corrigit adolescentior viam suam in custodiendo sermones tuos, cap. 12. vers. 1.n.63.

vers. 48. Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar in iustificationibus tuis, cap. 14.n.80.

vers. 107. Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundum verbum tuum, cap. 16. n. 86.

vers. 130. Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis, c.19. n. 63

Psal.121.v.1. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in Domum Domini ibimus, cap.15. §. 47

Psal.125. v.5. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, c.13. v. 1. n. 1.

vers. 6. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua; Venientes autem venient, cum exultatione portantes manipulos suos, ibid. & c.17.n.71

Ps. 127.v.1. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius, c.17.n. 4

Psal.132.v.1. Eccè quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum, c. 13.v.8. §. 22

Psal.138.v.7. Quo ibo à spiritu tuo? Et quo à facie tua fugiam? cap. 11.v.5.§.18

vers.8. Si ascendero in Cœlum, tu illic es: si descendero in infernum ades, ib.

Psal. 139. v. 4. Acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labijs eorum, c.11.n. 108

Psal.140. v. 5. Corripiet me iustus in misericordia, c. 16. n. 82

vers. 10. Cadent in retiaculo eius peccatores: singulariter sum ego donec transeam, cap. 14. n. 115.

Ex libro Prouerbiorum.

Cap. 3. v. 7. Time Deum, & recede à malo cap.20. n. 51

vers.8. Sanitas quippe erit vmbilicò tuo, ib.

vers. 6. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus suos, c.17.n.5.

Cap.4.v.27. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram: auerte pedem tuum à malo, vias enim, quæ à dextris sunt nouit Dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt. Ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet, c. 12. v. 8. n.83

Cap.9. v. 18. Et ignorauit quot ibi sint gigantes & in profundis inferni conuiuæ eius, cap. 14. v. 5. n. 20.

Cap.10.v.4. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat, cap.17.n.76.

vers.9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias suas, manifestus erit, cap.12. vers. 1. §. 11.

Cap.11.v.5. Iustitia simplicis diriget viam eius: & in impietate sua corruet impius, cap. 15. num. 99.

Cap.13.v.10. Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia, c.11.§.70.

Cap.14.v.4. Vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis, c.17.n.76

Cap. 15. v. 4. Lingua placabilis, lignum vitæ: quæ autem immoderata est, conteret spiritum, cap. 11. n. 96.

Cap. 17. v. 16. Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere non possit? cap. 11.§.72.

Cap.18.v.3. Impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit, cap. 18. num. 74.

Cap.21.v.16. Vir, qui errauerit à via doctrinæ, in cætu gigantum commorabitur, cap.14.v.5.n.20.

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis Canticorum.

Ex libro Sapientiæ.

Ex Ecclesiastico.

Digitized by Google

cium, cap. 18. num. 43.
verf. 15. Noli verbofus effe in multitudine præsbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua, cap. 14. n. 92.
verf. 34. Da illis partem, ficut mandatum eft tibi, primitiarum, & purgationis. Et de negligentia tua purga te cum paucis, cap. 18. n. 81.
Cap. 10. v. 13. Et non altercerís cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum, cap. 16. num. 75.
verf. 15. Vinum nouum amicus nouus; veterafcet; & cum fuauitate bibes illud, cap. 16. num. 74.
verf. 21. Secundum virtutem tuam caue te à proximo tuo, & cum fapientibus, & prudentibus tracta, cap. 16. num. 75.
Cap. 13. v. 1. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, cap. 16. num. 73.
Cap. 18. v. 8. Propter hoc patiens eft Deus in illis & effundit fuper eos mifericordiam fuam, cap. 15. num. 63.
Cap. 21. v. 6. Deprecatio pauperis ex ore vfque ad aures eius perueniet; & iudicium feftinato adueniet illi, cap. 16. §. 38.
Cap. 24. v. 18. Quafi palma exaltata fum in cades cap. 14. v. 7. n. 27.
Cap. 25. v. 3. Tres fpecies odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum, cap. 16. n. 72.
Cap. 42. v. 12. Omni homini noli intendere in fpecie: & in medio mulierum noli commorari, cap. 16. n. 104.
verf. 13. De veftimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri, ib.
Cap. 44. v. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non eft inuentus fimilis illi in gloria, qui conferuauit legem Excelfi, & fuit in teftamento cum illo, cap. 17. n. 76.
Cap. 46. v. 1. Fortis in bello Iefus Naue, fucceffor Moyfi in Prophetis, qui fuit magnus fecundum nomen fuum, cap. 20. num. 15.

Ex Isaia.

Cap. 1. v. 10. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noftri populus Gomorrhæ, cap. 16. §. 30.
verf. 21. Quomodo facta eft meretrix ciuitas fidelis, plena iudicis? cap. 16. parag. 14.
verf. 23. Principes tui infideles, focij furum: omnes diligunt munera, fequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & caufa viduæ non ingreditur ad illos, cap. 14. nu. 109.
Cap. 3. v. 24. Et erit pro fuaui odore fætor, & pro zona funiculus, & pro crifpanti crine caluitium, & pro fafcia pectorali cilicium, cap. 16. n. 75.
Cap. 8. v. 16. Liga teftimonium, & figna legem in difcipulis meis, c. 17. n. 76.
Cap. 9. v. 3. Multiplicati gentem, & non magnificafti lætitiam, cap. 12. v. 2. §. 15.
verf. 6. Principatus fuper humerum eius, &c. cap. 16. §. 20.
Cap. 13. v. 3. Ego mandaui Sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea, cap. 17. §. 21.
verf. 4. Vox multitudinis in montibus quafi populorum frequentium: vox fonitus regum, gentium congregatarum, ibidem.
verf. 21. Sed requiefcent ibi beftiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ftruthiones, & pilofi faltabunt ibi, cap. 15. n. 89.
verf. 22. Et refpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & firenes in delubris voluptatis, ibid.
Cap. 14. v. 13. In cœlum confcendam, fuper aftra Dei exaltabo folium meum, fedebo in monte teftamenti, in lateribus Aquilonis cap. 11. v. 5. §. 19. & 60
verf. 14. Afcendam fuper altitudinem nubium, fimilis ero Altiffimo, ibid.
Cap. 24. v. 17. Formido, & fouea, & laqueus fuper te, qui habitator es terræ, cap. 14. n. 89.
verf. 18. Et erit: Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam: & qui fe explicauerit de fouea tenebitur laqueo, ibidem.
Cap. 26. v. 17. Sicut quæ concipit cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus fuis, fic facti fumus à facie tua Domine, c. 20. n. 51.
verf. 18. Concepimus, & quafi parturiuimus, & peperimus fpiritum, ibid.
Cap. 28. v. 9. Quem docebit fcientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulfos ab vberibus, cap. 20. §. 28
Cap. 30. v. 1. Væ filij defertores, dicit Dominus, vt faceretis confilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per fpiritum meum, vt adderetis peccatum fuper peccatum, cap. 11. verf. 4. n. 63.
verf. 3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confufionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam: ibid.
verf. 27. Et lingua eius quafi ignis deuorans, c. 11. n. 93
Cap. 33. v. 15. Qui ambulat in iuftitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Google

mici eius locupletati sunt: Quia Dominus locutus est super eam propter multitudinem iniquitatum eius: Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis, c. 14.n.114

Cap.2.v.1.Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion: Proiecit de cęlo in terram inclytam Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorum in die furoris sui, c. 14. n. 114

vers.19. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum, c.14.n.80

Cap.3.v.27.Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua, c.17.n.107

vers.29.Ponet in puluere os suum, c.17.§.51

Cap.4.v.1. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum? cap. 14.n. 114. & cap. 15.n. 105

vers.2. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: Quomodo reputati sunt in vasa testea opus manuum figuli? cap. 15. n. 105

vers.21. Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis, c. 14. §.45

Ex Execheiele.

Cap. 15. v.2. Filii hominis, quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna siluarum? cap. 15. §.57.

vers. 3.Num quid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricatur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas? ibid.

vers.4.Ecce igni datum est in escam: vtramque partem eius consumpsit ignis, & medietas eius redacta est in fauillam, ibid.

Cap.16.v.3.Radix tua, & generatio tua terra Chanaan pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa, cap. 16. §.30.

vers. 33. Omnibus meretricibus dantur mercedes tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum, cap. 14. num. 92.

Cap.20.v.6.In die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægypti, in terram, quam prouideram eis fluentem lacte, & melle, cap. 14. num. 80.

Cap.28.v.12.Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, cap. 14.num. 84.

Cap.43.v.10.Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, cap. 20.n.49.

Ex Daniele.

Cap. 2.v.46.Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit vt sacrificarent ei, cap. 14. §. 31.

Cap. 3. v.17.Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò Rex liberare, cap. 17.§.24.

vers. 18. Quod si noluerit, notum sit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoramus, ibid.

vers. 24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino, cap. 16. §. 4.

Cap.6.v.22.Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora Leonum, & non nocuerunt mihi, cap. 19. §.3.& 21.

Cap.7.v.9.Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit: Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda: Thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus, cap. 15. num.74.

Cap.12.v.3.Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, cap. 15. n. 90.

Ex Osea.

Cap. 1. v.10. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: filij Dei viuentis, cap. 17. n. 68.

Cap.2.v. 14. Propter hoc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem; & loquar ad cor eius, c. 11.v.31.§.49. & cap.15.n.135

Cap.10.v.2. Diuisum est cor eorum, nunc interibunt: ipse confringet simulachra eorum,

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Matthæo.

Cap. 1. v. 1. Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham, cap. 17. §. 3.
vers. 6. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit vriæ, c. 9.§.59.
vers. 18. Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto, c.20.§.10.
vers. 19. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam, ibid.
Cap. 4. v. 19. Et ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum, c.17.§.13.
Cap. 5. v. 3. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cęlorum, c.12.v. 5.n.76
vers. 14. Vos estis lux mundi, c. 15.§.15
Cap. 6. v. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, c. 19.n.64
vers. 4. Vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi, ibid.
vers. 6. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clausio ostio, ora patrem tuum in abscondito, ibid.
vers. 7. Orantes autem, nolite multum loqui, cap.20.§.56
vers. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie, cap. 13. vers. 17. §. 57
vers. 17. Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, cap.17.§.44.
Cap. 9. v. 9. Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in Telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum, cap. 16.§.57
Cap. 10. v. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ, cap.11.v.31.§.50
vers. 20. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, c.11.n.95
vers. 23. Cum autem persequentur vos in ciuitate ista fugite in aliam, cap. 11.v.31.§.50
vers. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timere eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam, cap. 19. num. 64
vers. 34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium, cap. 16.n.82.
vers. 41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipiet iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, c.15. n. 134
vers. 42. Et quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam, ibid.
Cap. 11. v. 12. Regnum cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, c.19.n.60
vers. 29. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris, cap.11.v.5.§.19.c. 15.§.18.cap.17.n. 103
Cap. 12. v. 50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cęlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est, cap. 20. n. 46
Cap. 13. v. 19. Venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus viam seminatus est, cap. 14. num. 91
vers. 33. Simile est regnum cęlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum, cap. 18.n.23
vers. 43. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris, c.17. n. 69
Cap. 14. v. 4. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam, c. 16.n.9.
vers. 5. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant, ibid.
vers. 9. Et contristatus est Rex: propter iuramentum autem, & eos qui pariter recumbebant, iussit dari, ibid.
Cap. 15. v. 19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ, c.15.n.89
vers. 27. Etiam Domine: nam, & Catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum, cap. 18.§.27
Cap. 16. v. 16. Tu es Christus filius Dei viui, cap. 14. v. 14.n.50

Digitized by Google

Ex Marco.

Ex Luca.

non erat ei locus in diuersorio, cap. 16. parag. 1.
vers. 21. Et postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer: vocatum est nomen eius Iesus, cap. 16. num. 46.
vers. 22. Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, cap. 16. §. 37.
vers. 23. Sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vuluam Sanctum Domino vocabitur, cap. ibid.
Cap. 3. v. 35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, cap. 11. vers. 32. num. 52
vers. 36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Nae, qui fuit Lamech. ibid.
Cap. 4. vers. 33. Et in Sinagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna. c. 17. §. 7.
Vers. 34. Dicens: sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei. ibid.
vers. 35. Et increpauit illum Iesus, dicens: obmutesce, & exi ab eo. ibid.
Vers. 38. Surgens autem Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, cap. 11. v. 9. §. 33.
Cap. 5. vers. 8. Quod cum videret Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. cap. 16. n. 86
Cap. 6. v. 12. Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei, cap. 20. §. 56
Vers. 24. Verumtamen væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram, c. 12. v. 5. n. 76
Vers. 38. Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis remetietur vobis, c. 15. §. 47
Cap. 7. vers. 39. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est, c. 16. n. 96
Vers. 44. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. c. 18. n. 18.
Vers. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, cap. 17. §. 26
Cap. 9. vers. 41. O generatio infidelis, & peruersa, vsquequò ero apud vos, & patiar vos? cap. 13. vers. 13. §. 37
Vers. 62. Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei, cap. 11. v. 2. n. 59
Cap. 11. vers. 24. Cum immundus Spiritus exierit de homine ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: reuertar in domum meam vnde exiui, cap. 19. num. 91.
vers. 31. Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos: quia venit à finibus terræ audire Sapientiam Salomonis, cap. 19. §. 26.
Cap. 12. v. 19. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe epulare, cap. 12. vers. 16. num. 96.
vers. 20. Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti cuius erunt, ibid.
Cap. 14. v. 11. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur, cap. 16. n. 74.
vers. 23. Et ait Dominus Seruo: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea, cap. 16. parag. 23.
vers. 29. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, cap. 11. vers. 8. n. 77.
vers. 30. Dicentes: quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit consummare? ibid.
Cap. 15. v. 20. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum, cap. 16. §. 57.
vers. 29. At ille respondens, dixit patri suo Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui & nunquam dedisti mihi hædum vt cum amicis meis epularer, cap. 15. §. 60. cap. 17. §. 54.
Cap. 16. v. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula, cap. 18. num. 67.
vers. 23. Eleuans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe,

re, nondum enim ascendit ad Patrem meum. cap.16.n.96

Ex Act. Apostolorum.

Cap. 2. v. 3. ET apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. cap.11. n.91.& 92.& v.7.§.58.& c.15.n.74.

Cap.3.v.25.Vos estis filij prophetarum,& testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham; & in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, cap. 12.v.3.n.13

vers. 26. Vobis primum Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis: vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua, ibid.

Cap. 7. v. 2. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahę cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, cap.12.v.1.n.2.

vers. 3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi, ibidem.

vers. 5. Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium, cap. 12. v.6.n.27.

versic. 55. Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cęlos apertos, & filium hominis stantē à dextris Dei c.15.§.49

Cap. 10.v. 34. Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus cap. 17. n.102.

vers. 35.Sed in omni gente,qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi, ibidem.

Cap.15.v. 5. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi, eos, præcipere quoque seruare legem Moysi cap. 17. n.37.

vers. 6.Conueneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, ibid.

vers. 8. Et qui nouit corda Deus testimonium perhibuit,dans illis spiritum Sanctum sicut, & nobis, ibid.

vers.10.Nunc ergo quid tentatis Deus,imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri,neq; nos portare potuimus, ib.

vers. 11. Sed per gratiam Domini Iesu Christi, credimus saluari, quemadmodum, & illi ibid.

Cap. 17. v. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidum sculpturæ artis, & cogitationis hominis, c.17.§.25.

Ex Epist. ad Romanos.

Cap. 4. v. 11. ET signum accepit circumcisionis,signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio; vt sit pater omnium credentium per præputium,vt reputetur, & illis ad iustitiam.cap.17. n. 29

Vers. 19. Et non infirmatus est fide; nec considerauit corpus suum emortuum cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ,c. 8.n.33

Vers. 25. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram,c.17.n.32

Cap.5.v.3. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur, cap.17.§. 37

Vers. 4. Patientia autem probationem, probatio verò spem.ibid.

Vers. 5. Spes autem non confundit. ibid.

Cap. 13. vers. 13. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, c.14.n.116

Ex I. Ad Corinthios.

Cap.1.v. 10. OBsecro autem vos fratres,per nomen Domini nostri Iesu Christi: vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia,c.11.v. 1. n. 57

Cap.2.v.9. Oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum,c.15.n.126

Cap. 3. v. 8. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem,c.15.n.127

Cap.4.v.7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?c.15.n.137

Vers.12. Et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus.cap.19.n.67

Ex II. ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Epheſios.

Digitized by Google

Ad Philippenses.

Cap.1.v.21. MIhi enim viuere Christus est, & mori lucrum. c.15.§.28

Vers. 27. Tantum digne Euangelio Christi conuersamini: vt siuè cum venero,& videro vos, c. 13. v. 8.§.22.

Cap.2.v.2.Implete gaudium meum, vt idem sapiatis eamdem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes cap. 18.§.6.

Versic. 7. Sed, & semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu in ventus vt homo, cap.11. vers. 5.§. 19.

vers.8.Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. ibid.

Cap. 3. v.13. Fratres me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidē retro sunt obliuiscens. c.17.n.74

Cap. 4. v. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est. c.12. v. 3.n 68.

Ex I.ad Thessalonicense.

Cap. 5. v. 14. ROgamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. cap. 16. n. 82

Ex I. ad Timothæum.

Cap.5. v. 10. IN operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit, c. 18. n. 18

Cap. 6. v. 17. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum. c.12.v.5.n.78

Vers. 18. Benè agere, diuites fieri in bonis operibus facile tribuere, communicare. ibidem.

Vers. 19. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. ibid.

Ex II. ad Timothæum.

Cap.4. v.2. PRædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. c. 16. n.82

vers. 7. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. cap. 16. num. 118

Ad Hebræos.

Cap.4.v. 12. VIuus est Sermo Dei,& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsquè ad diuisionem animæ,ac spiritus,cap. 16. n. 82.

Cap. 7. v. 1. Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cęde Regum,& benedixit ei,c.14.v.18.n.57.

Vers. 6. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham,& hunc, qui habebat repromissiones benedixit,c.14.n.61.

Cap.5. v.1. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.c.14.n.59

Cap.11.v. 8. Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem; & exijt, nesciens quo iret. c. 12.v.1.n.10

Vers. 9. Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando,cum Isaac, & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. c. 12.v.6.n.27

Vers. 36. Alij verò ludibria, & verbera experti,insuper,& vincula, & carceres. c. 16. n. 99

Vers. 38. Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. c. 16. n.82

Cap.13.v.14. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. c.12.v.10.n. 86

Ex Epist. Diui Iacobi.

Cap. 1. v. 8. VIr duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. cap. 12. v. 1.§. 11

Cap. 3. v. 6. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. c.11. n.93

Ex

Ex I. B. Petri.

Ex II. B. Petri.

Ex I. B. Ioannis.

Ex Apocalypsi.

INDEX

INTERPRETATIONVM NOMINVM,

Quæ sæpè sæpius moraliter explicantur.

Mambre



CAPVT



CAPVT XI.

GENESIS.

Vers. 1. Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem.
2. Cùmque proficiscerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.
3. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento.
4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras.
5. Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.
6. Et dixit: Ecce, vnus est populus, & vnum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.
7. Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.
8. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.
9. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.
10. Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium.
11. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias.
12. Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.
13. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis; & genuit filios, & filias.
14. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.
15. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios, & filias.
16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg.
17. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios, & filias.
18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.
19 Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis nouem annis: & genuit filios, & filias.

20. *Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.*
21. *Vixitque quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios, & filias.*
22. *Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor.*
23. *Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios, & filias.*
24. *Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare.*
25. *Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem, & nouenis annis: & genuit filios, & filias.*
26. *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.*
27. *Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot.*
28. *Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.*
29. *Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Iescha.*
30. *Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.*
31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntque vsque Haran, & habitauerunt ibi.*
32. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.*

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1. Num. I. **E**Rat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem: idest vel vertit, seù legit Arab: erant omnes terricolæ possidentes linguam vnam. Hæc enim est *Metonymia*, nam homines nomine terræ significantur: vndè erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem, vult indicare quòd omnes homines antè turris Babel constructionem, eodem vtebantur sermone, ac vno loquebantur idiomate, eamdemque habebant loquelam, *ità solet scripturæ labiorum nomine loquelam appellare.* Scribit S. Ioannes Chrysostomus homil. 30. in Genesim lit. A. pag. mihi 161. Et habes exempla in Exodo cap. 6. vers. 12. vbi Moses respondit Domino, *& quo modo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labijs*, idest cum sim inelegans, ac rudis in dicendo. In Iob cap. 1. vers. 21. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis*, idest Iob non peccauit in ijs quæ locutus fuerat. In Canticis cap. 4. vers. 11. vbi sponsus de dilecta prædicat. *Fauus distillans labia tua, Sponsa*, idest: ex ore tuo melle dulcior, fluit oratio, & sic habes quàm plurimis alijs in locis, & præsertim in Psalmis.

2 Hic aduerte quòd prima in orbe terrarum lingua fuit Hebraica, & quamuis hoc apertè demonstretur, & cognoscatur ex significatione, & etymologia nominum Adami, Heuæ, Caini, Seth, &c. accedit contrà Goropium Becanum, & alios quoscumque auctoritas SS. Io: Chrysostomi, Hieronymi, & S. P. N. Augustini qui in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 11. circà principium, vbi tractat de Heber tom. 7. lit. B. pag. mihi 201. satis diffusè confirmat, insuper Abbas Rupertus in lib. 4. de Trinitate, & operibus eius cap. 29. pag. mihi 89. col. 1. loquendo de lingua Hebraica sic addit, *quæ lingua in diebus quibus diuisio, vel confusio linguarum*

Prima in mundo lingua fuit Hebræa.

Ab Heber dicta fuit Hebraica lingua.

guarum facta est, remansit in domo, vel familia Heber, vndè, & lingua ista Hebraica dicta est.

Vers. 2. 3 *Cumque proficiscerentur de oriente*, pro ly ab oriente legunt Alij à principio. קדם *Kedem*, idest oriens, seù Principium. Vndè dicendum cum D. Epiphanio initio lib. de Hæresibus, Pererio disput. 1. num. 6. pag. mihi 187. Cornelio à Lapide lit. B. col. 2. pag. mihi 127. quòd Moyses appellat hic Orientem, Armeniæ partem illam, quæ dicitur Orientalis ratione Babyloniæ, qua in regione homines illi (idest Noe, ac filij eius, & posteri eorum nati per illos centum annos qui post diluuium decurrerunt antè turris Babel ædificationem) profecti sunt.

4 *Inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo*, idest cogitarunt, ac deliberauerunt habitare in isto campo propter amænitatem, fertilitatem, & aquarum copiam. Nota quòd locus hic campester non vocabatur anteà *Sennaar*, sed ab euentu rei dictus fuit *Sennaar*. Sic Venerabilis Abbas Rupertus in lib. 4. vbi supra cap. 41. col. 2. pag. mihi 89. confirmat scribens, *Ipsum campum quem inuenerunt, scriptura nunc vocat* Sennaar, *scilicet, ab euentu, locum congruo nomine significans.*

Sennaar locus vndè dictus.

5 Sennaar est campus Babylonis, in quo regnauit Nemrod, vti exposuimus in nostro primo huius operis tomo cap. 10. titulo Literal. Exposit. col. 2. pag. 186. num. 39. Interpretatur verò *dormientis Vigilia*, vel *suscitatio*, aut *dentis euacuatio*, vel *denudatio*, aut *dentium excussio*, seù *fœtor eorum*, vel *dens æmuli*, siuè *mutatio ciuitatis*. Aduerte quòd ly *dens dentium dentis*, &c. vult indicare sermonum, siue verborum, quæ sine dentibus non fiunt. D. Epiphanius sub initium operis, quod Hæreses aduersùs scripsit, historiam huius loci attingens, sic fatur: *Cùm homines se extenderent, & vltrà procederent à monte Lubar, ac finibus Armeniæ, hoc est, à regione Ararath, consistunt in campo Sennaar quem sibi delegerant. Situs est autem campus Sennaar nunc in regione Persica qua olim erat Assyria.*

Sennaar quid interpretatur.

Vers. 3. 6 *Dixitque alter ad proximum suum*; idest inter se congregati dixerunt.

7 *Venite* pro ly *venite* hebraicè dicitur הבה idest *Haba*, & est aduerbium exhortandi seù inuitandi, quasi dicerent, Eia, agite *faciamus lateres*; nam terra illa campestris lapidibus non abundabat.

Et coquamus eos igni. Vt duriores sint.

Habueruntque lateres pro saxis, idest, inquit Oleaster ibidem, fuit illis later pro lapide.

8 *Et bitumen pro cæmento*, & lutum rubrum ad liniendum. Dixi cum Oleastro lutum rubrum, nam hebraicè stat חמר *chomer*, quod nomen sicuti est ambiguæ significationis, idest accipi potest, & pro luto è calce, & pro bitumine; huic explicationi applicaui, vt conformiori LXX. Interpretibus, qui scripserunt ἄσφαλτον idest *bitumen*, quod fit ex calce, & puluere laterum, indè rubri coloris apparet.

Bitumen propriè quid sit.

Vers. 4. 9 *Et dixerunt: Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim*: quia aquis diluuij Ciuitas Cain destructa fuerat, nunc filij Noe (qui fortè, inquit Abulensis, ante generalem orbis inundationem eam viderant) turrim, & ciuitatem ædificare excogitarunt.

10 *Cuius culmen pertingat ad cælum*: Hoc est per hyperbolem intelligendum: nam intellexerunt ædificare ciuitatem, & turrim cuius cacumen in immensam altitudinem erigeretur.

11 Hic obseruandum est huius turris inuentorem fuisse Nemrod, non autem Noe, qui adhuc viuebat: ità confirmant, S.P.N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 4. tom. 7. lit. B. col. 4. pag. mihi 198. scribens, *Babylon quippè interpretatur confusio. Vndè colligitur gigantem illum Nemrod fuisse illius conditorem: quod superiùs breuiter fuerat intimatum: vbi cum de illo Scriptura loqueretur, ait* (Gen. cap. 10. vers. 10.) Initium regni eius fuit Babylon: *idest quæ ciuitatum cæterarum gereret principatum: vbi esset tanquam in Metropoli habitaculum regni: quamuis perfecta non fuerit vsquè in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas*: & infrà lit. D. clarius dicit *Gigas ille... erigebat ergo cum suis populis Turrem contrà Dominum: quâ est impia significata superbia*. Et Iosephus lib. 1. de antiquitatibus cap. 9. pag. mihi 4. col. 2. narrans *Ob quam causam turrim altiorem ædificandam suadebat, vbi aqua non possent ascendere. Multitudo autem prona erat vt Nembroth præceptionibus obediret: graue putantes seruitium obsequi Deo, & turrim ædificabant in nullo sua studia deserentes.*

Nemrod, Turris Babel inuentor fuit, & conditor.

12 Insuper sciendum est Turrim hanc altitudinem habuisse quatuor millia passuum, quæ efficiunt milliare magnum, siuè Germanicum. Affirmat hoc S. Hieronymus, qui lib. 5. suorum commentariorum super cap. 14. Esaiæ lit. G. pag. mihi 47. impress.

Quanta fuerit alta Babel Turris.

Parif. glosans illa verba, *& perdam Babylonis nomen, &c.* dicit: *Babylonem fuisse potentissimam, & in campestribus per quadrum sitam, ab angulo vsque ad angulum muri quindecim millia tenuisse passuum, idest, simul per circuitum quadraginta octoginta stadia refert Herodotus lib. 2. & multi alij, qui Græcas historias conscripserunt. Arx autem, idest, Capitolium illius vrbis, est Turris, quæ ædificata post diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim delata in angustias coarctata, vt pondus immensus facilius à latioribus sustentetur.* Huius Turris cadentes reliquiæ permanserunt vsquè ad tempora S. Hieronymi, & Theodoreti, in quæstionibus in Genesim quæst. 59. vt ipsi testantur.

Babylonis quæ longitudo & latitudo.

13 *Et celebremus nomen nostrum:* idest magnum, & memorabile fiat nomen nostrum apud posteros; hæc fuit legitima illius admirabilis ædificij causa, non autem diluuij futuri timor, vt nonnulli putarunt. Nam D. Ioannes Chrysostomus homil. 30. in Genesim lit. B. pag. mihi 161. scribit. *Vidisti radicem mali? vt, inquit, perpetuam memoriam consequamur, vt nostri perpetuò memores sint posteri: tale erit nostrum opus, vt nunquam obliuioni tradatur.*

Quare fuerit ædificata Turris Babilonica.

14 *Antequam diuidamur in vniuersas terras,* hebraicè stat פֶּן־נָפוּץ pennaphuts *ne fortè dispergamur.* Hunc locum explicans Cornelius à Lapide scribit *Sciebant enim se propediem dispergendos.* Ego verò nescio quomodò sectatores illi Gigantis superbi scire potuerant se propediem dispergendos. Vndè melius cum D. Parente N. Augustino in l. 1. quæstionum super Genesim quæst. 21. tom. 8. pag. mihi 85. col. 1. dicam. *Si se hos posse crediderunt nimium stulta audacia, & impietas deprehenditur: & quia ob hoc Dei vindicta secuta est, vt eorum linguæ diuiderentur, non absurdè hoc cogitasse credi potest.* Nota non dicit S. Pater hoc sciuisse, sed *hoc cogitasse,* & ista cogitatio oriebatur ex peccato superbiæ, quo contra Deum tàm vastæ molis turrim vsquè ad cælum pertingentem erigere defatigabant. Ipsaque cogitatio erat timor ortus ex culpa, nam dicit S. Thomas de Aquino p. p. quæst. 42. artic. 1. concl. 1. *Timor primò, & per se respicit malum, vt proprium obiectum,* & S. Ioannes Damascenus cit. ibid. ait *Timorem esse de malo futuro.* Sic illi (*quia Deus superbis resistit,* scribit Apostolorum Princeps in sua prima cap. 5. v. 5.) in pœnam superbæ temeritatis non absurdè cogitarunt in breui se dispergendos, hoc totum, quod sequitur apertè demonstrat, & in cap. 9. Iudith colligitur, quando hæc Bethuliæ liberatrix vers. 16. Orans dixit: *Nec superbi ab initio placuerunt tibi.*

Timor pœnæ sequitur culpam.

15. Vel dici potest *ne fortè dispergamur,* quòd his verbis vaticinati sunt, sicuti in Concilio contrà IESVM Pontifices, & Pharisæi vaticinantes dixerunt Ioan. cap. 11. vers. 48. *Ne fortè veniant Romani, & tollant locum nostrum, & gentem.* Timebant igitur iam tunc ipsi, & illi, quod eis paulò post euenit.

Prophetiæ donum etiam scelestis datur.

16 *Descendit autem Dominus, vt videret Ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Glosat S. P. N. Augustinus in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 5. tom. 7. lit. A. pag. mihi 199. col. 1. *Quod enim scriptum est;* Et descendit Dominus videre ciuitatem, & turrim quam ædificauerunt filij hominum, *Hoc est, non filij Dei, sed illa societas secundùm hominem viuens: quam terrenam dicimus ciuitatem: non loco mouetur Deus, qui semper vbique est totus: sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra quod propter vsitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodammodo eius ostendat. nec videndo discit ad tempus quia nunquam potest aliquid ignorare: sed ad tempus videre, & cognoscere dicitur, quod videri, & cognosci facit. Non sic ergo videbatur illa ciuitas quomodo eam Deus videri fecit; quin sibi quantum displiceret ostendit. Quamuis possit intelligi Deus ad illam ciuitatem descendisse: quia descenderunt Angeli eius in quibus habitat. Ob quod adiunctum est,* & dixit Dominus Deus: eccè genus vnum, & labium vnum, omnium, & cætera: *ac deindè additum:* venite, & descendentes confundamus ibi linguam eorum: *Recapitulatio fit demonstrans quemadmodum factum sit quod dictum fuerat;* descendit Dominus. *Si enim iam descenderat, quid sibi vult:* Venite, & descendentes confundamus ibi linguam eorum, *quod intelligitur Angelis dictum, nisi quia per Angelos descendebat, qui in Angelis descendentibus erat; & benè non ait;* venite, & descendentes confundite, sed confundamus ibi linguam eorum, *Ostendens ita se operari per ministros suos; vt sint etiam ipsi cooperatores Dei.* Hactenus Sanctus Pater qui dupliciter exponit intelligi posse ly *descendit Dominus:* primò ratione effectus noui, quem in loco illo produxit, nempè impediendo metam ædificij, & diuidendo mirabiliter in multas, & varias vnam illorum hominum linguam.

Vers. 5.

Dei ministri eius cooperatores.

Se-

Digitized by Google

Secundò intelligi potest *descendit Dominus*, idest fecit, vt Angeli de cęlo descenderent, & conatus illorum hominum impedita ædificatione irritos facerent.

17 Aduerte quòd quando SS. Parens in superiori data explicatione pro ly *quam ædificabant*, sicuti legit nostra vulgata, scribit ipse *quam ædificauerunt*, intelligendum est *quam ædificauerunt* incompletè, non autem perfectè.

Mali sce. lera sua complere nequeunt.

Vers. 6. 18 *Et dixit. Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus*: idest vna loquela, vna lingua, & vnum idioma, vti in vers. 1. num. 1. huius capitis iam exposuimus.

19 *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant*, idest nec desistent nisi superiori, ac diuina virtute prohibeantur.

Vers. 7. 20 *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui*. Hic loquitur Deus Angelis, tanquam maximus Rex suis ministris eius iustitiæ executoribus, vt destruant ædificium superbi Nembrothi, & sectatorum eius. *Descendere autem*, dicit Abulensis ibidem quæst. 10. col. 2. pag. mihi 101. *ad Deum non pertinet qui vbique est; Angelis tamen conuenit, quia quando sunt in cælo, non sunt in terra*: Et de loco, & motu Angelorum sapientissimus, & humillimus seruus Dei P. Benedictus à S. Iacobo mei Augustiniani Excalceati instituti venerabilis memoriæ in prima parte sui *Enchiridion Theologiæ Augustinianæ* impress. Rom. cap. 19. pag. mihi 113. sic doctissimè scripsit *Angeli possunt moueri localiter, seù de vno loco transire in alium, quamuis talis motus per comparationem ad temporalia sit tantùm æquiuocè motus: & possunt moueri motu per se, & motu per accidens. Motus localis Angeli, quo per se mouetur, consistit in diuersis contactibus quantitatis virtutis, quibus sinè intermedia quiete tangit successiuè diuersa corpora, siuè in diuersis operationibus circa diuersa loca absquè prædicta quiete: Motus localis, quo per accidens mouetur Angelus ad motum corporis, in quo localiter existit; in nullo alio consistit, quàm in motu locali inhærente tali corpori. Angelus potest moueri motu continuo, & motu discreto, localiter etiam, absquè eò quòd transeat per medium, siuè illud sit communicans, siuè non communicans cum partibus intermedijs; attamen motus Angeli, siuè continuus, siuè discretus vnico instanti fieri nequit*.

Angeli ministri iustitiæ Diuinæ.

Quomodo Angeli se habeant in ordine ad locum.

21 Superior Sententia Cornelio à Lapide non placet, quòd illa locutio *Venite igitur descendamus*, &c. sit Dei ad Angelos: Verius putat Deum Patrem hic loqui suo Filio, & Spiritui Sancto vti fecit cap. 1. Gen. vers. 26. & cap. 2. vers. 18. & pro confirmatione suæ explicationis scribit, *Sicut enim ibi creatio, non Angelorum, sed solius Dei fuit, opus; ità pariter fuit, & hic hac linguarum confusio*, & pro sua sententia adducit S. Ioannem Chrysostomum, Procopium, Rabanum, & Rupertum.

Creatura nequit creare.

22 Pro mea sententia, quam longè veriorem existimo, stant S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 6. lit. A. col. 2. pag. mihi 199. S. Gregorius Papa explanando in lib. 2. moralium, quod scriptum est in primo capite libri Iob. Caietanus ibidem. Philo in libro de confusione linguarum, Benedictus Pererius disput. 7. pag. mihi 197. Nicolaus de Lyra col. 181. Hugo Cardinalis lit. B. col. 1. pag. mihi 16. & quamplurimi alij Doctores. Ad illud verò, quod obijcit à Lapide respondet clarissimè S. P. N. Augustinus vbi supra dicens, *Poterat, & illud quando factus est homo de Angelis intelligi, quod dictum est faciamus hominem: quia non dixit faciam; sed quia sequitur ad imaginem nostram: nefas est credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eamdem esse imaginem Angelorum, & Dei. Et ideò rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis: Quæ tamen Trinitas; quia vnus est Deus, etiam cum dixisset faciamus; & fecit inquit Deus hominem ad imaginem Dei, non dixit fecerunt Dij; aut ad imaginem Deorum. Poterat, & hic eadem intelligi Trinitas; tanquam Pater dixerit ad filium, & Spiritum Sanctum*: Venite, & descendentes confundamus ibi linguam eorum: *Si aliquid esset quod Angelos prohiberet intelligi; quibus potiùs conuenit venire ad Deum motibus sanctis, hoc est cogitationibus pijs, quibus ab eis consulitur incommutabilis veritas tanquam lex æterna in illa eorum curia superna*.

23 *Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras*. Quia qui se non intelligebant, simul manere nolebant, sed vnusquisque eis, quos intelligebat iungebatur, & tunc in varias orbis partes, & insulas recesserunt, quæ postea à nominibus eorum appellatæ sunt, vt scribit Tostatus ibidem. Vers. 8.

Regionum diuersarum nomina vndè.

24 *Et cessauerunt ædificare ciuitatem*, propter discordiam ortam inter eos, eò quòd vnus petens vnam rem, illi tribuebatur contraria, non intelligendo quid petebat.

Discordia cuncta dissipat.

25 No-

Digitized by Google

Ex Ioanne.

re, nondum enim ascendit ad Patrem meum. cap. 16. n. 96

Ex Act. Apostolorum.

Cap. 2. v. 3. ET apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. cap. 11. n. 91. & 92. & v. 7. §. 58. & c. 15. n. 74.

Cap. 3. v. 25. Vos estis filij prophetarum, & testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham; & in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ, cap. 12. v. 3. n. 13

vers. 26. Vobis primum Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis: vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua, ibid.

Cap. 7. v. 2. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahę cum esset in Mesopotamia, prius quam moraretur in Charan, cap. 12. v. 1. n. 2.

vers. 3. Et dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi, ibidem.

vers. 5. Et non dedit illi hereditatem in ea, nec passum pedis: sed repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium, cap. 12. v. 6. n. 27.

versic. 55. Cum autem esset plenus Spiritu Sancto, intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei, & ait: Ecce video cęlos apertos, & filium hominis stantē à dextris Dei c. 15. §. 49

Cap. 10. v. 34. Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus cap. 17. n. 102.

vers. 35. Sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi, ibidem.

Cap. 15. v. 5. Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi, eos, præcipere quoque seruare legem Moysi cap. 17. n. 37.

vers. 6. Conueneruntque Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, ibid.

vers. 8. Et qui nouit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis spiritum Sanctum sicut, & nobis, ibid.

vers. 10. Nunc ergo quid tentatis Deus, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neq; nos portare potuimus, ib.

vers. 11. Sed per gratiam Domini Iesu Christi, credimus saluari, quemadmodum, & illi ibid.

Cap. 17. v. 29. Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare, auro, aut argento, aut lapidum sculturæ artis, & cogitationis hominis, c. 17. §. 25.

Ex Epist. ad Romanos.

Cap. 4. v. 11. ET signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio; vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur, & illis ad iustitiam. cap. 17. n. 29

Vers. 19. Et non infirmatus est fide; nec considerauit corpus suum emortuum cum iam fere centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ, c. 18. n. 33

Vers. 25. Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram, c. 17. n. 32

Cap. 5. v. 3. Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur, cap. 17 §. 37

Vers. 4. Patientia autem probationem, probatio verò spem. ibid.

Vers. 5. Spes autem non confundit. ibid.

Cap. 13. vers. 13. Sicut in die honeste ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, c. 14. n. 116

Ex I. Ad Corinthios.

Cap. 1. v. 10. OBsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi: vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, c. 11. v. 1. n. 57

Cap. 2. v. 9. Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum, c. 15. n. 126

Cap. 3. v. 8. Qui autem plantat, & qui rigat, vnum sunt. Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem, c. 15. n. 127

Cap. 4. v. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? c. 15. n. 137

Vers. 12. Et laboramus operantes manibus nostris; maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus. cap. 19. n. 67

Ex II. ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Cap.1.v.21. MIhi enim viuere Christus est, & mori lucrum. c.15.§.28

Vers. 27. Tantum digne Euangelio Christi conuersamini: vt siuè cum venero,& videro vos, c.13. v.8.§.22.

Cap.2.v.2. Implete gaudium meum, vt idem sapiatis eamdem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes cap. 18.§.6.

Versic. 7. Sed, & semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, cap.11. vers. 5.§. 19

vers.8. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. ibid.

Cap. 3. v. 13. Fratres me non arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ quidē retro sunt obliuiscens. c.17.n.74

Cap. 4. v. 5. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus propè est. c.12. v. 3.n 68

Ex I. ad Thessalonicense.

Cap. 5. v. 14. ROgamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. cap. 16. n. 82

Ex I. ad Timothæum.

Cap. 5. v. 10. IN operibus bonis testimonium habens, si filios educauit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lauit, c. 18. n. 18

Cap. 6. v. 17. Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum. c.12.v.5.n.78

Vers. 18. Benè agere, diuites fieri in bonis operibus facile tribuere, communicare. ibidem.

Vers. 19. Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. ibid.

Ex II. ad Timothæum.

Cap. 4. v. 2. PRædica verbum, insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. c. 16. n. 82

vers. 7. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. cap. 16. num. 118

Ad Hebræos.

Cap. 4. v. 12. VIuus est Sermo Dei,& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsquè ad diuisionem animæ, ac spiritus, cap. 16. n. 82.

Cap. 7. v. 1. Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ regresso à cęde Regum,& benedixit ei, c.14.v.18.n.57.

Vers. 6. Cuius autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham,& hunc, qui habebat repromissiones benedixit, c.14.n.61.

Cap. 5. v. 1. Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. c.14.n.59

Cap. 11. v. 8. Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem; & exijt, nesciens quo iret. c. 12.v.1.n.10

Vers. 9. Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac, & Iacob coheredibus repromissionis eiusdem. c. 12.v.6.n.27

Vers. 36. Alij verò ludibria, & verbera experti, insuper, & vincula, & carceres. c. 16. n. 99

Vers. 38. Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cauernis terræ. c. 16. n.82

Cap. 13. v. 14. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. c.12.v.10.n. 86

Ex Epist. Diui Iacobi.

Cap. 1. v. 8. VIr duplex animo, inconstans est in omnibus vijs suis. cap. 12. v. 1.§. 11

Cap. 3. v. 6. Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. c.11.n.93

Ex

INDEX


INTERPRETATIONVM NOMINVM,

Quæ ſæpè ſæpius moraliter explicantur.

Mambre



CAPVT



CAPVT XI.

GENESIS.

Verſ. 1. Erat autem terra labij vnius, & ſermonum eorumdem.
2. Cùmque proficiſcerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.
3. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento.
4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.
5. Deſcendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.
6. Et dixit: Ecce, vnus eſt populus, & vnum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.
7. Venite igitur deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.
8. Atque ita diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras, & ceſſauerunt ædificare ciuitatem.
9. Et idcircò vocatum eſt nomen eius Babel, quia ibi confuſum eſt labium vniuerſæ terræ: & inde diſperſit eos Dominus ſuper faciem cunctarum regionum.
10. Hæ ſunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio poſt diluuium.
11. Vixitque Sem poſtquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, & filias.
12. Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.
13. Vixitque Arphaxad poſtquam genuit Sale, trecentis tribus annis; & genuit filios, & filias.
14. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.
15. Vixitque Sale poſtquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios, & filias.
16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg.
17. Et vixit Heber poſtquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis: & genuit filios, & filias.
18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.
19. Vixitque Phaleg poſtquam genuit Reu, ducentis nouem annis: & genuit filios, & filias.

20. *Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.*
21. *Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis: & genuit filios, & filias.*
22. *Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor.*
23. *Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis: & genuit filios, & filias.*
24. *Vixit autem Nachor viginti nouem annis, & genuit Thare.*
25. *Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem, & nouenis annis: & genuit filios, & filias.*
26. *Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.*
27. *Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot.*
28. *Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.*
29. *Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melcha, & patris Iescha.*
30. *Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.*
31. *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt irent in terram Chanaan: veneruntque vsquè Haran, & habitauerunt ibi.*
32. *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.*

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1. Num. I. E*Rat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem:* idest vti vertit, seù legit Arab: erant omnes terricolæ possidentes linguam vnam. Hæc enim est *Metonymia*, nam homines nomine terræ significantur: vndè erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem, vult indicare quòd omnes homines antè turris Babel constructionem, eodem vtebantur sermone, ac vno loquebantur idiomate, eamdemque habebant loquelam, *ità solet scriptura labiorum nomine loquelam appellare.* Scribit S. Ioannes Chrysostomus homil. 30. in Genesim lit. A. pag. mihi 161. Et habes exempla in Exodo cap. 6. vers. 12. vbi Moses respondit Domino, *& quo modo audiet Pharao, præsertim cum incircumcisus sim labijs*, idest cum sim inelegans, ac rudis in dicendo. In Iob cap. 1. vers. 21. *In omnibus his non peccauit Iob labijs suis*, idest Iob non peccauit in ijs quæ locutus fuerat. In Canticis cap. 4. vers. 11. vbi sponsus de dilecta prædicat. *Fauus distillans labia tua, Sponsa*, idest: ex ore tuo melle dulcior fluit oratio, & sic habes quàm plurimis alijs in locis, & præsertim in Psalmis.

2 Hic aduerte quòd prima in orbe terrarum lingua fuit Hebraica, & quamuis hoc apertè demonstretur, & cognoscatur ex significatione, & etymologia nominum Adami, Heuæ, Caini, Seth, &c. accedit contrà Goropium Becanum, & alios quoscumque auctoritas SS. Io: Chrysostomi, Hieronymi, & S. P. N. Augustini qui in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 11. circà principium, vbi tractat de Heber tom. 7. lit. B. pag. mihi 201. satis diffusè confirmat, insuper Abbas Rupertus in lib. 4. de Trinitate, & operibus eius cap. 29. pag. mihi 89. col. 1. loquendo de lingua Hebraica sic addit, *quæ lingua in diebus quibus diuisio, vel confusio linguarum*

Prima in mundo lingua fuit Hebræa.

Ab Heber dicta fuit Hebraica lingua.

guarum facta est, remansit in domo, vel familia Heber, vnde, & lingua ista Hebraica dicta est.

Vers. 2. 3 *Cumque proficiscerentur de oriente*, pro ly ab oriente legunt Alij à principio. קדם *Kedem*, idest oriens, seù Principium. Vndè dicendum cum D. Epiphanio initio lib. de Hæresibus, Pererio disput. 1. num. 6. pag. mihi 187. Cornelio à Lapide lit. B. col. 2. pag. mihi 127. quòd Moyses appellat hic Orientem, Armeniæ partem illam, quæ dicitur Orientalis ratione Babyloniæ, qua in regione homines illi (idest Noe, ac filij eius, & posteri eorum nati per illos centum annos qui post diluuium decurrerunt antè turris Babel ædificationem) profecti sunt.

4 *Inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo*, idest cogitarunt, ac deliberauerunt habitare in isto campo propter amænitatem, fertilitatem, & aquarum copiam. Nota quòd locus hic campester non vocabatur anteà *Sennaar*, sed ab euentu rei dictus fuit *Sennaar*. Sic Venerabilis Abbas Rupertus in lib. 4. vbi supra cap. 41. col. 2. pag. mihi 89. confirmat scribens, *Ipsum campum quem inuenerunt, scriptura nunc vocat* Sennaar, *scilicet, ab euentu, locum congruo nomine significans.*

Sennaar locus vndè dictus.

5 Sennaar est campus Babylonis, in quo regnauit Nemrod, vti exposuimus in nostro primo huius operis tomo cap. 10. titulo Literal. Exposit. col. 2. pag. 186. num. 39. Interpretatur verò *dormientis Vigilia*, vel *suscitatio*, aut *dentis euacuatio*, vel *denudatio*, aut *dentium excussio*, seù *fetor eorum*, vel *dens æmuli*, siuè *mutatio ciuitatis*. Aduerte quòd ly *dens dentium denTis, &c.* vult indicare sermonum, siue verborum, quæ sine dentibus non fiunt. D. Epiphanius sub initium operis, quod Hæreses aduersùs scripsit, historiam huius loci attingens, sic fatur: *Cùm homines se extenderent, & vltrà procederent à monte Lubar, ac finibus Armeniæ, hoc est, à regione Ararath, consistunt in campo Sennaar quem sibi delegerant. Situs est autem campus Sennaar nunc in regione Persica quæ olim erat Assyria.*

Sennaar quid interpretatur.

Vers. 3. 6 *Dixitque alter ad proximum suum*; idest inter se congregati dixerunt.

7 *Venite* pro ly *venite* hebraicè dicitur הבה idest *Haba*, & est aduerbium exhortandi seù inuitandi, quasi dicerent, Eia, agite *faciamus lateres*; nam terra illa campestris lapidibus non abundabat.

Et coquamus eos igni. Vt duriores sint.

Habueruntque lateres pro saxis, idest, inquit Oleaster ibidem, fuit illis later pro lapide.

8 *Et bitumen pro cemento*, & lutum rubrum ad liniendum. Dixi cum Oleastro lutum rubrum, nam hebraicè stat חמר *chomer*, quod nomen sicuti est ambiguæ significationis, idest accipi potest, & pro luto è calce, & pro bitumine; huic explicationi applicaui vt conformiori LXX. Interpretibus, qui scripserunt ἀσφαλτον idest *bitumen*, quod fit ex calce, & puluere laterum, indè rubri coloris apparet.

Bitumen propriè quid sit.

Vers. 4. 9 *Et dixerunt: Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim:* quia aquis diluuij Ciuitas Cain destructa fuerat, nunc filij Noe (qui fortè, inquit Abulensis, ante generalem orbis inundationem eam viderant) turrim, & ciuitatem ædificare excogitarunt.

10 *Cuius culmen pertingat ad cælum*: Hoc est per hyperbolem intelligendum: nam intellexerunt ædificare ciuitatem, & turrim cuius cacumen in immensam altitudinem erigeretur.

11 Hic obseruandum est huius turris inuentorem fuisse Nemrod, non autem Noe, qui adhuc viuebat: ità confirmant, S.P.N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 4. tom. 7. lit. B. col. 4. pag. mihi 198. scribens, *Babylon quippè interpretatur confusio. Vndè colligitur gigantem illum Nemrod fuisse illius conditorem: quod superiùs breuiter fuerat intimatum: vbi cum de illo Scriptura loqueretur, ait* (Gen. cap. 10. vers. 10.) Initium regni eius fuit Babylon: *idest quæ ciuitatum cæterarum gereret principatum: vbi esset tanquam in Metropoli habitaculum regni: quamuis perfecta non fuerit vsquè in tantum modum, quantum superba cogitabat impietas*: & infrà lit. D. clariùs dicit *Gigas ille.... erigebat ergo cum suis populis Turrem contrà Dominum: quæ est impia significata superbia.* Et Iosephus lib. 1. de antiquitatibus cap. 9. pag. mihi 4. col. 2. narrans *Ob quam causam turrim altiorem ædificandam suadebat, vbi aqua non possent ascendere. Multitudo autem prona erat vt Nembroth præceptionibus obediret: graue putantes seruitium obsequi Deo, & turrim ædificabant in nullo sua studia deserentes.*

Nemrod, Turris Babel inuentor fuit, & conditor.

12 Insuper sciendum est Turrim hanc altitudinem habuisse quatuor millia passuum, quæ efficiunt milliare magnum, siuè Germanicum. Affirmat hoc S. Hieronymus, qui lib. 5. suorum commentariorum super cap. 14. Esaiæ lit. G. pag. mihi 47. impress.

Quanta fuerit alta Babel Turris.

Digitized by Google

Babylonis quæ longitudo & latitudo.

Parif. glosans illa verba, *& perdam Babylonis nomen, &c.* dicit: *Babylonem fuisse potentissimam, & in campestribus per quadrum sitam, ab angulo vsquè ad angulum muri quindecim millia tenuisse passuum, idest, simul per circuitum quadraginta octoginta stadia refert Herodotus* lib. 2. *& multi alij, qui Græcas historias conscripserunt. Arx autem, idest, Capitulium illius vrbis, est Turris, quæ ædificata post diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim delato in angustias coarctata, vt pondus immmens faciliùs à latioribus sustentetur.* Huius Turris cadentes reliquias permanserunt vsquè ad tempora S. Hieronymi, & Theodoreti, in quæstionibus in Genesim quæst. 59. vt ipsi testantur.

Quare fuerit ædificata Turris Babilonica.

13 *Et celebremus nomen nostrum:* idest magnum, & memorabile fiat nomen nostrum apud posteros; hæc fuit legitima illius admirabilis ædificij causa, non autem diluuij futuri timor, vt nonnulli putarunt. Nam D. Ioannes Chrysostomus homil. 30. in Genesim lit.B.pag.mihi 161. scribit. *Vidisti radicem mali? vt, inquit, perpetuam memoriam consequamur, vt nostri perpetuò memores sint posteri: tale erit nostrum opus, vt nunquam obliuioni tradatur.*

14 *Antequam diuidamur in vniuersas terras,* hebràicè stat פֶּן־נָפוּץ pennaphuts *ne fortè dispergamur*. Hunc locum explicans Cornelius à Lapide scribit *Sciebant enim se propediem dispergendos*, Ego verò nescio quomodò sectatores illi Gigantis superbi scire potuerant se propediem dispergendos: Vndè meliùs cum D. Parente N. Augustino in l. 1. quæstionum super Genesim quæst. 21. tom.8.pag.mihi 85.col.1. dicam. *Si se hoc posse crediderunt nimium stulta audacia, & impietas deprehenditur: & quia ob hoc Dei vindicta secuta est, vt eorum linguæ diuiderentur, non absurdè hue cogitasse credi potest.* Nota non dicit S. Patee hoc sciuisse, sed *hoc cogitasse*, & ista cogitatio oriebatur ex peccato superbiæ, quo contrà Deum tàm vastæ molis turrim vsquè ad cælum pertingentem erigere defatigabant. Ipsaque cogitatio erat timor ortus ex culpa, nam dicit S. Thomas de Aquino p. p. quæst. 42.artic.1.concl.1. *Timor primò, & per se respicit malum, vt proprium obiectum*, & S. Ioannes Damascenus cit. ibid. ait *Timorem esse de malo futuro*. Sic illi (*quia Deus superbis resistit*, scribit Apostolorum Princeps in sua prima cap.5.v.5.) in pœnam superbæ temeritatis non absurdè cogitarunt in breui se dispergendos, hoc totum, quod sequitur apertè demonstrat, & in cap.9. Iudith colligitur, quando hæc Bethuliæ liberatrix vers.16. Orans dixit, *Nec superbi ab initiu placuerunt tibi.*

Timor pœnæ sequitur culpam.

Prophetiæ donum etiam scelestis datur.

15 Vel dici potest *ne fortè dispergamur*, quòd his verbis vaticinati sunt, sicuti in Concilio contrà IESVM Pontifices, & Pharisæi vaticinantes dixerunt Ioan.cap.11.vers. 48. *Ne fortè veniant Romani, & tollant locum nostrum, & gentem.* Timebant igitur iam tunc ipsi, & illi, quod eis paulò post euenit;

16 *Descendit autem Dominus, vt videret Ciuitatem, & turrim, quam ædifica-* Vers. 5.
bant filij Adam. Glosat S. P. N. Augustinus in lib.16. de Ciuitate Dei cap. 5. tom.7.lit A. pag. mihi 199. col.1. *Quod enim scriptum est*; Et descendit Dominus videre ciuitatem, & turrim quam ædificauerunt filij hominum. *Hoc est, non filij Dei, sed illa societas secundùm hominem viuens: quam terrenam dicimus ciuitatem: non loco mouetur Deus, qui semper vbique est totus: sed descendere dicitur, cum aliquid facit in terra quod propter vsitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodammodo eius ostendat: nec videndo discit ad tempus quia nunquam potest aliquid ignorare: sed ad tempus videre, & cognoscere dicitur, quod videri, & cognosci facit. Non sic ergo videbatur illa ciuitas quomodo eam Deus videri fecit; quia sibi quantum displiceret ostendit. Quamuis possit intelligi Deus ad illam ciuitatem descendisse: quia descenderunt Angeli eius in quibus habitat. Ob quod adiunctum est,* & dixit Dominus Deus: ecce genus vnum, & labium vnum, omnium, & cætera: *ac deinde additum*: venite, & descendentes confundamus ibi linguam eorum: *Recapitulatio sit demonstrans quemadmodum factum sit quod dictum fuerat*: descendit Dominus. *Si enim iam descenderat, quid sibi vult*: Venite, & descendentes confundamus ibi linguam eorum, *quod intelligitur Angelis dictum, nisi quia per Angelos descendebat, qui in Angelis descendentibus erat; & benè non ait*; venite, & descendentes confundite, sed confundamus ibi linguam eorum, *Ostendens ita se operari per ministros suos; vt sint etiam ipsi cooperatores Dei*: Hactenus Sanctus Pater qui dupliciter exponit intelligi posse ly *descendit Dominus*: primò ratione effectus noui, quem in loco illo produxit, nempè impediendo metam ædificij, & diuidendo mirabiliter in multas, & varias vnam illorum hominum linguam.

Dei ministri eius cooperatores.

Se-

Secundò intelligi potest *descendit Dominus*, idest fecit, vt Angeli de cęlo descenderent, & conatus illorum hominum impedita ædificatione irritos facerent.

Mali scelera sua complere nequeunt.

17 Aduerte quòd quando SS.Parens in superiori data explicatione pro ly *quam ædificabant*, sicuti legit nostra vulgata, scribit ipse *quam ædificauerunt*, intelligendum est *quam ædificauerunt* incompletè, non autem perfectè.

Vers. 6.

18 *Et dixit. Ecce vnus est populus, & vnum labium omnibus*: idest vna loquela, vna lingua, & vnum idioma, vti in vers. 1. num. 1. huius capitis iam exposuimus.

19 *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant*, idest nec desistent nisi superiori, ac diuina virtute prohibeantur.

Vers. 7.

Angeli ministri iustitiæ Diuinæ.

20 *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui*. Hic loquitur Deus Angelis, tanquam maximus Rex suis ministris eius iustitiæ executoribus, vt destruant ædificium superbi Nembrothi, & sectatorum eius. *Descendere autem*, dicit Abulensis ibidem quæst. 10. col. 2. pag. mihi 101. *ad Deum non pertinet qui vbique est; Angelis tamen conuenit, quia quando sunt in cælo, non sunt in terra*: Et de loco, & motu Angelorum sapientissimus, & humillimus seruus Dei P. Benedictus à S. Iacobo mei Augustiniani Excalceati instituti venerabilis memoriæ in prima parte sui *Enchiridion Theologiæ Augustinianæ* impress. Rom. cap. 19. pag. mihi 113. sic doctissimè scripsit *Angeli possunt moueri localiter, seù de vno loco transire in alium, quamuis talis motus per comparationem ad temporalia sit tantùm æquiuocè motus: & possunt moueri motu per se, & motu per accidens. Motus localis Angeli, quo per se mouetur, consistit in diuersis contactibus quantitatis virtutis, quibus sinè intermedia quiete tangit successiuè diuersa corpora, siuè in diuersis operationibus circa diuersa loca absquè prædicta quiete: Motus localis, quo per accidens mouetur Angelus ad motum corporis, in quo localiter existit; in nullo alio consistit, quàm in motu locali inhærente tali corpori. Angelus potest moueri motu continuo, & motu discreto, localiter etiam, absquè eò quòd transeat per medium, siuè illud sit communicans, siuè non communicans cum partibus intermedijs; attamen motus Angeli, siuè continuus, siuè discretus vnico instanti fieri nequit.*

Quomodo Angeli se habeant in ordine ad locum.

21 Superior Sententia Cornelio à Lapide non placet, quòd illa locutio *Venite igitur descendamus*, &c. sit Dei ad Angelos: Verius putat Deum Patrem hic loqui suo Filio, & Spiritui Sancto vti fecit cap. 1. Gen. vers. 26. & cap. 2. vers. 18. & pro confirmatione suæ explicationis scribit, *Sicut enim ibi creatio, non Angelorum, sed solius Dei fuit, opus: ità pariter fuit, & hic hæc linguarum confusio*, & pro sua sententia adducit S. Ioannem Chrysostomum, Procopium, Rabanum, & Rupertum.

Creatura nequit creare.

22 Pro mea sententia, quam longè veriorem existimo, stant S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 6. lit. A. col. 2. pag. mihi 199. S. Gregorius Papa explanando in lib. 2. moralium, quod scriptum est in primo capite libri Iob. Caietanus ibidem. Philo in libro de confusione linguarum, Benedictus Pererius disput. 7. pag. mihi 197. Nicolaus de Lyra col. 181. Hugo Cardinalis lit. B. col. 1. pag. mihi 16. & quamplurimi alij Doctores. Ad illud verò, quod obijcit à Lapide respondet clarissimè S. P. N. Augustinus vbi supra dicens, *Poterat, & illud quando factus est homo de Angelis intelligi, quod dictum est faciamus hominem: quia non dixit faciam, sed quia sequitur ad imaginem nostram: nefas est credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eamdem esse imaginem Angelorum, & Dei. Et ideò rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis: Quæ tamen Trinitas; quia vnus est Deus, etiam cum dixisset faciamus: & fecit inquit Deus hominem ad imaginem Dei, non dixit fecerunt Dij; aut ad imaginem Deorum. Poterat, & hic eadem intelligi Trinitas; tanquam Pater dixerit ad filium, & Spiritum Sanctum*: Venite, & descendentes confundamus ibi linguam eorum: *Si aliquod esset quod Angelos prohiberet intelligi; quibus potius conuenit venire ad Deum motibus sanctis, hoc est cogitationibus pijs, quibus ab eis consulitur incommutabilis veritas tanquam lex æterna in illa eorum curia superna*;

Vers. 8.

23 *Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras*. Quia qui se non intelligebant, simul manere nolebant, sed vnusquisque eis, quos intelligebat iungebatur, & tunc in varias orbis partes, & insulas recesserunt, quæ postea à nominibus eorum appellatæ sunt, vt scribit Tostatus ibidem.

Regionum diuersarum nomina vndè

24 *Et cessauerunt ædificare ciuitatem*, propter discordiam ortam inter eos, eò quòd vnus petens vnam rem, illi tribuebatur contraria, non intelligendo quid petebat.

Discordia cuncta dissipat.

25 No-

Digitized by Google

☞ 25 Notandum est hìc, quòd Genebrardus à Cornelio à Lapide ibidem pag. mihi 129. col. 1. citatus, scribit, in hac confusione Deum tantùm linguas matrices condidisse, ipsasque hominibus indidisse, ex quibus postea cæteræ prognatæ fuerunt: à Lingua Hebraica, Syriaca; Chaldaica, & Arabica ortæ sunt. A Latina, Italica, Valachica, Gallica, & Hispanica. Ex Græca venerunt Dorica, Ionica, Æolica, Attica. Ex Slauonica, Polonica, Bohemica, Moscouitica. Ex Germanica, Heluetica, Saxonica, Anglica, Scotica. Ex Tartarica, Turcica, Sarcamanica; Abyssina verò produxit Æthiopicam, Sabæam, &c.

In confusione Turris Babel solæ matrices linguæ conditæ fuerunt.

Vers. 9. 26 *Et idcircò vocatum est nomen eius Babel*: idest nomen vrbis, non turris vocatum est Babel, & hoc nomen accepit non à Belo, qui fuit Rex primus, & Deus in Babel, sed à radice בלל *balal* idest confudit, hinc Septuaginta vertunt, & vocatum est nomen eius *σύγχυσις*, idest *confusio*, vndè benè sequitur.

Babel vndè dicta.

27 *Quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ*: idest quia ibi destructum fuit idioma, quod erat generale in tota terra, non quòd illud perierit, quia remansit in Heber, & posteris eius, hinc Hebræa lingua dicta fuit. Sic S.P.N. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 39. & lib. 16. cap. 11. clariùs.

Lingua Hebræa vndè sit dicta.

28 *Et indè dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum*. Quia omnes homines erant congregati in Babylone, post linguarum confusionem dispersi sunt, & diuisi in omnes terras.

Vers. 10. 29 *Hæ sunt generationes Sem*: idest, hæc est progenies multiplicata per Sem Noemi filium primogenitum.

30 *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium*: Venerabilis Beda ab Hugone S. R. E. Cardinali citato, vbi supra, hunc locum explicans scribit. *Magna nobis quæstio nascitur secundùm literam, quomodò Sem biennio post diluuium centum esse annorum dicatur, cùm suprà, quingentesimo anno Noë natos asseratur, & sexcentesimo anno eiusdem Noe diluuium venisse legatur. Vt ergo numerus temporum sibimetipsi non repugnet, intelligendum est, aut Noë duos plus quàm quingentos annos habuisse, quando natus est Sem, aut duos minus ad sexcentos annos, quando venit diluuium, aut Sem habuisse centum, & duos annos, quando natus est Arphaxad. Solet enim sic loqui Scriptura nonnunquam, vt, & si modicum supersit, vel desit, plenarium tamen, & perfectum in computo numerum sonet. Videtur autem verisimile, vt mea fert suspicio, quòd cùm natus esset Sem, duos super quingentos annos habuisse Noe. Neque falsum dixit Scriptura, quia quingentos annos habuit, etiamsi quingentos, & duos annos habuerit, quia nimirum minor numerus intrà maiorem continetur. Fortè autem Sanctæ scriptor historiæ, diligentiùs hoc loco curauit explicare, dicendo. Sem biennio post diluuium centum fuisse annorum, quia se meminit annum natiuitatis eius, quasi negligentiùs annotasse.*

31 *Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad quingentis annis; & genuit filios, & filias*. Nomina filiorum, & filiarum quia sunt extrà lineam Messiæ. Vers. 11.

32 *Porrò Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale trecentis tribus annis, & genuit filios, & filias*. Per se patet. Vers. 12. & 13.

33 *Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber*. Quem natum volunt, quo tempore Arphaxad ex Armenia discedens traiecit Tigrim, omniumque primus in Chaldæa resedit, ideoque infantem appellasse Heber, quòd significat transeuntem nempè Tigrim, ita Ioseph lib. 1. Antiquit. cap. 14. col. 2. pag. mihi 6. impress. Mediol. Vers. 14.

Heber vndè dictus.

34 *Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis; & genuit filios, & filias. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg*. Phalech *Diuisionem* hebræi vocant. Vers. 15. & 16.

35 *Et vixit Heber postquam genuit Phaleg quadringentis triginta annis, & genuit filios, & filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu*, qui Ragau 1. Paralip. dicitur: ijsdem tamen consonantibus, & punctis apud Hebræos. Interpretatur *Socius*, vel *Amicus*, aut *Pastor*, siuè *Malum*, aut *Confractio*. Vers. 17. & 18.

36 *Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis nouem annis: & genuit filios, & filias. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug*. Interpretatur Sarug *Palmes*, vel *Sarmentum*, siue *Ramus*, aut *Conuolutio*. Hic fuit inuentor Picturæ dicunt Epiphanius, & Suidas, nec non artis statuariæ. Vers. 19. & 20.

Sarug inuentor fuit Picturæ, & artis Statuariæ.

37 *Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug ducentis septem annis, & genuit filios, & filias. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor*. Interpretatur Nachor *Raucus*, vel *Aridus*, aut *Iratus*, vel *Incensus*, aut Syriacè *Suffocatus*. Vers. 21. & 22.

38 *Vixitque Sarug postquam genuit Nachor ducentis annis, & genuit filios, & filias. Vixit autem Nachor viginti nouem annis,* Vers. 23. & 24.

Digitized by Google

annis, & genuit Thare. Interpretatur Thare *Odorans*, vel *Spirans*, aut *Abigens*.

Verf. 25. & 26. 39 *Vixitque Nachor, postquam genuit Thare, centum decem, & nouem annis, & genuit filios, & filias. Vixitque Thare septuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran*. Hic præponitur ordo, & primus nominatur Abram propter dignitatem, inquit S.P.N. Augustinus, & quamuis minimus natu fratrum fuerit Abram, tamen vt maior præponitur, quia eius vnius prosapiam, fidem, & gesta deinceps prosequi intendit Moyses.

Virtus minoris natu maioribus præfertur.

Verf. 27. 40 *Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot*. Scribit Alexander Polyhistor Abramum natum esse in Camarine Babyloniæ vrbe, quem alij Vrien vocant quod Græcè χαλδαιόπολιν sonat, inuentorem apud illos Astrologiæ adiudicatum. Nomen eius fine, H, idest Abram interpretatur Pater excelsus, cum, H, verò idest Abraham interpretatur *Pater multitudinis*. Aran interpretatur *Mons*, siuè *Montanus*, aut, *Pragnans*, siuè *Concipiens*, vel *Cantans*, aut *Draco*. Lot interpretatur *Inuolutus*, siuè *Colligatus*, vel *Resina preciosa*, quæ dicitur Stacte.

Abraham vbi natus.

Verf. 28. 41 *Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum*, hoc dupliciter potest intelligi, vel antequam moreretur pater suus, quia alij filij, scilicet Abram, & Nachor mortui sunt post mortem patris sui Thare. Aran autem mortuus fuit antequam pater moreretur. Vel *mortuus est ante patrem suum*, idest coram Patre suo, scilicet Thare vidente. Sic Abulensis.

42 *In terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum*. Vr vrbs erat Chaldæorum, interpretatur *Ignis*, vel *Lumen*, seu *Lux*, eò quòd in ea seruabatur, & colebatur ignis Sacer. Et sicut Heliopolis dicta est à solis cultu, sic, & Vr dicta videtur à cultu ignis.

Vr vndè dicta.

☞ 43 Hic notandum est quòd quando in lib. 2. Esdræ cap. 9. verf. 7. legitur. *Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, & eduxisti eam de igne Chaldæorum*, habet fundamentum in hoc, quod Deus liberauit Abram de afflictionibus, quibus vexatus erat à Chaldæis eò quòd nolebat ignem adorare, vti docent Ioseph, & S.P.N. Augustinus, qui in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 13. & in cap. 15. col. 2. lit. B. pag. mihi 202. apertè scribit *Abram de igne Chaldæorum liberatus est*, vide etiam S. P. N. Augustinum in quæst. 25. in Genesim.

Serui Dei à scelestis vexantur, & affliguntur.

Verf. 29. 44 *Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Iescha*. Aram duas genuit filias vna dicta fuit Melcha, altera verò binonima fuit, idest Iescha, & Sarai, ipsam in vxorem habuit Abram, alteram Nachor, sic duo fratres sorores duas fratris Aram filias sibi coniugio colligarunt.

45 Hic nota, quòd matrimonium inter Sorores iure naturæ vetitum est, ità vt dispensare Pontifex in eo non possit iuxtà mentem doctoris Angelici citati à me in Tomo primo huius Sacri Theatri Bibliorum cap. 4. verf. 17. num. 47. in literali exposit. col. 2. pag. 51.

Pontifex in lege naturæ dispensare non potest.

46 Notandum etiam est cum doctissimo P. Stefano à S. Gregorio in meo Erem. Discalceatorum Ordine S. Augustini Theologo celeberrimo, quòd in suo libro *de Diuinæ pietatis vinculis* impress. Bononiæ lib. 3. de Matrimonio col. 2. num. 1. pag. mihi 467. cap. 92. quatuor nominibus Sinonymis appellatur Matrimonium, nempè *Matrimonium, Nuptiæ, Connubium, & Coniugium*, dicitur *Matrimonium*, quia mulier nubit, & mater efficitur, vel quia fit quasi matris munimen, proles enim dicitur veluti munimen matris, vt S. Thomas in add. quæst 44. artic. 2. Couar. 2. par. de Matrim. cap. 1. num. 1. vel iuxtà Gregorium IX. cap. 2. de Conuersat. infidelium; Matrimonium indè deriuat, quia mulier in partu, & antè, & post partum varios labores sustinet, vel tandem, quia mater certa est, & pater incertus. Dicitur etiam *Nuptiæ*, & *Connubium* ab obnubendo, seu velando; olim enim virgo in matrimonio quasi nube obtegebatur quodam velamine ad ostendendam se inferiorem, & subditam viro suo iuxtà illud. Genesis 24. verf. 65. vbi videns Rebecca Isaac virum suum deambulantem, obuiam ei veniens caput suum velauit. *At illa tollens citò pallium suum, operuit se*. Poterat etiam fieri dicta cæremonia ad erubescentiam peccati commissi, dum à serpente decepta, virum suum fefellit. Dicitur etiam coniugium quatenus Matrimonium duos coniungit in carne vna. Vide Couar. loc. cit. Sanchez in proemio de Matrimonio num. 4. Vasq. de Matrim. disput. 1. cap. 1. Filiucc. tract. 10. de Matrim. cap. 1. num. 1. & alios.

Matrimonij nomina quot, & quæ.

Virgines nuptæ quare velabantur.

Verf. 30. 47 *Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos*: Sterilitatis enim effectus ille con-

Digitized by Google

consanguineorum coniugia ex naturali antipathia assolet comitari.

Sterilitas quotuplex. 48 Hic Aduerte quòd sterilitas triplex est, scilicet, prauæ actionis, sacræ contemplationis, & temporalis tribulationis.

Maledictio sterilis in veteri testamento non erat culpæ, sed pœnæ, non tantùm, quo ad defectum naturæ, sed etiam quo ad infamiam, quia opprobrio habebatur dicit S. Thomas 4. dist. 33. Insuper, & sterilitas in muliere est à diuina voluntate, dicit. S. Ambrosius in lib. 1. de Abraham tom. 4. cap. 7. *Cùm aduertas Dei offensione, & facundas sterilescere, & rursus Domini voluntate steriles fecundari, iuxtà quod scriptum est: Nonnè sterilem, & parientem ego feci, dicit Dominus?*

Vers. 31. 49 *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & Sarai nurum suam vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldeorum, vt irent in terram Chanaan.* Non autem eduxit eos de incendio, sed de illa vrbe vel de igne tribulationum, & afflictionum, quæ à Chaldæis idololatris Abrahamo fideli intentabantur.

50 *Veneruntque vsquè Haran, & habitauerunt ibi*: Haran est ciuitas Mesopotamiæ à Charra Syriæ fluuio. Intentio autem eorum erat in recessu de Caldæa eundi in terram Chanaan, sed habita occasione remanserunt in loco intermedio scilicet in Haran, vbi mortuus est Thare, indè sequitur.

Vers. 32. 51 *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran*: idest cum compleuisset ducentesimum quintum ætatis suæ annum mortuus est Thare in Haran, quæ vrbs vulgò Carrha dicitur, vbi M. Crassus Romanus Dux à Parthis cladem accepit.

52 Multa nunc occurrunt necessaria notanda, & exprimendo illa, quæ magni sunt momenti, cætera relinquo. Vndè.

Primò notandum est, quòd S. Lucas Euangelista ordinem huius Genealogiæ texendo inter Arphaxad, & Sale, Cainan ponit, sic in cap. 3. vers. 35. & 36. sui Euangelij legitur: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech*: hic verò Moses nomen prætereundo tacet. Ad hunc indissolubilem Gordiani nodum quid mihi cogitandum, ac dicendum sit nescio: tamen dicam, quod in huius generationis narratione secutus est S. Lucas Septuaginta Interpretes; nam in Vulgata nostra æditione, & hebraica veritate hæc Cainan generatio non ponitur, sed Arphaxad dicitur pater Sale, qui genuit Heber. Quamuis autem hæc generatio abundet, excusatur tamen D. Lucas, quia recensuit genealogias, vt inuenit eas descriptas à Septuaginta, quorum illo tempore apud omnes summa erat authoritas. Hoc scripsi non affirmando, nam in hac re nullam expono sententiam, & in hac disputatione accidit mihi, quod sibi in Præfatione commentariorum suorum in Acta Apostolorum Venerabilis Beda contigisse scribit his verbis: *Lucas testimonijs Græcis vtitur potiùs quàm Hebræis. Ex quo accidit quod maximè miror, & propter ingenij tarditatem vehementissimo stupore perculsus, nescio perscrutari qua ratione, cùm in Hebraica veritate à diluuio vsquè ad Abraham decem tantum generationes inueniantur: ipse Lucas, qui Spiritu Sancto calamum regente, nullatenus falsum scribere potuit, vndecim generationes iuxta Septuaginta Interpretes adiecto Cainan, in Euangelio ponere maluit.* Hactenus Beda Venerabilis.

Quare aliù ordinem S. Lucas Euangelista, aliù Moyses seruauit in genealogia.

Sententia venerabilis Bedæ perquã notabilis.

52 Notandum secundò post confusionem linguarum Deum Turrim Babelis procellis, & ventis deiecisse, eaque ædificatores ipsos obruisse. Sic affirmat Eusebius lib. 9. de Præparat. Euangel. cap. vlt.

Turris Babel ventis, & procellis obruta.

53 Notandum Tertiò, Antè totius orbis eluuionem homines vixerunt 900. annis, mox à diluuio tantum 400. & mox 300. Vnde apparet vitam præcedentium hominum tàm longæuam scilicet vsquè ad nongentos annos eis obtigisse, non ex vi naturæ, & causarum naturalium, sed potiùs ex dono Dei: nec enim statim in prima, aut secunda progenie potuit naturaliter vita hominum descendere ad 500. aut sexcentum annos.

54 Notandum quartò. Vti declaraui in cap. 5. Genesis in tomo 1. mei. Sacri Theatri titul. Dubia Sacra 5. 22. col. 2. pag. 82. in ætate Patriarcharum numeros apud Septuaginta esse corruptos, ità & hic corrupti sunt. Hic enim Lxx. tàm Arphaxad, quàm alijs adijciunt centum annos, quos non habent nec nostra Vulgata, nec veritas Hebræa; vndè relicta explicatione Lxx. secundùm quos à diluuio vsquè ad Abram fluxerunt anni 1172. sequor Hebræam veritatem, iuxtà quam tantùm fluxerunt 292.

Longitudo vitæ antè diluuium ex dono speciali Dei.

55 Notandum quintò. Ex hoc literaliter explanato capitulo colligitur

Chro-

Digitized by Google

Chronologia mundi scilicet à fine diluuij vsquè ad Abram fluxisse annos 292. vt apparet in subiecta descriptione.

	Abram	
Vixit An. 205.	Thare	*genuit Abram cum esset Annorum* 70
Vixit An. 148.	Nachor	*genuit Thare cum eßet annorum* 29
Vixit An. 230.	Sarug	*genuit Nachor cum esset annorum* 30
Vixit An. 229.	Reu	*genuit Sarug cum esset annorum* 32
Vixit An. 239.	Phaleg	*genuit Reu cum esset annorum* 30
Vixit An. 464.	Heber	*genuit Phaleg cum esset annorum* 34
Vixit An. 433.	Sale	*genuit Heber cum esset annorum* 30
Vixit An. 438.	Arphaxad	*genuit Sale cum esset annorum* 35
Vixit An. 600.	Sem	*genuit Arphaxad anno post diluuium 2. cum esset annorum centum.*

Ergo à fine diluuij vsquè ad Abram fluxerunt anni 292

ANNOTATIO MORALIS.

Subditus debet esse uniformis superiori.

Vers. 1. 56 E*Rat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem.* Sic populus erga principem, sic subditus erga Regem, sic Religiosus erga Prælatum esse debet vnius labij, & sermonum eorumdem. Non debet animus populi, seù communitatis esse diuersus sed vnus; Nam Mediolanensium Pastor super epistolam ad Ephes. exponens in tomo 5. illa verba cap. 4. vers. 5. dicit. *Si enim vnus est Dominus, idest, Christus, sicut, & ipse*

ait in Euangelio (Matth.cap.23.verſ.10) Quia Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus: *Vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus, & Pater omnium, qui ſuper omnia eſt, & per omnes, & in omnibus credentibus. Vnus debet eſſe animus populi, quin hæc quæ enumerat vnitatis ſunt.*

De proximo tùm præſente, tùm abſente ſemper bene loquendum lingua.

57 Vel dic: *Erat autem terra labij vnius.* Per terram homo intelligitur, qui formatus fuit de terra Gen. 2. verſ. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, eſt autem homo labij vnius quando ſimiliter loquitur de proximo ſuo in præſentia, & abſentia eius, hoc eſt quod petebat Apoſtolus primo ad Corinthios cap.1.verſ.10. ſcribens. *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti: vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.*

Vnitas ſermonis pax communitatis, ſicut ècontra diuerſitas ruina ipſius.

58 Vel dic, vnitas ſermonis vinculo pacis communitatem ligat, ſic diuerſitas ſermonis, ideſt ſermo diſcors communitatem diſſipat: hinc inferiùs exemplum habes in iſtis populis, qui tunc incipiunt à concordia abſtrahi, cum incipiunt diuerſimodè loqui; vndè benè ſcripſit Sapiens in Prouerbijs cap.18. verſ.19. *Frater, qui adiuuatur à fratre quaſi ciuitas firma, & iudicia quaſi vectes vrbium.* Opportunum eſt etiam quòd refert Saluſtius de bello Iugurthino, dicit ipſe, quod Mycipſa rex iam iam moriturus, filios ſuos paterno monens affectu, vt concordes eſſent, hanc, aureis ſemper literis ſcribendam, ſententiam expreſſit: *Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia autem maximæ dilabuntur.*

Quam bonum concordia, & malum diſcordia.

Verſ. 2.

Religioſus ſæculi blãditijs vacans difficilè redit ad cor.

59 *Cumque proficiſcerentur de oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.* Qui exeunt ab oriente perfectionis attracti delectabilibus habitant in eis, *quia caro ſunt*, inquit Pſalmiſta pſal. 77. verſ. 39. *Spiritus vadens, & non rediens*; ideò Redemptor adoleſcentulo cuidam, qui poſt incæptum perfectionis, & crucis ſequelæ curſum, volens redire ad renunciandum, quæ domi habebat, ait illi, Lucæ cap.9.verſ.62. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.*

Gaudia diuerſa iuxta appetitum.

60 Vel dic: *Inuenerunt campum, & habitauerunt in eo.* Quilibet gaudet de inuento ſuo; Auari gaudent de inuentione auri; Ambitioſi gaudent de inuentione honoris; ſed bonus, & homo iuſtus dicit cum Pſalmiſta Pſal. 114. verſ.4. *Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.*

Verſ. 3.

Nihil difficile volenti omnia poſſumus ſi velimus.

61 *Dixitque alter ad proximum ſuum, venite faciamus lateres, &c.* Nihil difficile affectuoſæ voluntati. Ne dicas ego mundum, & temporalia relinquere nequeo: mentiris. Dic nolo; nam nihil difficile volenti. Non poſſe ſimulas, & verè non potes, quia non vis.

Conſilia mala quam facile amplectantur.

Temporalia facilè ſequimur.

62 Vel dic: *Dixitque alter ad proximum ſuum:* Conſilia mala habent vim magnam apud homines: *Venite faciamus*, in temporalibus homo eſt multum perſpicax.

Verſ. 4.

Superbia numquam ſatis.

Quanto quis erigitur, tanto humilius deijcitur.

63 *Et dixerunt venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad cælum.* En ſuperbia quantùm extollitur; non ſufficit turris niſi ad cœlum pertingat, ſed quantò magis erigitur tantò plus humiliatur, & confuſa deijcitur. Sic ſuperbis ipſis comminatus eſt Eſaias dicens cap. 30.verſ. 1. *Væ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum. (verſ.3.) erit vobis fortitudo Pharaonis, in confuſionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam.*

Homo curat facilius quæ ſua ſunt, quã quæ Dei.

64 Vel dic ſceleſtus homo ſemper cogitat quæ ſibi ſpectant, non quæ Deo; ideò, nota, quòd dixerunt exleges illi, faciamus nobis ciuitatem, non Deo, ſed nobis ipſis.

Gloriæ vanæ quanta cupiditas.

65 *Et celebremus nomen noſtrum antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Inquit S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 30. in Geneſim lit.B.pag. mihi 161. *Sunt multi etiam hodie qui illos imitantur, & talis operibus celebrari volunt. Alij ſplendidas domus ædificant, & lauacra, & porticus, & deambulacra: quorum ſi aliquem rogaueris, quare ita laboret, tam miſer ſit, tantoſque pecuniarum faciat ſumptus eoſque inutiles: nihil aliud audies, quam hæc verba, vt immortalem ſerues memoriam, & audiat quod illius eſt hæc domus, hic ager. Sed hoc non eſt tam laudem, quàm crimen ſibi parere. Nam ſtatim ad hæc ſubiungentur plurimarum contumeliarum verba. Domus hæc huius eſt, huius auari, huius rapacis, huius viduarum, & orphanorum ſpoliatoris. Igitur hoc non eſt memoriam aſſequi, ſed perpetuis obijci criminibus, & etiam poſt mortem infamari, & ſpectatorum linguas acuere in blaſphemiam, & accurationem eius qui illam poſſidet.* Quod (Attentiùs lege quod ſequitur) *Quod ſi omninò æternam memoriam amas, ego tibi viam monſtrabo, qua poteris ſemper celebrari, dabitque tibi fiduciam in futuro*

Gloria vana deſiderium ſequitur infamia.

Digitized by Google

Gloria quomodo acquirenda.

turo saeculo. Hoc pacto igitur poteris, & commemorari, & celebrari quotidie, encomijsque euchi, & post hanc vitam, si has pecunias in manus inopum dispenses, relictis lapidibus, & splendidis aedificijs, & villis; & balneis. Hac memoria immortalis, hac memoria à Sarcina peccatorum alleuiat, hac multam tibi fiduciam apud Deum conciliat. Cogita obsecro, & hac verba, qua singuli dicturi sunt: Hunc misericordem, & benignum, hunc mansuetum, hunc suauem, hunc tàm largum dispensatorem. Probat id ex Psal. 111. vers. 9. *Dispersit enim*, inquit, *dedit pauperibus, iustitia* (idest eleemosyna) *eius manet in saeculum. Pecuniarum ità dispersa diuitia expendentem non relinquunt, sed expectant: retenta autem, simulque inclusa, etiam se seruantem secum perdunt. Dispersit enim, inquit, & dedit pauperibus. Sed audi quod sequitur: Iustitia eius manet in saeculum. Vno die diuitias dispersit, & iustitia eius manet in saeculum, & memoriam fecit immortalem. Vidisti memoriam, quae se in omne saeculum extendit? Vidisti memoriam magnis, & ineffabilibus plenam bonis? Tali aedificio nostri memoriam relinquere studeamus. Nam lapidibus aedificasse non solùm nihil nobis prodesse poterit, sed nos continuò, & clara voce infamabit.* O pulchrum morale!

Diuitiae dispersae in pauperes quantae vtilitatis, retentae quanti dispendij.

Vers. 5. 66 *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam aedificabant filij Adam.* Nullum est peccatum commissum ab homine quod Deum lateat, sed omnia aperta sunt oculis eius; sic Respondens Iob Domino dixit: *Scio quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio:* Iob cap. 42. vers. 1.

Deus omnia videt.

67 Vel dic: *Descendit Dominus vt videret ciuitatem*: Forsanne ciuitatem, & turrim videre nequierat ni descenderet? minimè. Igitur ad quid descendit? Audi. Homines illi in superbiam ceciderant, pro qua puniendi erant à Domino, sed bonitas diuina antequam exleges illos puniendos iudicet descendit, vt videat vtrum flagello digni sint, vel non. Vide inquit Chrysostomus homil. vbi supra lit. D. pag. mihi 162. *Vide quomodo humano more scriptura loquitur.* Et descendit, inquit, Dominus, *non vt humano modo intelligamus, sed vt per hoc erudiamur, nunquàm temerè fratres condemnandos, neque auditu solo iudicandum, nisi pluribus argumentis priùs certi reddamur.*

A Deo qui omnia videt discendum non iudicare fratres suos.

68 Vel dic: Non statim ab initio illorum reprimit insaniam: sed longanimi lenitate vtitur Deus, & expectat, donec malitiam suam opere declarent, & tunc conatus eorum impedit. Ne enim quis dicere possit voluisse quidem illos, sed quae decreuerant, opere non caepisse, praestolatur donec animo destinatum opus aggrediantur, & tunc monstrat eis, quàm inutilia attentarint.

Deus tardus ad puniendum.

69 Vel dic *Descendit Dominus* &c. Vide misericordiae excellentiam, permisit illos laboribus sese affligere, vt rerum experientia, praeceptoris loco illis esset. Et quoniam vidit malitiam inualescere, & morbum incrudescere, non vsquè ad finem permittit, sed suam declarat bonitatem. *Quemadmodum medicus bonus*, inquit Aureus doctor vbi suprà, *Videns morbum augeri, & vlcus incurabile fieri, statim sectione vtitur, vt omnem morbi causam aboleat.*

Peccatum ipsum poena peccantis.

Deus impedit peccatum succrescere.

70 *Filij Adam* quasi diceret descendo ad videndam ciuitatem, quam aedificant homines fragiles, & mortales. Vndè grauius est. *Si tam durè*, scribit S. Bernardus cit. ab Hugone in hunc locum, *Animaduersum est in Angelum apostatam, nec ei profuit, quòd cognata potentibus superbia esse dignoscitur, quid de me fiet misero, & superbo?*

Tantò odibilis est superbia, quantò superbus est vilis.

71 *Et dixit eccè, vnus est populus, & vnum labium omnibus.* Eccè vna Nembrothi superbia innumeram populi multitudinem peruertit; sic morbida facta pecus totum corrumpit ouile; & *Modicum fermentum* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 5. vers. 6. & ad Galatas cap. 5. vers. 9.) *totam massam corrumpit.* vers. 6.

Malus homo alios viciat exemplo

72 *Caeperunt hoc facere, nec desistent*: in scelera nunquam incipiendo, quia malum quod semel in anima loculum per modicum tempus habet, citò radicatur, hinc S. Hieronymus in Polyanthea cit. dat nobis nobile consilium dicendo. *Dum paruus est hostis interfice, vt nequitia elidatur in semine.* Quando vulnus caepit, ni citò medicetur, non desistens, immedicabile redditur; vndè ad rem Ouidius 1. remed. cecinit:

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.
Sed propera, nec te venturas differ in horas.

Principijs vitiorum obstandum.

73 *A cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Humana temeritas cogitat multa, & multa cogitando aedificat, sed demens nescit, quando ea quae caepit opere complere cogitat, tunc Deus dissipat. Hoc apertè dixit Eliphaz Iobo vti habetur Iob cap. 5. vers. 12. *Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum, quod caeperant.*

Cogitationes vanas hominũ Deus dissipat.

Vers. 7. 74 *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, Vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* Si idem est audire, & intelligere Concionatoribus blandè, eleganter, & emphaticè loquentibus nullus auditor adest. O tempestatis huiusce Concionatores potius dixerim Histriones, si ad inanem gloriam comparandam auditores confluere expetitis; non videtis optatis nunquam frui? benè ergo dicitur confundamus ibi linguam eorum, quia vocis vnitate abutentes, idest à prædicando Christum, & hunc Crucifixum se auertentes, vocis diuersitate eos deridentis puniuntur. *Pœna hac* (loquitur Deus per os D. Chrysostomi vbi supra lit. A. pag. mihi 163.) *Quasi perpetua nota sigillabo illos, quæ eos omni sæculo comitabitur, neque huius vllo tempore obliuiscentur. Nam qui abusi sunt vocis vnitate, ideò vocis diuersitate castigare volo.* Sic enim vbique facere consueuit Dominus.

Concionatores non debent blandiri populo verbis elegantibus.

Vana prædicantes puniti.

75 Vel dic. *Vt non audiat, &c.* Qui est superbus est etiam ignorans, ac pariter discordans. Hinc scripsit S. Gregorius in moral. *Radix quippè cuncti mali, & regina omnium vitiorum superbia est, de qua Scriptura attestante dicitur* (Ecclesiastici cap. 10. vers. 15.) *Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.*

Ignorantes sunt superbi.

Vers. 8. 76 *Atque ità diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.* Quale nam est delictum tale erit, & flagellum. Hic culpa fuit in lingua, & in linguis flagellum fuit: dicit enim S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 4. col. 1. pag. mihi 199. *Meritò malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus verò ipsum pœnæ quale fuit? Quando enim dominatio imperantis in lingua est: ibi damnata est superbia; vt non intelligeretur iubens homini, qui noluit intelligere, vt obediret Deo iubenti.*

Per ea quæ quis peccat, punitur.

76 *Et cessauerunt ædificare*: O vana hominum decreta, ò vanæ mortalium cogitationes! quot quot sunt qui magna extollere putant. Interroga minimum quemcumque homunciolum, Dic ei, quæ meditas, quid in mente peruolues? & quæ non audies? honores, diuitiæ, principatus, nihil sunt; in comparatione aspiratæ fælicitatis. Oh! vide. Oh! lege. *Et cessauerunt ædificare.* O turpis cachinnatio! Veniet mors & cessabis ædificare. Ergo ædifica, quæ potes consummare, virtutes ædifica, amorem Dei ædifica, quem hic inchoatè, & in cœlum completè poteris consummare, aliter eueniet tibi, quod Lucæ cap. 14. vers. 29. narratur: *Ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei* (Vers. 30.) *dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?*

Quisque proprijs commodis studet.

Mors omnia vana perturbat.

Desideria ad æterna ferri debent.

77 *Et idcircò vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & indè dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.* Quando quinque sensus hominis non conueniunt vnanimiter in obsequium Dei tunc conscientia Babel vocatur, vbi confusio omnium vitiorum cernitur, & ipsa pœna; secùs verò si conueniunt, tunc conscientia gaudium est. Vndè benè D. Anselmus ad Cor. dixit, *Conscientia impiorum magna pœna est: piorum verò, gaudium magnum.* Vers. 9.

Quinque sensus Deo rebelles conscientiam conturbant, & confundunt.

79 *Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad bienno post diluuium.* Illa posteritas digna laude est in conspectu Dei, quæ excellentior est virtute. Vers. 10.

80 *Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis: & genuit filios, et filias.* Istorum filiorum Sem nomina tacentur; quia ad seriem Genealogiæ Iesu Christi non attinent. Vide quam indignus sit nomine, qui ad Iesum nullatenus videtur pertinere. Vndè S. Ambrosius super Luc. lib. 3. cap. 2. tom. 5. dixit: *Habent hoc merita Sanctorum, vt à Domino nomen accipiant.* Vers. 11.

81 *Porrò Arphaxad vixit trigintaquinque annis, et genuit Sale. Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale trecentis tribus annis, et genuit filios, et filias etc.* Hic vide quomodò silet Moyses clausulam illam à versiculo 11. vsquè ad 28. nempè *Mortuus est*, quæ clausula quasi in omni versiculo cap. 5. Geneseon posuerat. Vt demostraret quòd quando ad vitam veram tenditur nomen mortis abolitur. Sic Moyses hic incipit texere lineam genealogiæ IESV, qui est vera vita, sicut per os S. Ioannis cap. 14. vers. 6. dixit: *Ego sum via, & veritas, & vita*, vndè nomen mortis exprimere non debuerat, & si obijcis nòmen mortis ipse expressit, dum scripsit. Vers. 12. & 13. vsquè ad 28.

82 *Mortuusque est Aran ante Thare Patrem suum in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum.* Respondeo, quod mortem in fine huius genealogici ordinis ad Iesum tendentis nominat, vt cognoscamus per Iesum mortem vitalem factam; nam dicit S. P. N. Augustinus, Vers. 28.

Christus moriendo nos viuificauit.

per

Google

per mortem Christi mors absorpta vitalis euasit. Hinc Rauennas Eloquentia serm. 74. de Resurrectione Christi impress. Venet. pag. mihi 261. in fine super Redemptoris monumentum hæc scripsit. *Mutatur hic ordo rerum: mortem, non mortuum deuorat hoc sepulchrum, domus mortis mansio fit vitalis: vteri noua forma mortuum concipit, paris viuum.*

83 Vel dic: *Mortuusque est Aran ante Thare, &c.* Priusquam pater filius humanitatis debitum persoluit. Vt edificant, scribit Escobar inibi, huius fragilitate pressi sæculi filij etiam diuturni æui homines etiam immaturè arripi solitos. O quænam est vita nostra! Et si hoc in sæculo tam viridi, quid in arido accidet?

Iuuenes non debent fidere iuuentuti, & credere se longius viuere, quam senes.

Vers. 29.

84 *Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores: nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Iescha.* Et sorores, & fratres coniugium fecerunt omnes simul, in vna domo omnes conuersantur, & tamen (ô Prodigium!) pax seruabatur; quid mirum si super Abrami familiam futuræ benedictiones præparantur? En motiuum, en caussa, fons, & origo. Pax. Hinc Mediolanensium Pastor lib. 2. de Officijs in fine tom. 1. dixit: *Nihil pace gratius, nihil charitate dulcius*, & S. Petrus Chrysologus serm. 53. de pace pag. mihi 181. scripsit. *Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mentis indicium manifestum, quæ sibi exigit de Deo quod velit: quæ quicquid voluerit, petit, quicquid petierit sumit.*

Familiæ pacificæ omnia bona à Deo.

Vers. 30.

85 *Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.* Sterilitas cælestis consolationis, sicut, & filiorum vna in virtutem sequendo, altera in matrimonio, hilari corde substinenda est; nam Deus quando vult humiliat, & quando vult subleuat, & de hac sterilitate dici potest, quod de sterilitate Elisabeth prædicauit Rauennas Eloquentia serm. 89. pag. mihi 315. *Sterilitas ista non erat maledicta, sed mystica, in qua partus non ablatus est, sed dilatus: neque erat pignori clausa, sed tempori, colebatur tempore, virtute serebatur, maturabatur ætate, senectute crescebat, vt in filio singulari tota fœcunditas pensaretur, quando in vno nascebatur numerositas congesta virtutum.*

Bona, & mala æqualiter recipienda.

Vers. 31.

86 *Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, &c.* In Vr Chaldæorum idololatria vigebat, & scelera vndique currebant idcircò Thare procul aufugit cum filijs, nam ab impiorum societate filij sunt abstrahendi.

Patres debent, filios à societate malorum retrahere.

87 Vel dic: *Tulit itaque Thare, &c.* sancti, & pij homines doctrinam hæreticorum fugiant blandè ingredientem.

Hæretici quantum fugiendi.

Vers. 32.

88 *Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran*; Mors laudabilis est illius, qui benè vixerit.

Mors bona laudabilis.

89 Vel dic: Hoc est æternitas mundi, *& mortuus est*, quia tandem post tot sæcula humana fragilitas fato cedit. Cur Thare tam breuis vita? Ne calamitatibus agitaretur. Nam vita diuturna supplicium.

Vita longa pœna non, felicitas.

90 Vel dic: *Et mortuus est*, quia nullus aduersus mortem licet post longa sæcula præsidium habet.

Mors omnia vincit.

DE LINGVIS
MORALITAS.

Notatu digna de lingua, & morales, reflexiones non contemnendæ à numero 91. vsquè ad 110.

91 NOtandum est quòd sunt linguæ, quæ perierunt, & sunt linguæ, quæ paruerunt, & sunt linguæ, quæ aperuerunt, & sunt linguæ, quæ apparuerunt. Primæ perierunt ob meritum superbiæ; Secundæ paruerunt diuinæ Potentiæ; Tertiæ aperuerunt secreta gratiæ; Quartæ apparuerunt in signum miraculosæ Eloquentiæ. Primæ perierunt in Babylone; Secundæ paruerunt in hominibus, & bestijs; Tertiæ fuerunt in Prophetis, & Apostolis; Quartæ in forma ignis. De primis in hoc capite visum est quòd ait Dominus: *Venite confundamus linguas eorum.* Istæ sunt linguæ murmurãtium, detrahentium, adulantium, decipientium, ostentantium. Itaque natura sunt vipereæ istæ; Secundæ lacteæ; Tertiæ mellifluæ; Quartæ sunt igneæ. Vipereæ sunt per vitium peruersæ locutionis; Lacteæ propter simplicitatem deuotæ orationis; Mellifluæ propter dulcedi-

cedinem prædicationis; ignitæ propter feruorem prædicationis. De primis dicitur Iob cap. 20. vers. 16. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ*. De Secundis, & Tertijs dicitur Cantic. cap. 4. vers. 11. *Mel, & lac sub lingua tua*. De Quartis *Apparuerunt discipulis linguæ tanquam ignis*. Act. Apostolorum cap. 2. vers. 3.

92 Notandum Secundò, quòd linguarum Doctorum aliæ sunt tepidæ, aliæ pigræ, & aliæ sunt aridæ. Tepidæ per charitatis indigentiam, tardæ per negligentiam, aridæ quia non habent Sapientiam: Econtrà quædam sunt feruidæ, quædam veloces, quædam medicinales. Feruidæ per charitatem, Veloces per spiritus inuestigationem; Medicinales per consolationem. De primis dictum est: *Apparuerunt linguæ tanquam ignis*. De Secundis in Psal. 44. vers. 2. dicitur: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*. De Tertijs Psal. 67. vers. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*.

93 Notandum Tertiò, quòd quatuor sunt linguæ igneæ, scilicet, lingua peccantis, lingua vapulantis, lingua iudicantis, & lingua prædicantis. Prima est lingua mundi, Secunda diuitis in inferno sepulti, Tertia Christi, Quarta Apostoli, de prima scripsit B. Iacobus Apostolus in sua Catholica cap. 3. vers. 6. *Lingua constituitur in membris nostris; quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna*. De Secunda legitur Luc. cap. 16. vers. 24. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. De Tertia dixit Isaias cap. 30. vers. 27. *Eccè nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans*. De Quarta *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ*.

94 Sequitur *Seditque supra singulos eorum*; nam sedet Christus, sedet Discipulus, sedet Spiritus Sanctus: Christus iudicans in veritate; Discipulus in tranquillitate; Spiritus Sanctus in cordis puritate. Sedet Christus discernens merita; sedet Discipulus expectans dona; Sedet Spiritus Sanctus infundens charismata.

95 Notandum quartò, quòd verba bonorum hominum debent esse similia linguæ; Nam lingua est influentiæ Spiritus receptiua, & talis fuit lingua Prophetarum, & Apostolorum, qui Spiritu Sancto inspirati locuti sunt: Matth. cap. 10. vers. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestris, qui loquitur in vobis*.

96 Quintò: quia lingua est de tenera, & molli materia, scilicet, de carne, quia interdum loqui debemus mollia, & placabilia verba: Prouerb. 25. vers. 15. *Lingua mollis confringet duritiam*. Et in cap. 15. vers. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ*.

97 Sextò: lingua est in complexione calida, & humida, & sic lingua bonorum est feruida, & deuota.

98 Septimò: quia lingua in dispositione est tenuis, & longa, & talis est lingua Doctorum, scilicet tenuis, idest subtilis ad exponendum, & longa ad continuandum, & multiplicandum.

99 Octauò: quia lingua est ad similitudinem gladij facta, & hoc est, vt sit ad defensionem veritatis, & expurgationem erroris. Sic ait Isaias cap. 49. vers. 2. Posuit os meum Dominus quasi gladium acutum.

100 Nonò: quia lingua est in corio rubicunda, vt scilicet verecundetur proferre verba inhonesta, & indecentia.

101 Decimò: quia est vocis, & modulationis formatiua: & ideò est in concauo posita, vt scilicet, sit suauis, & dulcis, sicut, & est modulatio musica.

102 Vndecimò: quia lingua est saporis discretiua, vt scilicet sit sapida, & discreta ad loquendum.

103 Duodecimo: quia est conceptionum animæ interpretatiua, vt scilicet loquatur verba deliberata, & priùs in anima limata.

104 Tertiodecimò: quia est labijs, quasi claustro duplici circumsepta, scilicet, vt sciat se claudere tacendo, & aperire loquendo.

105 Quartodecimò: quia lingua est oris humectatiua; Nam (secundùm Const.) in lateribus ligamentorum linguæ sunt quædam venæ vocatæ saliuales, quæ saliuam linguæ administrant, initium verò linguæ, vnde exeunt hæ venæ, est caro glandulosa, & alba ipsius saliuæ generatiua, quæ linguam humectat, & ciborum siccitatem temperat, & eorum succositatem augmentat. Istæ autem duæ venæ, quæ administrant linguæ saliuam Sapientiæ, idest saporosæ doctrinæ, sunt vita, & scientia.

106 Quintodecimò: quia est lingua grauidorum animalium, & fœtuum signi-

significatiua: nam(sicut dicit Arist.6.de animal.)Qualis est vena sub lingua talis est fętus generatus ab ea. Oues enim aliquando habent sub lingua venas albas, & tunc pariunt fętus albos, & si habuerint nigras, pariunt nigros, & si varias, pariunt varios. Venæ autem sub lingua existentes, vel ad linguam venientes possunt etiam dici cogitationes, & affectiones, quæ lingua exponuntur. Et quales sunt in homine cogitationes, & affectiones, tales etiam sunt linguæ locutiones; & tales etiam sunt fætus, idest operationes, scilicet, vel nigræ, idest malæ, vel albæ, idest puræ, vel variæ, idest mixtæ sicut opera hypocritarum.

107 Sed diximus quòd verba bonorum assimilantur linguæ, sic etiam & malorum verba: Vndè.

Notandum, Sextodecimò: quia lingua est in lubrico posita; sic, & mali habent linguam lubricam, idest labilem ad verba inhonesta, & mala.

108 Septimodecimò: Quia lingua est acuta, & maximè lingua quorundam serpentium; ita mali homines ad modum gladij habent linguas acutas ad percutiendum, & diuidendum proximos, sicuti Regius cęcinit vates Psal. 139. vers.4. *Acuerunt linguas suas, sicut Serpentis*, & iterum Psal.56. vers. 5. *Lingua eorum gladius acutus*.

109 Decimoctauò: Quia quorundam animalium lingua est venenosa, & mortifera, sicut Serpentis, & Draconis, & rabidi canis cuius lingua semper apparet, iuxtà os, & distillat venenum, & inficit aquam si cadat in eam, de qua si quis bibat (vt Auicen. dicit) efficitur rabidus. Hæc lingua venenosa, est lingua inficiens, & alios corrumpens, vel lædens: siuè per detractionem, & hæc est lingua Serpentis mordentis: & tortuosè incedentis; siuè per malam suggestionem; Et hæc est lingua Draconis infernalis idest Dœmonis, cuius est mala suggerere; Vndè etiam homines, qui hæc faciunt sunt lingua eius; vel etiam per malam doctrinam corrumpendo fidem sicuti faciunt Hæretici, Et hæc est lingua canis rabidi, cuius venenum inficit aquam Sapientiæ salutaris, idest Sacræ Scripturæ per falsas expositiones, ita vt bibens ex ea, idest eorum doctrinam recipiens, spiritualiter efficiatur rabidus, & infectus.

110 Decimononò: Quia aliqua lingua est in colore varia, sicut (secundùm Aristotel. lib. de Anima) Serpentium linguæ, sunt nigræ, siuè liuidæ, subrufæ, maculosæ, & ad motum velocissimæ, ita vt cum sint in motu bifurcari videantur, tam velociter agitantur. Linguæ ergo liuidæ sunt inuidorum, subrufæ adulatorum, quia sub rufedine, idest sub dulcedine verborum, nam rufedo est color mellis, immittunt aculeum deceptionis; Sed maculosæ sunt linguæ infamatorum, qui aliorum famam maculare sæpissimè conantur, ad modum autem linguæ velocissimæ, sunt linguæ referentium, qui verbum auditum, vel conceptum retinere non possunt, quin statim proferant. Bifurcatæ autem sunt bilinguium. Omnes autem tales linguas optabile esset, quod Deus siccaret, abscinderet, seù confunderet, vti in Babelica fecit Turri, & de ipsis dici posset *Diuisis Dominus linguas eorum*; Quia tunc cessaret venenum, de quo dicitur in Psal. 13. vers. 3. *Venenum aspidum sub labijs eorum*: Dicitur enim quòd lingua aspidis, quamuis in corpore Serpentis viuentis sit plena veneno lethali, tamen ab eius corpore separata, & siccata venenum amittit; & alterius Serpentis venenum prodit; Vndè præsente veneno sudore consuescit.

Iuuenalis enim dixit quod lingua est pessima pars in malo homine. Satyr.9.

Viuendum est rectè cum propter plurima, tum his
Præcipuè causis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. Nam lingua mali pars pessima serui.

Et Diuus Gregorius Nazianzenus Carm. 4. de Animæ calamitatibus non inelegantibus versibus cæcinit.

At rursum in lingua sita sunt permulta Venena:
Dimidium vitij nam cita lingua tenet.
Iram lingua, malum nudum, enomit; ira que rursum,
Cum caluit, mentem cogit abire gradu.
Aut contra occultans vulpinam in pectore fraudem,
Vulnerat ex molli leniter ore loquens.

Idem Nazianzenus Carm. 54. de Silentio ieiunij tempore.

At certe lingua nihil exitialius vsquam est.
Cursor equus semper, tela parata nimis.
Omnia nemo videt: Vicinaque sola prehendit
Nostra manu: totam nec pes obiuit humũ.
Non homicida labore caret: mæchumque libido
Territat: est odio furibus atque dijs.
Est labor in censu: teneo amittoque vicissim,
Vt cui compressa stringitur vnda manu.
Æquoreum terrenum, & iter, p. adoque cruentius,

Inui-

Inuidiaque ardens alter amator opum.
Hac auri cupidos incommoda cuncta fatigant.
Ærumnas insons denique sonsque ferunt.
At linguam nemo properantem ad verba repressit,
Non nix, non scopulus, non homo, non fluuius.
In prompta iaculator, in arcu Saua sagittas
Circulum, & in crena neruus adactus habet.
Quas animus misit, volitant feriuntque sagitta.
Viuos, victuros, cum superisque homines.
Hac aquè incautos, & cautos figit amicos.
Atque hostes, prauos vulnerat atq; bonos:
Vicinos, procul, & positos, ac denique nil non.
Qui domat hanc, sophia culmina prima tenet,
Hac Venere addictis ructat fœdissima multa,
Risum alijs risu dignus, vt ipse ferat.
Vibratus vibrans, simulacrum nobile turpans
Numinis, auribus hac plurima tecta vomit.
Sæpè, etiam sexcenta leuis maledicta profundit,
Quæ, veluti spumans, proijcit ira grauis,
Aut rursum ficto blandissima pectore fatur,
Atque aliud labris, mente aliudque gerit:
Blanditijs plenas voces, mendacia, fraudes,
Dicere quis lingua cuncta venena queat?
Illa domos domibus committit, & vrbibus vrbes
Protinus, id nullo cumque labore facit.
Committit Populum Regi, dominumque subactis;
Vt stipulam incendit mox leuis igniculus.
Illa ratis socios, fratres, natosque, patresque,
Illa viros armat, participesque thori,
Illa malum insontem reddit, iustumque nocentem,
Rursus adimuertit, quis rogo tanta potest?
Lingua quidem parua est, at viribus omnia vincit,
O Vtinam illa malis protinus occideret!
Porrò cum stultis fraudem ferat omnibus illa.
Est mage Sacrificis exitiosa tamen.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XI. GENESIS.

Vers. 1. §. 1. QVare exprimitur, quod terra erat sermonis vnius scribendo Moyses: *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorundem?* Vt ex tanto Dei dono, cognosceretur inde quàm sit erga Deum hominum ingratitudo. Pro humana societate, pro humanisque negocijs, pro omniumque vnitate, ac concordia magnum Dei donum erat, quod terra esset labij vnius, eiusdemque sermonis. Ex tanto Dei beneficio num ad gratiarum actiones currunt homines? minimè sanè; contra auctorem tantorum bonorum volunt insurgere, eique inferre bellum parant. Audi. Deprauati animi est, accepta beneficia in malum vsum conuertere, donisque peiorem fieri, ex ijsque malum elicere. Hinc benè scripsit Seraphus Porrectus Concil. 1. *Ex vnitate sermonum, quod beneficium Dei magnum est, homines superbiam desumpserunt, vtpote secundùm hominem ambulantes, non secundùm spiritum occasionem indè contra rationem, & Dei benefactoris, & ipsius beneficij sumpserunt erigendi caput per superbiam, tum in cælum, tum super omnem terram.*

Magnum Dei donum vnitas sermonis in communitate.

Mens deprauata beneficia conuertit in malum vsum.

§. 2. Quare dicitur: *Cumque proficiscerentur de oriente,* si iam in Armeniæ regione, quæ orientalis dicitur ratione ipsius Babyloniæ, homines illi erant, cur inde profecti sunt? An pertæsi locorum Armeniæ, quæ, sunt montosa, aspera, & sterilia quærentesque alias sedes commodiores, fertiliores, atque ameniores? An nimis iam per illos centum annos aucti numero, & multiplicati, laxiorem, & commodiorem desiderabant habitationem? An potius affectantes maiorem potentiam, ampliorem que ditionem atque opulentiam concupiscentes? Audi S. Ioannis Chrysostomi in homil. 30. in Genesim lit. A, pag. mihi 161. morale documentum hoc loco traditum. *Vide,* inquit, *quomodo humanum genus non potest* Vers. 2.

subsi-

Humana cupido inexplebilis est.

subsistere intra suos limites, sed ampliùs concupiscens, maiora supra se appetit. Atque hoc est quod humanum genus potissimum perdit: quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, sed semper maiora desiderat, & quæ supra suam dignitatem sunt votis concipit. Hinc, & qui ad mundana respiciunt opera, si quando multo abundauerint auro, & potentes fuerint, quasi obliti suæ naturæ, in tantum se fastigium efferri volunt, vt vsquè in profundum ipsum deducantur. Et hoc videmus quotidiè contingere, quamuis nec hac ratione emendatiores euadant alij. Etsi ad paruum tempus corripiantur subitò tamen omnium obliti, iterum eandem vadunt viam, & in eadem præcipitia deferuntur, id quod, & nunc videre licet apud illos factum. Et factum est cum mouerent illi ab oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt illic. Vide quomodo paulatim docet nos lubricam illorum voluntatem. Quoniam viderunt, inquit, *campum, migrantes, & relicto priori loco illic habitauerunt*. En vide. Vix enim vnquam homines sua sorte contenti sunt, nec rebus iam partis, & præsentibus satiantur, sed alia semper, & maiora cupiunt, & consequi student, & vt concupiscendi ita quærendi, & habendi nullus est finis. O insatiabilis humana cupiditas!

Honores sui immemores faciunt.

Potentiores ruinis homines non emendantur, vel emendatio parùm durat.

Vix à scelestis videtur occasio peccãdi, cùm amplectuntur.

Vers. 2.

§. 3. Quare speciosa deserta orientis plaga, montibusque Armeniæ saluberrimis ad lutosam adeò vallem descenderunt Noemi nepotes, vt vilibus, lateris conglutinandi operibus, animum adijcerent? Quid oriens: quid Sennaar: quid Noemi nepotes in vallem descendentes, mysticè præfigurant? In oriente, virtutem expendit Philo lib. 1. de confus. linguarum. *Homines illi, quorum narratur consona dissonantia, profecti ab oriente dicuntur, scilicet virtute, ad viam vitiorum capessendam, relicta*. Quid Sennaar importat, nisi *Fætorem, vel dentium excussionem*, Hugone Interpr. ac Damian. lib. 4. epist. 12. Quid Noemi nepotes, descendentes, nisi murmuratores, liuido dente, proximorum famam dilacerantes? Vide natale, ac vilissimum murmuratorum solum, vt nonnisi fœtida in valle degere, inibi exerceri, inibi delitiari queant. *In campo Sennaar habitabant, qui non constituti in arce virtutum, sed potiùs in conualle vitiorum, & dentes excutiunt; vt proximos detractionibus, quasi mordicus rodant. Sed eorum dentes Deus omnipotens excutit, dum peruersorum quorumlibet, & facta simul, & verba confundat*. Ita Damianus supracitatus quem vide in Bibliotheca Sanctorum Patrum.

Vt sceleribus indulgeant homines, sua commoda non curant.

Quam facilè virtus relinquitur.

Sennaar quid significet?

Murmurantes bona proximi non curant, solum malis intenti.

Murmurantes Deus confundit.

§. 4. Quare campus ille in quo turrim ædificare cæperunt (homines supradicti) cuius culmen pertingeret Cœlum, non aliud vendicat nomen nisi Fœtorem? Quia etsi omnia silerent, illud tamen iniquum factum (nempè Turris ædificatio cuius culmen Cœlum pertingeret) ex se emittebat malum odorem, qui totum orbem adimpleret, & ad nares Dei accederet, vt iustam pœnam in illos miseros homines solicitaret. Prestò est Rupertus Abbas, qui lib. 4. in Genesim cap. 41. pag. mihi 89. impress. Colon. Agrip. sic confirmat scribendo: *Sennaar rectè dicitur Fætor eorum, quia fætorem Superbia eorum tali ausu vsquè ad nares Dei emiserunt, cui sicut humilitas Sacrifitium suauitatis est in odorem, sic Superbia contra fætor horribilis est*. Vers. 2.

Quantum Deo odibilis Superbia.

§. 5. Quare homines illi laboriosissimo se operi addicunt, & luti in lateres efformandi se maculis fædant, & se fæditatibus defatigant: *Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni: habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento?* Vides quid elegerit ambitiosa cæcitas: Transi modò cogitatione ad Exodi cap. 1. vers. 13. vbi tyranna Pharaonis feritas, & truculenta Tyrannis, quò facilius populum attereret, luti, & laterum operibus onerauit. *Oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris*. Quo odio suo adularentur Ægyptij, ea cogitarunt, quæ maiorem populo molestiam afferrent, & infamiam conciliarent. Itaque operam lateribus collocare erat Tyrannidis crudelissimæ effectus, & amaritudinis cumulus, adeoque exoculati illi primi homines fuerunt, vt ea sibi ambierint ad plausum, quæ ferus, & tyrannus homo decreuerat ad tormentum. *Facta est illis vita amara!* Scribit Lippomanus, in seruitute illa graui, ac dura, nempè luto, & *Lateribus*. Non miror nullum aliud supplicium præter diuisionem vanissimis illis hominibus fuisse inflictum, quando ipsi durius, grandiusque sibi sollicitauere tormentum. Duris operibus luti, & *Lateris* sè addicunt ambitione cæci, cum eisdem operibus Hebræos addixerint Ægyptij ardentissimo odio inflammati: *Venite* dicebant se adhortantes illi, *Faciamus lateres, & coquamus eos igni*: ad amaritudinem perducebant hi vitam eorum operibus duris luti, & *Lateris*: à tyran- Vers. 3.

Superbia labores spernit, vt ascendat.

Superbus se ipsum cruciat, & vituperat dum magna molitur.

Nihil est, quod superbus non tentet, licet vile, vt ascendat.

C ni

Digitized by Google

Superbia sibi culpa, & tormentum.

ni votis non distabant, qui eadem laborum pensa sibi imponebant. O quam tyranna, est ambitio, quando ad eã ambitiosum cogit, ad quæ Tyrannus adegit! O quam *Laterum* fumo obcæcabantur, qui sibi ea imposuerunt, quæ ferarum imitati ingenium illis Ægyptij imponere ad vires deterendos curarunt. Prius adinuenit hos labores ambitionis delirium, quàm tyrannidis inueniret ingenium. Vanitati inseruientes se ipsos patiuntur carnifices, nec externis egent tormentis.

Vers. 3. §. 6. Quare refert Moyses quod dixerunt ad inuicem *Venite faciamus Lateres, &c.*? Quia illud est improbis improbitatis studium, vt quo vitia suã plenius cumulent patrandis criminibus socios solicitè aggregent. Nullus eorum coutentus fuit ambitioni, & vanitati inseruire; sed ad vanitatis ambitionisque cumulum operam, ac industriam multorum sibi adnisus est aggregare. Profectò non adeò diligenti studio virtutis studiosi solicitant socios quærere, & contra crimen armare; Iam hoc lugebat Seneca lib. 7. naturali: quæstion. cap. 32. *Tot familiæ Philosophorum sine successore deficiunt. Academici, & veteres, & minores nullum Antistitem reliquerunt. Quis est qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidiosa schola præceptorem non inuenit. Sextiorum noua, & Romani roboris secta inter initia sua cùm magno impetu cæpisset, extincta est.* Itaque solicitè non curarunt virtutis sectatores instruere alumnos, hæredes reliquisse, qui virtuti essent subsidio, vitijsque obstaculo, quandò vitiorum asseclæ contenti non sunt vitia sectari, nisi sectatores reliquerint, & proselytos studiosissimè adlegerint. Insanus furor æternare satagit vitium, per successiones varias traducere, & multos huius scholæ discipulos conciliare. Ergo ne hanc virtus iniuriam semper patiatur, Deus ipsẽ zelatoribus norma, Angelis veluti ad pugnam vocatis in vitium irruit. *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* O quàm Numinis, & Angelorum descensu confunditur tumoris superbientis elatio! & quæ potest ascensum cogitare procacia si descendentis humiliter Numinis efficacissima intueatur exempla. Descendit Deus humiliter vt hominem confunderet ascendentem inaniter. *Quid volunt sibi verba hæc Venite descendamus, &c.* Rogat S. Ioannes Chrysostomus

Scelestis ad scelera socios adhibet.

Vitium socios quærit; non virtus. Vide vtriusque deplorandum discrimen.

Deus Angelos, scilicet Prædicatores vocat contrà vitia.

Descendit Deus vt homo descenderet.

apud Lippomanum: *Opus ne habet cooperatione Dominus ad correctionem, & subsidio ad idolorum destructionem? Absit. Sed sicut iam dixit Scriptura. Descendit Dominus, docens nos per hoc quod euidenter malitia illorum vidit excellentiam; ita, & hic dicit Venite.* Esset virtuti probrum, nisi se inuitantium numerus audiretur, quando pro vitio tantus exhortantium se numerus audiebatur. Si ergo excellens malitia socios requirit, virtus etiam excellens virtutis socios solertes exambit.

Virtus si est excellens socios vult.

Vers. 3. §. 7 Quare vsi sunt lateribus? Quia hominum auditione, & traditionẽ maiorum cognouerunt sicut anteà fuerat generale excidium orbis per aquam ita fore aliquando generalem totius orbis cladem per ignem: & sicut aduersus diluuij exitium saluti hominibus fuerat arca lignea, ità putauerunt aduersùs illud incendium remedio, & præsidio esse posse maximum aliquod, & altissimum ædificium lateritium. S. Gregorius ad mysticam intelligentiam exponens ista, & superioris versiculi verba, nonnulla tradit vtilia disciplinæ, ac vitæ spirituali monita, ac documenta. Cuius verba ex commentario eius in quartum Psalmum Penitentialem excerpta: exponens enim penultimum illius Psalmi versiculum *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hierusalem.* Sic habet. *Vnusquisque hominum, aut Hierusalem, aut Babylonis ciuis est. Sicut enim per amorem Dei Sanctus quisque Hierusalem ciuis efficitur: ita per amorem sæculi omnis iniquus in Babyloniæ structura operatur. Ad construendum autem spiritualis Babyloniæ ædificium peruersi omnes exemplum illius antiquæ Babel imitantur. Cuius ciuitatis, vt inquit scriptura, auctores pro saxis lateres, & pro cæmento bitumen habuerunt. Per quod intelligitur mundi amatores carnalis vitæ construere municipium, quod ad vim ventorum, & impetus fluuiorum facili impulsu velociter sit subruendum. Legimus porrò venisse homines illos: ex oriente, & in campo Sennaar: habitasse: cum autem Christum Propheta quidem appellauerit orientem dicens* (Zacchar. cap. 6.) *Ecce Vir oriens nomen eius: constat de oriente venisse, qui à Christo malè viuendo recesserunt.* Sennaar autem interpretatur excussio dentium, siue fœtor eorum. *In campo igitur Sennaar habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum, & detractionum morsibus, proximos lacerant, & in otiosa vita volutabro iacentes* infa-

Quare Gigantes ex lateribus ædificarint Turrim?

Mundani homines dum æternitati laborare putant, fragilissima moliuntur.

Vbi à Christo recedimus, quamuis firma omnia fragilia sunt.

Digitized by Google

Murmuratores omnibus noti, omnibus male olentes.

infamia suæ circumquaque fætorem exhalant. Quorum dentes tùm Deus excutit, cùm illorum facta simul, & verba confundit: de eo quippè scriptum est: dentes peccatorum contriuisti (Psal. 57.) *& iterum:* Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. *Nam de fœtore eorum per alium Prophetam scriptum est* (Ioel cap. 1.) Computruerunt iumenta in stercore suo. *Computrescere iumenta, est carnales homines in* fętore *luxuria vitam finire. Meritò autem, qui* in Sennaar habitant, de lateribus ciuitatem ędificant: *Quia qui voluptatibus carnis inseruiunt, de fragili materia mentis mutationem attollunt. Qui autem carnalis vita abdicatis illecebris, per opera sanctitatis virtutum in se ipsis sanctificationem ædificant, hi profectò* lateres in lapides *mutant: qui cum Isaia* (cap. 7.) *possunt dicere:* Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: *Lateribus quippè cadentibus ille ædificat, lapidibus quadris, quicumque carnis lasciuiam disciplina strictioris rigore castigat: qui membrorum legem, mentis lege superat: qui corporis fortitudinem, spiritus virtute commutat. Quisquis igitur infirmam carnis fortitudinem, in virile spiritus robur excitat, quasi* lateres in saxa, *quibus muri Hierusalem ædificeatur, commutat.* Sic Sanctus Gregorius.

Confundit Deus non solum quæ dicunt, sed quæ faciunt.

Carnales homines superbiunt in vilibus, spirituales humiliantur in magnis.

Vers. 4. §. 8. Quare dixerunt venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat in cœlum? quia nomen eorum celebre reddere voluerunt: & celebremus nomen nostrum: *Eccè radicem mali* (ait inibi supracitatus Aureus Doctor) *perpetuam memoriam consequamur, vt nostri perpetuò memores sint posteri; tale erit nostrum opus vt nunquam obliuioni tradatur. Adhuc,* inquit, *congregati gloriam nostram operemur, vt posteritati perpetuum nomen relinquamus.* O'insanos superbiæ conatus? Putridum nomen caduco opere perpetuare molimini? Ad quem hominum vestra nomina hucusquè peruenerunt? Cupitam à vobis gloriam alta occupat obliuio; memoria, quos nescit, infamat; & posterorum linguas acuit ad detestationem blasphemiæ. Lippomanus in Catena ita locum eruditè ex Hebræo vertit, & de suo peracutè explicat: *Quòd si iuxtà Hebræum legimus: & faciamus nobis nomen, ne fortè dispergamur; voluntate Dei prauitas contrà se ipsam vaticinatur. Sic enim Scribæ, & Pharisæi de seipsis prophetarunt futurum, cùm dixerunt:* (Ioan. cap. 11. vers. 48.) *Ne fortè veniant Romani, & tollant locum nostrum, & gentem.* Scilicet ipsi superbiæ conatus, quibus impij suum perpetuare nomen affectant, tacitè prophetant deinceps futurum esse, vt tanquam leuis, vagusque puluis in terras dispergantur, nullamque sui memoriam, sed perennaturam obliuionem post se relinquant. Adoranda sunt hic arcana diuinioris prouidentiæ consilia: quæ ipsismet impiorum verbis, quibus æternum sui nomen relinquere posteris moliuntur, prophetant, instar pulueris dispergendos in terram, nullumque sui nomen relicturos; Sed inchoatam sine auctorum nomine molem, ad æternæ ruinæ monimentum, & infamem caduci nominis columnam. Quam impij in libro Sapientiæ cap. 2. vers. 5. explicatiori vaticinio descripserunt: *Nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbra enim transitus est tempus nostrum.* Eccè tibi in ipsa æternandi nominis arrogantia, geminata delitescit ruinæ prophetia. O'caduca mortalium immortalitatis vota, quæ fundat terra, resque terræ, & ad ruinam potiùs, quàm ad stabilimentum fulciunt! Moritura, terræ; æternatura, cęlo mandantur. Memoria iusti perpetuat cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Arrogantes terrenæ immortalitatis spes, æternæ ruinarum ruinæ sunt.

Superbia omnium scelerum radix.

Terrenum æternando nomini monimentum, ruinæ Prophetia est.

Ambitiosi nomen in posteris non durat.

§. 9. Quare si homines isti ad Cœli fastigium peruenire ambierant: *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad Cęlum*: Inferiùs confusi, dispersi, & puniti de hac cogitatione videntur? Quid nunc culpantur homines, quòd Cœlo propiùs appropinquare satagunt? An non præstat, homines terrigenas limi sui sordes (vt possunt) excutere, & terræ squalore abdicato, propè cœlum sublimiùs habitare, quasi coloniam in Cœlum duxerint? Cur studium se à terra absentandi, & appropinquandi Cœlo, in hominibus sic damnatur? Pulchrè Rupertus Abbas lib. 4. commentar. in Genesim cap. 42. col. 1. pag. mihi 90. respondet: *Inueni* (inquit Deus) *in quo dignè quod merentur iuxtà modum culpæ retribuam eis. Quoniam peruersa via tendunt in Cęlum, verum viam abscondam ab eis, qua veraciter itur ad Cęlum.* Expensione dignissimum est, quòd non dicitur Deus abscondere Cœli viam ab ijs, qui per eam incedere negligunt, aut peruersæ criminositatis ductu, rectà proruunt in gehennæ barathrum: sed ab ijs; *Qui* Vers. 4.

Ad Cœlum malum est iter, si luteis intendimus.

Non altitudine cordis, sed humilitate ad Cœlum eundum est.

Absconditur Deus viam Cœli his, qui male illam quærunt.

Digitized by Google

peruersa via tendunt in Cęlum. Qui pietatem obtendunt ambitioni; delicias necessitate colorant; malè consultis, & perniciosè decretis. Literatos consultores, sed aut ambitiosè candidatos, aut auarè subornatos prætexunt, qui hypocrisis fuco latentem malitiam bonitatis colore pingunt, & scenicas personatè dotes ingeniantur; quò magni apparent, & propè Cœlum habitare mentiuntur. *Cuius culmen pertingit ad Cęlum*, sed superbiæ gressibus sic altè ascensiones in corde suo disponunt. Ab his, ab his inquam, vera Cœli via dignè abscondita est: *Quoniam peruersa via tendunt in Cęlum*. Multi (heu plures quàm par erat!) passionum calcare stimulati, latam perditionis viam ingrediuntur, & quam maximis itineribus ad Inferna, per voluptatum amænitates descendunt: qui tamen non sic caligare permittuntur, vt viam Cœli, à qua declinant, non crebrò respectent, & per eam incedere frustrà suspirent. Ast qui peruersa via ire in Cœlum adnititur, quò magis progreditur, eò sibi magis viam abscondit.

Vers. 4. §. 10. Quare Filij Noe cùm delira sibi nomen æternare ambitione pertentant, non statuunt filios gignere; sed turrim superbissimam fabricare: *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, &c.*? Si ciuitatem construxerint, si insanam turris molem ædificarint, non dubitant nomen celebrandum, & de possessionis magnitudine nullis temporum iniurijs delendum: & quidem error hic quid apud sæculum valeat, edocuit, & dum ambitione inflammati ædificant, quomodo nomen apud sæculum illustre habeatur declarant. O quot de insana ædificiorum mole, de turrium pluralitate nomen sibi facere student. Quia norunt nomina apud Sæculum meliùs in diuitiarum officina procudi, quàm in præclara originis vena seruari; *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, &c.* Inquit D. Thomas ad hunc locum; *idest, turres singulari pro plurali: Vel turrim vocant capitulum ciuitatis factum ad modum turris. Triplici autem ex causa videntur ad hoc opus moti; primò scilicet ex cupiditate regnandi, & tyrannicam potentiam super vniuersam terram exercendi in vrbe illa, quam scilicet, & inexpugnabiliter, & insuperabiliter fundare intendebant*. Adnectit. *Secundò ex ambitione nominis: & famæ ex hoc apud omnes obtinendæ: vnde, & hic dicitur Celebremus nomen nostrum*. Expende, amabò te, ab exordio cum rapinis tyrannideque coniunctum, esse superba ædificia extruere, & turres altissimas fabricare. Raptores à D. Thoma iam habentur, dum superbas domos, & amplissima palatia extruere conantur: insanæ namque ædificiorum moles, præcipuè à Noe filijs paulò ante in angusto Arcæ loco habitantibus constructæ animum prodebant, & quorum fabricarent sumptibus declarabant. Itaque ciuitatem, turrimque ædificant, vt eorum nomen omnem obliuionis frustretur iniuriam, vt apud sequentes semper obtinuerunt famam: *Ex ambitione nominis, & famæ*. Mensura nominis cumulus diuitiarum, quasi cum ipsa substantia aut angustetur, aut producatur.

Ædificia superba struunt homines ad nominis æternitatem, sed finis confusio est.

Æmpcijs superbis homines se Tyrannos, & raptores ostendunt.

Sorte sua non contenti in quæ scelera labuntur.

§. 11. Quare, si Turrim Babel ædificaturi, nouerunt homines illi se in pœnam peccati dissipandos, operi moliundo operam nauant, dicendo, venite faciamus turrim antequam diuidamur, vel, vt legit Philo antequam dissipemur? Cur dissipandi forent, nisi quia condignas superbientis animi pœnas daturi? Ergonè probè gnari, supplicijs plectendos se fore condiguis, & vilissimi ad instar pulueris, sufflante irritati Numinis indignatione dissipandos, impiè versatis cogitationibus vacabunt adimplendis? Quid stultius? Non desistunt tamen ab incæptis, ait Philo lib. de confus. lingu. *Hi namque quamuis improbissimi; vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præsagientes, dicunt, priusquam dissipemur. Cur igitur peccatis, si vestra consilia dissipatum iri scistis? sed fortasse morem insipientium scriptura proponit, qui maximis pœnis, non obscurè sed manifestè impendentibus, ab iniurijs non temperant*. Vers. 4.

Impius non reuocatur à culpis pœnæ timore.

Quàm fugienda consuetudo peccandi.

§. 12. Quare si omnes erant tanta vnione, ac amicitia colligati, vnde diuisionem, ac separationem coniecturauerunt? Erant ipsi in multa opulentia, vt dominatores vniuersæ terræ; tanta autem rerum affluentia certissimum futuræ diuisionis prænosticum erat. Audisti superiùs Philonem hoc clarè dicentem, nempè: *Quamuis improbissimi vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præsagientes: dicunt priusquam dissipemur?* Sic etiam in persona omnium Apostolorum, vt ait D. Hieronymus interrogabat Petrus Dominum dicens. *Eccè nos reliquimus omnia:* imò, vt ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 65. *Apostolus quoque ad vniuersi orbis commodum non dubitauit interrogare*. Et hic maximè notandum est, quòd Vers. 4.

dum

Opulentia diuisionem, vnionem paupertas causant.

dum Petrus Apostolorum nomine quærit, eos iunctim, ac maxima vnione colligatos, numerat: *Reliquimus omnia.* Tanta enim vnio frequenter est paupertatis effectus; paupertas enim mirificè omnes coniungit, ac astringit in vnum, econtrà verò diuitiæ; ac bona temporalia multam diuisionem, ac separationem inducunt.

Vers. 4. §. 13. Quare ædificatores Babyloniæ turris culmen ad Cœlum pertingere satagebant, cùm id esset omninò impossibile? Quis enim etsi cæcus esset, non continuò labore stulto illos consumi crederet, qui turrim vsquè ad Cœlum erigere prætentarent. Sed quia superbi erant, necessarium fuit, vt id facerent stultitia comite. Vti notauit Alcuinus ibi: *Solet*, ait, *Superbiam stultitia sequi, humilitatem sapientia*. Et S. P. N. Augustinus in quæst. super Genesim. *Sic se facere posse crediderunt, nimirum stulta audacia.* Ex hoc deduc nobile documentum, quòd scientiæ ostium, & Cœli aperitur homini verè humili.

Superbiam comitatur stultitia.

Superbus omnia sibi reputat possibilia.

Humiles verè sapiunt.

Vers. 4. §. 14. Quare (cùm fama non sit ad se ipsum, sed ad alium, & in illo campo Sennaar aderant omnes homines, quotquot id temporis in terris erant) dicunt, *& celebremus nomen nostrum*; apud quos igitur, vel à quibus illi nomen suum celebrari volebant? Facilis, & breuis responsio est, eos voluisse celebrari non ab ijs, qui tunc erant, sed ab ijs qui postea futuri erant, captabant igitur famam non apud præsentes, sed apud posteros. Philo autem, in libro de confusione linguarum, putat homines illos, qui ædificando turrim celebrari se apud posteros cupiebant, typum, & imaginem gessisse eorum, qui sua ipsi vitia publicant, & flagitijs nobilitari volunt: vt quemadmodum probi homines virtutibus, & benefactis, sic ipsi non quibuslibet, sed inusitatis sceleribus, ac maleficijs claritatem nominis, famæque celebritatem assequantur. *O insignem impudentiam*, Sic scribit Philo, *Cum enim deberetis vestras iniquitates tenebris abdere, & prætextum aliquem vestris maleficijs, si non verum, certè verisimile quærere: ne vel in bonorum, & prudentium virorum offensionem incurratis, vel vt effugiatis pœnas confessorum criminum, audetis vos in clarissima luce ostentare, contemptis hominum minis, & supplicijs diuinitùs infligendis? Quin etiam innumerabiles omni æuo nuntios, ac testes flagitiorum vestrorum habere vultis, vt nemo nesciat vestrum nomen. At quale tandem nomen cupitis? certè quale factis vestris conuenit. Id verò innumeras continet vitiorum species, quas vobis posteri exprobrabunt. Inest enim vobis petulantia cum impudentia, contemptus cum violentia, cædes cum sæuitia, cum immoderatis voluptatibus immensa concupiscentia, cum temeritate insolentia, cum calliditate malitia, cum mendacijs periuria, denique cum iniquitate erga homines, etiam aduersus Deum impietas. Egregia verò gloriatio, captare celebritatem nominis ex ijs, quæ celari, & sempiterno, si fieri posset, silentio obrui deberent.*

Scelesti à sceleribus suis famam quærunt.

Ambitiosi dum nomen quærunt spe falluntur.

Sunt tamen etiam hodie, qui valdè sibi talibus rebus placeant, putantes indè se præclaram apud homines existimationem acquirere, sed hi &c. Quod sequitur Philo, vide superius in §. 11.

§. 15. Quare Deus tam solerter præcauet, & solicitè consultat de impediendo ædificio, quod humana audacia fabricare non eualet? Vis nosse, ò homo, quanto animi ardore, & pertinacia in semel arrepto proposito, quod exequi cæpit, homo persistat? Attende ad Dei verba in sequenti expressa versiculo, & dubium solutum habebis: *Cæperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant.* Quasi dicat (vt benè obseruabat Rupertus) planè impossibile hominibus est, *facere ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat in cælum.* Ast quia *semel cæperunt facere, non desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Supra potentiam operaturus timetur, qui propositum, quod irruit in animum, semel opere inchoatum, exequitur? Sic audet vltra humanas vires? Sic possibilitatis metam transgredi, temerarius intentat? Solertiori diuinæ prouidentiæ cura opus est, vt impossibile opus pertinaciter inchoatum, efficaciter impediatur? ò exaggerationem! cui vellem attentos Reipublicæ Proceres, & Magistratus, qui sæpè eiusmodi obstinatione durantur, ne videantur mutare sententiam: vnde multa in communitate perniciosa deuorant. Satiùs planè est, propositum, vt homo, visis denuò incommodis, demutare; quàm vt Dæmon pertinacia flecti nescia cum inualidorum euersione, in proposito perdurare. Vers. 5.

Scelestus à sceleribus numquam desistit.

Intentio praua molitur etiam peccatum, quod exequi non potest.

Principes quàm difficilè malè facta retractant.

§. 16. Quare si Deus non loco mouetur, qui semper vbique est totus, descendere hic dicitur; *Descendit Dominus vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam?* Quia humanis sceleribus, aut puniendis, aut dissipandis præstò adest. Addit ad rem Tuitiensis Vers. 5.

Deus sceleribus puniendis presto adest; ita Superior debet esse.

Ru-

Præcauet Deus, ne incõsulta temeritate punire videatur.

Rupertus præscripta verba elucidans, vbi suprà. *Descendit ergo, vt videret, de illo ait Scriptura, qui omnia scit antequam fiant, & nusquam abest, quia videlicet, & causa talis erat, quam indiscussam cæleste iudicium nullatenus omittere deberet: & sic loqui debuit Scriptura, vt nil temerè esse credendum insinuaret.* Itaque Deus iustitiæ assertor, & acerrimus flagitiorum vindex, descendere dicitur, vt discutiat, exploret, & videat insolentem hominum reatum, quem *Indiscussum nullatenus omittere debebat cæleste iudicium*. Sic autem discutitur, & ritè exploratur, ne Deus *temerè* tantam illis pęnam inflixisse crederetur. Ah! tantam, tàmque horrendam Deus scelerosis pęnam irrogat, vt sollerter caueat scriptura, ne eam *temerè*, & cæco furoris impetu, omnipotentiæ viribus armato, fulminasse putetur? Hæc consultissima scripturę cautio, & diuini rigoris est emphasis, & peracerbę horrendè seueritatis moralissima hyperbole, ò, eam prçcaue quisquis Deum times.

Non debet esse superior tàm facilis ad puniendũ, sed explorare cum diligentia defectum.

Vers. 5. §. 17 Quare si vulgata dicit, quòd descendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim quam *ædificabant* filij Adam. Septuaginta legunt, quam *ædificauerant*? Quia in vitijs idem est cæpisse, & rem perfecisse, sicut aduertit Tertullianus lib. 1. ad vxorem in fine. Hoc impiorum est ingenium, vt ab incæpto, & destinato malo minimè quiescant, aut desistant, proindèque idem sit apud iniquos incæpisse, & complesse malum, quod vtinam in virtute contingeret, quam multoties quis intendit, & concipit, neque tamen vlteriùs progreditur, etiamsi nullum occurrat impedimentum. Sic verò habet Philo lib. de confusione linguarum post medium, etiamsi cæptis frustratis non potuerunt ad destinatum impietatis suæ finem peruenire, nihilominus ac si cogitatum facinus perpetrassent, damnandi sunt. Et hoc est quod ait. Et absolutam turrim ab eis, quamuis ponderet adhuc, dicens: *Dominus descendit, vt videret ciuitatem, ac turrim non quam ędificaturi erat, sed quam ædificauerant*; nec effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui consilium tàm immane non dubitarunt aggredi. Sic Philo ostendit iniquum impiorum ingenium, qui nisi diuinitùs impediantur, ad exitum tandem deducent præconceptum, & intentum malum.

Peccator in malo opere non desistit, donec compleuerit; non ita in virtute.

Vers. 5. §. 18. Quare refert Moyses Deum descendisse, descendit Dominus, &c. si vbique est immensitate totus? Quia per effectus quos Deus largitur descendit, ascendit, & mouetur, denique hisce tropis non mutationem, motumque diuinitatis localem intendit Scriptura exponere, sed charitatem perpetuam in qua diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit, prouidentiam, qua dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat aperitque manum suam, & implet omne animal benedictione, & vniuersorum notitiam, & scientiam inesse Deo hisce metaphoris Scriptura nos docet, ne in tenebris peccans dicat: *Abscondita est via mea à Domino; & à Deo meo iudicium meum transijt*, Isaias cap. 40. vers. 27. Videt enim ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, *Nec est inuestigatio Sapientiæ eius*, ibid. vers. 28. velut habent Septuaginta οὐκ ἔστιν ἐξεύρεσις τῆς φρονήσεως αὐτοῦ, *neque est inuentio prudentiæ eius*; à fine enim vsque in finem attingit, & omnia disponit suauiter, cælumque, & terram implet. Vnde Psaltes Psal. 138. vers. 7. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? (vers. 8.) Si ascendero in cęlum tu illic es, si descendero in infernum, ades.*

Prouidentia Dei, qua cunctis prouidet iuxta genus suum.

Vers. 5. §. 19. Quare quando istorum hominum mens ad cœlum ascendere tractat: faciamus turrim cuius culmen ad cęlum pertingat, tunc legitur descendit Dominus, &c. Et venite descendamus, &c.? Vt congruè satis humanæ *ascendentis* superbiæ, *descendentis* Dei occurrat humilitas, eamque confundat: Venite igitur descendamus, & confundamus, &c. quasi diceret, siquidem humana nedum diabolica, *turrim* suam erigere, *ascendereque* conatur superbia; *descendam* ego Deus, vt superbiam omnem confundam; & à contrarijs, *lingua*, idest, sapientia mundi confusa, veram *ascendendi* viam edoceam, putà contrariam, non *ascendendo*, sed *descendendo*. Vt enim pulchrè S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 31. *Ad hoc Dei filius ad nos descendit, & habitu inuentus, vt homo, semetipsum vsquè ad mortem, & mortem crucis humiliauit.* (S. Paulus ad Philipp. cap. 2. vers. 8.) passionum tormenta, & opprobria irrisionum sustinuit; vt superbum non esse hominem, doceret humilis Deus. Hanc ipsam superbiæ *ascendentis*, & *descendentis* humilis Dei antithesim, illamque à contrario *confundentis*, Cassianus etiam bellè descripsit lib. 12. de spiritu Superbiæ cap. 8. col. 1. impress. Venet. pag. mihi 53. *Creator*, ait, *& medicus Deus*, cau-

Deus ad homines corrigendos contrarijs contraria adhibet.

Vera via ad ascendendum, humilitas.

causam principiumque morborum superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit: vt ea scilicet, quæ per superbiam corruerant per humilitatem resurgerent. *Ille* (puta Diabolus, cuius hic Nemrod typum gerebat) *dicit in cælum conscendam* Isaias cap. 14. v. 13. *Hic dicit: humiliata est in terra anima mea:* Psal. 43. vers. 25. *Ille dicit* (Isaias cap. 14. vers. 14.) *Et ero similis Altissimo.* *Hic cum esset in forma Dei* (Philipp. cap. 2. vers. 7. & 8.) *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, humiliauitque se factus obediens vsque ad mortem.* *Ille dicit* (Isai. cap. 14. vers. 13.) *super astra Dei exaltabo solium meum; &* (parentes nostros sollicitans, vt socios Nemrod ille suos sollicitabat) *Eritis sicut Dij* Gen. cap. 3. v. 5. *Iste autem dicit* (S. Matth. cap. 11. vers. 29.) *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, &c.* Decebat autem sic descendere Deum, vt humanam confundens superbiam, hominem doceret ascendere descendendo; etsi enim in hoc creatus à Deo fuerat, vt humilitatis via ad sublimia tenderet; deceptus tamen à Satana credidit, ascendendo se posse conscendere: Cum esset reuera à Deo ascendendi via, non sursum versùs, sed deorsum directa, imò via ipsa sursum, vt proximè dictum est Deo contraria, & aduersaria; vt iam velle ascendere descendere sit; & altiùs erigi, mergi profundiùs.

Per humilitatem suam corrigit Christus superbiam nostram.

Vers. 6. §. 20. Quare præcelsam, ac turritam arcem quatuor millia iam passus altam *cogitationem* vocat Dominus dicens: *cæperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis?* quare non potiùs ferè absolutum opus appellat? An quia inceptum opus, & non absolutum, non operis, sed meræ *cogitationis* meretur elogium? Plena, ac perfecta operis executio, opus dicitur; inchoatio autem operis, non opus inceptum, sed *cogitatum* appellatur. Vel aliter S. Ioannes Chrysostomus vbi suprà à me citatus exponit: ita fatus: *Cæperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis &c. Ecce quomodo monstrauit malitia eorum excellentiam.* Nimirum insignis malitiæ excellentia est, cùm facinus altè *cogitatum* consultè meditatum, atque ex condicto patratum est. Cùm scelus ob meditatæ malitiæ excellentiam, *cogitationis* nomine designatur, tunc quidem eius patratores, non homines sed *filij Adam* (vti versiculo superiori legitur) propter malitiæ præstantiam nominantur.

Executio perfecta operis nomen meritur.

Quam cogitent, & re cogitent mala facienda peccatores.

Peccatores hominum nomine indigni.

Vers. 6. §. 21. Quare dicitur à Domino nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant? vt ostenderet quod assidua fælicitas viduatæ animæ indicium est. Audiendus est hac super re Hebræus Philo in lib. de confus. linguarum sic ad præscripta verba scribens: *Nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. O infinitam, & immensam miseriam! omnia quæcunque aggrediebatur mens dementissima, succedunt ex sententia: nec magnus, nec paruus conatus frustrabitur vllus, vltrò negotijs animæ occurrentibus, & sese præbentibus* (nota verba, quæ profundè subtexit) *Hæ sunt animæ viduatæ indicia.* Sic felicitas felicitatibus succidua animam viduat? Splendidè Philo animam maritauit. Sed forsan intellectum recta ratione vtentem, illi virum dedit, quo anima fæcundiùs maritatur ad ingenuam virtutis sobolem. Secùs vidua est anima, lugubris, sola, flebilis, infæcunda, quæ sunt consequentiæ viduitatis, & non bona eius Elogia: Ecce tibi assiduis felicitatibus infelicitatur homo, improspera viduitate funestè lugubris, feliciore fortuna infortunatus: qua enim felicitate floreat anima miserè viduata? nam felicitas *animæ viduatæ indicium est.* Heu sic est confinis infelicitati felicitas? Sic gloria mundi priùs ferè corrumpitur, quàm sit? Profectò mundialis prosperitas, aut viduam animam inuenit, aut suo aduentu viduam facit.

Peccatori in peccatis suis omnia prosperè succedunt, sed cauendum nimia felicitate, quæ animam spoliati ratione, ac bonis omnibus.

Felicitatis infelicitas comes.

§. 22 Quare dum ad supplicium hominum turris Babel proceditur, tanquam in magnum eorum crimen refertur, quòd vnus sit populus, & vnum labrum omnibus? Quænam culpa in hoc latet cùm inde maximè eorum gloria auspicanda videatur, quòd scilicet tanta vnitate ac concordia viuerent. Optimè tamen hoc ad eorum magnum delictum scribitur, quòd scilicet ex magno Dei vnitatis, ac concordiæ dono ansam arripuerunt ad grauia crimina perpetranda, vt insolenter contra ipsum Deum se veluti erigere intentauerint. S. Ioannes Chrysostomus ibi. *Vna vox, & vna lingua omnibus,* inquit, *quasi ostendit peccati eorum magnitudinem, & ingratitudinis excellentiam, & quòd abusi sunt lingua, & vocis vnitate. Hic enim Dei mos est, vt punitutus prius indicet, quàm magna sint peccata.* Vers. 6.

Malus vsus donorum Dei magis condemnat impios.

§. 23 Quare ad suffocandam omnem carnem aquis diluuij sat est, quòd Deus dixerit, *delebo omnem carnem,* Gen. cap. 6. vers. 7.) at ad puniendos filios Adam in turri Babel dicitur, quòd Deus semel, & iterum descenderit? Vers. 6.

Digitized by Google

rit? Quia peccatum quod ante diluuium grassabatur, ex quadam ineffrænata concupiscentia originabatur. *Videntes filij Dei filias hominum* (Gen. cap. 6. vers. 2.) At peccatum filiorum Adam in ciuitate construenda, ex quadam immoderata præsumptione, ac elatione animi pullulabat, qua contra Deum stare intendebant. *Nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant*. Et notant D. Chrysostomus, Procopius, Rabanus, Rupertus, & alij. Tam perdifficile est, vt præsumptuosus à sua elatione reprimatur, à suoque cordis deponatur tumore, vt ad hoc manifestandum dicatur, quòd ipse Deus venerit, & descenderit ad ipsas inflatas cogitationes dispergendas. Rupertus ibi lib. 4. in Genesim sic ait: *De stultorum præsumptione dicit Deus, nec desistent à cogitationibus suis, sed subaudiendum est, quantum in ipsis est: satis enim diabolum imitantur dicentem, Ascendam super altitudinem nubium, qui quantùm potest, extollit se aduersùs Deum altissimum.*

Ambitiosus quàm difficile corrigatur.

Vers. 7. §. 24. Si Deus Angelos aloquitur quorum ministerio linguas confudit (Ita communiter Interpretes cum S. P.N. Augustino lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 9.) vbi nam à Deo aberant Angeli, quos vocat animo verbo *Venite*, vt suos socios, atque ad opus gregales faciat? eleganter S. Gregorius lib. 2. moral. cap. 5. sic ad rem præsentem philosophatur; *Dicitur eis qui aderant, Venite: quia nimirum hoc ipsum numquam à diuina contemplatione decrescere, in diuina contemplatione semper accrescere est; & numquam corde recedere, quasi quodam subtili motu est semper venire.* Scilicet qui à Deo numquam recedit semper ad Deum de nouo venire perhibetur. Velut recens aduenit, qui ab eo numquam abscedit. Primitias fruitionis semper quodammodò delibat, qui diù fruendo exaciatus putabatur. Sed vide, nunc mihi, quàm sit in re virtutis commendabile, numquam à virtute, vel tantillùm excidere, neque illam vnquam intermittere. O subtilem arcanè motum, quo res immota sensim Deo appropinquare perhibetur, continuæ stationis artificio! *Numquam corde recedere, quasi quodam subtili motu est semper venire.* Subtiliter quidem D. Gregorius.

A virtute numquam recedit, qui Deo per contemplationem propè est.

Vers. 7. §. 25. Quare quando concluditur de confundendo homines turris Babel in campo Sennaar ædificatores sit decretum; *Vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui?* Vt noueris cupidos auaritiaque infectos consanguinitatis voces non audire, & diuisionem semper architectari: Vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui: Cupidus ad miserorum voces obsurdescit, & consanguinitatis linguam non callet, ab omnibus studiosum affectat exilium, nec confusionis veretur probrum. *Alas habuisse*, inquit, S. Gregorius, *vt quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, & alta gloriantes petant*. A proximis diuiduntur vanituli, sine patre, sine matre, & sine genealogia inueniuntur auari: ergo in Sennaar degunt: quia ibi proximorum vocem non audiunt, quia ibi, quantumuis reclamet consanguineus, quantumuis ingemuerit cognatus, non inuenient aures, quę percipiant; sed quæ affectatè obsurdescant: quando turris constructores pro ædificio petebant ab alijs lateres, importunè exhibebant aquam, & quando efflagitabant aquam, ministrabant ineptè terram: vndè votis fraudati, & cassis clamoribus fessi ab opere destiterunt, & se ab inuicem separarunt: ergo hic degit cupiditas clamantium voces defatigans, ludificans vota, & suadens fessis exilia; *Radix est omnium malorum cupiditas, & quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est, vt domus auaritiæ in fœtore construatur*. Opportunè satis D. Gregorius lib. 14. in Iob. cap. 26.

Ambitio, & auaritia consanguinitatis & amicitiæ leges rumpit.

cupido omnes euitat amicos confusionis, probrum non curat.

Cupido claudit aures petentibus.

Auaritia radix omnium malorum omnibus malè olet.

§. 26. Quare Deus voluit confundere, & diuidere Turris Babel ædificatores exleges? Quia impiorum contubernium semper est periculo plenum. Intendebat Deus vt Babelis turrim ædificantes, à malis cæptis desisterent, & malum ædificandæ turris, ac ciuitatis, animum reuocarent, resipiscerent, & meliores fierent. Sed quonam consilio voti compos euadet? *Confundamus ibi linguam eorum*. Confudit impiorum hominum malitiam; inuicem eos separauit, & ea ratione ab iniquitate cessarunt: donec enim constipati, & coadunati fuerant, ægrè desistere poterant ab incæpto, ægre sapere bonum valebant. *Hoc nunc est propositum*, inquit Philo lib. de Abraham, *Disijcere vitiorum constipatum cuneum, irritare horum fœdera, societatem conuellere, copias fundere, fugareque imperium euertere, quo erat communitum iniquitatibus maximis.* Hæc animo volue, quicunque sis iniquæ societatis sectator, & ab iniquorum, & impiorum consilio, & congressu satiùs tibi consulendo mentem retrahe. Vers. 7.

Societas malorum periculosa.

Conuersatio impiorum nisi relinquatur, difficillima emendatio.

§. 27. Qua-

Vers. 8.

§. 27 Quare diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras? Quia illorum superbiam castigat Deus, & simul illi consulit, dum illos in longissimas terras diuidit. Et quanto illorum bono diuiduntur? Sanè, in hac diuisione cauit Deus domesticorum insidias, tunc putans rectè actum esse cum humano genere, si occasio omnis præcidatur belli ciuilis, quod est omnium perniciosissimum. Sic pulchrè canit Claudius Marius Victor. lib. 3. in Genesim.

Discordiarum occasio tollenda.

Quamuis vltio iusta
Hæc fuerit, quos non tetigit reuerentia cæli.
Vt nec se agnoscant, verba inconsueta loquentes.
Attamen id multum, quod rupto hoc fœdere cautum est.
Ne prælia dura.
Et rabido populis mors arcessenda furore.
Bellum illis ciuile foret: Sic profuit illis.
Inque bonũ versa est prima distractio linguę.

Ecce tibi generis humani diuisio vtilis fuit, quia per illam cauit Deus, ne domestica prælia, & ciuilia forent; vbi enim homines separat ab inuicem, & per dissita loca spargit, simul facit, ne quæ necessum est; vt veniant scandala veniant inter domesticos, sed inter disiunctissimos. Timendum enim esset, dum homines erant labij vnius, & inter se coniunctissimi, ne tunc domestica aliqua pugna prosiliret, quæ hominum genus perire faceret. Hanc cauens Deus, vt genus humanum custodiret, illud diuisit, sicque in bonum versa est distractio linguæ. Vt autem Deus diuisit homines cauens domestica dissidia, vt nocentiora; sic diabolus homines coniunxit, vt faciliùs perderet mundum. Ait D. Chrysologus Serm. 96. *Ex vno homine Deus omnem repleuit terram, & semine ex vno pius sator totum genus hominum tantam multiplicauit ad messem, sed inimicus mox homines in vnum redegit omnes: & super seminando mala deleuit diluuio, non rigauit.* Expende, quid fecerit diabolus, vt ea mala seminaret, quæ omnes homines suffocarent, nimirum ait. *Mox homines in vnum redegit omnes*, non tanta clades gignaretur à contrarijs, ab hostibus; ideò malus omnes sociauit homines, & necessitudinis amicitiæque vinculis copulauit, ratus ab amicis, & domesticis, nisi caueantur, orturas clades, quæ extremas pernicies omnibus afferant.

Discordiarum occasio tollitur ex separatione locorum.

Deus ex ijs, quæ mala sunt, bona deducit.

Deus homines separat ad tollenda dissidia.

Dæmon aliquando vnit homines ad ruinam.

Amici quando fiunt a Dæmone facilè inimici fiunt.

Vers. 7.

§. 28. Quare Deus ad puniendũ vecordes homines, vt à cæpta Turris ædificatione desisterent, non de syluis vocauit aut pantheras, aut vrsos, aut leones, qui eos laniarent, vel cur non misit de cælo lapides magnos, quibus ossa frangerentur, sed solùm confusione linguarum vsus est? Noluit talibus pugnare modis Numen: quoniam cùm de externis essent hostibus huiusmodi copiæ, omnes fortasse ad retundendam contumaciam non satis idoneæ fuissent: volens itaque, vt absque mora, & reipsa à concepta amentia reuocarentur, idiomatum vsus est adminiculo: quorsum id? nimirum, ex non intellectis linguis ciuiles statim inter eos rixæ subnascerentur. *Quia quando vnus*, inquit Nicolaus de Lyra, *petebat lapides, alter portabat cæmentum, vel aliquid simile, & sic credebat vnus se derideri ab alio, propter quod mota est inter eos rixa, & contentio*: Quòd si certè domesticè semel pugnarent; non dubium, tantæ molis apparatus ipse velut sponte deflueret etiam nullo vrgente hoste; quare cessauerunt deinceps perpetuò abædificando. Hanc meritò Turrim Catholici Doctores hæresum figuram dixere: nam hæc quemadmodum à veritatis scopo longissimè aberrat, sic pugnas alit, & rixas innumerabiles inter Pseudo-Magistellos iniquorum dogmatum, ac proindè celer est interitus. Vide Isidorum Hispalensem.

Deus ad nostram correctionem non adhibet remedia crudelia.

Deus remedia adhibet opportuna ad nostram correctionem.

Ambitionis molimina nullo aduersante ruunt.

Turris Babylonica Hæresum figura.

Hæresis discordiarum mater.

Vers. 7.

§. 29. Vel dic ad supradictum dubium. Vnus itaque populus in septuaginta duos, vt Hebræi colligunt, & vna lingua Hebræa, quæ erat ante turris structuram in 72. est partita, quarum hæc sunt nomina, ait Auctor altercationis synagogæ, & Ecclesiæ. Paronia, Disponia, Abusia, Partauia, Tarsia, Pacreuantia, Samsutia, Mesopotamia, Epiphania, Aranuntia, Pomponia, Macedonia, Arectonia, Cretica, Vrbachia, Chananæa, Sidonia, Sadochia, Vuaschonia, Brictia, Pamphilia, Philippia, Carterionia, Ismaelitica, Parthia, Seuothia, Belathia, Pacationi, Arcinoni, Saxonia, Numidia, India, Ciponia, Vngaria, Russia, Polonia, Bulgaria, Becinac, Scotia, Hispania, Aquitania, Britania, Francia, Armenia, Vuirich, Epperich, Osch, Trech, Apamaluth, Tepegia, Masćuth, Zelech, Amasonia, Alan, Æthiopia, Saumaria, Gerstenstamia, keuia, Mesepia, Vaspurgania, Caldic, Peresica, Scythica,

Nomina linguarum, in quas fuerunt diuisi Gigantes.

cedinem prædicationis; ignitæ propter feruorem prædicationis. De primis dicitur Iob cap. 20. vers. 16. *Caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ*. De Secundis, & Tertijs dicitur Cantic. cap. 4. vers. 11. *Mel, & lac sub lingua tua*. De Quartis *Apparuerunt discipulis linguæ tanquam ignis*. Act. Apostolorum cap. 2. vers. 3.

92 Notandum Secundò, quòd linguarum Doctorum aliæ sunt tepidæ, aliæ pigræ, & aliæ sunt aridæ. Tepidæ per charitatis indigentiam, tardæ per negligentiam, aridæ quia non habent Sapientiam. Econtrà quædam sunt feruidæ, quædam veloces, quædam medicinales. Feruidæ per charitatem, Veloces per spiritus inuestigationem; Medicinales per consolationem. De primis dictum est: *Apparuerunt linguæ tanquam ignis*. De Secundis in Psal. 44. vers. 2. dicitur: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*. De Tertijs Psal. 67. vers. 24. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso*.

93 Notandum Tertiò, quòd quatuor sunt linguæ igneæ, scilicet, lingua peccantis, lingua vapulantis, lingua iudicantis, & lingua prædicantis. Prima est lingua mundi, Secunda diuitis in inferno sepulti, Tertia Christi, Quarta Apostoli, de prima scripsit B. Iacobus Apostolus in sua Catholica cap. 3. vers. 6. *Lingua constituitur in membris nostris; quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna*. De Secunda legitur Luc. cap. 16. vers. 24. *Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. De Tertia dixit Isaias cap. 30. vers. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum: labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans*. De Quarta *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ*.

94 Sequitur *Seditque supra singulos eorum*; nam sedet Christus, sedet Discipulus, sedet Spiritus Sanctus: Christus iudicans in veritate; Discipulus in tranquillitate; Spiritus Sanctus in cordis puritate. Sedet Christus discernens merita; sedet Discipulus expectans dona; Sedet Spiritus Sanctus infundens charismata.

95 Notandum quartò, quòd verba bonorum hominum debent esse similia linguæ; Nam lingua est influentiæ Spiritus receptiua, & talis fuit lingua Prophetarum, & Apostolorum, qui Spiritu Sancto inspirati locuti sunt: Matth. cap. 10. vers. 20. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestris, qui loquitur in vobis*.

96 Quintò: quia lingua est de tenera, & molli materia, scilicet, de carne, quia interdum loqui debemus mollia, & placabilia verba: Prouerb. 25. vers. 15. *Lingua mollis confringet duritiam*. Et in cap. 15. vers. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ*.

97 Sextò: lingua est in complexione calida, & humida, & sic lingua bonorum est feruida, & deuota.

98 Septimò: quia lingua in dispositione est tenuis, & longa, & talis est lingua Doctorum, scilicet tenuis, idest subtilis ad exponendum, & longa ad continuandum, & multiplicandum.

99 Octauò: quia lingua est ad similitudinem gladij facta, & hoc est, vt sit ad defensionem veritatis, & expurgationem erroris. Sic ait Isaias cap. 49. vers. 2. Posuit os meum Dominus quasi gladium acutum.

100 Nonò: quia lingua est in corio rubicunda, vt scilicet verecundetur proferre verba inhonesta, & indecentia.

101 Decimò: quia est vocis, & modulationis formatiua: & ideò est in concauo posita, vt scilicet, sit suauis, & dulcis, sicut, & est modulatio musica.

102 Vndecimò: quia lingua est saporis discretiua, vt scilicet sit sapida, & discreta ad loquendum.

103 Duodecimo: quia est conceptionum animæ interpretatiua, vt scilicet loquatur verba deliberata, & priùs in anima limata.

104 Tertiodecimò: quia est labijs, quasi claustro duplici circumsepta, scilicet, vt sciat se claudere tacendo, & aperire loquendo.

105 Quartodecimò: quia lingua est oris humectatiua; Nam (secundùm Const.) in lateribus ligamentorum linguæ sunt quædam venæ vocatæ saliuales, quæ saliuam linguæ administrant, initium verò linguæ, vnde exeunt hæ venæ, est caro glandulosa, & alba ipsius saliuæ generatiua, quæ linguam humectat, & ciborum siccitatem temperat, & eorum succositatem augmentat. Istæ autem duæ venæ, quæ administrant linguæ saliuam Sapientiæ, idest saporosæ doctrinæ, sunt vita, & scientia.

106 Quintodecimò: quia est lingua grauidorum animalium, & fœtuum signi-

significatiua: nam(ficut dicit Arist.6.de animal.)Qualis eft vena fub lingua talis eft fętus generatus ab ea. Oues enim aliquando habent fub lingua venas albas, & tunc pariunt fętus albos, & fi habuerint nigras, pariunt nigros, & fi varias, pariunt varios. Venæ autem fub lingua exiftentes, vel ad linguam venientes poffunt etiam dici cogitationes, & affectiones, quæ lingua exponuntur. Et quales funt in homine cogitationes, & affectiones, tales etiam funt linguæ locutiones; & tales etiam funt fætus, ideft operationes, fcilicet, vel nigræ, ideft malæ, vel albæ, ideft puræ, vel variæ, ideft mixtæ ficut opera hypocritarum.

107 Sed diximus quòd verba bonorum affimilantur linguæ, fic etiam & malorum verba: Vndè.

Notandum, Sextodecimò: quia lingua eft in lubrico pofita; fic, & mali habent linguam lubricam, ideft labilem ad verba inhonefta, & mala.

108 Septimodecimò: Quia lingua eft acuta, & maximè lingua quorundam ferpentium; ita mali homines ad modum gladij habent linguas acutas ad percutiendum, & diuidendum proximos, ficuti Regius cæcinit vates Pfal. 139. verf.4. *Acuerunt linguas fuas, ficut Serpentis*, & iterum Pfal.56. verf. 5. *Lingua eorum gladius acutus*.

109 Decimoctauò: Quia quorundam animalium lingua eft venenofa, & mortifera, ficut Serpentis, & Draconis, & rabidi canis cuius lingua femper apparet, iuxtà os, & diftillat venenum, & inficit aquam fi cadat in eam, de qua fi quis bibat (vt Auicen. dicit) efficitur rabidus. Hæc lingua venenofa, eft lingua inficiens, & alios corrumpens, vel lædens: fiuè per detractionem, & hæc eft lingua Serpentis mordentis: & tortuosè incedentis; fiuè per malam fuggeftionem; Et hæc eft lingua Draconis infernalis ideft Dæmonis, cuius eft mala fuggerere; Vndè etiam homines, qui hæc faciunt funt lingua eius; vel etiam per malam doctrinam corrumpendo fidem ficuti faciunt Hæretici, Et hæc eft lingua canis rabidi, cuius venenum inficit aquam Sapientiæ falutaris, ideft Sacræ Scripturæ per falfas expofitiones, ita vt bibens ex ea, ideft eorum doctrinam recipiens, fpiritualiter efficiatur rabidus, & infectus.

110 Decimononò: Quia aliqua lingua eft in colore varia, ficut (fecundùm Ariftotel. lib. de Anima) Serpentium linguæ, funt nigræ, fiuè liuidæ, fubrufæ, maculofæ, & ad motum velociffimæ, ita vt cum fint in motu bifurcari videantur, tam velociter agitantur. Linguæ ergo liuidæ funt inuidorum, fubrufæ adulatorum, quia fub rufedine, ideft fub dulcedine verborum, nam rufedo eft color mellis, immittunt aculeum deceptionis; Sed maculofæ funt linguæ infamatorum, qui aliorum famam maculare fæpiffimè conantur, ad modum autem linguæ velociffimæ, funt linguæ referentium, qui verbum auditum, vel conceptum retinere non poffunt, quin ftatim proferant. Bifurcatæ autem funt bilinguium. Omnes autem tales linguas optabile effet, quod Deus ficcaret, abfcinderet, feù confunderet, vti in Babelica fecit Turri, & de ipfis dici poffet *Diuifit Dominus linguas eorum*; Quia tunc ceffaret venenum, de quo dicitur in Pfal. 13. verf. 3. *Venenum afpidum fub labijs eorum*: Dicitur enim quòd lingua afpidis, quamuis in corpore Serpentis viuentis fit plena veneno lethali, tamen ab eius corpore feparata, & ficcata venenum amittit; & alterius Serpentis venenum prodit; Vndè præfente veneno fudore confuefcit.

Iuuenalis enim dixit quod lingua eft peffima pars in malo homine. Satyr.9.

Viuendum eft rectè cum propter plurima, tum his
Præcipuè caufis, vt linguas mancipiorum
Contemnas. Nam lingua mali pars peffima
ferui.

Et Diuus Gregorius Nazianzenus Carm. 4. de Animæ calamitatibus non inelegantibus verfibus cæcinit.

At rurfum in lingua fita funt permulta
Venena:
Dimidium vitij nam vita linguæ tenet.
Iram lingua, malum nudum, euomit; iraque rurfum,
Cum valuit, mentem cogit abire gradu.
Aut contra occultans vulpinam in pectore fraudem,
Vulnerat ex molli leniter ore loquens.

Idem Nazianzenus Carm. 54. de Silentio ieiunij tempore.

At certe lingua nihil exitialius vfquam eft.
Curfor equus femper, tela parata nimis.
Omnia nemo videt: Vicinaque fola prehendit
Noftra manu: totam nec pes obiuit humũ.
Non homicida labore caret: morbumque libido
Territat: eft odio furibus atque dijs.
Eft labor in cenfu: teneo amittoque viciffim,
Vt cui compreffa ftringitur vnda manu.
Æquoreum terreaum, & iter, p. adeque eruentus,

Inui-

Inuidiaque ardens alter amator opum.
Hac auri cupidos incommoda cuncta fatigant,
Ærumnas insons denique sonsque ferunt.
At linguam nemo properantem ad Verba repressit,
Non nix, non scopulus, non homo, non fluuius.
In prompta iaculator, in arcu Saua sagitta:
Circulum, & in crenaneruus adactus habet.
Quas animus misit, volitant feriuntque sagitta.
Viuos, victuros, cum superisque homines.
Hac aquè incautos, & cautos figit amicos.
Atque hostes, prauos vulnerat atq; bonos:
Vicinos, procul, & positos, ac denique nil non.
Qui domat hanc, sophia culmina prima tenet,
Hac Veneri addictis ructat fœdissima multa,
Risum alijs risu dignus, vt ipse ferat.
Vibrotus vibrans, simulacrum nobile turpans
Numinis, auribus hac plurima tecta vomit.
Sapè, etiam sexcenta leuis maledicta profundit,
Qua, veluti spumam, proijcit ira grauis,
Aut rursum ficto blandissima pectore fatur,
Atque aliud labris, mente aliudque gerit:
Blanditijs plenas voces, mendacia, fraudes,
Dicere quis lingua cuncta venena queat?
Illa domos domibus committit, & vrbibus vrbes
Protinus, id nullo cumque labore facit.
Committis Populum Regi, dominumque subactis;
Vt stipulam incendit mox leuis igniculus,
Illa ratis socios, fratres, natosque, patresque,
Illa viros armat, participesque thori,
Illa malum insontem reddit, iustumque nocentem,
Rursus adimuertit, quis rogo tanta potest?
Lingua quidem parua est, at viribus omnia Vincit,
O Vtinam illa malis protinus occideret!
Porrò cum stultis fraudem ferat omnibus illa,
Est mage Sacrificis exitiosa tamen.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XI. GENESIS.

Vers. 1. §. 1. QVare exprimitur quod terra erat sermonis vnius scribendo Moyses: *Erat autem terra labij vnius, & sermonum eorumdem?* Vt ex tanto Dei dono, cognosceretur inde quàm sit erga Deum hominum ingratitudo. Pro humana societate, pro humanisque negocijs, pro omniumque vnitate, ac concordia magnum Dei donum erat, quod terra esset labij vnius, eiusdemque sermonis. Ex tanto Dei beneficio num ad gratiarum actiones currunt homines? minimè sanè; contra auctorem tantorum bonorum volunt insurgere, eique inferre bellum parant. Audi. Deprauati animi est, accepta beneficia in malum vsum conuertere, donisque peiorem fieri, ex ijsque malum elicere. Hinc benè scripsit Seraphus Porrectus Concil. 1. *Ex vnitate sermonum, quod beneficium Dei magnum est, homines superbiam desumpserunt, vtpote secundùm hominem ambulantes, non secundùm spiritum occasionem inde contra rationem, & Dei benefactoris, & ipsius beneficij sumpserunt erigendi caput per superbiam, tum in cælum, tum super omnem terram.*

Magnum Dei donum vnitas sermonis in communitate.

Mens deprauata beneficia conuertit in malum vsum.

§. 2. Quare dicitur: *Cumque proficiscerentur de oriente,* si iam in Armeniæ regione, quæ orientalis dicitur ratione ipsius Babyloniæ, homines illi erant, cur inde profecti sunt? An pertæsi locorum Armeniæ, quæ, sunt montosa, aspera, & sterilia quærentesque alias sedes commodiores, fertiliores, atque ameniores? An nimis iam per illos centum annos aucti numero, & multiplicati, laxiorem, & commodiorem desiderabant habitationem? An potius affectantes maiorem potentiam, ampliorem que ditionem atque opulentiam concupiscentes? Audi S. Ioannis Chrysostomi in homil. 30. in Genesim lit. A, pag. mihi 161. morale documentum hoc loco traditum. *Vide,* inquit, *quomodo humanum genus non potest* Vers. 2.

subsi-

Humana cupido inexplebilis est.

subsistere intra suos limites, sed amplius concupiscens, maiora supra se appetit. Atque hoc est quod humanum genus potissimum perdit: quia non vult naturæ suæ mensuram agnoscere, sed semper maiora desiderat, & quæ supra suam dignitatem sunt votis concipit. Hinc, & qui ad mundana respiciunt opera, si quando multo abundauerint

Honores sui immemores faciunt.

auro, & potentes fuerint, quasi obliti suæ naturæ, in tantum se fastigium efferri volunt, vt vsquè in profundum ipsum deducantur. Et hoc videmus quotidiè contingere, quamuis nec hac ratione emendatiores

Potentiores ruinis homines non emendantur, vel emendatio parum durat.

euadant alij. Etsi ad paruum tempus corripiantur subitò tamen omnium obliti, iterum eandem vadunt viam, & in eadem præcipitia deferuntur, id quod, & nunc videre licet apud illos factum. Et factum est cum mouerent illi ab oriente, inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt illic. Vide quomodo paulatim docet nos lubricam illorum voluntatem. Quoniam viderunt, inquit, *campum, migrantes, & relicto priori loco illic habitauerunt*. En vide. Vix enim vnquam homines sua sorte contenti sunt, nec rebus iam partis, & præsentibus satiantur, sed alia semper, & maiora cupiunt, & consequi student, & vt concupiscendi ita quærendi, & habendi nullus est finis. O insatiabilis humana cupiditas!

Vix à scelestis videtur occasio peccandi, cùm amplectuntur.

Vers. 2.

§. 3. Quare speciosa deserta orientis plaga, montibusque Armeniæ saluberrimis ad lutosam adeò vallem descenderunt Noemi nepotes, vt vilibus, lateris conglutinandi operibus, animum adijcerent? Quid oriens? quid Sennaar: quid Noemi nepotes in vallem descendentes, mysticè præfigurant? In oriente, virtutem expendit Philo lib. 1. de confus. linguarum. *Homines illi, quorum narratur consona dissonantia, profecti ab oriente dicuntur; scilicet virtute, ad viam vitiorum capessendam, relicta.* Quid Sennaar importat, nisi *Fœtorem, vel dentium excussionem*, Hugone Interpr. ac Damian. lib. 4. epist. 12. Quid Noemi nepotes, descendentes, nisi murmuratores, liuido dente, proximorum famam dilacerantes? Vide natale, ac vilissimum murmuratorum solum, vt nonnisi fœtida in valle degere, inibi exerceri, inibi delitiari queant. *In campo Sennaar habitabant, qui non constituti in arce virtutum, sed potiùs in conualle vitiorum, & dentes excutiant, vt proximos detractionibus, quasi mordicus rodant. Sed eorum dentes Deus omnipotens excutit, dum peruersorum quorumlibet, & facta simul, & verba confundat.* Ita Damianus supracitatus quem vidi in Bibliotheca Sanctorum Patrum.

Vt sceleribus indulgeant homines, sua commoda non curant.

Quàm facile virtus relinquitur.

Sennaar quid significet?

Murmurantes bona proximi non curant, solùm malis intenti.

Murmurantes Deus confundit.

Vers. 2.

§. 4. Quare campus ille in quo turrim ædificare cæperunt (homines supradicti) cuius culmen pertingeret Cœlum, non aliud vendicat nomen nisi Fœtorem? Quia etsi omnia silerent, illud tamen iniquum factum (nempè Turris ædificatio cuius culmen Cœlum pertingeret) ex se emittebat malum odorem, qui totum orbem adimpleret, & ad nares Dei accederet, vt iustam pœnam in illos miseros homines solicitaret. Prestò est Rupertus Abbas, qui lib. 4. in Genesim cap. 41. pag. mihi 89. impress. Colon. Agrip. sic confirmat scribendo: *Sennaar rectè dicitur Fœtor eorum, quia fœtorem Superbia eorum tali ausu vsquè ad nares Dei emiserunt, cui sicut humilitas Sacrificium suauitatis est in odorem, sic Superbia contra fœtor horribilis est.*

Quantum Deo odibilis Superbia.

Vers. 3.

§. 5. Quare homines illi laboriosissimo se operi addicunt, & luti in lateres efformandi se maculis fœdant, & se fœditatibus defatigant: *Venite faciamus lateres, & coquamus eos igni: habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento?* Vides quid elegerit ambitiosa cæcitas: Transi modò cogitatione ad Exodi cap. 1. vers. 13. vbi tyranna Pharaonis feritas, & truculenta Tyrannis, quò facilius populum attereret, luti, & laterum operibus onerauit. *Oderant filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris.* Quo odio suo adularentur Ægyptij, ea cogitarunt, quæ maiorem populo molestiam afferrent, & infamiam conciliarent. Itaque operam lateribus collocare erat Tyrannidis crudelissimæ effectus, & amaritudinis cumulus, adeoque exoculati illi primi homines fuerunt, vt ea sibi ambierint ad plausum, quæ ferus, & tyrannus homo decreuerat ad tormentum. *Facta est illis vita amara!* Scribit Lippomanus, in seruitute illa graui, ac dura, nempè luto, & *Lateribus*. Non miror nullum aliud supplicium præter diuisionem vanissimis illis hominibus fuisse inflictum, quando ipsi durius, grandiusque sibi sollicitauere tormentum. Duris operibus luti, & *Lateris* sè addicunt ambitione cæci, cum eisdem operibus Hebræos addixerint Ægyptij ardentissimo odio inflammati: *Venite* dicebant se adhortantes illi, *Faciamus lateres, & coquamus eos igni*: ad amaritudinem perducebant hi vitam eorum operibus duris luti, & *Lateris*: à tyranni

Superbia labores spernit, vt ascendat.

Superbus se ipsum cruciat, & vituperat dum magna molitur.

Nihil est, quod superbus non tentet, licet vile, vt ascendat.

Superbia sibi culpa, & tormentum.

ni votis non distabant, qui eadem laborum pensa sibi imponebant. O quam tyranna, est ambitio, quando ad ea ambitiosum cogit, ad quæ Tyrannus adegit! O quam *Laterum* fumo obcæcabantur, qui sibi ea imposuerunt, quæ ferarum imitati ingenium illis Ægyptij imponere ad vires deterendos curarunt. Prius adinuenit hos labores ambitionis delirium, quàm tyrannidis inueniret ingenium. Vanitati inseruientes se ipsos patiuntur carnifices, nec externis egent tormentis.

Vers. 3.

§. 6. Quare refert Moyses quod dixerunt ad inuicem *Venite faciamus Lateres, &c.* ? Quia illud est improbis improbitatis studium, vt quo vitia sua plenius cumulent patrandis criminibus socios solicitè aggregent. Nullus eorum contentus fuit ambitioni, & vanitati inseruire; sed ad vanitatis ambitionisque cumulum operam, ac industriam multorum sibi adnisus est aggregare. Profectò non adeò diligenti studio virtutis studiosi solicitant socios quærere, & contra crimen armare. Iam hoc lugebat Seneca lib. 7. naturali: quæstion. cap. 32. *Tot familia Philosophorum sine successore deficiunt. Academici, & veteres, & minores nullum Antistitem reliquerunt. Quis est qui tradat præcepta Pyrrhonis? Pythagorica illa inuidiosa schola præceptorem non inuenit. Sextiorum noua, & Romani roboris secta inter initia sua cùm magno impetu capisset, extincta est.* Itaque solicitè non curarunt virtutis sectatores instruere alumnos, hæredes reliquisse, qui virtuti essent subsidio, vitijsque obstaculo, quando vitiorum asseclæ contenti non sunt vitia sectari, nisi sectatores reliquerint, & proselytos studiosissimè adlegerint. Insanus furor æternare satagit vitium, per successiones varias traducere, & multos huius scholæ discipulos conciliare. Ergo ne hanc virtus iniuriam semper patiatur, Deus ipse zelatoribus norma, Angelis veluti ad pugnam vocatis in vitium irruit. *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.* O quàm Numinis, & Angelorum descensu confunditur tumoris superbientis elatio! & quæ potest ascensum cogitare procacia si descendentis humiliter Numinis efficacissima intueatur exempla. Descendit Deus humiliter vt hominem confunderet ascendentem inaniter. *Quid volunt sibi verba hac Venite descendamus, &c.* Rogat S. Ioannes Chrysostomus

Sceleslis ad scelera socios adhibet.

Vitium socios quærit, non virtus. Vide vtriusque deplorandum discrimen.

Deus Angelos scilicet Prædicatores vocat contra vitia.

Descendit Deus vt homo descenderet.

apud Lippomanum: *Opus ne habet cooperatione Dominus ad correctionem, & subsidio ad idolorum destructionem? Absit. Sed sicut iam dixit Scriptura. Descendit Dominus, docens nos per hoc quod euidenter malitia illorum vidit excellentiam; ita, & hic dicit Venite.* Esset virtuti probrum, nisi se inuitantium numerus audiretur, quando pro vitio tantus exhortantium se numerus audiebatur. Si ergo excellens malitia socios requirit, virtus etiam excellens virtutis socios solertes exambit.

Virtus si est excellens socios vult.

Vers. 3.

§. 7 Quare vsi sunt lateribus? Quia hominum auditione, & traditione maiorum cognouerunt sicut anteà fuerat generale excidium orbis per aquam ita fore aliquando generalem totius orbis cladem per ignem: & sicut aduersus diluuij exitium saluti hominibus fuerat arca lignea, ità putauerunt aduersùs illud incendium remedio, & præsidio esse posse maximum aliquod, & altissimum ædificium lateritium. S. Gregorius ad mysticam intelligentiam exponens ista, & superioris versiculi verba, nonnulla tradit vtilia disciplinæ, ac vitæ spirituali monita, ac documenta. Cuius verba ex commentario eius in quartum Psalmum Penitentialem excerpta: exponens enim penultimum illius Psalmi versiculum *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur muri Hierusalem.* Sic habet. *Vnusquisque hominum, aut Hierusalem, aut Babylonis ciuis est. Sicut enim per amorem Dei Sanctus quisque Hierusalem ciuis efficitur: ita per amorem sæculi omnis iniquus in Babylonia structura operatur. Ad construendum autem spiritualis Babyloniæ ædificium peruersi omnes exemplum illius antiqua Babel imitantur. Cuius ciuitatis, vt inquit scriptura, auctores* pro saxis lateres, & pro cæmento bitumen habuerunt. *Per quod intelligitur mundi amatores carnalis vita construere municipium, quod ad vim ventorum, & impetus fluuiorum facili impulsu velociter sit subruendum. Legimus porrò venisse homines illos:* ex oriente, & in campo Sennaar: *habitasse: cum autem Christum Propheta quidem appellauerit orientem dicens* (Zacchar. cap. 6.) *Ecce Vir oriens nomen eius: constat de* oriente *venisse, qui à Christo malè viuendo recesserunt.* Sennaar autem interpretatur excussio dentium, siue fætor eorum. *In campo igitur* Sennaar *habitant, qui positi non in celsitudine virtutum, sed in planitie vitiorum, & detractionum morsibus, proximos lacerant, & in otiosa vita volutabro iacentes infa-*

Quare Gigantes ex lateribus ædificarint Turrim?

Mundani homines dum æternitati laborare putant, fragilissima moliuntur.

Vbi à Christo recedimus, quamuis firma omnia fragilia sunt.

Digitized by Google

Murmuratores omnibus noti, omnibus male olentes.

infamiæ suæ circumquaque fætorem exhalant. Quorum dentes tùm Deus excutit, cùm illorum facta simul, & verba confundit: de eo quippè scriptum est: dentes peccatorum contriuisti (Psal. 57.) *& iterum:* Dominus conteret dentes eorum in ore ipsorum. *Nam de fœtore eorum per alium Prophetam scriptum est* (Ioel cap. 1.) Computruerunt iumenta in stercore suo. *Computrescere iumenta, est carnales homines* in fętore *luxuriæ vitam finire. Meritò autem, qui* in Sennaar habitant, de lateribus ciuitatem ędificant: *Quia qui voluptatibus carnis inseruiunt, de fragili materia mentis mutationem attollunt. Qui autem carnalis vitæ abdicatis illecebris, per opera sanctitatis virtutum in se ipsis sanctificationem ædificant, hi profectò* lateres in lapides *mutant: qui cum Isaia* (cap. 7.) *possunt dicere:* Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: *Lateribus quippè cadentibus ille ædificat, lapidibus quadris, quicumque carnis lasciuiam disciplina strictioris rigore castigat: qui membrorum legem, mentis lege superat: qui corporis fortitudinem, spiritus virtute commutat. Quisquis igitur infirmam carnis fortitudinem, in virile spiritus robur excitat, quasi* lateres in saxa, *quibus muri Hierusalem ædificeatur, commutat.* Sic Sanctus Gregorius.

Confundit Deus non solùm quæ dicunt, sed quæ faciunt.

Carnales homines superbiunt in vilibus, spirituales humiliantur in magnis.

Vers. 4.

§. 8. Quare dixerunt venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat in cœlum? quia nomen eorum celebre reddere voluerunt: & celebremus nomen nostrum: *Ecce radicem mali* (ait inibi supracitatus Aureus Doctor) *perpetuam memoriam consequamur, vt nostri perpetuò memores sint posteri; tale erit nostrum opus vt nunquam obliuioni tradatur. Adhuc,* inquit, *congregati gloriam nostram operemur, vt posteritati perpetuum nomen relinquamus.* O insanos superbiæ conatus? Putridum nomen caduco opere perpetuare molimini? Ad quem hominum vestra nomina hucusquè peruenerunt? Cupitam à vobis gloriam alta occupat obliuio; memoria, quos nescit, infamat; & posterorum linguas acuit ad detestationem blasphemiæ. Lippomanus in Catena ita locum eruditè ex Hebræo vertit, & de suo peracutè explicat: *Quia si iuxtà Hebræum legimus: & faciamus nobis nomen, ne fortè dispergamur; voluntate Dei prauitas contrà se ipsam vaticinatur. Sic enim Scribæ, & Pharisæi de seipsis prophetarunt futurum, cùm dixerunt:* (Ioan. cap. 11. vers. 48.) *Ne fortè veniant Romani, & tollant locum nostrum, & gentem.* Scilicet ipsi superbiæ conatus, quibus impij suum perpetuare nomen affectant, tacitè prophetant deinceps futurum esse, vt tanquam leuis, vagusque puluis in terras dispergantur, nullamque sui memoriam, sed perennaturam obliuionem post se relinquant. Adoranda sunt hic arcana diuinioris prouidentiæ consilia: quæ ipsismet impiorum verbis, quibus æternum sui nomen relinquere posteris moliuntur, prophetant, instar pulueris dispergendos in terram, nullumque sui nomen relicturos; Sed inchoatam sine auctorum nomine molem, ad æternæ ruinæ monimentum, & infamem caduci nominis columnam. Quam impij in libro Sapientiæ cap. 2. vers. 5. explicatiori vaticinio descripserunt: *Nomen nostrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbra enim transitus est tempus nostrum.* Ecce tibi in ipsa æternandi nominis arrogantia, geminata delitescit ruinæ prophetia. O caduca mortalium immortalitatis vota, quæ fundat terra, resque terræ, & ad ruinam potiùs, quàm ad stabilimentum fulciunt! Moritura, terræ; æternatura, cęlo mandantur. Memoria iusti perpetuat cum laudibus, & nomen impiorum putrescet. Arrogantes terrenæ immortalitatis spes, æternæ ruinarum ruinæ sunt.

Superbia omnium scelerum radix.

Terrenum æternando nomini monimentum, ruinæ Prophetia est.

Ambitiosi nomen in posteris non durat.

§. 9. Quare si homines isti ad Cœli fastigium peruenire ambierant: *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat ad Cęlum:* Inferiùs confusi, dispersi, & puniti de hac cogitatione videntur? Quid nunc culpantur homines, quòd Cœlo propiùs appropinquare satagunt? An non præstat, homines terrigenas limi sui sordes (vt possunt) excutere, & terræ squalore abdicato, propè cœlum sublimiùs habitare, quasi coloniam in Cœlum duxerint? Cur studium se à terra absentandi, & appropinquandi Cœlo, in hominibus sic damnatur? Pulchrè Rupertus Abbas lib. 4. commentar. in Genesim cap. 42. col. 1. pag. mihi 90. respondet: *Inueni* (inquit Deus) *in quo dignè quod merentur iuxtà modum culpæ retribuam eis. Quoniam peruersa via tendunt in Cęlum, veram viam abscondam ab eis, qua veraciter itur ad Cęlum:* Expensione dignissimum est, quòd non dicitur Deus abscondere Cœli viam ab ijs, qui per eam incedere negligunt, aut peruersæ criminositatis ductu, rectà proruunt in gehennæ barathrum: sed ab ijs; Qui Vers. 4.

Ad Cælum malum est iter, si luteis intendimus.

Non altitudine cordis, sed humilitate ad Cælum eundum est.

Abscondit Deus viam Cæli his, qui male illam quærunt.

Digitized by Google

peruersa via tendunt in Cælum. Qui pietatem obtendunt ambitioni, delicias necessitate colorant; malè consultis, & perniciosè decretis, Literatos consultores, sed aut ambitiosè candidatos, aut auarè subornatos prætexunt, qui hypocrisis fuco latentem malitiam bonitatis colore pingunt, & scenicas personatè dotes ingeniantur; quò magni apparent, & propè Cœlum habitare mentiuntur. *Cuius culmen pertingit ad Cælum*, sed superbiæ gressibus sic altè ascensiones in corde suo disponunt. Ab his, ab his inquam, vera Cœli via dignè absconsa est: *Quoniam peruersa via tendunt in Cælum*. Multi (heu plures quàm par erat!) passionum calcare stimulati, latam perditionis viam ingrediuntur, & quam maximis itineribus ad Inferna, per voluptatum amænitates descendunt: qui tamen non sic caligare permittuntur, vt viam Cœli, à qua declinant, non crebrò respectent, & per eam incedere frustrà suspirent. Ast qui peruersa via ire in Cœlum adnititur, quò magis progreditur, eò sibi magis viam abscondit.

Vers. 4. §. 10. Quare Filij Noe cùm delira sibi nomen æternare ambitione pertentant, non statuunt filios gignere; sed turrim superbissimam fabricare: *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, &c.*? Si ciuitatem construxerint, si insanam turris molem ædificarint, non dubitant nomen celebrandum, & de possessionis magnitudine nullis temporum iniurijs delendum: & quidem error hic quid apud sæculum valeat, edocuit, & dum ambitione inflammati ædificant, quomodo nomen apud sæculum illustre habeatur declarant. O quot de insana ædificiorum mole, de turrium pluralitate nomen sibi facere student. Quia norunt nomina apud Sæculum meliùs in diuitiarum officina procudi, quàm in præclara originis vena seruari; *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, &c.* Inquit D. Thomas ad hunc locum; *idest, turres singulari pro plurali: Vel turrim vocant capitulum ciuitatis factum ad modum turris. Triplici autem ex causa videntur ad hoc opus moti; primò scilicet ex cupiditate regnandi, & tyrannicam potentiam super vniuersam terram exercendi in vrbe illa, quam scilicet, & inexpugnabiliter, & insuperabiliter fundare intendebant*. Adnectit. *Secundò ex ambitione nominis: & famæ ex hoc apud omnes obtinendæ: vndè, & hic dicitur Celebremus nomen nostrum*. Expende, amabò te, ab exordio cum rapinis tyrannideque coniunctum, esse superba ædificia extruere, & turres altissimas fabricare. Raptores à D. Thoma iam habentur, dum superbas domos, & amplissima palatia extruere conantur: insanæ namque ædificiorum moles, præcipuè à Noe filijs paulò ante in angusto Arcæ loco habitantibus constructæ animum prodebant, & quorum fabricarent sumptibus declarabant. Itaque ciuitatem, turrimque ædificant, vt eorum nomen omnem obliuionis frustretur iniuriam, vt apud sequentes semper obtinuerunt famam: *Ex ambitione nominis, & famæ*. Mensura nominis cumulus diuitiarum, quasi cum ipsa substantia aut angustetur, aut producatur.

Ædificia superba struunt homines ad nominis æternitatem, sed finis confusio est.

Ædificijs superbis homines se Tyrannos, & raptores ostendunt.

Sorte sua non contenti in quæ scelera labuntur.

Vers. 4. §. 11. Quare, si Turrim Babel ædificaturi, nouerunt homines illi se in pœnam peccati dissipandos, operi moliundo operam nauant, dicendo, venite faciamus turrim antequam diuidamur, vel, vt legit Philo antequam dissipemur? Cur dissipandi forent, nisi quia condignas superbientis animi pœnas daturi? Ergonè probè gnari, supplicijs plectendos se fore condiguis, & vilissimi ad instar pulueris, sufflante irritati Numinis indignatione dissipandos, impiè versatis cogitationibus vacabunt adimplendis? Quid stultius? Non desistunt tamen ab incæptis, ait Philo lib. de confus. lingu. *Hi namque quamuis improbissimi; vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præsagientes, dicunt, priusquam dissipemur. Cur igitur peccatis, si vestra consilia dissipatum iri scitis? sed fortasse morem insipientium scriptura proponit, qui maximis pœnis, non obscurè sed manifestè impendentibus, ab iniurijs non temperant*.

Impius non reuocatur à culpis pœnæ timore.

Quàm fugienda consuetudo peccandi.

Vers. 4. §. 12. Quare si omnes erant tanta vnione, ac amicitia colligati, vnde diuisionem, ac separationem coniecturauerunt? Erant ipsi in multa opulentia, vt dominatores vniuersæ terræ; tanta autem rerum affluentia certissimum futuræ diuisionis prænosticum erat. Audisti superiùs Philonem hoc clarè dicentem, nempè: *Quamuis improbissimi vltricem tamen scelerum suorum Dei iustitiam præsagientes: dicunt priusquam dissipemur?* Sic etiam in persona omnium Apostolorum, vt ait D. Hieronymus interrogabat Petrus Dominum dicens. *Ecce nos reliquimus omnia:* imò, vt ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 65. *Apostolus quoque ad vniuersi orbis commodum non dubitauit interrogare*. Et hic maximè notandum est, quòd

dum

Digitized by Google

Opulentia diuisionem, vnionem paupertas causant.

dum Petrus Apostolorum nomine quærit, eos iunctim, ac maxima vnione colligatos, numerat: *Relsquimus omnia*. Tanta enim vnio frequenter est paupertatis effectus; paupertas enim mirificè omnes coniungit, ac astringit in vnum, econtrà verò diuitiæ; ac bona temporalia multam diuisionem, ac separationem inducunt.

Vers. 4. §. 13. Quare ædificatores Babyloniæ turris culmen ad Cœlum pertingere satagebant, cùm id esset omninò impossibile? Quis enim etsi cæcus esset, non continuò labore stulto illos consumi crederet, qui turrim vsquè ad Cœlum erigere prætentarent. Sed quia superbi erant, necessarium fuit, vt id facerent stultitia comite. Vti notauit Alcuinus ibi: *Solet*, ait, *Superbiam stultitia sequi, humilitatem sapientia*. Et S. P. N. Augustinus in quæst. super Genesim. *Sic se facere posse crediderunt, nimirum stulta audacia.* Ex hoc deduc nobile documentum, quòd scientiæ ostium, & Cœli aperitur homini verè humili.

Superbiam comitatur stultitia.

Superbus omnia sibi reputat possibilia.

Humiles verè sapiunt.

Vers. 4. §. 14. Quare (cùm fama non sit ad se ipsum, sed ad alium, & in illo campo Sennaar aderant omnes homines, quotquot id temporis in terris erant) dicunt, *& celebremus nomen nostrum*; apud quos igitur, vel à quibus illi nomen suum celebrari volebant? Facilis, & breuis responsio est, eos voluisse celebrari non ab ijs, qui tunc erant, sed ab ijs qui postea futuri erant, captabant igitur famam non apud præsentes, sed apud posteros. Philo autem, in libro de confusione linguarum, putat homines illos, qui ædificando turrim celebrari se apud posteros cupiebant, typum, & imaginem gessisse eorum, qui sua ipsi vitia publicant, & flagitijs nobilitari volunt: vt quemadmodum probi homines virtutibus, & benefactis, sic ipsi non quibuslibet, sed inusitatis sceleribus, ac maleficijs claritatem nominis, famæque celebritatem assequantur. *O insignem impudentiam*, Sic scribit Philo, *Cum enim deberetis vestras iniquitates tenebris abdere, & prætextum aliquem vestris maleficijs, si non verum, certè verisimile quærere: ne vel in bonorum, & prudentium virorum offensionem incurratis, vel vt effugiatis pœnas confessorum criminum, audetis vos in clarissima luce ostentare, contemptis hominum minis, & supplicijs diuinitùs infligendis? Quin etiam innumerabiles omni auo nuntios, ac testes flagitiorum vestrorum habere vultis, vt nemo nesciat vestrum nomen. At quale tandem nomen cupitis? certè quale factis vestris conuenit. Id verò innumeras continet vitiorum species, quas vobis posteri exprobrabunt. Inest enim vobis petulantia cum impudentia, contemptus cum violentia, cædes cum sæuitia, cum immoderatis voluptatibus immensa concupiscentia, cum temeritate insolentia, cum calliditate malitia, cum mendacijs periuria, denique cum iniquitate erga homines, etiam aduersus Deum impietas. Egregia verò gloriatio, captare celebritatem nominis ex ijs, quæ celari, & sempiterno, si fieri posset, silentio obrui deberent.*

Scelesti à sceleribus suis famam quærunt.

Ambitiosi dum nomen quærunt spe falluntur.

Sunt tamen etiam hodie, qui valdè sibi talibus rebus placeant, putantes indè se præclaram apud homines existimationem acquirere, sed hi &c. Quod sequitur Philo, vide superiùs in §. 11.

§. 15. Quare Deus tàm solerter præcauet, & solicitè consultat de impediendo ædificio, quod humana audacia fabricare non eualet? Vis nosse, ô homo, quanto animi ardore, & pertinacia in semel arrepto proposito, quod exequi cœpit, homo persistat? Attende ad Dei verba in sequenti expressa versiculo, & dubium solutum habebis: *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant*. Quasi dicat (vt benè obseruabat Rupertus) planè impossibile hominibus est, *facere ciuitatem, & turrim cuius culmen pertingat in cœlum*. Ast quia *semel cœperunt facere, non desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant*. Supra potentiam operaturus timetur, qui propositum, quod irruit in animum, semel opere inchoatum, exequitur? Sic audet vltra humanas vires? Sic possibilitatis metam transgredi, temerarius intentat? Solertiori diuinæ prouidentiæ cura opus est, vt impossibile opus pertinaciter inchoatum, efficaciter impediatur? ô exaggerationem! cui vellem attentos Reipublicæ Proceres, & Magistratus, qui sæpè eiusmodi obstinatione durantur, ne videantur mutare sententiam: vnde multa in communitate perniciosa deuorant. Satiùs planè est, propositum, vt homo, visis denuò incommodis, demutare; quàm vt Dæmon pertinacia flecti nescia cum inualidorum euersione, in proposito perdurare. Vers. 5.

Scelestus à sceleribus numquam desistit.

Intentio praua molitur etiam peccatum, quod exequi non potest.

Principes quàm difficili malè facta retractant.

§. 16. Quare si Deus non loco mouetur, qui semper vbique est totus, descendere hic dicitur; *Descendit Dominus vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam?* Quia humanis sceleribus, aut puniendis, aut dissipandis præstò adest. Addit ad rem Tuitiensis Vers. 5.

Deus sceleribus puniendis prestò adest; ità Superior debet esse.

Ru-

Digitized by Google

Præcauet Deus, ne incõsulta temeritate punire videatur.

Rupertus præscripta verba elucidans, vbi suprà. *Descendit ergo, vt videret, de illo ait Scriptura, qui omnia scit antequam fiant, & nusquam abist, quia videlicet, & causa talis erat, quam indiscussam cæleste iudicium nullatenus omittere deberet: & sic loqui debuit Scriptura, vt nil temerè esse credendum insinuaret.* Itaque Deus iustitiæ assertor, & acerrimus flagitiorum vindex, descendere dicitur, vt discutiat, exploret, & videat insolentem hominum reatum, quem *Indiscussum nullatenus omittere debebat cæleste iudicium.* Sic autem discutitur, & ritè exploratur, ne Deus *temerè* tantam illis pęnam inflixisse crederetur. Ah! tantam, tàmque horrendam Deus scelerosis pęnam irrogat, vt sollerter caueat scriptura, ne eam *temerè*, & cæco furoris impetu, omnipotentiæ viribus armato, fulminasse putetur? Hæc consultissima scripturę cautio, & diuini rigoris est emphasis, & peracerbę horrendè seueritatis moralissima hyperbole, ò, eam pręcaue quisquis Deum times.

Non debet esse superior tam facilis ad puniendũ, sed explorare cum diligentia defectum.

Vers. 5. §. 17 Quare si vulgata dicit, quòd descendit Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim quam *ædificabant* filij Adam. Septuaginta legunt, quam *ædificauerant*? Quia in vitijs idem est cæpisse, & rem perfecisse, sicut aduertit Tertullianus lib. 1. ad vxorem in fine, Hoc impiorum est ingenium, vt ab incæpto, & destinato malo minimè quiescant, aut desistant, proindèque idem sit apud iniquos incæpisse, & complesse malum, quod vtinam in virtute contingeret, quam multoties quis intendit, & concipit, neque tamen vlteriùs progreditur, etiamsi nullum occurrat impedimentum. Sic verò habet Philo lib. de confusione linguarum post medium, etiamsi cæptis frustratis non potuerunt ad destinatum impietatis suæ finem peruenire, nihilominus ac si cogitatum facinus perpetrassent, damnandi sunt. Et hoc est quod ait. Et absolutam turrim ab eis, quamuis ponderet adhuc, dicens: *Dominus descendit, vt videret ciuitatem, ac turrim non quam ædificaturi erat, sed quam ædificauerant*: nec effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui consilium tam immane non dubitarunt aggredi. Sic Philo ostendit iniquum impiorum ingenium, qui nisi diuinitùs impediantur, ad exitum tandem deducent præconceptum, & intentum malum.

Peccator in malo opere non desistit, donec compleuerit; non ita in virtute.

Vers. 5. §. 18. Quare refert Moyses Deum descendisse, descendit Dominus, &c. si vbique est immensitate totus? Quia per effectus quos Deus largitur descendit, ascendit, & mouetur, denique hisce tropis non mutationem, motumque diuinitatis localem intendit Scriptura exponere, sed charitatem perpetuam in qua diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit, prouidentiam, qua dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicat aperitque manum suam, & implet omne animal benedictione, & vniuersorum notitiam, & scientiam inesse Deo hisce metaphoris Scriptura nos docet, ne in tenebris peccans dicat: *Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transiit*, Isaias cap. 40. vers. 27. Videt enim ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, *Nec est inuestigatio Sapientiæ eius*, ibid. vers. 28. velut habent Septuaginta οὐδὲ ἔστιν ἐξεύρεσις τῆς φρονήσεως αὐτοῦ, *neque est inuentio prudentiæ eius*; à fine enim vsque in finem attingit, & omnia disponit suauiter, cælumque, & terram implet. Vnde Psaltes Psal. 138. vers. 7. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* (vers. 8.) *Si ascendero in cęlum tu illic es, si descendero in infernum, ades.*

Prouidentia Dei, qua cunctis prouidet iuxta genus suum.

§. 19. Quare quando istorum hominum mens ad cœlum ascendere tractat: faciamus turrim cuius culmen ad cęlum pertingat, tunc legitur descendit Dominus, &c. Et venite descendamus, &c.? Vt congruè satis humanæ *ascendentis* superbiæ, *descendentis* Dei occurrat humilitas, eamque confundat: Venite igitur descendamus, & confundamus, &c. quasi diceret, siquidem humana nedum diabolica, *turrim* suam erigere, *ascendereque* conatur superbia; *descendam* ego Deus, vt superbiam omnem confundam; & à contrarijs, *lingua*, idest, sapientia mundi confusa, veram *ascendendi* viam edoceam, putà contrariam, non *ascendendo*, sed *descendendo*. Vt enim pulchrè S. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 31. *Ad hoc Dei filius ad nos descendit, & habitu inuentus, vt homo, semetipsum vsquè ad mortem, & mortem crucis humiliauit.* (S. Paulus ad Philipp. cap. 2. vers. 8.) passionum tormenta, & opprobria irrisionum sustinuit; vt superbum non esse hominem, doceret humilis Deus. Hanc ipsam superbiæ *ascendentis*, & *descendentis* humilis Dei antithesim, illamque à contrario *confundentie*, Cassianus etiam bellè descripsit lib. 12. de spiritu Superbiæ cap. 8. col 1. impress. Venet. pag. mihi 53. *Creator*, ait, *& medicus Deus*, cau-

Vers. 5.

Deus ad homines corrigendos contrarijs contraria adhibet.

Vera via ad ascendendum, humilitas.

causam principiumque morborum superbiam esse cognoscens, contrarijs sanare contraria procurauit: vt ea scilicet, quæ per superbiam corruerant per humilitatem resurgerent. *Ille* (puta Diabolus, cuius hic Nemrod typum gerebat) *dicit in cælum conscendam* Isaias cap. 14. v. 13. *Hic dicit: humiliata est in terra anima mea:* Psal. 43. vers. 25. *Ille dicit* (Isaias cap. 14. vers. 14.) *Et ero similis Altissimo. Hic cum esset in forma Dei* (Philipp. cap. 2. vers. 7. & 8.) *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, humiliauitque se factus obediens vsque ad mortem. Ille dicit* (Isai. cap. 14. vers. 13.) *super astra Dei exaltabo solium meum; &* (parentes nostros sollicitans, vt socios Nemrod ille suos sollicitabat) *Eritis sicut Dij* Gen. cap. 3. v. 5. *Iste autem dicit* (S. Matth. cap. 11. vers. 29.) *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, &c.* Decebat autem sic descendere Deum, vt humanam confundens superbiam, hominem doceret ascendere descendendo; etsi enim in hoc creatus à Deo fuerat, vt humilitatis via ad sublimia tenderet; deceptus tamen à Satana credidit, ascendendo se posse conscendere: Cum esset reuera à Deo ascendendi via, non sursum versùs, sed deorsum directa, imò via ipsa sursum, vt proximè dictum est Deo contraria, & aduersaria; vt iam velle ascendere descendere sit; & altiùs erigi, mergi profundiùs.

Per humilitatem suam corrigit Christus superbiam nostram.

Vers. 6.

§. 20. Quare præcelsam, ac turritam arcem quatuor millia iam passus altam *cogitationem* vocat Dominus dicens: *cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis?* quare non potiùs ferè absolutum opus appellat? An quia incæptum opus, & non absolutum, non operis, sed meræ *cogitationis* meretur elogium? Plena, ac perfecta operis executio, opus dicitur; inchoatio autem operis, non opus inceptum, sed *cogitatum* appellatur. Vel aliter S. Ioannes Chrysostomus vbi suprà à me citatus exponit: ita fatus: *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis &c. Ecce quomodo monstrauit malitiæ eorum excellentiam.* Nimirum insignis malitiæ excellentia est, cùm facinus altè *cogitatum* consultè meditatum, atque ex condicto patratum est. Cùm scelus ob meditatæ malitiæ excellentiam, *cogitationis* nomine designatur, tunc quidem eius patratores, non homines sed *filij Adam* (vti versiculo superiori legitur) propter malitiæ præstantiam nominantur.

Executio perfecta operis nomen meretur.

Quam cogitent, & recogitent mala facienda peccatores.

Peccatores hominum nomine indigni.

Vers. 6.

§. 21 Quare dicitur à Domino nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant? vt ostenderet quod assidua fælicitas viduatæ animæ indicium est. Audiendus est hac super re Hebræus Philo in lib. de confus. linguarum sic ad præscripta verba scribens: *Nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. O' infinitam, & immensam miseriam! omnia quæcumque aggrediebatur mens dementissima, succedunt ex sententia: nec magnus, nec paruus conatus frustrabitur vllus, vltrò negotijs animæ occurrentibus, & sese præbentibus* (nota verba, quæ profundè subtexit) *Hæ sunt animæ viduatæ indicia.* Sic felicitas felicitatibus succidua animam viduat? Splendidè Philo animam maritauit. Sed forsan intellectum rectà ratione vtentem, illi virum dedit, quo anima fæcundiùs maritatur ad ingenuam virtutis sobolem. Secùs vidua est anima, lugubris, sola, flebilis, infæcunda, quæ sunt consequentiæ viduitatis, & non bona eius Elogia: Ecce tibi assiduis felicitatibus infelicitatur homo, improspera viduitate funestè lugubris, feliciore fortuna infortunatus: qua enim felicitate floreat anima miserè viduata? nam felicitas *animæ viduatæ indicium est.* Heu sic est confinis infelicitati felicitas? Sic gloria mundi priùs ferè corrumpitur, quàm fit? Profectò mundialis prosperitas, aut viduam animam inuenit, aut suo aduentu viduam facit.

Peccatori in peccatis suis omnia prosperè succedunt, sed cauendum nimia felicitate, quæ animam spoliati ratione, ac bonis omnibus.

Felicitatis infelicitas comes.

Vers. 6.

§. 22 Quare dum ad supplicium hominum turris Babel proceditur, tanquam in magnum eorum crimen refertur, quòd vnus sit populus, & vnum labrum omnibus? Quænam culpa in hoc latet cùm inde maximè eorum gloria auspicanda videatur, quòd scilicet tanta vnitate ac concordia viuerent. Optimè tamen hoc ad eorum magnum delictum scribitur, quòd scilicet ex magno Dei vnitatis, ac concordiæ dono ansam arripuerunt ad grauia crimina perpetranda, vt insolenter contra ipsum Deum se veluti erigere intentauerint. S. Ioannes Chrysostomus ibi. *Vna vox, & vna lingua omnibus,* inquit, *quasi ostendit peccati eorum magnitudinem, & ingratitudinis excellentiam, & quòd abusi sunt lingua, & vocis vnitate. Hic enim Dei mos est, vt puniturus prius indicet, quàm magna sint peccata.*

Malus vsus donorũ Dei magis condemnat impios.

Vers. 6.

§. 23 Quare ad suffocandam omnem carnem aquis diluuij sat est, quòd Deus dixerit, *delebo omnem carnem,* Gen. cap. 6. vers. 7.) at ad puniendos filios Adam in turri Babel dicitur, quòd Deus semel, & iterum descenderit?

rit? Quia peccatum quod ante diluuium grassabatur, ex quadam ineffrænata concupiscentia originabatur. *Videntes filij Dei filias hominum* (Gen. cap. 6. vers. 2.) At peccatum filiorum Adam in ciuitate construenda, ex quadam immoderata præsumptione, ac elatione animi pullulabat, qua contra Deum stare intendebant. *Nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant*. Et notant D. Chrysostomus, Procopius, Rabanus, Rupertus; & alij. Tam perdifficile est, vt præsumptuosus à sua elatione reprimatur, à suoque cordis deponatur tumore, vt ad hoc manifestandum dicatur, quòd ipse Deus venerit, & descenderit ad ipsas inflatas cogitationes dispergendas. Rupertus ibi lib. 4. in Genesim sic ait: *De stultorum præsumptione dicit Deus, nec desistent à cogitationibus suis, sed subaudiendum est, quantum in ipsis est: satis enim diabolum imitantur dicentem, Ascendam super altitudinem nubium, qui quantùm potest, extollit se aduersùs Deum altissimum.*

Ambitiosus quàm difficile corrigatur.

Vers. 7. §. 24. Si Deus Angelos aloquitur quorum ministerio linguas confudit (Ita communiter Interpretes cum S. P.N. Augustino lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 9.) vbi nam à Deo aberant Angeli, quos vocat animo verbo *Venite*, vt suos socios, atque ad opus gregales faciat? eleganter S. Gregorius lib. 2. moral. cap. 5. sic ad rem præsentem philosophatur; *Dicitur eis qui aderant, Venite: quia nimirum hoc ipsum numquam à diuina contemplatione decrescere, in diuina contemplatione semper accrescere est; & numquam corde recedere, quasi quodam subtili motu est semper venire*. Scilicet qui à Deo numquam recedit semper ad Deum de nouo venire perhibetur. Velut recens aduenit, qui ab eo numquam abscedit. Primitias fruitionis semper quodammodò delibat, qui diù fruendo cruciatus putabatur: Sed vide, nunc mihi, quàm sit in re virtutis commendabile, numquam à virtute, vel tantillùm excidere, neque illam vnquam intermittere. O subtilem arcanè motum, quo res immota sensim Deo appropinquare perhibetur, continuæ stationis artificio! *Numquam corde recedere, quasi quodam subtili motu est semper venire*. Subtiliter quidem D. Gregorius.

A virtute numquam recedit, qui Deo per contemplationem propè est.

Vers. 7. §. 25. Quare quando concluditur de confundendo homines turris Babel in campo Sennaar ædificatores sit decretum: *Vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui?* Vt noueris cupidos auaritiaque infectos consanguinitatis voces non audire, & diuisionem semper architectari: Vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui: Cupidus ad miserorum voces obsurdescit, & consanguinitatis linguam non callet, ab omnibus studiosum affectat exilium, nec confusionis veretur probrum. *Alas habuisse*, inquit, S. Gregorius, *vt quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, & alta glorientes petant*. A proximis diuiduntur vanituli, sine patre, sine matre, & sine genealogia inueniuntur auari: ergo in Sennaar degunt: quia ibi proximorum vocem non audiunt, quia ibi, quantumuis reclamet consanguineus, quantumuis ingemuerit cognatus, non inuenient aures, quę percipiant; sed quæ affectatè obsurdescant: quando turris constructores pro ædificio petebant ab alijs lateres, importunè exhibebant aquam, & quando efflagitabant aquam, ministrabant ineptè terram: vndè votis fraudati, & cassis clamoribus fessi ab opere destiterunt, & se ab inuicem separarunt: ergo hic degit cupiditas clamantium voces defatigans, ludificans vota, & suadens fessis exilia; *Radix est omnium malorum cupiditas, & quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est, vt domus auaritiæ in fœtore construatur*. Opportunè satis D. Gregorius lib. 14. in Iob. cap. 26.

Ambitio, & auaritia consanguinitatis & amicitiæ leges rumpit.

Cupido omnes euitat amicos confusionis, probrum non curat.

Cupido claudit aures petentibus.

Auaritia radix omnium malorum omnibus malè olet.

§. 26. Quare Deus voluit confundere, & diuidere Turris Babel ædificatores exleges? Quia impiorum contubernium semper est periculo plenum. Intendebat Deus vt Babelis turrim ædificantes, à malis cæptis desisterent, & malum ædificandæ turris, ac ciuitatis, animum reuocarent, resipiscerent, & meliores fierent. Sed quonam consilio voti compos euadet? *Confundamus ibi linguam eorum*. Confudit impiorum hominum malitiam: inuicem eos separauit, & ea ratione ab iniquitate cessarunt: donec enim constipati, & coadunati fuerant, ægrè desistere poterant ab incæpto, ægre sapere bonum valebant. *Hoc nunc est propositum*, inquit Philo lib. de Abraham, *Disycere vitiorum constipatum cuneum, irritare bonum fœdera, societatem conuellere, copias fundere, fugareque imperium euertere, quod erat communitum iniquitatibus maximis*. Hæc animo volue, quicunque sis iniquæ societatis sectator, & ab iniquorum, & impiorum consilio, & congressu satiùs tibi consulendo mentem retrahe. Vers. 7.

Societas malorum periculosa.

Conuersatio impiorum nisi relinquatur, difficillima emendatio.

§. 27. Qua-

Digitized by Google

Verf. 8.

§. 27 Quare diuisit eos Dominus ex illo loco in vuinersas terras? Quia illorum superbiam castigat Deus, & simul illi consulit, dum illos in longissimas terras diuidit. Et quanto illorum bono diuiduntur? Sanè, in hac diuisione cauit Deus domesticorum insidias, tunc putans rectè actum esse cum humano genere, si occasio omnis præcidatur belli ciuilis, quod est omnium perniciosissimum. Sic pulchrè canit Claudius Marius Victor. lib. 3. in Genesim.

Discordiarum occasio tollenda.

Quamuis vltio iusta
Hæc fuerit, quos non tetigit reuerentia cæli.
Vt nec se agnoscant, verba insonsueta loquentes.
Attamen id multum, quod rupto hoc fædere cautum est.
Ne prælia dura.
Et rabido populis mors arcessenda furore.
Bellum illis ciuile foret: Sic profuit illis.
Inque bonū versa est prima distractio linguę.

Ecce tibi generis humani diuisio vtilis fuit, quia per illam cauit Deus, ne domestica prælia, & ciuilia forent; vbi enim homines separat ab inuicem, & per dissita loca spargit, simul facit, ne quæ necessum est; vt veniant scandala veniant inter domesticos, sed inter disiunctissimos. Timendum enim esset, dum homines erant labij vnius, & inter se coniunctissimi, ne tunc domestica aliqua pugna prosiliret, quæ hominum genus perire faceret. Hanc cauens Deus, vt genus humanum custodiret, illud diuisit, sicque in bonum versa est distractio linguæ. Vt autem Deus diuisit homines cauens domestica dissidia, vt nocentiora; sic diabolus homines coniunxit, vt facilius perderet mundum. Ait D. Chrysologus Serm. 96. *Ex vno homine Deus omnem repleuit terram, & semine ex vno pius sator totum genus hominum tantam multiplicauit ad messem, sed inimicus mox homines in vnum redegit omnes: & super seminando mala deleuit diluuio, non rigauit.* Expende, quid fecerit diabolus, vt ea mala seminaret, quæ omnes homines suffocarent, nimirum ait. *Mox homines in vnum redegit omnes,* non tanta clades gignaretur à contrarijs, ab hostibus; ideò malus omnes sociauit homines, & necessitudinis amicitiæque vinculis copulauit, ratus ab amicis, & domesticis, nisi caueantur, orturas clades, quæ extremas pernicies omnibus afferant.

Discordiarum occasio tollitur ex separatione locorum.

Deus ex ijs, quæ mala sunt, bona deducit.

Deus homines separat ad tollenda dissidia.

Dæmon aliquando vnit homines ad ruinam.

Amici quando fiunt a Dæmone facilè inimici fiunt.

§. 28. Quare Deus ad puniendū vecordes homines, vt à cœpta Turris ædificatione desisterent, non de syluis vocauit aut pantheras, aut vrsos, aut leones, qui eos laniarent, vel cur non misit de cælo lapides magnos, quibus ossa frangerentur, sed solùm confusione linguarum vsus est? Noluit talibus pugnare modis Numen: quoniam cùm de externis essent hostibus huiusmodi copiæ, omnes fortasse ad retundendam contumaciam non satis idoneæ fuissent: volens itaque, vt absque mora, & relpsa à concepta amentia reuocarentur, idiomatum vsus est adminiculo: quorsum id? nimirum, ex non intellectis linguis ciuiles statim inter eos rixæ subnascerentur. *Quia quando vnus,* inquit Nicolaus de Lyra, *petebat lapides, alter portabat camentum, vel aliquid simile, & sic credebat vnus se derideri ab alio, propter quod mota est inter eos rixa, & contentio:* Quòd si certè domesticè semel pugnarent; non dubium, tantæ molis apparatus ipse velut sponte defflueret etiam nullo vrgente hoste; quare cessauerunt deinceps perpetuò ab ædificando. Hanc meritò Turrim Catholici Doctores hæresum figuram dixere: nam hæc quemadmodum à veritatis scopo longissimè aberrat, sic pugnas alit, & rixas innumerabiles inter Pseudo-Magistellos iniquorum dogmatum, ac proindè celer est interitus. Vide Isidorum Hispalensem.

Verf. 7.

Deus ad nostram correctionem non adhibet remedia crudelia.

Deus remedia adhibet opportuna ad nostram correctionem.

Ambitionis molimina nullo aduersante ruunt.

Turris Babylonica Heresum figura.

Heresis discordiarum mater.

§. 29. Vel dic ad supradictum dubium. Vnus itaque populus in septuaginta duos, vt Hebræi colligunt, & vna lingua Hebræa, quæ erat antè turris structuram in 72. est partita, quarum hæc sunt nomina, ait Auctor altercationis synagogæ, & Ecclesiæ. Paronia, Disponia, Abusia, Partauia, Tarsia, Pacreuantia, Samsutia, Mesopotamia, Epiphania, Aranuntia, Pomponia, Macedonia, Arectonia, Cretica, Vrbachia, Chananæa, Sidonia, Sadochia, Vuaschonia, Brictia, Pamphilia, Philippia, Carterionia, Ismaelitica, Parthia, Seuothia, Belathia, Pacationi, Arcinoni, Saxonia, Numidia, India, Ciponia, Vngaria, Russia, Polonia, Bulgaria, Becinae, Scotia, Hispania, Aquitania, Britania, Francia, Armenia, Vuirich, Epperich, Osch, Trech, Apamaluth, Tepegia, Mascuth, Zelech, Amasonia, Alan, Æthiopia, Saumaria, Gerstenstamia, kenia, Mesepia, Vaspurgania, Caldie, Peresica, Scythica,

Verf. 7.

Nomina linguarum, in quas fuerunt diuisi Gigantes.

D Ara-

Arabica, Ellemazie, Mariz, Persica, Galilæa, Chaldæa, Hebræa Assyria. Hæc autem omnia (ait Inferiùs) vnius Hebraicæ linguæ clausura tenebat, quæ in diebus, quibus diuisio, vel confusio linguarum facta est, remansit in domo, vel familia Heber, vndè, & ipsa lingua Hebraica dicta est. Ædificandæ turris Nemrod extitit auctor, inquit Eucherius lib. 2. in Genesim cap. 7. Ædificatores apud Suidam in voce Hebræi appellati sunt Meropes ob diuisam linguam. Ædificatam verò Noè mortuo, Ioan: Nauclerus volum. 1. generatio. 14. affirmat, annoque diluuij 131. At Hebræi in Seder Olam ann. 10. ante obitum Noe, & 48. ab ortu Abrahæ, & à diluuio 340. circa vitæ finem Phaleg, qui à diuisione hoc nomen habuit. Quàm durum humani generis (nunc cape dubij solutionem) fuerit iudicium, Idololatria, Bellum, & similia damna, quæ secuta sunt, manifestant, & loci nomen *Babel*, quod à confusione dictum est. Esse vero typum, vt & diluuium, Dauid insinuat, dum pestiferis, qui ad vniuersale iudicium reseruantur, imprecatur. Psal. 54. vers. 10. *Præcipita Domine, & diuide linguas eorum*; hoc est, *hi ita demergantur*, exponit S. Hieronymus, *sicut in diluuio, & dispergantur diuisis Linguis, sicut factum est in diuisione Turris*. Ergo huiusmodi iudicio particulari significatur confusio omnium, qui post vniuersale iudicium ad rudentes inferni tradentur. Hinc apud Gentiles giganteum Bellum ortum habet, de quo Ouidius lib. 1. Metam.

Hebraica lingua vnde dicta.

Turris Babylonicæ quis auctor?

Quando fuerit ædificata?

Affectasse ferunt regnum cæleste gigantes,
Altaque congestos struxisse ad sidera montes.
Tum Pater omnipotens misso perfregit olympum
Fulmine, & excussit subiectum Pelion Ossæ.

Vndè S. Ambrosius lib. de Arca, & Noe cap. 34. *Gigantes voluisse pugnare aduersùm superna fabulæ inducunt, & terreno ascensu scandendum ad cælestia putauerunt*. Altiore autem sensu illud significatur, quòd qui terrenas diligit voluptates, & eas sequitur, putat his se posse ad Dei gratiam peruenire, & regnum cæleste huiusmodi erroribus deferendum, is aduersùm cælestia contumaci præliatur affectu. Propterea, & in prouerbio est de eo, qui deliquerit. Sicut Nembrod gigas venator ante Deum. Nemrod autem per interpretationem *Rebellis*. Rerum hæc allegoria nos ædificat, ignota tamen Gentilibus, qui fabulam pugnæ giganteæ ex veritate Babylonicæ structuræ finxerunt. Attamen, & fabula infidelibus, & fidelibus veritas demonstrat iudicium vniuersale, & iudicem, qui est illud celebraturus, è cœlo venturum.

Voluptatibus ad Deum non itur.

§. 30. Quare vt confundat linguas, descendere decretat Dominus? Quia voluit in figura ostendere, quod in futuro facturus erat, Audi, *Descendit* olim Deus, & linguam hominum confundit, nouasque linguas in orbem inuexit. *Descendit* quoque, cum natus est Christus, *Descendit*, inquam, in mundum, in stabulum, in præsepe, descensuque suo, atque humilitate, hominum mutauit linguam, nouumque in orbem induxit loquendi morem. Iam paupertas diuitiarum nomen sibi vendicat, diuitiæ inopia appellantur, ignominiæ, ludibria, & opprobria, quæ Christi causa tolerantur, honores dicuntur, crux gloria, Mors vita, carcer libertas nominatur. Quis sic hominum mutauit linguam? Christus ad præsepe, crucemque descendens. Quanam in Schola noua hæc addiscitur scientia? In præsepio. Vt enim ait S. P. N. Augustinus Serm. 18. Natiuit. *Omnis huius natiuitatis Schola, humilitatis est officina*. Vers. 7.

Christus nascendo nouum modum loquendi induxit, & quem.

Natiuitas Christi doctrina humilitatis.

§. 31. Quare si exleges illi cessarunt ab opere vti legitur: *Et cessauerunt ædificare ciuitatem*, nihilominus dispersionem patiuntur *Diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras*? Ne voluntas ædificandi expers maneret supplicij doloris. Ait Philo lib. de confusione linguarum *Desiuerunt*, inquit, *ædificare ciuitatem, & turrim. Dubio procul, non quia perfecerant eam, sed quia confusio secuta prohibuit quominus, perficerent. Nec tamen effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui consilium tàm immane non dubitarunt aggredi*. Potuit non esse effectus operis, sed quia fuerat voluntas, supplicium omninò euitari non potuit. Ea enim est lex præcipuè explicata à Saluatore hominum, quæ etiam voluntarios verberat affectus, non solùm externa opera. Hinc de D. Ioanne Baptista dicitur Marc. cap. 1. vers. 6. *Et erat vestitus pilis cameli, & Zona pellicea circa lumbos eius*. Verum qui Apocal. 1. vers. 13. Apparet inter candelabra Zona aurea cingebatur ad mammillas; ait namque; *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem* Vers. 8.

Voluntas peccandi est digna supplicio.

Peccatum non exequutum ex impedimento est dignum pœna.

Lex diuina etiam malam prohibet intentionem.

tem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & praecinctum ad mammillas zona aurea. Cur Ioannes circà lumbos, hic autem circà mammillas præcingebatur? In Ioanne lex vetus figurabatur, in qua libido, quæ in opus vergebat, castigabatur; in filio hominis Euangelium erat, quod vel solùm mentis affectum iubet castigare, si sit prauus ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 2. in Marc. *Zonam pelliceam habebat in lege, quia Iudæi hoc solùm putant peccatum esse, quòd opere peccant: cæterùm Dominus noster Iesus in Apocalypsi, qui videtur inter candelabra aurea, habebat Zonam auream non in lumbis, sed in pectore. Lex in lumbis cingitur; Christus, hoc est euangelium, & monachorum virtus non solùm in libidine, sed in mente condemnatur. Hic nec cogitare quidem expedit: ibi qui fornicatus fuerit, tenetur in crimine.* Hæc ibi: ne vilipendamus inter nos affectus, qui non exeunt in effectum; quando, & ij, si praui sunt, durissimo etiam supplicio sunt plectendi. Dubium hoc restat duplici modo à nobis resolutum in nostra Apocalypsi quam tot in moralibus Lectionibus elucidatam dedimus Venetijs hoc eodem anno 1690. vide in ea cap. 1. lect. 2. §. 49. & 50. col. 1. pag. 11.

Iudæi solùm opus externum putabant esse peccatum.

Vers. 8.

§. 32. Quare si homines Babelicæ turris ædificatores erant vniti; diuisit eos posteà Dominus ex illo loco in diuersas terras? Quia pacem non bonam Dominus benè dissoluit. Similem in modum disturbanda est pax eorum, qui aliquid impium, vel aduersùs Deum, vel aduersùs proximum moliuntur. Linguarum varietas primos illos homines diuisit: eodem pacto post Christi aduentum linguarum dissimilitudo, ac pugnantia diuisit fideles ab infidelibus, fideles enim Christum, quem animo colebant, ore confitebantur, Christianamque fidem loquebantur; infideles verò blasphemias iactabant. Hinc summus Cœli Clauiger, & Apostolorum Princeps in sua prima cap. 3. vers. 10. scriptum documentum nobis reliquit dicens: *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam suam à malo, & labia eius ne loquantur dolum.*

Vnio impiorum ad mala dissipatur à Deo.

Bona ex linguæ fræno.

Vers. 9.

§. 33. Quare dispersit eos Dominus super faciem totius terræ? Quia dixerunt faciamus turrim cuius culmen pertingat ad Cœlum vt non confundamur: legit Vulgata; vt non dispergamur, Hebræa veritas. Idest ædificemus hanc turrim vt tuti simus à sinistro euentu in ea commorantes: nam in tàm præexcelso molis ædificio, quis contra nos? Illuuies non obruet. Dominium quodlibet aduersùs non irruet. O vos amentes, ò Insensati! En Diuina Iustitia. Dispersit eos Dominus super faciem vniuersæ terræ; Deus vt vos confunderet dispersit. Audite ergo Principes, Diuites, Magnates, vos, qui ad sydera domos vsque ædificastis: vbi nunc commoratis? In labores vestros intrauerunt alij; vos exules à Patria, patriam non habetis, Domus, ædificium, nulla vos recipit ædes. O Numinis, quàm iustum iudicium! En pœna quomodo culpæ respondet; Palatia, quæ ædificastis forsan exilij origo fuit. Hinc documentum cape; qui vt pacatè viuat, ædificia, Palatia, moles extollit, in futuro contraria expectet. Christus Dominus, & Magister *Surgens de Sinagoga introiuit in Domum Simonis.* Luc. 4. vers. 38. cur à tam vasto Sinagogæ ædificio ad Simonis Domunculam transiuit Dominus? vt doceret nos amplas fugere moles, paruam angustamque habitare cellam, & cum Regio vate Psal. 83. vers. 11. dicere *Elegi abiectus esse in Domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorũ.* O! audirēt Religiosi claustrales! Audirē, & ego.

Malis peccando euenit id quod maximè fugiunt

Paupertas amplectenda. Amplitudo fugienda maximè à religiosis.

Vers. 8.

§. 34. Quare non alijs telorum ictibus corruit turris illa, quam improbi homines ædificare, & ad Cœlum vsquè educere conabantur, quàm ædificantium verbis inter se malè concordibus: *Diuisit eos Dominus ex illo loco, & cessanerunt ædificare?* Vt significetur, profana sapientia dum in varias sectas, atque hæreses facessit, labefactari. At verò Sacra Scriptura, turris est fortissima, quæ nullis telis hostilibus succumbit: & quæ solis verbis sibi inuicem concinentibus, se, suosque tuetur. Vnde Rupertus Abbas lib. 3. de Victoria Verbi cap. 3. vtramque inter se turrim componens: *Sancta*, inquit, *Scriptura turris vera, & verè pertingens vsquè ad altitudinem Cœli, construenda erat, Sacramenta continens iam dicta promissionis.* Vbi promissionem intelligit de verbo homine, de quo in superioribus egerat. Meritò igitur factum est, vt illa Christi *Arx alta maneret*: Nempè diuina scriptura: & verbis, quæ Christum Dominum continebant, tanquam clypeis, iacula, quæ diabolus collimabat, facilè repellerentur.

Hæresis falsitatis conuincitur ex multitudine sectarum.

Scriptura Sacra turris fortissima in omnibus sibi concors.

§. 35. Quare in Dei peculiari populo lingua primitiua Adami permansit? In ea lingua non solùm locutus fuerat Adamus, sed, & Deus primo locutus

Sermones Dei lingua nostra resonet.

cùm Adamo apparuit: meritò ergo qui populus Deo peculiari titulo asserebatur, in ea etiam lingua permansit, in qua Deum fuisse locutum constabat. *Manserit autem lingua per Adam primitus data, vt putamus, Hebraa in ea parte hominum, qua non pars alteuius Angeli, vel principis facta est, sed Dei portio permansit.* Sic Origenes homil.11. in Numer. Præclarè enim se fidelem, & addictum illi Domino protestabatur, cuius vel sermonem æmulabatur. Non parum enim homo se homini commendat, cuius se ostendit lingua studiosius ornatum.

Vers. 7.

§. 36 Quare Deus ad confundendum superbæ molis ædificatores Angelos inuitat dicens. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*. Nunquid ad præcipitandas Babeles auxilio indiget? Absit. Ergo si non eget cur Angelos inuitat? Respondet Hebræus Philo, & doctissimè, Omnipotentiæ Dei, quamuis coadiutores necessarij non sint ob potentiæ defectum, conueniunt tamen per maiestatis augmentum, quasi oculis mortalium non benè videatur quòd omnia faciat, qui omnia potest, nec ad destruendum se humiliet qui potest creare, approbatum remaneat. *Rex ipse* (Sic fatus Philo de confus. *linguarum*) *his ministerijs stipatus, vtitur eis dumtaxat ad ea negotia, qua decet non solo Deo tractari. Quamuis enim nullius ope indigeat pater omnium, qua subleuetur, quoties vult aliquid facere: tamen vides, quid se, quid creaturas deceat, & quadam potentijs subditis efficiendi permittit.* En quomodo Principatus decus supremos necessitat dominantes abstinere se, & ad omne id, quod magni formam non habet, & ab eo quod ab infimis sicut à magnatibus tractari potest.

Principes non debent facere, quidquid possunt.

Superiores vt bene regant bonos coadiutores habere debent.

Vers. 8.

§. 37 Quare Turris Babel tam excelsum opus tanto incæptum conatu, tam citò imperfectum remansit? Quia ædificatores eius amplius non audierunt vocem proximorum suorum. Non tam celeriter inter illos coniunctos populos Auditus vsus cessauit, quam attentati audacia sinè mora euanuit. Oh! hæc, & eueniet desolatio in operibus, & Sanctioribus si amittitur verba Dei audiendi facilitas. Hinc Aurea Antistitis Constantinopolitani eloquentia hom. de Anna, & Samuelis educatione scripsit: *Quemadmodum arbor perpetua irrigatione in magnam excrescit altitudinem, sic, & diuinorum eloquiorum sermonibus assiduè irrigatus, ad virtutis fastigium peruenit*, & homil.2. in Esaiam, dicit: *Quemadmodum esurire bonam corporis valetudinem declarat: sic & sermones appetere spirituales anima sanitatem arguit.* Et homil. 15. in Genesim confirmat scribendo, *Sicut esurire signum est bona valetudinis: ita amare diuina eloquia spiritualis sanitatis indicium fuerit maximum.*

Virtus facilè destruitur, si Verbum Dei non auditur.

Verbo Dei virtus crescit.

Verbi Dei fames anima bona signum.

§. 38. Quare diuisit eos Dominus ex illo loco, ita vt nomen, proprium quod celebraturi, imò insculpturi erant homines illi in Babelica turri euanesceret? Quia nomen eorum æternare ambierant in terra, nempè in lateribus superbæ molis, ideircò diuisit eos Dominus ex illo loco; quasi diceret: Venite confundamus quia. *Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea* (psal. 15. vers.4.) *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur*. Psal.68.vers. 29. Hinc documentum cape, quod si vis nomen tuum æternum reddere, debes hoc facere in conspectu Dei. Nempè humilitate, paupertate, charitate, &c. qui talia amplectitur in libro vitæ scriptus dicitur. Primùm in ipsa diuinitate, cum ab æterno prædestinati fuerunt; nomine proprio eo in libro quisque iustus scriptus est (Exod. cap. 33.vers. 12.) *Noui te ex nomine*. Deindè in corde Christi scripti sunt, cum pro illis efficaciter obtulit sacrificium. Hoc est illud; in manibus meis scripsi te.

Vers. 8.

Exaltatio nominis ex humilitate.

§. 39. Quare cum Deus ædificium superbæ Babel destruere vellet dixit venite descendamus, & confundamus linguam? An nonnè potiùs manus, & brachia, quàm linguam percutere, & flagellare debebat? Benè linguas turbat, vt manus confundat, quia in operibus seruilibus est imperantis linguæ ministra manus. Ergo non brachia, non manus, sed benè linguam percussit Dominus illam confundendo, vt non audiret vnusquisque vocem proximi sui.

Vers. 7.

Lingua vtitur ministerio manuum.

§. 40. Quare non permisit Deus, vt Turrim prosequerentur ædificare exleges illi, si certè sciebat nunquam ad metam ascensuram, dum eius culmen ad cælum pertingere optabant? Audite: quia non desistent donec opere compleant, idest, quia nunquam cessaturum erit tale ædificium vsquè dum perfectè compleatur. Sed quomodo pertingere poterit ad sydera, meta à Nembrot intenta? quia in intentione tumidus ille Gigas iam turrim ædificarat, iam contra numen clypeum extulerat, hæc ergo voluntas (vt opus iam perfectum) iudicata fuit à Domino;

Vers. 6.

Voluntas faciendi reputatur prò facto.

ideò

Digitized by Google

ideò *nec desistent donec opere compleant*. Quia propriæ voluntatis intentio tantùm valet, quantùm opus in executione completum. Hinc Radulphus explicans verba Leuitici (cap. 17. vers. 10.) *Homo quilibet de Domo Israel, & de aduenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo*. Sic ad rem nostram loquitur: *Deus autem non solùm, quid agam, sed etiam quid appetam discernit. Antequam ergo quidquam mali exteriùs operemur, si sanguinem sorbuimus, si iniquitatem corde concepimus, mente à Deo alienati, inimicitias eius incurrimus*.

Deo displicent mala opera, & mala intentio.

Vers. 3. §. 41. Quare habuerunt lateres pro saxis? Respondet D. Gregorius super Psal. Miserere lit. B. impress. Romæ tom. 2. pag. mihi 1157. *Quia meritò qui in Sennaar habitant, de lateribus ciuitatem ædificant, quia qui terrenis dediti sunt, voluptatibus carnis inseruiunt de fragili materia mentis mutationem attollunt. Cæterùm qui contempta terrenarum opum cupiditate, & carnalis vitæ abdicatis illecebris, per opera Sanctitatis virtutum in seipsis Sanctificationem accumulant: hi profectò lateres in lapides mutant, & neque in arena mundanæ confidentiæ spiritalem structuram erigunt, sed in petra fidei, quæ Christus est, atria nulli exeidio obnoxia ad similitudinem Euangelicæ illius parabolæ constituunt*.

Vers. 4. §. 42. Quare dixerunt: *Antequam diuidamur*, dum vnitim turrim ædificare, & celebre nomen reddere optabant? Quia inquit Diuus Ioan. Chrysostomus hom. 30. in Genesim, *Diuitiæ dispersa expendentem non relinquunt, sed expectant; retenta autem simulque inclusa etiam se seruantem secum perdunt*. Hinc Regius cæcinit Vates (Psal. 61. vers. 11.) *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere*.

Diuitiæ auarè reseruatæ auarum perdunt.

Vers. 9. §. 43. Quare confuso vniuersæ terræ labio sola Hebræa lingua in Heber domo remansit? Prestò est Eucherius. Quia: *Sicut illi, qui turrim, & ciuitatem ædificabant, per superbiam ab vna lingua in multas diuisi sunt, ita, & hæretici ab vnitate fidei, & confessionis segregati inter se diuersitate erroris quasi per dissonantiam linguæ inuicem secernuntur, quos quidem ipse Deus damnat, in quem offendunt, dum dicit*. Venite descendamus, & confundamus linguas eorum, *in varietate videlicet erroris, siuè schismatum. Eo autem tempora quando linguarum facta est varietas, in sola Domo Heber, quæ antea fuit, lingua remansit, ita, & nunc in sola Ecclesia, quæ est domus Christi, vnitatem confessionis, & fidei pacem diuisis omnibus reprobis, atque hæreticis, manifestum est*. Sic manifesta, est solutio dubij ex comparatione facta ab Eucherio, sed aduerte quòd paucis mutatis verbis ad literam sententia exponitur.

Hæretici vnitatem fidei relinquunt, & in varias sectas abeunt.

In sola Ecclesia Catholica est vera fides.

§. 44. Quare confusum fuit labium, & dispersi ædificatores? Quia dixerunt faciamus turrim cuius culmen pertingat ad Cœlum. En Superbia quomodo depressa cernitur. Viam pertingendi ad Cœlum, sola docet humilitas, quam Superbia nescit. *Quid factura fuerat humana, & vana præsumptio, quantumlibet in cœlum aduersùs Deum altitudinem molis extolleret? Quando montes transcenderet vniuersos? Quando spatium nebulosi aeris huius euaderat? Tutam, veramque in Cœlum viam molitur humilitas, sursum leuans cor ad Dominum non contrà Dominum*. Scripsit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 4. Vers. 9.

Humilitas vera ad ascendendum via.

§. 45 Quare (Deus, qui omnia scit, & omnia videt) dicitur descendisse, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam? Vt per hoc erudiamur nunquam temerè fratres condemnandos, nec auditu solo iudicandum, nisi plurimis argumentis prius certi reddamur. Omnia enim à Deo ideo fiunt, & ob hoc tanta ad erudiendum hominum genus vtitur Sermonis attemperatione. Vndè ad rem Scripsit Abbatis Ruperti venerabilis Calamus. *Si is qui omnia scit, descendere hìc dicitur*, (Gen. cap. 18. vers. 20.) Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam, & videbo verùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non: *Quantò magis homo qui falli potest, antequam sententiam proferat, rem diligenter inuestigare debet*. Vers. 5.

Non est facilè iudicandum de proximo.

§. 46 Quare gigas ille Nemrod, qui post diuisionem linguarum inibi cum suis popularibus remansit, ac regnauit, omissam ædificationem turris, & Ciuitatis non repetijt atque perfecit? Respondendum est: homines illos recentis cladis quam experti fuerant, memores deterritos esse à prosecutione illius ædificij: verentes scilicet ne alia simili calamitate, aut etiam grauiori afficerentur. Et ciuitatis quidem ædificatio vacauit per annos fermè centum, videlicet vsquè ad Semiramidem, quæ inchoatam ciuitatem Babel, incredibili magnitudine, & magnificentia absoluit. Turrim verò illam nequaquam altius Vers. 3.

Mali ab inceptis sceleribus supplicio deterrentur.

Babel ædificatio quando rursus inceperit.

Turris Babel Belo consecrata; quantum duruerit?

tius extulit, sed mirificè ornatam in templum quod Belo consecrauerat, inclusit; eaque perdurauit vsquè ad ætatem Herodoti, (vt ipse ait lib. 1.) idest, per annos mille quadringentos. Claruit enim Herodotus, vt ex eius scriptis licet perspicere, circa Olympiadem septuagesimam quintam.

Vers. 27. §. 47. Quare si Abraham, & Nachor vno Thare seminantur, Nachor Vr Chaldæorum inhabitat, Abraham in terram Chanaan transmigrat peregrinatione vtilissima? Vt cognosceretur verum esse, quòd plures acceptam à numine scientiam in sui, & numinis conuertunt iniuriam. Et vide. Nachor *Luminis quies* interpretatur: ergo dum lumen accipit, ad idolorum cultum conuertit: In Vr Chaldæorum commoratus lumen, & ingenium armat; & veritatem vanis commentis, & idololatriæ deliriis oppugnat. *Luminis quies Nachor interpretatur; & meritò* (scribit Philo de congres. quærendæ erudit. gratia) *Quatenus enim Abrahamum cognatione attingit, sapientiæ lumine factus est particeps*. Addit: *Non demigrat è Chaldaica regione, hoc est, non desistit ab astronomicis speculationibus creaturam magis colens, quam opificem, & mundum magis quàm Deum; imò mundum ipsum Deum esse credens non omnipotentis opificium*. Nachor, vt Abrahamus, astrologiæ scientia fulgebat; verùm quod acceperat lumen, fabulosis nugis impendit, & mundo diuinitatem adscribit: vtilius esset inscitia premi, quàm acceptam à Deo scientiam ipsum in cęlum armare. De superbiæ conflatorio error effectus est, de luminis excellentia cæcitas nata, & quo Deum debuisset nosse, Nachor inuentus est impugnasse: sunt enim plures, quorum lucubrationes, vigiliæque veritatem indagant; sed vt corrumpant: de veritatis armamentario, quibus ipsam oppugnent, arma mutuantur.

Scientiam homines in malum vsum conuertunt.

Vers. 30. §. 48. Quare Abraam ille hebrææ gentis eximius Pater, & Patriarcha, illustrium populorum natura, & moribus fæcundus Saram duxit vxorem sterilitatis malo laborantem. *Erat autem Sara sterilis, nec habebat liberos?* Vt Abraham omne bonum à Deo cognosceret. *Notandum, inquit*, Lippomanus ibidem, *Sanctorum Patrum matres omnes ferè natura steriles describi, vt significetur à solo Deo, quæ sancta sunt, proficisci, tunc scilicet quando naturæ infirmitas succubuerit patenter, ne de naturæ viribus glorientur aliquando Iudæi*.

Deus in electis multa permittit, vt bona sua ab ipso recognoscant.

Vers. 31. §. 49. Quare Thare tulit filios suos omnes Abraam, & Nachor, ac eorum vxores, & de Vr Chaldæorum fugit, si iam relicta idololatria ad cultum veri numinis se reduxerat? Quia virtutis asseclæ satis non est à vitiis recedere; sed à vitiorum etiam confinio debet distare. Sic Petro neganti in atrio Pontificis non satis ei fuit flere peccatum, sed relicta impiorum societate foras exiuit vt amaro abstergeret crimina fletu. Hinc satis ad rem scripsit Nicolaus de Lyra lib. 4. in Leuit. *Quod peccator debet esse elongatus non solùm à peccato, sed etiam ab occasionibus eius*. Et Spiritus Sanctus vt dilecta virtutem acquireret in desertum eam duxit, inde quasi glorians dixit per Oseam (cap. 2. vers. 14.) *Ducam eam in solitudine, & loquar ad cor eius*.

Virtuti deditì non solùm a vitiis, sed etiam ab iis, quæ ad ipsa ducunt, recedere debent.

Vitiorum occasio fugienda.

Vers. 31. §. 50. Vel dic: Thare Haram, seu Charram vrbem, ad habitandum deligit, vt Chaldæorum videlicet persecutionem, fugiendo declinaret, quam in regione illa, ob verum Deo cultum exhibitum sustinebat, ait S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 13. *Manifestum est Domum Thare persecutionem passam fuisse pro vera pietate*. Sub præcepto enim est fuga vbi periculum fidei, vel particulare, vel totius Ecclesiæ imminet. *Cum vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam* iubet Christus per os S. Matthæi cap. 10. vers. 23. *Qui in Iudæa sunt fugiant ad montes*. Matth. cap. 24. vers. 16. quod esset prudentiæ, apertè liquet serpentinam in re tanta, illam exigens; *Estote prudentes, sicut serpentes* (Matth. cap. 10. vers. 16.) inconsultos eos, ac penè temerarios incusans, qui nulla temporum, vel circumstantiarum habita ratione, vel promiscuè omnibus sese credunt periculis, vel pusillanimes terga vertunt, cùm certando, non fugiendo victoriandum est; *Aduersa est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat, expedit plus benè timere, quàm benè fidere*. Sensus est S. Cypriani. Ita Iacobi Mater, cùm illi fugam in Mesopotamiam suaderet: *Fuge in Mesopotamiam*, Bathuelis signanter domum, in qua degeret, designauit Pater; Vnde in Domum Bathuelis (Gen. 28. vers. 5.) quod *Sapientiam* importat, *quasi fuga illa à Sapientia, à prudentia dirigeretur*, commentatur S. Ambrosius ibidem.

Serui Dei à scelestis persecutionem patiuntur.

Fuga laudabilis est, vbi fides periclitatur.

In periculis fidei magna prudentia adhibenda est.

Vers. 31. §. 51. Quare si in Chaldæa vigebant idololatria, ac omnium vitiorum abominatio, hæc etiam alias partes repleuerant

uerant

uerant de Terra illa exijt cum Thare patre Abram? In alijs regnis varij idolorum cultus, ac peccata grassabantur, Chaldæa verò non solùm his detinebatur, sed etiam viri famosi, ac maximè literati huiusmodi errorum Magistri ibi morabantur, & nullum maius beneficium, quàm à talibus discedere, ac fugere. Hinc S. Ambrosius in Psal. 1. vers. 1. ad illa verba, Beatus vir qui non abijt, &c. *Chaldai*, ait, *sunt qui syderum cursus vana studio superstitionis explorant, & impia serunt Gentilitatis errores, ab his fuge, ne te capiant, ne te graui laqueo captiuitatis inectant. Abraham Chaldaus fuit; sed fugit à Chaldæis*,

Errorum magistri maximè fugiendi.

Vers. 31. §. 52. Quare si Thare fugiens de Vr Chaldæorum tulerat Abraam, & Nepotem suum Lot, etiam ex ea non eduxit secum Nachorem filium suum, & apud exleges illos reliquit? Ait S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 13. *Non eduxit secum eur putamus, nisi fortè, quòd à paterna, & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum*. Erat pro illa occasione temporis Nachor maximè addictus idololatriæ, & monentibus Patre Thare, ac fratre Abramo, non acquieuit, & ideò fuit relinquendus; nam in moribus non erat Thare filius.

Curandum est, vt malus à peccato recedat, sed cum obduratus persistit relinquendus, ne & ipse vitietur.

Vbi vitium inoleuit, difficile curatur.

Vers. 31. §. 53. Quare tulit Thare Abraham filium suum, & eduxit eum de Vr Chaldæorum, vt irent in Terram Chanaan? Sententia est S. Ioannis Chrysostomi, quam alij amplectuntur, quòd Thare extitera idololatra, cultu, ac vitijs Chaldæorum viuens. Tamen cum Abraham semper in lege Domini deambulasset, ac maximè fidelis fuisset, mandatum accepit à Deo, vt à terra illa discederet, Quod cùm cognouisset Thare, filium Abraham tulit, & profectus est in terram Chanaan. Sed quomodo Thare recedit à Chaldæis, ac à patria sua. Immò, quod magis mirabile, à Dijs suis, quos ibi colebat. Eligit potiùs Thare relinquere Deos, quos adorabat, quàm se mutuò abdicare à charissimo filio, quem intimè diligebat. *Animaduertere licet, quòd cùm Patriarcha Deo acceptus esset, visus ei Deus imperauit, vt inde migraret. Quod vt agnouit Thare pater eius, licèt infidelis esset; attamen ob amorem in filium, socius illi peregrinationis esse voluit*. Hactenus S. Io. Chrysostomus ibi.

Patria, ac parentes sunt relinquendi, vt Deo obediamus.

Exempli boni vis ad relinquenda vitia.

Vers. 31. §. 54. Quare Thare eduxit Abraam de Vr Chaldæorum? quia persecutionem patiebantur. Iusti enim persecutionem patiuntur propter Iustitiam. Quòd autem Thare, & filij eius persecutionem passi sunt in Chaldæa, refert Archior in libro Iudith cap. 5. vers. 6. dicens populus iste ex progenie Chaldæorum est (vers. 7.) Hic primùm in Mesopotamia habitauit, quoniam noluerunt sequi Deos patrum suorum, qui erant in terra Chaldæorum (vers. 8.) deserentes itaque ceremonias patrum suorum, quæ in multitudine deorum erant, vers. 9. Vnum Deum cæli coluerunt, qui, & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan. Vndè ad rem nostram Aureus ibidem scribit Doctor, *Terribilis postea erat eis vir iustus, & propterea magnis officijs vrgebant, vt inde egrederetur cum omnibus bonis suis. Sic fit non solùm doctor per ea, quę contigerunt Ægyptijs, sed etiam omnibus, qui in itinere erant, & qui in Palæstina habitabant. Discebant enim virtutem prouidentiæ diuinæ erga illum*.

Iustus ab impijs timetur.

§. 55. Quare Abrahamus reliquit patriam, reliquit Chaldæam, vt iret in Chanaam iuxtà præceptum Domini, & mansit in Haram, quæ Ciuitas in ipso Chaldæorum confinio erat, adhuc extra Chanaan? Et cur quando Chaldæam relinquebat, in confinio eius mansit? Cur non magis elongatus est à Chaldæa? Cur ausus est in Haram habitare, quæ erat proxima Chaldæis? Fateor proxima erat Haran Chaldæis, sed parum de Chaldæis habebat; vbi autem quis stat in diminutione malorum, iam non multum abest, quòd Deo appropinquet. Ait Philo lib. de Abraham: *Proindè Vale dicto Chaldæis, quorum professio est scrutari stellas, demigras è magna mundi ciuitate aliquantisper in minorem aliam; sic enim faciliùs videbis mundi præsidem, & hoc est, cur prima migratio fit in agrum Charrensem*. Qui in magna populositate malorum es, si non potes adeò facilè subitò inde ad Deum euolare, saltem euola ad minorem aliam, ad eam nimirum, vbi minus vitiorum inueniatur; inde enim facile erit, quòd ad Deum transeas. Et sanè in hac vita mortali, non parum est, si quis extra populosissimam peccatorum vrbem, in parua aliqua inueniatur, in qua iam poterit citiùs saluari. Vers. 32.

Deo appropinquat, qui a malis recedit.

Vbi à malis totaliter recedere non possumus recedamus saltem ab ijs quantum possumus.

§. 56. Quare quando ab Abrahamo, & patria, & cognati relinquendi erant iuxtà Dei præscriptum, expectat patris ductum, & cum patre, & cognato arripit iter? Cur non magis patri, & cognatis se subtrahit, vt viam, ad quam Deus vocabat, arriperet? Equidem paratus erat, & patriæ, & cognatis Dei Vers. 31.

vo-

Digitized by Google

vocationem præferre; sed vt noluit patrem, cognatumque non impedientes, sed sollicitantes, & adornantes iter, illos comites admisit, & eorum meritò suscepit curam. Ait D. Chrysostomus homil. 36. in Genesim. *Elegit Abrahamus paternam regionem relinquere, & alienam inhabitare, vt præceptum Dei perficeret, & paratus erat etiam absquè familiaribus peregrinus fieri; sed viri virtus, & insignis erga Parentes pietas effecit, vt pater comes fieret itineris.* Pietas patribus debita fecit, ne Abrahamus patrem, cognatumque relinqueret, quando in illis non frænum, sed calcar experiebatur, vt Dei sequeretur nutum.

Curare debemus, vt nobiscum alij, maximè Parentes Deo vocent.

Vers. 4. §. 57. Quare cupiunt nepotes Noe Turrim ædificare, cuius culmen ad cælum pertingeret? Quia nescit ambitio naturæ suæ mensuram agnoscere: inde indecora, & flagitiosa sedulò sibi negotiatur. Sic ad rem scripsit Seneca lib. 2. de Benefic. *Nunquam enim improbæ spei quod datur satis est; & maiora cupimus, quò maiora venerunt. Vt flamma infinitè acrior vis est, quò ex maiori incendio emicuit. Æquè ambitio non patitur quemquam in ea honorum mensura conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum.* Vide immetatam ambitionis libidinem, & quàm sit metuenda vltrà propriam mensuram ambitio.

Ambitioni numquam satis.

Vers. 7. §. 58. Quare in Babelicæ Turris ædificio Deus separauit linguas, & per orbem dispergere voluit, & in die S. Pentecostes dispersæ linguæ vnitæ visæ fuerunt super Apostolorum capita, vti dicitur in Act. Apostol. cap. 2. vers. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, sedique* (nota non dicit *sederunt*, sed *sedit* ad modum vnius) *suprà singulos eorum?* Quia quod superbia demeruit, meruit Apostolorum humilitas. Superbia fabrorum Turris demeruit vnitatem linguæ, meruitque linguarum diuisionem, quam vnionem in Pentecoste meruit humilitas Apostolorum, inquit S. Gregorius in homil. 30. in Euangelia. Sic ergo superbia in Babel diuisit linguas, quas humilitas in Sion vniuit.

Quod superbia demeratur, meretur humilitas.

§. 59. Quare in descriptione generationum istius secundæ ætatis non dicit Scriptura: *Mortuus est*, sicut dicit describendo primam ætatem? Quia nunquam Scriptura aliquid superfluè ponit. In prima autem ætate ponitur: *Et mortuus est* ad differentiam, quia tunc Henoch iustus non fuit mortuus; *Sed tulit eum Dominus* in Paradisum voluptatis, & vt non credatur sic de alijs, dicitur de quolibet: *Et mortuus est*. In ista autem ætate nullus sic in Paradisum translatus est, sed omnes mortui sunt; ideò Scriptura de omnibus mortem subticet, quasi omnes æqualiter fuisse mortuos affirmans. Vers. 10.

Iustorum obitus non est vocandus, nomine Mortis.

Hic aduerte quòd conuincitur error quorundam ex istis generationibus dicentium, quòd post diluuium nullus vixit vltra centum, & viginti annos, iuxtà illud & erit vita hominis centum viginti anni; quia hic legimus quemlibet istorum vixisse quingentis, quadringentis, vel ad minus trecentis annis. Ergo dicendum, quòd illa taxatio temporis de conuersione, & expectatione ad pænitentiam intelligitur, quia in illis centum viginti annis Noè fecit Arcam, & prædicauit, vt pæniteret de peccatis, ne Deus immitteret diluuium super terram.

Error aliquorum circa ætatem priscorum hominum.

§. 60. Quare Gigas ille superbus Nemrod ignem colere docuit secundùm illos, qui dicunt, quòd homines huius temporis timebant destructionem futuram per ignem? Quia Nemrod, respondetur, quòd colebat ignem, ei aliquid deitatis attribuendo, vt non vreret eos, quando omnes alios consumpturus esset. Sic enim ait Marcus Varro inter gentiles vir acutissimus in libro Sacrorum, quòd aliqui Dij colebantur quia boni erant, alij autem colebantur, ne nocerent sicut febris, timor, discordia, & similes. De quibus S.P.N. Augustinus 6. de Ciuitate Dei.

Error Gentilium colentium Deos ne illis nocerent.

DE TVRRI BABELICA MORALITAS.

§. 61. SVperbia sæcularis potentiæ assimulatur Turri Babel. Et hoc primò ratione causæ, scilicet propter quam fuit ædificata, quæ fuit triplex.

Causæ ædificationis Turris Babilonicæ.

Primò fuit timor diluuij; timebāt enim homines, ne iterum diluuium fieret, & ideò se contra ipsum præmunire voluerunt ædificando excelsissimam turrim, quam aqua diluuij non posset operire. In quo signatur, quòd Superbi, & potentes semper sunt in timore, ne à sua alti-

Superbus semper timet, ne ab honoribus deijciatur.

Superbus fit Tyrannus, vt timeatur.

altitudine deijciuntur. Vndè conantur se præmunire ostendendo tyranicè alijs altitudinem suæ potentiæ, ad hoc, vt sẽper plus timeatur, & maiores reputetur.

§. 62. Secunda causa fuit pro cupiditate dominandi. Hoc enim factum est ab hominibus de consilio Nemrod, qui volebat dominari eis. In quo significatur ambitio mundanorum, propter quam vnus appetit alteri dominari, sed sicut dicitur per os Ecclesiastes cap. 8. vers. 9. *Interdum dominatur homo homini in malum suum.*

Homo appetit alteri dominari.

§. 63. Tertia causa fuit pro celebratione nominis, vndè dixerunt, Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras. Vbi attende quadruplex Tyrannorum, & Superborum studium.

Superborum studia quæ sint.

§. 64. Primum est ad commoditates corporales habendas, propter quod isti cogitauerunt ciuitatem facere, vt scilicet commodius viuerent.

§. 65. Secundum est ad se fortificandum, propter quod cogitauerunt turrim maximam ædificare, nempè ad fortitudinem, vndè dicit Iosephus eodem in loco, quòd tanta fuit grossitudo eius, vt aspicientibus de propè longitudo videretur minor.

§. 66. Tertium est ad se exaltandum, vndè cogitauerunt Cœlum attingere, imitantes, scilicet, illum, qui dixit, Esaiæ c. 14. vers. 13. *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamẽti in lateribus Aquilonis.*

§. 67. Quartum studium est ad nomen suum dilatandum. Et sic cogitauerunt isti nomen suum celebrare, siuè apud præsentes præ magnitudine, & pulchritudine operis, siuè apud posteros de operis firmitate, & perpetuitate, sicut in Psalmis Psal. 48. vers. 12. dicitur. *Vocauerunt nomina sua in terris suis.*

§. 68. Secundò superbia potentum assimilatur illi turri ratione materiæ, quia habuerunt lateres coctos pro saxis, bitumen pro cæmento. Sicut autem in cæmento, quod fit ex calce viua, intelligitur vnitas charitatis, in saxo verò, boni operis firmitas. Sic in bitumine accipitur vnitas, & colligatio impietatis, qua eorum sequaces confœderantur, qui loco saxi, idest, veræ constantiæ habent laterẽ coctum pertinacis malitiæ.

Mali sunt constanter vniti in sceleribus.

§. 69. Tertiò ratione patriæ, siuè terræ, vbi fuit ædificata, quia in terra Sennaar; vndè dicitur, quòd cùm proficiscerentur de oriente inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo, & ibi posteà ædificauerunt. Vbi nota primam superbiæ originem in eo, quod isti ædificatores turris profecti sunt de oriente, per quem signatur claritas originis, idest nobilitas natalium, ex qua frequenter nascitur, & prouenit ambitio dominandi. Vel per orientem intellige Christum de quo dicitur Zaccharias cap. 6. vers. 12. *Ecce vir oriens nomen eius*; à cuius claritate, & humilitatis exemplo superbi, & ambitiosi discedunt, & inueniunt campum, scilicet latitudinem, & licentiam voluptatis corporis, quæ lata via est perditionis. Vndè dicitur esse in terra Sennaar, idest fætoris. Quia scilicet libertas voluptatis est causa perditionis animæ, & fætoris infamiæ. Vel turris superbiæ ædificatur in campo Sennaar, idest fætoris; quia licèt superbia floreat, & oleat Mundo, tamen Deo maximè fætet. Vndè superbi assimilantur Ardeis, qui alta scandunt, & fætidi sunt.

Nobilitas natalium ambitionis origo.

Qui à Christo recedit, ad voluptates accedit.

Superbus licèt honoretur ab hominibus, Deo tamen est odiosus.

§. 70. Quartò ratione pœnæ, quia punita fuit hæc superbia pœna diuisionis, & confusionis linguarum; & hæc diuisio linguarum est dissensio superborum, ideò dicitur Prouerb. cap. 13. vers. 10. *Inter superbos semper iurgia sunt*; vbi enim superbia, ibi & contumelia: item propter linguarum confusionem vocatum est nomen illius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ. In malis enim est confusio affectionum. Tot enim linguis loquuntur mali, quot æstuant desiderijs: & benè iungitur Turri Babel, quia superbiam sequitur confusio: Prouerb. cap. 29. vers. 23. *Superbum, sequitur humilitas, & humilem suscipiet gloria.*

Superbia cum vnione nequit permanere.

Mali sunt agitantur affectibus.

§. 71. Item superbus homo difficulter corrigitur: cibus enim in quo nimis est de Sale quasi perditus est; sed non ille in quo parum est, quia potest apponi. Facilius enim Sal cibo apponitur quàm subtrahatur. Sic homo Superbus, qui nimis habet de sensu, difficulter obedit alteri, & ideò non est flexibilis ad obedientiam; sed humilis è conuersò est.

Superbus difficilè obedit.

§. 72. Item superbus similis est illi, qui vult altam domum facere sine fundamento. Nam vult eleuari ad gradum dignitatis sine base humilitatis, & ideò certus potest esse de ruina: nam Sapiens scripsit in Prouerbijs cap. 17. vers. 16. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam.* Hoc, & Turris supradictæ Babel ædificatoribus accidit; nam dum altam, & excelsam ædificabant eorum turrim, propriam inuenerunt ruinam, quia ibi confusum est labiũ eorum,

Superbus facilè ruit.

Digitized by Google

CAPVT XII.

GENESIS.

Vers. 1. Dixit autem Dominus ad Abram, Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi.
2. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.
3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque IN TE benedicentur vniuersa cognationes terra.
4. Egressus est itaque Abram sicut praeceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran.
5. Tulitque Sarai vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran: & egressi sunt vt irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam.
6. Pertransiuit Abram terram vsque ad locum Sichem, vsque ad conuallem illustrem: Chananaus autem tunc erat in terra.
7. Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui adificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei.
8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: adificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.
9. Perrexitque Abram vadens, & vltrà progrediens ad meridiem.
10. Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi: praualuerat enim fames in terra.
11. Cumque prope esset vt ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai vxori sua: Noui quod pulchra sis mulier.
12. Et quod cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt: Vxor illius est: & interficient me, & te reseruabunt.
13. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis: vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.
14. Cùm itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis.
15. Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.
16. Abram verò bene vsi sunt propter illam: fuerantque ei oues, & boues, & asini, & serui, & famula, & asina, & cameli.
17. Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai vxorem Abram.
18. Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti mihi quòd vxor tua esset?
19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur, ecce coniux tua, accipe eam, & vade.
20. Praecepitque Pharao super Abram viris, & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia qua habebat.

LITE-

LITERALIS EXPOSITIO.

Verſ. 1. Num.I. *Dixit autem Dominus.* Ab hoc capituli duodecimi initio, omnes ferè Auctores tertiam incipiunt Geneſis partem; nam prima eſt à cap. primo Geneſeos vſquè ad ſextum continens geſta ab Adamo vſquè ad Noe, & diluuium. Secunda pars eſt à capitulo 6. vſquè ad vndecimum continens geſta à Noe ad Abraham. Tertia pars eſt ab hoc capite vſquè ad 25.& continet Abrami geſta, qui Patriarcha quaſi Pater credentium, ſanctitatis, & perfectionis exemplar nobis proponitur, de quo benè D. Ambroſius impreſſ.Pariſ.lib. 1.de Abraham cap.2.lit.I.col.mihi 267. prædicat, dicens: *Magnus planè vir, & multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis philoſophia non potuit æquare* (& infra lit. K.) tentatur vt fortis, incitatur vt fidelis, prouocatur vt iuſtus. Huic ergo *Dixit Dominus* hic enim eſt Prolepſis, *Dixit autem*, ideſt, dixerat autem, ſcilicet iam ante cùm eſſet Abraam in Vr Chaldæorum.

2 Hic multa occurrunt curioſè notanda: primò enim notandum eſt, quòd ab iſto verbo *Dominus*, fabulatur Lutherus Abrahamum non à Deo, ſed à Sem vocatum eſſe; & fingit ipſe Blaſphemus Deum id Semo indicaſſe, Semum id retuliſſe Abrahamo: ſed confunditur à SS. Protomartyre Stephano, qui in Act. Apoſtol. cap.7. verſ. 2. clarè dicit: *Viri fratres, Deus gloriæ apparuit Patri noſtro Abrahæ, cùm eſſet in Meſopotamia, prius quàm moraretur in Charan* verſ.3. *Et dixit ad illum exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtrauero tibi.*

Error Lutheri circa Abraham.

3 Secundò notandum: quòd cum Abraham Dominus, aliiſque prophetis triplici modo locutus eſt; aliquando per ſomnium à ſe immiſſum, vt patet Abraamo, de quo in cap. 15. Geneſ. verſ.12. dicitur: *Cùmque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus, & tenebroſus inuaſit eum* verſ. 13. *dictumque eſt ad eum: ſcito prænoſcens, quòd peregrinum, &c.* Aliquando per Angelos voce ſenſibili, vt patet Abraamo, de quo cap.17. Gen. verſ.1. dicitur: *Apparuit ei Dominus* (per Angelum intellige) *dixitque ad eum: ego Deus omnipotens: Ambula coram me, & eſto perfectus.* Et aliquando per ſpiritualem locutionem in mente, & Phantaſia, quo modo hic locutus eſt Dominus ad Abraham.

Deus quotupliciter ad Prophetas loquutus.

4 Tertiò notandum eſt, quòd hic primò in vocatione Abram datur typus vocationis omnium, qui ad fidem, gratiam, iuſtitiam, perfectionem, religionem, & ſalutem vocantur. Hinc Abraam dicitur pater credentium, & iuſtorum.

Abraham typus à Deo vocatorum.

5 Quartò notandum, quòd Abraam primus fuit, qui promiſſionem accepit de Chriſto Domino Noſtro ex ſe naſcituro, per cuius fidem, & gratiam omnes gentes benedicendæ erat.

Abraham primus accepit promiſſionem Meſſiæ.

6 Quintò notandum, quòd octies locutus eſt Deus cum Abraam. Primò enim locutus eſt ei cum iuſſit cum relicta patria venire in terram Chanaan, vti hic legitur. Secundò locutus eſt cum eo, poſtquam primus ingreſſus eſt Abram terram Chanaan, vti in verſ. 7. huius capituli legitur. *Apparuit autem Dominus Abraam, & dixit ei, &c.* Tertiò cùm ex Ægypto regreſſus in regionem Chanaan diſſociatus, & ſeparatus eſt à Loth Gen. cap. 13. verſ. 14. *Dixitque Dominus ad Abraham poſtquam diuiſus eſt ab eo Loth: Leua oculos tuos in directum, &c.* Quartò cùm promiſit ei poſteritatem numero ſtellarum comparabilem. Geneſ. cap. 15. verſ. 5. *Ait illi: Suſpice Cœlum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei, ſic erit ſemen tuum.* Quintò cùm præceptum dedit ei circumciſionis Geneſ. cap. 17. verſ. 11. *Et circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Sextò cùm tres Angelos ſub humana ſpecie hoſpitio accepit Gen. cap. 18. verſ. 1. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.* (verſ.2.) *cùmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum, &c.* Septimò cùm iuſſus eſt eijcere è domo ſua Iſmaelem. Geneſ. cap. 21. verſ. 12. *Cui dixit Deus: Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, &c.* Octauò cùm iuſſus eſt immolare filium ſuum Iſaac, at mox deindè cum immolare prohibitus Gen. cap. 22. verſ. 2. *Ait illi; Tolle*

Cũ Abraham quotupliciter locutus eſt Deus, & quæ.

Filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium quem monstrauero tibi. (Et vers. 12.) *Dixitque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam, &c.* Sed quomodo loquebatur Deus cum Abraam? Interiori videlicet (scribit S. Basilius) & Spirituali locutione mentem eius illustrans ad percipienda, quæ docere eum volebat, sic S. Doctor in cap. 7. Esaiæ fatus est: *Equidem arbitror Prophetas non percepisse Verbum Dei sensili auditu; sed quia anima illorum, intellectuales suppetebant aures, ea quæ supernè ipsis nunciabantur, citrà vllam corporis vocem ad eorum pertinebant notitiam, idque fiebat splendore veræ lucis mentes eorum occupante, & subseruiente ad illustrationem intellectus Prophetarum, Vice autem corporeæ vocis, diuinitùs accipiebant, vt alieni fierent à sensorijs organis, perindè atque corporeis vinculis soluti hinc emigrarent.* Hæc S. Basilius: quanquam ex Moysis Historia conijci potest tribus modis Deum apparuisse, & locutum esse Abrahæ, vti superiùs num. 3. exposuimus.

Ad Abraham quomodò Deus loquebatur?

7 *Egredere.* Hebræa veritas legit לך לך *Lech Lecha*, idest *vade tibi*, quasi sit imperatiua vox, vade; & egredere, & penitus exi, ita vt ad eam patriam nunquam sit tibi animus redeundi, Pagninus etiam legit *Vade tibi à terra tua*.

Religiosus numquam ad sæculum, a quo exijt, redire debet.

8 *De Terra tua*, idest de Chaldæorum Vr, quæ est tua Patria.

9 *Et de cognatione tua, & de domo patris tui*. Ly *de domo*, non modo significat Domicilium, verum etiam familiam paternam, vt fratres ipsius Abraham, & filios fratrum, non quidem omnes, sed eos tantum, qui infra idem domicilium vna cum Thare, & ipso Abraham habitabant. Quoniam verò domum paternam derelinquere iussus est Abram, non obscurè ea re significatum est, non satis probam, & bene moratam fuisse eam domum; periculumque fore ne domestica exempla, & instituta probitati, ac pietati Abraæ nocerent.

A Deo vocati, parentes relinquere debent.

Praua exempla virtutis destructiua.

10 *Et veni in terram quam monstrabo tibi*, idest quam tibi assignabo. Nam per ly *quam mostrabo tibi* Hebraicè stat אראך *areeba* idest quam faciam te videre, seù quam oculis tuis ostendam. Vndè benè, contrà quosdam, qui asserunt dominum monstrasse Abraamo terram in quam vocabat eum, scribit Apostolus ad Hebræos cap. 11. vers. 8. *Fide qui vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exijt, (nota) nesciens quò iret.*

Superioris iussui obediendum nō scrutando præceptum.

11 *Faciamque te in gentem magnam*; idest multiplicabo tibi prolem, licèt Sara vxor tua sterilis sit: quasi diceret in præmium tuæ obedientiæ faciam te crescere, te Patrem constituo gentium multarum iuxtà numerum stellarum cæli. Vers. 2.

Obedientia remuneratur.

12 *Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.* Hic aduerte quomodo, & quot ex obedientia Abraamo ortæ fuere benedictiones. Prima fuit magnæ gentis Principatus, *Faciamque te in gentem magnam*. Secunda Frugum, & diuitiarum copia, *& benedicam tibi*. Tertia gloria nominis, *Et magnificabo nomen tuum*, Quarta cumulus omnium benedictionum *Erisque benedictus*. Hebraicè enim legitur תהי ברכה idest *tehi beracha*, *sis benedictio*, quasi diceret ita plenè per omnia sis benedictus, vt videaris esse ipsa benedictio.

Obedientiæ præmia quæ Abraham?

Quinta quòd non solum ei, sed alijs elargienda erat Dei benedictio *Benedicam benedicentibus tibi*. Sexta quòd malè facientibus Abrahæ, ipsis malè facturus erat, *& maledicam maledicentibus tibi*. Huc alludit quod dixit benè Balaam in cap. 24. Numer. vers. 9. *Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.* Septima, & vltima benedictio, quæ omnium excellentior est, vtpotè spiritualis est, quæ sequitur. Vers. 3.

Obedientium amicè etiam remunerati.

Vide quanta sit huius virtutis grauitas.

13 *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ*: idest in semine tuo benedictionem salutis, & iustitiæ accipient omnes gentes, idest Christum Dominum Saluatorem. Sic colligitur significare ex dictis S. Pauli ad Galatas cap. 3. vers. 16. *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit: & seminibus, quasi in multis: sed quasi in vno; & semini tuo, qui est Christus.* Et Sancti Petri qui ad Populum hebræum ante porticum quæ appellatur Salomonis in Act. Apostol. cap. 3. vers. 25. dixit: *Vos estis filij prophetarum, & testamenti quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraam: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ* vers. 26. *Vobis primùm Deus suscitans filium suum, misit eum benedicentem vobis; vt conuertat se vnusquisque à nequitia sua.*

14 *Egressus est itaque Abraham sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: septuagintaquinque annorum erat Abraam cùm egrederetur de Haram.* Idest obedientissimus Abram, qui patre super- Vers. 4.

stite

Digitized by Google

ſtite ex Vr Chaldæorum anno ætatis quinquageſimo ſecundo receſſerat ; ex Aran anno ſeptuageſimo quinto proceſſit adhuc viuo Thare : ſecum Lothum fratris vita functi filium adduxit. Hinc S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 31. in Gen. lit. C. pag. mihi 170. ſcribit : *Non ſimpliciter dixit ; & profectus eſt Abraham, ſed ſicut locutus ei Dominus. Omnia, inquit, fecit, quæ ad præceptum hoc pertinebant. Dixit quòd reliquerit omnia, dimiſerit cognationem, & domum. Dixit, quòd iret in terram, quam neſciret; & munere ſuo functus eſt.*

Obediendum perfectè Superioribus

15 Hic aduerte cum Angelico Doctore 2.2. quæſt. 104. Quod obedientia ſi propriè accipiatur vt reſpicit per intentionem formalem rationem præcepti, erit ſpecialis virtus, & inobedientia ſpeciale peccatum, quia ſecundùm hoc ad obedientiam pertinet, vt impleat actum iuſtitiæ, vel alterius virtutis intendens implere præceptum, & ad inobedientiam, vt actualiter contemnat ſpeciale præceptum. Si verò largè ſumatur pro executione cuiuſcumque, quod poteſt cadere ſub præcepto, & inobedientia pro omiſſione eiuſdem ex quacunque intentione, obedientia erit generalis virtus, & inobedientia generale peccatum art. 2. concl. 2. vbi ſupra.

Obedientia quomodo generalis virtus, & inobedientia generale peccatum?

16 Quæ obedientia non eſt virtus Theologica, quia eius obiectum per ſe non eſt Deus, ſed moralis, quia eſt pars iuſtitiæ, cuius ſuperfluum non attenditur ſecundùm quantum; ſed ſecundùm alias circumſtantias, vt cum quis obedit cui non debet, vel in quibus non debet, &c. ibid. concl. 3.

Obedientia quare non eſt virtus Theologica?

17 Et ipſa obedientia cùm ſit virtus moralis, eſt inferior virtutibus Theologicis, ſed ſuprema inter virtutes morales: Etſi ex ſe conſiderata ſit ſpecialis virtus: tamen vt procedit ex reuerentia continetur ſub diuerſis virtutibus; Si ſit ex reuerentia prælatorum, eſt ſub obſeruantia: Si parentum, ſub pietate: Si Dei, ſub Religione, & pertinet ad deuotionem, quæ eſt principalis actus Religionis, & ſecundùm hoc dicitur quòd laudabilius eſt obedire Deo, quàm ſacrificium offerre; quia in ſacrificio immolatur aliena caro, in obedientia propria voluntas, ibidem Artic. 3. concl. 1. 2. 3.

Obedientia inter virtutes morales ſuprema.

Obedientiæ virtus quomodò diuidatur, & vocetur ſecundum diuerſos reſpectus?

18 Sicuti enim, dicit S. Doctor, naturali neceſſitate omnia naturalia ſubduntur diuinæ motioni, ita quadam neceſſitate iuſtitiæ, omnes voluntates tenentur obedire diuino imperio. Artic. 4. ibid. Deus nihil poteſt præcipere contrà virtutem, ſed benè contrà conſuetum virtutis modum: & ſic præcepit Abrahæ (Gen. cap. 22.) vt filium occideret, quod non fuit contra iuſtitiam, quia Deus eſt actor mortis, & vitæ. Licèt non ſemper homo teneatur velle, quod Deus vult, ſemper tamen tenetur velle, quod Deus vult eum velle, quod homini innoteſcit per præceptum, ſicuti in caſu noſtro de Abraham.

Quomodo ſemper teneamur velle, quod Deus vult?

19 Illud quod dicit Diuus Paulus ad Coloſſenſes cap. 3. verſ. 23. Filij obedite parentibus per omnia; hoc enim placitum eſt in Domino, explicat Sanctus Doctor vbi ſupra artic. 5. concl. 6. quantum ad ea quæ pertinent ad ius patriæ, vel dominatiuæ poteſtatis.

Quomodo filij teneantur obedire parentibus.

20 Religioſi obedientiam profitentur quantùm ad regularem conuerſationem, ſecundùm quam ſuis prælatis ſubduntur; vndè quantùm ad illa ſola obedire tenentur, quæ poſſunt ad regularem conuerſationem pertinere, quæ eſt ſufficiens obedientia ad ſalutem: ſi in alijs licitis obediant, pertinet ad perfectionem, ſic Angelicus Doctor vbi ſupra concl. 8.

Religioſi tenentur obedire Superioribus in ijs, quæ pertinent ad Regularem conuerſationem.

21 *Tulitque Sarai vxorem ſuam, & Loth filium fratris ſui, vniuerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran*; ideſt Abram pergens ex Aran, Sarai vxorem dilectiſſimam primò ſibi itineris ſociam adduxit, deindè Loth Aran fratris ſui filium Sarai vxoris fratrem comitem eligit in fratris, ac vxoris obſequium. Opes denique tunc in gregibus poſitas geſtat, & homines, quos acquiſierat ſiuè generatione, ſiuè emptione, ſiuè exemplo, & doctrina Deo dederat minimè dereliquit; *Vt diſcamus* (ſcribit Aureus Doctor homil. vbi ſuprà lit. A. pag. mihi 171) *Quòd nihil ex bonis Chaldaicis accipiebat Patriarcha, ſed paternis illis omnibus relictis fratri, exijt, ea ſolum ſecum ferens, quæ & in Charran poſſidebat.* Verſ. 5.

Vxor comes laborum coniugis debet eſſe.

Bona ſæcularia vocatus à Deo debet relinquere.

22 *Et egreſſi ſunt vt irent in terram Chanaan. Cumque veniſſent in eam. Aran* dicit Abulenſis impreſſ. Venet. lit. D. col. 1. pag. mihi 121. *Quæ eſt in Meſopotamia eſt magis ſeptentrionalis, quàm terra Chanaan, & magis contra orientem; terra autem Chanaan dicitur terra Paleſtina, & partim terra Phœnicia, & Arabia vbi nunc Iudæa nuncupatur.*

23 *Pertranſiuit Abram terram vſquè ad locum Sichem.* Hæc enim verba veritas Hebræa legit ויעבר אברם בארץ עד מקום שכם ideſt *Vaiangabor Abram* Verſ. 6.

Bea-

Digitized by Google

Baaretz gnad Methom schechem : Abram veniens à Mesopotamia intrauit in terram Chanaan per partem septentrionalem in confinio orientis ; cùm enim terra Chanaan sit Australis respectu terræ Mesopotamiæ, necesse est, quòd qui venit itinere recto de Mesopotamia in terram Chanaan, intret per latus Septentrionale eius : sed quia Mesopotamia non solùm est Septentrionalis respectu terræ Chanaan, sed est etiam orientalis : ideò intrantes in terram Chanaan de Mesopotamia, vel Chaldæa non intrant directè per latus septentrionale terræ Chanaan, idest ex transuerso lateris Septentrionalis ; sed per partem septentrionalem in confinio Orientis. Colligitur hoc ex eo, quod quando Nabucdonosor venit de Babylone, quæ est in Chaldæa, ad terram Chanaan, intrauit, & exiuit per ciuitatem, quæ dicitur Reblata, quæ alio nomine vocatur Emath, & Antiochia (vt scribit S. Hieronymus) & vt patet ex 4. Regum cap. 25. vers. 6. vbi dicitur : *Apprehenderunt ergo Regem, duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatha ; qui locutus est cum eo iudicium* ; Ista autem Reblatha, siue Emath est in confinio Orientis, & Septentrionis terræ Chanaan, vt patet ex Numeris cap. 34. vers. 7. *Porrò ad Septentrionalem plagam à mari magno termini incipient, peruenientes vsquè ad montem altissimum.* vers. 8. *A quo venient in Emath vsquè ad terminos Sedada*. Intrat ergo Abraham per latus Septentrionale, & conuertit se contrà partem orientalem terræ Chanaan.

Sichem vbi sita?

24 *Vsquè ad locum Sichem* ; Sichem enim contrà partem orientalem terræ promissionis est apud montem Heual, & Gazirim, vt patet in lib. de diuisione terræ Sanctæ. Hanc postea dictam Neapolim (idest nouam Ciuitatem) refert Diuus Hieronymus in traditionibus hebraicis. In istâ ciuitate ossa Ioseph de Ægypto translata sunt, vti legitur in cap. 24. Iosue vers. 32. *Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant Filij Israel de Ægypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph*.

In Sichem quæ facta sunt;

In Sichem Emor filius regis oppressit Dinam filiam Iacob, vti habetur Gen. cap. 34. vers. 1. *Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius* (vers. 2.) *quam cùm vidisset Sichem Filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit ; & dormiuit cum illa, vi opprimens Virginem*. Iuxtà fontem Sichem fabricauit Ieroboam duos aureos vitulos, quos adorari fecit ab Israel, sicuti legitur in 3. Regum cap. 12. Sichem interpretatur *Humerus*, siuè *Pars*, aut *Matutinatio*.

25 *Vsquè ad conuallem illustrem*. Hebraicè stat אלון מורה idest *Elon More*. Elon genus arboris est. Et vox More propriè conspicuum, & illustrem significat, si vox hæc à ראה *Rae videre*, deducatur extracta media radicali. Quia verò illa species conspicua, & spectabilis maximè proueniebat ab ipsa arborum proceritate, rectè septuaginta Interpretes verterunt *Ad quercum altam* : Fauet etiam S. Ioan. Chrysostomus, qui loco supracit. lit. B. dicit *Vsquè ad locum Sychem ad quercum excelsam*.

26 *Chananæus autem tunc erat in terra.* Hic non accipitur Chananæus pro tota gente descendente de Chanaan, scilicet pro septem gentibus. Sed dicitur Chananæus ad distinctionem Heuæi Pherezæi, & Iebusæi, qui cum essent simul in illa terra distinguntur à Chananæis descendentibus de filijs Cham, tunc incolentibus conuallem illustrem, idest planitiem robustis, ac proceris quercubus speciosam, iam dictam, quam Deus eis extorquere, & tradere Abrahæ posteris iam parat, & destinat.

Vocatur à Deo ærumnas curare non debet.

27 Dixi : quam Deus eis extorquere, & tradere Abrahæ posteris iam parat, & destinat, quia licèt Deus promiserit Abrahæ possessionem terræ Chanaan, dum tamen ille vixit, nihil eius terræ possedit, sed tanquam aduena, & peregrinus in ea versatus est (*Cogebatur quasi vagus, & peregrinus, & quasi abiectus, & vilis, aliquis diuersari, vt forsè obtingebat*, inquit S. Ioannes Chrysostomus vbi supra Lit. B.) Quin etiam, vt speluncam habere posset in vsum sepulturæ vxoris suæ Saræ, pretio emit eam ab Ephron, qui inter Hethæos habitabat, sicuti legitur Gen. cap. 23. vers. 16. *Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, audientibus filijs Heth, quadringentos Siclos argenti probatæ monetæ publicæ*. Hoc totum superiùs dictum de Abraham confirmatur à. D. Paulo, qui ad Hebræos cap. 11. vers. 9. sic scribit : *Fide demoratus est in Terra repromissionis, tamquam in aliena, in casulis habitando, cum Isaac, & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem*. Et à primo Leuitarum Martyre Stephano in Actibus Apostol. cap. 7. vers. 5. dicente : *Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec passum pedis : sed repro-*

Digitized by Google

promisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum cum non haberet filium. Ergo id temporis Dominus, & possessor illius terræ Chananæus erat; Abram verò vt aduena peregrinabatur in ea, subiectus iurisdictioni, & Chananæorum dominationi.

Vers. 7. 28 *Apparuit autem Dominus Abram*: Hebraicè וירא יהוה אל אברם idest, *apparuit autem Dominus ad Abram*. Cùm apud Mambre Abramus auulsus à familia exoraret per Angelum corpore assumpto, Deus ei apparuit.

29 *Et dixit ei, semini tuo dabo terram hanc*. Hic primùm promisit Deus Abraæ possessionem terræ Chanaan. Nam cùm ex Mesopotamia euocauit eum, tantùm ei dixit *veni in terram quam monstrabo tibi*, non autem dixit, quam *Dabo* tibi. Ly *Dabo*, futuri temporis est. Idest dabo posteris tuis ex tuo semine descendentibus.

30 *Qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei*: Idest pro gratiarum actione tantæ repromissionis gratus Abram ædificauit Altare Domino, & super hanc aram victimas, confessionem, laudem Numini immolauit. Quasi dixisset cum Regio Psalmista Psal. 115. vers. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Continuò subiungens vers. 13. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini Inuocabo*; Et hoc ipsum expressiùs declarans (vers. 17.) *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis*. Quod & factum est. *Extruxit Altare, idim est, quòd gratias pro promissis egit*. Scribit S. Ioannes Chrysostomus homil. 32. in Gen. Lit. D pag. mihi 174.

Beneficia Diuina gratiarum actione compensanda.

☞ 31 Hic aduerte cum doctore Aquinate, quòd gratitudo, quæ benefactoribus gratiam recompensat, distinguitur à Religione, Pietate, & Obseruantia, sicut quodlibet posteriorum distinguitur a priore quasi ab eo deficiens. 2. 2. quæst. 106. artic. 1. concl. 1. Et gratiarum actio respicit gratiam dantis; itaque vbi maior est gratia, quæ sic dicitur, quia gratis datur, ex parte dantis, ibi requiritur maior gratiarum actio ex parte recipientis artic. 2. concl. 1. In quantum gratia dicitur maior ex quantitate dantis, sic innocens tenetur ad maiores gratiarum actiones, quàm pænitens ibi. concl. 2. Si gratia dicatur maior, quia magis datur gratis, sic magis tenetur ad gratiarum actiones pænitens, quàm innocens ibi conclus. 3.

Vers. 8. 32 *Et indè transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel*. Ad montem Garizim, & Hebal inde Abramus ascendit, qui aderat ad Orientem Luza, qui locus postea fuit ab Abram Bethel appellatus. Per prolepsim ergo Bethel nominatur à Mosè.

33 *Bethel*: Bethel vt communi consensu omnes explicant Doctores est Hierusalem, & dicunt quòd habet plura nomina scilicet: *Solima, Luza, Bethel, Hierosolyma, Iebusbèlia, Vrbs sacra, Hierusalem dicitur, atque Salem*.

Bethel quæ sit?

34 *Ædificauit quoque ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius*. Legit S. Ambrosius lib. 1. de Abram cap. 2. Lit. K col. mihi 268. *Et inuocauit in nomine Domini*: indè explicans dicit. *Vbi Bethel, idest, domus Dei, ibi, & ara; vbi ara, ibi, & inuocatio Dei nostri*.

Domus Dei socianda cum sacrificio laudis.

35 *Perrexitque Abram vadens, & vltrà progrediens ad meridiem*: idest Abram non habens firmam ciuitatem in terra illa, ad modum peregrinantis huc illucque vadens castrametatus est in deserto contra Ægyptum, quæ est pars australis respectu terræ Chanaan. Vers. 9.

Vocatus à Deo non debet habere permanentem Ciuitatem, sed quò Superior iusserit, eat.

Vers. 10. 36 *Facta est autem fames in terra: descenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi; præualuerat enim fames in terra*. In terra Palestinæ fames incolas opprimebat, Ægypto frugibus abundante. Fames ergo Abrami familiam peregrinari apud Ægyptum fecit, non ibi habitare; quia Abram spem terræ promissæ nunquam à suo corde expulit. Fames ergo illa missa fuit, vt Abrami constantia in aduersis demonstraretur.

Christianus in ærumnis patriæ cælestis semper sit memor.

☞ 37 Nota quòd fames Græcè dicitur λιμός, & λιμάττω idest appetentia cibi, Famesco; Hebraicè autem רעב idest Rahab, Rehabon, à verbo Raheb esuriit, famelicus fuit. Est propriè fames appetitus calidi, & sicci, secundùm Aristotelem lib. 2. de anima; sic etiam asserit D. Thomas. Famem quàm bellè ab Ouidio 8. Metamorph. descriptam hic inserere placet.

Fames quid sit.

Est locus extremus Scythiæ glacialis in oris.
Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore tellus,
Frigus iners: illic habitant, Pallorque, Tremorque.
Et ieiuna fames.

Et infrà

Quæsitamq; famem lapidoso vidit in antro
Vnguibus, & raris vellentem dentibus herbas.
Hirtus erat crinis, caua lumina, pallor in ore,

Le:

Digitized by Google

Labra incana situ, scabri rubigine dentes,
Dura cutis, per quam spectari viscera possent,
Ossa sub incuruis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus; & à Spinæ tantummodo crate teneri,
Auxerat articulos macies, & genuumque tumebat:
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

38 *Cùmque propè esset vt ingrederetur Ægyptum*, idest antequam accederet ad Ægyptum.

Vers. 11. 39 *Dixit Sarai vxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier.* Inquit Sanctus Ambrosius vbi supra de Abram: *Exercetur Athleta Dei, & duratur aduersis, in desertum abijt, famem incidit, in Ægyptum descendit. Comprerat in Ægypto lasciuam esse iuuenum luxuriam, petulantem cupiditatem, voluptatum intemperantiam. Aduertebat inter huiusmodi viros tutam vxoris pudicitiam fore, sibique coniugis pulchritudinem periculo futuram; monuit vxorem, vt sororem se diceret.*

Abraham non est mentitus, cum Sarai dixit sororem suã.

40 Hic Aduerte quòd Abram mendacium non fecit, neque facere Sarai vxorem suam hortatus est. Quando in sequenti 13. capitulo dixit ei: *Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis.* Et licèt alij imperitè iudicauerint peccasse Abramum, veritatem scilicet occultando, S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 19. pag. mihi 203. col. 2. innocentiam SS. Patriarchæ defendit dicens. *Vbi vxorem suam dixit sororem suam, nihil mentitus. Erat enim, & hoc quia propinqua erat sanguine; sicut etiam Loth eadem propinquitate, cùm fratris eius esset filius, frater eius est dictus. Itaque vxorem tacuit, non negauit; coniugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cauens vt homo: quoniam si periculum, quantum cauere poterat, non caueret; magis tentaret Deum, quàm speraret in Deo. De quare contra calumniantem Faustum Manichæum multa diximus,* lib. 22. contra Faustum cap. 35. & 36.

Vers. 12. 41 *Et quòd cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt: Vxor illius est: & interficient me: & te reseruabunt*, idest noui etiam ego Ægyptiorum audacem incontinentiam; vndè mea admonitio affectui amoris, & Zelotypiæ tribuenda est.

Vers. 13. 42 *Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis.* Hic contra Caluinum. Abram non exposuit periculo adulterij vxorem suam; sed Saræ tantùm iubet silere, quòd vxor eius esset. Et hoc ob periculum imminens suæ vitæ: *Periculum enim numquam sinè periculo pellitur.* Hic ergo respexit Abram ad propriam vitam, ne vt maritus, occideretur; quod cauere debebat, & poterat. Verò quod effugere non poterat propter Ægyptiorum incontinentiam, Deo commendauit, scilicet ne Sara violaretur. Sciebat enim se in hoc præsertim articulo necessitatis Deo curæ esse, cæpitque hic pater fidei contra spem in spem credere. Hinc S. P. N. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 33. col. 2. pag. mihi 405. scripsit. *Neque enim Abram flagitio consensit vxoris, eiusque vendidit adulterium . . . Nequaquam turbata ordine naturali vbi eius potestas erat, iubens potiùs obedienti, quàm cedens concupiscenti. Sic & ipse coniugem castam, & casto corde sibi cohærentem, de cuius animo vbi pudicitia virtus habitabat, nullo modo dubitabat, tacuit; Vxorem dixit sororem: ne se occiso ab alienigenis atque impijs captiua possideretur; certus de Deo suo, qui nihil eam turpe, ac flagitiosum perpeti sineret. Nec eum fides, ac spes fefellit; Namque Pharao territus monstris, multisque propter eam malis afflictus, vbi eius vxorem diuinitùs didicit, illæsam cum honore restituit: Abimelech autem somno commonitus, & edoctus similiter fecit.* Hæc S. P. N. Augustinus.

In castitatis periculis ad Deũ summoperè recurrendum.

Error caluini confutatur, quod Abraham exposuit vxorem periculo adulterij.

43 *Vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui;* idest vt pro te dentur mihi aliqua (sicut posteà factum est) & viuam ego propter te. Ponitur ly *anima* pro toto homine.

44 *Cum itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis.* Primus omnium Hebreæ gentis Abram legitur in Ægypto fuisse, non alio titulo, quàm aduenæ, & peregrini. Ex hoc colligitur euidens Mendacium, Moloni, Possidonij, & Appionis, nec non quorundam aliorum scriptorum dicentium primam hebræorum originem ab Ægyptijs fluxisse. Hos manifesti mendacij conuincit Iosephus in ijs libris, quos Appionem aduersus scripsit. Vers. 14.

Error aliquorum circa originem Hebræorum.

45 Nota. Dicunt Iudæi (quòd apud me aliquantisper fabulosum apparet, licèt probabilitate non careat) quòd Abram vt magis custodiret vxorem suam, nihil omitteret de his, quæ poterat facere, ideo inclusit eam in quadam arca, ne videretur ab Ægyptijs, quos sciebat esse luxuriosos; at verò cùm peruenisset ad transitum cuiusdam fluminis, Ægyptij perscrutantes ea, quæ asportabantur in arca videntes Saram, & eius eximiam pulchritudinem, existimauerunt, quòd illa mulier apta esset

Verſ. 15. coniugio Regis. Ideo ſubditur.

46 ***Et nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum.*** Ideſt aliqui de Ægyptijs, qui erant in tranſitu, nunciauerunt alicui principi Pharaonis de illa muliere. Principes indè, vt regis acquirerent gratiam, dixerunt de pulchritudine mulieris ad Regem. ***Et vt viderunt eam principes Pharaonis, laudauerunt eam coram Pharaone*** (inquit Diuus Ioannes Chryſoſtomus homil. 32. in Gen. lit. A. pag. mihi 177.) ***Oro dilecte, ne temerè prætereas quod dictum eſt, ſed admirare quomodo nullus Ægyptiorum mulieri, vtpote peregrinæ, & à terra aliena aduenienti aliquid fecerit, neque contempſerunt virum, ſed ingreſſi, regi omnia nunciarunt. Cæterùm hoc factum eſt, vt res fieret manifeſtior, & vltio non in priuatum, & plebeium aliquem, ſed in Regem ſæuiret, vt vbique diuulgaretur hoc factum.***

Peregrini benè tractandi ſunt.

47 ***Et ſublata eſt mulier in domum Pharaonis:*** ideſt rapta fuit, & ducta in domum Regis ***non ad ſtuprum, ſed ad matrimonium, quaſi coniux ſaltem ſecundaria Regis futura***, dicit à Lapide ibid. lit. B. pag. mihi 138.

48 Nota hic primò, quòd tunc omnes Reges Aegypti vocabantur Pharaones, ſicut & aliquo tempore omnes Romani Imperatores Cæſares nuncupabantur.

49 Nota ſecundò, morem hunc rapiendi mulieres vetuſtiſſimum fuiſſe apud Aegyptios, & ab his fluxiſſe ad alias gentes. Aegyptij namque Iſidem filiam Inachi regis Argiuorum è Græcia rapuerunt, & nauigio deduxerunt in Aegyptum: quam poſteà diuinis coluerunt honoribus. Græci Europam Agenoris regis filiam à Phœnice raptam, naui, cui Bouis inſigne fuit, in Cretam detulerunt. Iaſo Theſſalus Colchos nauigans, Medeam regij ſanguinis inde vexit in Græciam. Paris Troianorum regis Priami filius, Helenam Menelai regis coniugem, à Sparta raptam Illium abduxit. Nec inter huiuſmodi exempla numerandos eſſe duco raptus fœminarum neceſſitatis cauſa, ideſt propter mulierum penuriam, & vſum coniugij factos: quales olim apud Romanos, & Beniamitas extitiſſe legimus.

Ægyptijs vetuſtiſſimè mulieres rapere.

50 Nota tertiò, quòd Raptus à D. Thoma 2.2. quæſt. 154. artic. 7. definitur ſic: ***Raptus eſt peccatum Luxuriæ, quo perſona aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum faciendum;*** dicitur peccatum luxuriæ, quia per concubitum completur raptus, vt notat Leſſ. lib. 4. cap. 3. nu.

Raptus quid ſit.

66. additur, ***quo perſona aliqua abducitur,*** ad differentiam rapinæ, quæ fieri poteſt, tàm in bonis, quàm in perſonis, ſed non ad finem Luxuriæ, nam reſpectu perſonarum, ſi fiat ad talem finem, dicitur raptus. Additur etiam ***cum violentia*** ad differentiam furti, hæc autem violentia aliquando fit ipſi perſonæ, quæ rapienda eſt, aliquando parentibus, vel alijs illius curam habentibus, aliquando vtriſque, vt idem D. Thomas loc. cit.

51 Nota quartò. Ad hoc autem, vt dicatur raptus formaliter, requiritur primò, vt adſit violentia facta perſonæ, quæ ſi erit ſui iuris ſcilicet ſub nullius cura conſtituta, & conſenſerit, non erit etiam raptus, quamuis adeſſet conſenſus perſonæ raptæ: maxima enim iniuria parentibus irrogatur. Sylueſt. verb. Luxuria, quæſt. 6. dicto. 2. Sanchez. lib. 7. diſp. 12. num. 12. Leſſ. lib. 4. cap. 3. dub. 9. nu. 66. & ſi parentes conſenſerint, & ipſa noluerit à fortiori erit etiam raptus. Nauar. cap. 16. num. 3. & S. Thomas 2.2. quæſt. 154. art. 2. & idem dicitur de Puella ſub tutoribus conſtituta. Sanchez loc. cit. num. 10. Secundò requiritur, vt raptus fiat cauſa libidinis, idem Doctor num. 17. Bonac. quæſt. 4. punct. 18. num. 6. & alij communiter. Tertiò requiritur vt ſit traductio de loco ad locum, Sanchez num. 3. & 20. Quartò, vt mulier rapta ſit honeſtè vitæ, non tamen deſideratur metum expreſsè inferri, ſed ſufficit, vt puella aſpiciat homines deferentes arma ad eam compellendam, ſi renitens fuerit, vt Sanchez lib. 7. diſp. 12. num. 5. & 22. & 23.

Ad raptum quid requiratur?

52 ***Abram verò benè vſi ſunt propter illam: fueruntque ei oues, & boues, & aſini, & ſerui, & famulæ, & aſinæ, & cameli.*** Hebraicè ſtat היטיב *Heteb* ideſt ***benefecit*** ſcilicet Rex, munera dedit Abramo, ad cuius exemplum, & Principes cæteri, & famuli Regiæ aulæ etiam Abramum honorauerunt. ***Hæc autem ipſa*** (inquit Aureus doctor vbi ſupra) ***Honoris, & miniſterij gratia data ſunt ei.*** Verſ. 16.

Aulici mores Principis imitantur.

53 ***Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram.*** Dominus Abrami cuſtos Pharaonem non vt adulterum (quia, & ignorabat coniugatam, & conſtantem debellare minimè potuerat) ſed vt tyrannum iniuſtè raptorem, & impudicum procum vulnerauit horribilibus quidem plagis. ***Et Domum eius***; Hoc eſt aulicos, familiares, quorum inditio, ac laudibus ad- Verſ. 17.

Libido punitur à Deo.

Subditi aliquando puniuntur à Deo propter Principes.

ducta erat Sarai. Hinc Constantinopolitanus Antistes aureo calamo scripsit vbi suprà Lit. B *Quapropter non ipse solus, sed, & omnes qui adhærebant, pænæ fuerunt participes, vt discant, quòd non in peregrinum simplicem, furorem suum exercuerint, neque in hominem è medio vulgò, sed in virum, cuius tutor Deus, tanta illum cura dignans. Et idcircò acerbissima pæna concutiens eius mentem, discedere fecit ab nephario flagitio, coercuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligauit concupiscentiam indomitam, refrenauit furoris insaniam.*

Quantùm Deus puniat iniurias illatas seruis suis.

Deus coercet homines a flagitijs.

Vers. 18. 54 *Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei:* Vt quæreret ab eo, quare huiusmodi rem fecisset, & hoc fuit cognito, quòd Sara soror eius non esset. Fortè Abram subiunxit responsum, sicut fecit infra 20. cap. ad Abimelech, tamen litera tacuit illud.

55 *Quidnam est hoc, quod fecisti mihi? Quare non indicasti, mihi quòd vxor tua esset?* Declarauit hic Pharao se scire, quòd Sarai esset vxor Abrae.

Vers. 19. 56 *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem?* Idest quia dixisti sororem tuam esse, non dubitaui pulchram, modestam Virginem tollere mihi in vxorem. Quia ly *Vt* non significat hic causam finalem, scilicet, quòd Abram propter istum finem diceret Sarai esse sororem suam, vt tolleret eam Rex pro se, sed tenetur consecutiuè, scilicet, quòd tu dixisti, &c.

57 *Nunc igitur, ecce coniux tua, accipe eam, & vade,* idest ecce Sarai in tua potestate est, quocumque volueris perge; libertatem tibi do.

58 *Præcepitque Pharao super Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat.* Ly *Super Abram* intelligitur de Abram, quia sæpè ista præpositio *Super* ponitur pro *De*, & construitur cum ablatiuo, vt fit hic, licèt non appareat; quia eadem terminatio est in accusatiuo, & ablatiuo, & sic dicit doctrinale, cum super est, pro; de sexto coniungere debes: & allegat Virgilij versum in primo Æneidos scilicet. Vers. 20.

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

ANNOTATIO
MORALIS.

Vers. 1. 59 D*Ixit autem Dominus ad Abram, egredere de Terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi;* *Abram* significat animam, Hugo Card. ibid. prima *Terra*, mundum S.P.N. Augustinus super Psalmum n. 62. secunda *terra* Religionem Lyranus ibi: *Cognatio* vitia S. Ambrosius 1. de Abram. *Pater* diabolum S. Ioann. cap. 8. Ergo dic, quòd ibi loquitur Deus ad quamque animam fidelem, vt relictis mundo, vitijs, scelerumque Patre religionem ingrediatur.

Deus ad Religionem vocat relictis incentiuis ad culpam.

60 Vel dic: vocatus ad propriæ perfectionis studium omninò ab hominum societate amouendus: hinc dicitur egredere de terra, de cognatione, & de domo Patris tui, immò semper vt peregrinus vbique habendus, nam S. P.N. Augustinus in sentent. senten. 27. scripsit: *Omnis, qui ad supernam pertinet ciuitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali vitiur vita in patria viuit aliena, vbi inter multa illecebrosa, & multa fallacia Deum nosse, & amare paucorum est.*

Ad Perfectionem vocatus ab hominum societate amouendus est.

Perfectioni vacans peregrinus in mundo esse debet.

61 Vel dic; quando Religiosus subditus mittitur à superiore ad alium Conuentum facit voluntatem Dei. *Et veni in terram, quam monstrabo tibi:* idest non debet subditus eligere sibi monasterium, sed superioris voluntati seipsum humiliare. *Sicque* (Cassianus scripsit lib. 4. de institutis renunciantium impress. Venet. col. 1. pag. mihi 13. cap. 10.) *Vniuersa complere quæcumque fuerint ab eo præcepta, tanquam si à Deo sint cælitùs edita sine vlla discussione festinant; vt nonnumquam etiam impossibilia sibimet imperata, ea fide, ac deuotione suscipiant, vt tota virtute, ac sine vlla cordis hæsitatione perficere ea, aut consummare nitantur, & nec impossibilitatem quidem præcepti pro senioris sui reuerentia metiantur.*

Subditus religiosus ad omnia loca debet esse indifferens.

Superiori obedire debet subditus, sicut Deo.

Obediendū etiam in arduis est à Religioso.

62 Vel dic: Iustus vt ad Deum perueniat debet egredi non solum de conuersatione terrena, sed etiam à semetipso (sicuti dicit S. Ambrosius lib. 1. de Abram impress. Paris. cap. 2. lit. M. col. mihi 267. *Exire de conuersatione terrena,*

Religionem ingrediens saeculum, & se ipsum, idest voluptates debet relinquere.

Digitized by Google

rena, & à fæcularibus oblectamentis, & superioris vitæ moribus, atque actibus debemus, vt non solùm loca, sed etiam nosmetipsos mutemus, Si cupimus adhærere Christo,) & procul ab animo, Patris, domus, Patriæque memoriam pellere. Hinc animæ vocatæ, & iustæ in Psalmis Psal.44. vers.11. dicitur: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscère populum tuum, & Domum patris tui.* (vers.12. ea futura compensatio,) *& concupiscet Rex decorem tuum.*

Parentum memoria à Religioso abdicanda est.

63 Hìc nota, quòd iusti ad rectitudinem triplici gradu ascendunt. Primò enim corrigunt, secundò regunt, tertiò dirigunt. Corrigunt iniquitatem, regunt suam simplicitatem, dirigunt gressus suos ad illam pacis ciuitatem. Corrigunt per satisfactionem, regunt per doctrinam regularem, dirigunt per interioris contemplationis claritatem. Hic est perfectio rectitudinis. De primo cecinit Regius Psalmista Psal. 118. vers.9. *In quo corrigit adolescentior viam suam in custodiendo sermones tuos:* quibus nos docet modum satisfactionis. De secundò ait Satyricus ille.

Iusti ad perfectionem quotupliciter ascendunt?

Animum rege, qui non pauet:
Impera tu: hunc frænis, hunc tu contunde flagellis.

De tertiò in Cantico Zachariæ dicitur Luc.cap.1.vers.78. *Visitauit nos oriens ex alto* (vers.79.) *illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Primi diligere incipiunt. Secundi in dilectione crescunt. Tertij ad summum gradum dilectionis perueniunt.

Vers. 2.

64 *Faciamque te in gentem magnam:* idest tuo virtutum exemplo instrues plurimos filios spirituales ædificando sæculares: nam dicit Mediolanensium Pastor in lib. de Ioseph Patriarcha: *sanctorum vita cæteris norma viuendi est.*

Iustorum vita alijs exemplum ad bonum.

65 Vel dic: qui amplectitur virtutem potest cum sapiente dicere Sap.7. vers.11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.*

Virtutis comes afluentia bonorum, etiam temporalium.

66 *Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum erisque benedictus.* Qui vilia sæcularia deserit, omnibus cælestibus donatur: *Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem,* inquit Citharædus psal.83.vers.8. ò fœlix iustus! Vnum relinquit vile, omnia acquirit augusta.

Deus de Religiosis, & iustis curam habet specialem, vt nihil spirituale, vel temporale desit.

67 Vel dic: de Religiosis Deus specialem habet curam.

Vers. 3.

68 *Benedicam benedicentibus tibi:* Ab vno iusto multa bona proueniunt, ideò *In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ,* idest in te, instar tui, ad tui imitationem. En quomodo perfecti hominis exemplum valet; hinc S. Ambrosius in tom.5. exponens illud Diuus Pauli *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus,* Ad Philip.cap.4. vers.5. scribit. *Cùm enim Modestia eorum manifestata fuerit, idest rationabilis conuersatio, lucebunt opera eorum, & non deerunt, qui imitentur bonum illorum, vt non solùm propriorum gestorum, sed & aliorum augmentum consequantur, vt sicut dictum est, Labores fructuum suorum edunt. Quando enim fructus operum ipsorum alios acquirit ad opus bonum, labores eorum qui acquisiti sunt, proficient eis, quorum exemplo bona opera imitari cæperunt.*

A iustis multa bona proueniunt.

Exemplum boni viri multùm prodest.

Vers. 4.

69 *Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus.* Vocatus à Deo ad religionem debet mundū, mundana, & omnia relinquere sicut vocatur à Domino, nam dicit S. Bernardus citatus ab Hugone Cardinale ibidem: *Sunt aliqui qui etsi corporaliter reliquerunt Aegyptum,* idest Mundum; *ad quæcunque tamen Ægyptiaca* (idest Mundana) *tenerrimè respirant.*

Vocatus à Deo ad Religionem debet omnia relinquere.

70 Hìc nota cum Cassiano collat. 3. cap.4. col. 1. pag. mihi 73. quòd tres sunt vocationum ordines, tres quoque renunciationes sunt monacho necessariæ. Primus ordo ex Deo est. Secundus per hominem. Tertius ex necessitate. Ex Deo quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ, ac salutis exsuscitat, deumque sequi, & eius inhærere præceptis compunctione saluberrima cohortatur: vt in Scripturis Sanctis Abraam voce Dominica de genitali solo, & totius cognationis suæ affectibus patrisque domo legimus euocatum, dicente domino, exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, quo etiam modo Beatum Antonium accitum esse cognouimus: Secundus vocationis modus est, qui fit per hominem, cùm vel exemplis quorundam Sanctorum, vel monitis instigati ad desiderium salutis accendimur. Tertius est modus, qui ex necessitate descendit, cùm nos diuitijs Mundi huius, vel voluptatibus obligati, ingruentibus repentè tentationibus, ad Dominum saltem inuiti properare compellimur. Ergo Prima abrenunciatio est, qua corporaliter vniuersas diuitias mundi facultatesque contemnimus. Secunda, qua mores, & vitia, & affectus pristinos animi, carnisque respui-

Vocationum ordines quot sint?

Religioso renunciatio quotuplex necessaria sit?

primus, Tertia, qua mentem de præsentibus vniuersis, ac visionibus euocantes, futura tantummodo contemplamur. Quæ tria vt perficeret, Deus Abramo præcepit. Primum, cùm dixit *De terra tua*, idest de facultatibus Mundi huius. Secundum, *De cognatione tua*, idest de conuersatione, & moribus, vitiisque prioribus. Tertium, *De Domo patris tui*, Idest memoria Mundi huius, quæ oculorum occurrit obtutibus. Nunc autem in hoc 4. versiculo omnia antedicta ostenditur fecisse Abram, dum dicitur. *Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus*.

Societas bonorum plurimi facienda est.

71 *Et iuit cum eo Loth*, Societas bonorum est plurimi facienda. Hinc Origenes homil. 18. in num. cap. 24. (quæ tamen in Origene est homil. 19 nec in eo hanc potui inuenire sententiam) citatus à P. Didaco Lopez in sua ciborum Spiritualium mensa impress. Lugduni Titul. Societas, num. 15. col. 2. pag. mihi 816. dicit: *Qui enim iter Sapientiæ Dei incedunt, nemora sunt eis vmbrantia omnis cœtus iustorum, sub vmbra enim sensuum, quos apud eos scriptos inueniunt, refrigerantur animæ eorum, & in doctrina eorum, quasi incedentes per opaca nemorum delectantur; vt horti iuxtà fluuios irrigui; rigantur enim ab illis, & inundantur, & ad omnem scientiam, & agnitionem cælestium nutriuntur.*

Ad virtutem sequendam quæcumque ætas idonea est.

72 *Septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Haram*: Ad virtutem capessendam quæcunque ætas matura, & cadens, viridis, & congrua iudicanda. *Vidisti* (inquit D. Ioannes Chrysostomus homil. 31. in Genesim lit. B pag. mihi 170.) *Quomodo nec ætas ei*, idest Abramo, *Fuit obstaculo, neque aliud quidquam quod potuit eum detinere, vt domi resideret; sed vicit omnia ipsius in Deum amor. Anima enim vigilans, & sobria, cuncta dissecat impedimenta, totaque fit eius quod amat, & à nullo quod in medio apparet difficile, remorari se patitur: Sed omnia præterit, nec subsistit, priusquàm re desiderata potiatur.*

Vers. 5. 73 *Tulitque Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui*. Quid per Abram, per Vxorem, & per Loth, nisi Ratio, voluntas, & corpus intelligitur; ista tria simul vnita pergere debent in spirituali progressu; nam sæpè nec ratio intelligit quod debet, nec voluntas diligit intellecta, & caro impedit, vt non quæcumque volumus faciamus: vnde si hæc disiuncta fuerint, opus perfectionis corruit, nec ad virtutis metam peruenitur; Dauid quod

Ratio, voluntas, & corpus pergere debent vnita in spirituali progressu.

totum expertus est cecinit in Psal. 37. vers. 11. *Cor meum conturbatum est* (Ecce voluntas famelica) *Dereliquit me virtus mea* (eccè fortitudo corporis laxata) *Et Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum* (Eccè ratio cæca) hinc semper ratio est famelica veritatis, voluntas charitatis, corpus verò fortitudinis habet opus.

Egrediens à mundo toto affectu egredi debet.

74 Vel dic. Qui egreditur è mundo ex toto egredi debet, vt verè dicat cum Philosopho, Omnia mea mecum porto, & cum Apostolo meliùs ad Galatas cap 6. vers. 14. *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Ideo Abram tulit etiam omnem sustantiam quam habebat, vt nullam memoriam haberet de Vr Chaldæorum; sic & nos nullam omninò memoriam debemus habere de mundo, ex quo conuertimur ad Deum. Hoc est quod dicit Dominus Animæ per os Hieremiæ cap. 4. vers. 1. *Si reuerteris Israel, ait Dominus, ad me conuertere: si abstuleris offendicula tua à facie mea, non commoueberis.*

Ingredienti Religionem memoria sæculi est relinquenda.

Opes habere ad necessaria non præiudicat Religioso instituto.

75 *Vniuersamque substantiam, quam possederant*: Opes possidere ad sumptus necessarios perfectionis instituto non aduersatur.

Diuitiarum genus triplex.

76 Hic nota quòd triplex genus diuitiarum inuenitur. Sunt enim diuitiæ malæ, bonæ, & mediæ: Malæ quidem sunt, de quibus Psal. 33. vers. 11. *Diuites eguerunt, & esurierunt*. Et Lucæ cap. 6. vers. 24. *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram*. Quas etiam diuitias peccatorum abiecisse summa perfectio est: ad quarum distinctionem sunt pauperes illi, qui in Euangelio, Domini voce laudantur Matth. cap. 5. vers. 3. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum*, & in Psal. 33. vers. 7. *Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum*. Et iterum Psal. 73. vers. 21. *Pauper & inops laudabunt nomen tuum*.

Vide notabilia circa triplex genus diuitiarum.

77 Sunt, & diuitiæ bonæ, quas acquisisse magnæ virtutis ac meriti est, quas vir iustus vt Abram, possidens collaudatur, dicente Dauid Psal. 111. vers. 2. *Generatio rectorum benedicetur* (vers. 3.) *Gloria, & diuitiæ in domo eius, & iustitia eius manet in sæculum sæculi.*

78 Sunt quoque diuitiæ mediæ idest quæ possunt vel bonæ esse, vel malæ: ad vtramque enim partem pro arbitrio, vel qualitate vtentium transferuntur: de quibus Beatus Apostolus in prima ad Timotheum cap. 6. vers. 17. *Diuitibus*, ait, *huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo (qui præstat nobis*

Digitized by Google

omnia abundè ad fruendum (verſ. 18.) benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare (verſ. 19.) Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Quas iterum Diues ille in Euangelio retinens, ac nequaquam indigentibus ſubminiſtrans, (de cuius micis ſaturari pauper Lazarus antè fores eius expoſitus cupiebat) intolerandis gæhennæ ignibus, & æterno deputatur ardori.

79 Et animas quas fecerant in Haran: ſpirituales filij quaſi naturales, immò ampliùs à ſpiritualibus viris diligendi. Hinc Apoſtolus in prima ad Corinthios cap.4. verſ.14. ſcribens dixit: Non vt confundam vos, hæc ſcribo, ſed vt filios meos chariſſimos moneo (verſ.15.) Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres. Nam in Chriſto Ieſu per euangelium, ego vos genui.

Patres ſpirituales diligere debent filios ſpirituales, vti Patres naturales.

Verſ. 6.

80 Pertranſiuit Abram terram vſquè ad locum Sichem, vſquè ad conuallem illuſtrem: En vide Abram pertranſit vſquè ad conuallem illuſtrem, ideſt vt nonnulli explicant vſquè ad loca deſerta. O nobile documentum quod iuſtis dat iuſtorum Pater! Virtutis aſſeclæ Deum inuenire cupitis? ſolitaria diligite loca, & quamuis ſoli fueritis nunquam ſoli commorabimini, nam inquit S. Ambroſius lib.3. de offic. cap. 1. tom. 1. Quando ergo iuſtus ſolus eſt, qui cum Deo ſemper eſt? quando ſolitarius eſt, qui nunquam ſeparatur à Chriſto? quis nos, inquit, ſeparabit à dilectione Chriſti? confido, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, quando autem feriatur à negotio, qui nunquam feriatur à merito, quo conſummatur negotium? Quibus autem locis circumſcribitur, cui totus mundus diuitiarum poſſeſſio eſt? qua æſtimatione definitur, qui nunquam opinione comprehenditur? Etenim quaſi ignoratur, & cognoſcitur, quaſi moritur, & ecce viuit; quaſi triſtis, & ſemper lætior, vt egenus, & largus, vt qui nihil habeat, & poſſideat omnia.

A viris iuſtis ſolitudo diligenda eſt.

Verſ. 7.

81 Apparuit autem Dominus Abram: Quatuor modis apparet Deus hominibus. Primò in rebus creatis, Inuiſibilia enim Dei à Creatore mundi per ea quæ facta ſunt viſibilia conſpiciuntur: quia in his apparet Dei potentia, & ſapientia. Secundò, ſicut apparuit antiquis, viſibilibus figuris, vt in igne, nube, columna, & in ſpecie Angelica, vt Abraæ. Tertiò, in carne, in qua viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Quartò ſpiritaliter in contemplatione. Hoc modo quilibet Iuſtus dominum videre deſiderat, dicens cum anima Canticorum (Cant. cap.1. verſ.6.) Indica mihi quem diligit anima mea: vt poſteà videat eum in patria ſua ſicuti eſt: Vbi non faſtidiet auiditas, non ſe ſubtrahet ſuauitas, non fraudabit veritas, non deficiet æternitas: ſed interim Verbum Dei ſpecialiter ſe manifeſtat intùs, quia verbum eſt, non ſonans, ſed penetrans; non loquax, ſed efficax; non auribus obſtrepens, ſed affectibus blandiens; faciem eſt non formata, ſed formans, ſed perſtringens oculos cordis, ſed faciem cordis lætificans, grata amoris munere, non colore.

Quotupliciter Deus apparet hominibus.

82 Semini tuo dabo terram hanc: qui ædificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei: Nota dabo, & ſtatim ſequitur ædificauit. Caue ergo accipere à Deo, & non mox reddere ei, qui beneficia confert, vt recipiat grati animi obſequium. Non expectauit (inquit S. Ioannes Chryſoſtomus ibi) donec promiſſa complerentur, ſed & mox pro promiſſione gratias egit, & faciebat, quod in ſe erat vt ſinceram gratitudinem præ ſe ferens, Dominum prouocaret ad promiſſiones ſuas implendas. Iuſtum ergo iſtum, quantum poſſumus imitemur. Magna enim, & immenſa nobis promiſſa ſunt à Domino. Cæterùm nec diffidamus eò quòd ea non videntur corporalibus oculis, ſed ex eis, quæ iam conceſſa ſunt, etiam de futuris bonam ſpem habeamus. Sic aſſueſcendum ad gratias habendas Deo pro omnibus, & ſingulis beneficijs.

Pro beneficijs acceptis Deo ſtatim gratias agere debemus.

83 Et indè tranſgrediens ad montem qui erat contrà orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum ſuum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi Altare Domino, & inuocauit nomen eius. Tàm agnatum debet eſſe fideli iter agenti, cùm ad oppida accedit, ad templum accurrere, vt ſi non adſit templum, debeat apud cordis domum ſpirituale altare conſtruere, vbi Conditori ductori itineris offerat holocauſtum: & ſi ſic facies Ipſe Deus, dicit Sapiens in Prouerbijs cap.4. verſ. 27. Ipſe autem rectos faciet curſus tuos, itinera autem tua in pace producet. Verſ. 8.

Templum ſtatim adire bonum, non curioſa videre, cùm ad aliquam Ciuitatem accedimus.

84 Perrexitque Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem. Meridies ſignificat perfectionem. Benè ergo progredi dicitur ad meridiem, qui ab hac aurora fidei ſuæ vltrà vadens, & progrediens de virtute in virtutem, ſinè dubio, ad plenum, & æternū peruenit perfectionis diem, ſcribit Tuitienſis Abbas impreſſ. Colon. Agrip. lib.5. in Geneſ. cap 6. col.2. pag. mihi 93. Verſ. 9.

In perfectionis via nunquam ſiſtendum.

85 Facta eſt autem fames in terra: deſcenditque Abram in Ægyptum, vt peregrinare- Verſ. 10.

Iuſti aliquando ſunt egeni,

& impij abundantes temporalibus.

grinaretur ibi: Sæpè quando iusti egestate laborāt, impij abundantia fruuntur.

Vt peregrinus debet esse iustus in hac vita.

86 *Vt peregrinaretur ibi*: Iustus in hoc mundo semper est peregrinus. Nā Doctor Gentium in c. 13. ad Hebr. vers. 14. prædicat dicens: *Non enim habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.*

Necessitate urgente debet Superior cōtemplationis delicias relinquere, & ad agendum circa temporalia descendere, sed statim ad illam redire.

87 Vel dic: *facta est autem fames in terra, descenditque Abram, &c.* Dum vrget necessitas, debet Abram idest Superior, Prælatus de vita contemplatiua ad actiuam descendere, non vt indigena, sed quasi peregrinus, qui completa necessitate statim ad contemplationem redire debet. Actiua enim vita debet esse in tolerantia, contemplatiua verò in desiderio.

Vers. 11.

88 *Cumque propè esset, vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarai vxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier.* Scribit S. Ambrosius lib. 1. de Abram cap. 2. col. mihi 268. *Aduertebat inter huiusmodi viros intutam fore vxoris pudicitiam, sibique coniugis pulchritudinem periculo futuram: monuit vxorem, vt sororem se diceret* (Ad rem nostram.) *Quo docetur non magnoperè quærendum decorem coniugis, qui viro necem plerumque gignere soleat. Non enim tàm pulchritudo mulieris, quàm virtus eius, & grauitas delectat virum.* Ergo ducturis vxorem, si quidem quietum, ac suaue coniugium cupiunt, non admodum optanda est excellens pulchritudo; vt quæ viris multiplicis curæ, solicitudinis, timoris, ac periculorum sæpè causa est. Difficilis ergo prouincia est vxor formosa, venenum dulce, compedes aurei, splendida seruitus: semperque in eo vigilandum, quod à multis cùm appetatur, difficulter custoditur. Quantorum malorum, & calamitatum pulchritudo Lucretiæ, ac Virginiæ causa fuerit ex Romanis historijs notum est. Meritò igitur Satyricus ille Poeta castigat inepta, & sinistra parentum vota, qui eximiam liberis suis pulchritudinem, ac formæ elegantiam peroptent; quæ non raró tùm alijs, tùm etiam illis ipsis perniciosa, & exitialis fuit: vt multis optabilius fuerit, corpore turpes quàm pulchros fuisse. Sic Iuuenalis Satyr. 10.

In vxoribus non pulchritudo, sed virtus præcipuè quærenda.

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
Ipsa habuit: cuperet Rutilæ Virginia gibbum
Accipere, atque suam Rutilæ dare.

Vxorem suam amans quacumque ætate illam pulchram reputat.

89 Vel dic: *Noui quòd pulchra sis mulier*: Probus maritus etiam si senectus vxorem deformat, pulchram semper noscit; nam qui amat vxorem semper spectabilem reputat. Tibi deformis iam ostenditur vxor? Non dubites tepescere dilectionem: *Amor* enim *verus constantia probatur*, dicit S. Ambrosius l. 6. Epist. epist. 2. ad Sabinum versùs finem in to. 3.

Vers. 12.

90 *Et quòd, cùm viderint te Ægyptij, dicturi sunt: vxor illius est. Et interficient me, & te reseruabunt.* Aegyptij idest dæmones quando vident iustum, cuius animam nequeunt habere, occidunt animæ maritum, idest corpus tentationibus criminibusq; obruunt, vt animam perpetuò reseruent igni cruciandam. Hæc diaboli est proprietas, vt iustos magis, quàm peccatores persequatur. *Quemadmodum*, inquit Aureus doctor homil. 4. de verbis Isaiæ Vidi Dominum, &c. *Fit in nauigijs, qui vacuam habent nauim, non metuunt piratarum insultum. Non enim veniunt vt conterant nauem nihil vehentem. Cæterùm ij qui nauem habent onustam, metuunt piratas. Nam Pirata illuc properat vbi aurum, vbi argentum: vbi lapides pretiosi sic & Diabolus non facilè persequitur peccatores, sed iustum potiùs, vbi multæ sunt opes.*

Dæmones tentant nos varijs tentationibus, vt perdant.

Quo quis est iustior, eò cauendum à Dæmonibus.

Vers. 13.

91 *Dic ergo obsecro te, quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Quasi diceret*: Scribit S. Ioannes Chrysostomus homil. 32. in Genes. lit. D. pag. mihi 176. *Nihil aliud relictum est quo saluer, quàm vt dicas*: Soror eius sum. *Fortassis enim effugiam periculum quod expecto, & posthac propter te viuam, & tibi quod reliquum vitæ fuerit acceptum feram.* (d mores nota) *Hoc verè est coniugium, quoniam non solùm in prosperitate, sed & in periculis simul obambulat. Hoc germanæ charitatis indicium est, hoc signo certissimè internoscitur amicitia. Non sic diadema in capite positum regem præclarum ornat, atque obedientia illa qua consilio iusti paruit, beatam, & illustrem, & claram demonstrauit.*

Coniuges in tribulatione semper vniti esse debent, & socij.

Vers. 14.

92 *Cùm itaque ingressus esset Abram Aegyptum, viderunt Aegyptij mulierem, quòd esset pulchra nimis.* Exleges cognoscunt virtutem dum vident quampulchram esse, sed acquirere dedignantur, immò & laudare, quia, nota quòd *Viderunt* dicit, sed non quòd *laudauerunt*. Attamen hæc virtutis gloria est, quòd eius opera laudatore externo non egent. *Plus enim*, inquit D. Ambrosius, *Est quod probatur aspectu, quàm quod sermone laudatur. Ità bonorum operum proprium est, vt externo commendatore non egeant, sed gratiam suam, cùm videntur, ipsa testantur.*

Virtus pulchra indicatur a malis, sed illam non sequuntur.

Virtus externo laudatore non indiget, sed se ipsa laudatur.

Vers. 15.

93 *Et nunciauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.* Si principes non nunciarent Regi, si non laudarent, Rex pudicitiæ iura non frange-

ret

Aulici multoties occasio peccati Principibus.

ret. En Aulicorum pessimus mos! benè ergo dicebat Seneca in Thyeste.

Vt nemo doceat fraudis, & sceleris viam,
Regnum docebit.

idest fraudis scelerumque est Aula magistra. Hinc Lucanus lib. 8. Bell. ciuil. aitbat.

Exeat aula,
Qui volet esse pius.

Eloquium prauum facilè incitat ad malum.

94 Vel dic: *Nunciauerunt principes Pharaoni*. Potens colloquium prauum ad animum alliciendum ad crimina; ideò Apostolus in prima ad Corinthios cap. 15. vers. 33. scripsit. *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloquia mala*.

Vers. 16. 95 *Abram verò benè vsi sunt propter illam: fueruntque ei oues, & boues, & asini, & serui, & famula, & asina, & cameli*, O tempora, quando non fratribus, sed maritis apertè munera exhibentur! An Rex tot muneribus fratrem putatum cumulauit, quia fruitus erat sorore? Audiui sæpè amorem nudum exprimi, quia munificentissimus est; sed crediderim vti munificentia ante voluptatis assecutionem: post voluptatem autem rursum manus occludere. Hinc collige Sarai se constantissimam ostentare.

96 Vel dic: mundani sunt liberales pro corpore, auari pro Anima; facilè expendunt ad voluptates captandas; difficile autem eleemosynas faciunt, & legatis pro mortuis satisfaciunt. Heu lacrimabilis infelicitas! Tantum, (immò omnia) pro corpore, nihil pro Anima? tantum pro mundo, nihil pro patria? Audi exlegem, adnotatum à D. Luca cap. 12. vers. 19. quod dicit: *Et dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*. Audisti mundanum pro corpore quomodo disposuit omnia? nunc audi Deum, vers. 20. *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti cuius erunt?* Audisti? meditare.

Mundani homines facilè expendunt pro corpore, non prò anima.

Vers. 17. 97 *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abram*. Eodem supplicio puniuntur criminum mediatores, ac patratores. Misera sors, alium voluptate frui, & plerumque sine alio commodo æternum deperire.

Sæpe consiliator ad crimina cù peccante punitur.

98 Vel dic: magnum testimonium documentumque castitatis. Intuendus locus ita hortatorius, vt vnusquisque se castum præbeat, alienum non affectet torum, nec latendi spe, aut faciendi impunitate, alienam vxorem incestet, non incuria, aut stultitia prouocetur mariti, aut absentia longiore. *Adest* (inquit D. Ambrosius lib. 1. de Abram cap. 2. col. mihi 269.) *præsul coniugij Deus, quem nihil lateat, nullus euadat, nemo irrideat, vicem absentis mariti tuetur, seruat excubias, imò sine excubijs deprehendit reum, antequam faciat quod parauerit in animis singulorum, in mentibus vniuersorum crimen agnoscit. Et si maritum adulter fefelleris, non falles Deum: & si maritum euaseris, & si iudicem fori luseris, non euades iudicem totius mundi. Ille grauiùs vlciscitur iniuriam inopiæ, contumeliam imprudentiæ mariti. Maior est enim iniuria, auctorem, quàm custodem thalami spretum esse, nec non consideratum*.

Peccandum non est etiam si occultum, vel impunitum crimen esset futurum.

Adulteros grauiter punit Deus.

Vers. 18. 99 *Vocauitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? Quare non indicasti mihi quòd vxor tua esset?* Pharaonem si non flagellasset Deus, nec à malo incæpto desisteret. Vtique Domini vexationes exleges ipsos percutiendo amouent à crimine. De hoc exemplum habes alterius Pharaonis quoties à Moysis flagello castigati toties illuminati, sed tandem in sua cùm permansisset cordis obstinatione, in profundum absorptus est inferni. Dic ergo quòd peccatoribus nunc incipiunt flagella, & in ignis gehenna desinunt. Hoc est quod dicebat Vaticani magistra Columba in lib. 9. suorum moralium cap. 5. nempè: *Non tamen iudicat Deus bis in idipsum. Vnum est enim flagellum, quod temporaliter incipit, & in æternis supplicijs consummatur*.

Vexatio malos retrahit à crimine.

In hac vita aliquando incipit æterna pœna.

Vers. 19. 100 *Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorem? Nunc igitur: Ecce coniux tua, accipe eam, & vade*. Fuga aduersùs impudicitiam victoria perficitur; hinc S. P. N. Augustinus in Serm. 250. de temp. hortatur omnes, & singulos, dicendo *In occasione peccandi apprehende fugam si vis inuenire victoriam, nec tibi verecundum sit fugere, si palmam desideras obtinere*. Sic ergo media fuga, tollenda, & remouenda est occasio mala.

Impudicitiæ occasio vincitur fuga.

Vers. 20. 101 *Præcepitque Pharao super Abram viris: & deduxerunt eum, & vxorem illius, & omnia quæ habebat*. Suggellat morali stylo caput hoc Mediolanensium Pastor opportunè huic versiculo moralitatem suam ferendo dicens. *Etsi natura ferus, ac barbarus, tamen significat etiam exteris, ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterij etiam sibi crimen cauendum. Qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum si* bar-

Digitized by Google

barbarus ius nouit naturæ, cùm muta animalia licèt nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua, quæ non solùm paribus suis copulæ seruent fidem, verum etiam cortus vnius castitatem custodiant. Ita maior lex naturæ, quàm legum præscriptio est. Non mirum ergo, si & iste Aegyptius Rex Deum timuit, qui hominem non timebat, & pænam soluit adulterij, qui nullis reus tenebatur legibus, statimque vt alienam esse cognouit vxorem, non solùm marito reddidit, verùm etiam prosecutores dedit, qui deducerent eum, ne quis de populo barbaro irrogaret violentiam, vel peculio viri, vel vxoris pudori. Pulcherrimus est hic locus ad incitandum studium deuotionis, quòd is qui Deum sequitur, tutus semper est. Et ideò Deum præferre debemus omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum filiorumque gratia, nec vxoris contemplatione reuocari debemus ab executione præceptorum cælestium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens est seruare quæ donas. Hactenus S. Ambrosius lib. 1. de Abram impress. Parisf. lit. D. & E. cap. 2. col. mihi 269.

Dei animus semper tutus est.

Ex nullo motiuo reuocari debemus à Dei præceptis.

DVBIA SACRA

IN CAPVT XII. GENESIS.

Vers. 1. §. 1 QVare non indicat Deus Abramo suo, quò debeat pergere? mandat egredi de terra sua, nec ostendit quònam contendat? Hærebit, aut errabit, qui iubetur ire, & ignorat viæ terminum. Luculenter Basilius Seleuciensis orat. 7. *Metam celat*, ait, *vt cursum contendat*. Nam ille ad perfectionis fastigium ocyus currit, qui spiritu actus nescit *quò vadit*. Magnum planè Euangelicæ perfectionis mysterium, & eximium obedientiæ elogium! præparatione currimus nescientes quò vadimus, ad metam celeriùs contendimus, & attenti ad diuinos nutus stantes volamus. Vndè hic benè dicitur, quòd Deus præcepit Abramo suo vt exiret, nec illi ostendit itineris metam, vt cursum contendat. Sic semper quasi viro spirituali celatur meta, vt ad Deum contendat cursum.

Quando Deus iubet, vel Superior; sinè discretione præcepti exequi debemus.

Vers. 1. §. 2 Quare si Eloquentia Seleucæ orat. 7. illud (veni in terram quam monstrabo tibi) interpretatur *de cælo tessera, cape*. Quid est ergo, exi de Domo patris tui, & cape tesseram? Tessera (vt alia eius significata ommittam) aleam significat, lusus planè liberalis, ne dicam præceps, & prodigus, & in quo ex vno aleæ volutatu, aut diues euadis, aut miserè depauperaris. Periculosum quidem ludendi genus. Vnde alea, aut tessera pro periculo ponitur. Itaque laudatissimum fuit, quòd Abramus exiret de Patris sui illustri Domo, & diuite familia; & eiusmodi exitu tesseram caperet, seu periculum felicitatis.

Vers. 1. §. 3 Quare fidei nostræ parens, & omnium Princeps Patriarcharum Abramus, cælesti oraculo, exire de terra sua iubetur, & in Chananæorum, Caldæa deserta, properare regionem? Ad familiare Dei colloquium inuitabatur; *Apparuit autem Dominus, & dixit ei &c.* & ideò iustum rationique consentaneum fuit, vt a curis sæcularibus, sæculique tumultibus auocaretur, referret Hebræus Philo. *Postquam Abram, totam Domum egressus est*, ait, *Lex, visum ei Deum, dicens, quòd manifestè appareret extricato rebus mortalibus, & recurrenti ad incorpoream huius corporis animam.*

Vocatus à Deo à curis Secularibus recedere debet.

Vers. 1. §. 4 Quare Abramo dicitur *veni in terram*, Et non monstratur quæ sit, sed solùm subiungitur, *quam monstrabo tibi*? Terra Abramo monstranda Terra promissionis erat, regio paradisea, & præclara patriæ cælestis vmbra. Et quò ad eam (vt vt possit) tendat, à natali solo exul extrahitur, à chara cognatione euellitur; sed planè nesciens quò iret. Et sanè mirissimum est, velut cæcis spebus tot cognationum vincula Abramum vltrò præcidisse, vt quò nesciret, tam maturè contenderet. Audiendus est Rupertus lib. 5. in Genes. impress. Col. Agipp. cap. 6. col. 1. pag. mihi 93. Sic ad præscripta verba philosophatus. *Hoc solum dixit Deus*: Et veni in terram, quam monstrabo tibi, *Et ipsam illi terram nondum demonstrauit. Profectò nescientem quò iret, ire iussit, & miro modo, & expectando ire, & eundo expectare præcepit, vbinam quies daretur sibi.* Scilicet nonnisi magna aliqua

Amore Paradisi è patria facilè exire debemus.

qua vis Abramum posset extrahere de terra sua, & de cognatione sua, & de domo patris sui, vt maturiùs iret, quò ipse nesciret: nisi terra promissionis ad quam ducebatur, & quæ erat paradisææ felicitatis vmbra, dubijs saltem notis quodammodò transpareret: quæ etsi obscura luce illum traheret, & nescientem duceret. Itaque cælestis beatitudo, velut cæca aliqua vi magnetem æmulata, sic ad se homines attrahit, vt non modò mente apprehensa, nec dignè æstimata, ad se alliciat; sed à dubijs coniecturis propè ignorata, vltrò Abramum extraxerit, *& nescientem quò iret*, ire compulerit, *& miro modo, & expectando ire, & eundo expectare*. O' propè inuisa cælestis beatitudinis vmbra, sic Abrami affectum ad anhelum sui studium oppignerat, & adumbratæ felicitatis riualem grata violentia facit?

Vbi aliquod bonum facere difficultas retardat, Cæli promissio promptos reddit.

Vers. 1.

§. 5. Quare Abram nesciens quò iret, rectà tendens, terram promissionis inuenerit? Ad rem scribit incertus Chrysostomus in opere imperfecto homil. 1. in Matth. *Abram Pater fidelium, quem Deus voluit exemplum esse sanctorum, dicens ad eum*: Exi de terra tua, &c. & veni in terram quam tibi monstrabo: *Vt sciant omnes homines, qui voluerint esse filij Abraæ, & terram illam viuam possessionis accipere, de qua scriptum est*. Credo videre bona Domini in terra viuentium Psal. 26. vers. 13. vel *vitarum*, vt ex hebræa origine alij transtulerunt. Sententiosè cælestis, & beata Ierusalem *terra viua* nominatur. An terra viua dicitur, sicut *aqua viua*, quæ spontè fluens mouetur? Quorsum cælestis promissionis terra, *terra* sic *viua* nuncupatur? Citò dicam, quia eam propè nesciunt homines, cùm eorum æstimationem excellat; ipsa cælestis beatitudo, seu beatum cæli regnum, quasi *terra viua* spontè venit ad nos. Quod in oratione Dominica quotidie postulamus repetita oratione precantes, *Adueniat regnum tuum*. Vndè in sua Apocalypsi vidit Ioannes *Ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo* (quem locum aliter exposuimus in nostra explanata Apocalypsi tot in moralibus lectionibus impress. Venet. Anno 1690. vide in ea lect. 22. §. 4. pag. 160. & §. 41. pag. 165.) Apoc. cap. 21. vers. 2. Vide oculis præ nobilem generositatem cælestis patriæ, ad quam quia exules cunctantur pergere, ipsa parat ad exules descendere, vt beatis spebus, & gloriæ obsidem teneamus, & futuræ beatitudinis gaudia prælibemus. Ideò *terra viua* Abramo credentium patri præmonstratur.

Beatitudo nostram æstimationem excellit.

Beatitudinis gaudia à iustis in hac vita prælibantur.

Vers. 1.

§. 6. Quare iubet Deus Abramo; egredere de terra tua de cognatione tua, & de domo patris tui? Quasi dicat: egredere de Chaldæa, patria tua, & de cognatione, ac domo tua, ampliùs eò non rediturus. Sit tibi exinceps omnis terra, & nulla terra, patria tua, vel potiùs exilium tuum. Quia perfectus homo est mundi exul. Sic sapienter Hugo Victorinus lib. 3. Didasc. erud. cap. 20. confirmat dicens: *Delicatus ille est adhuc, cui patria dulcis est: fortis autem, cui omne solum patria est: perfectus verò, cui totus mundus exilium est. Ille mundo amorem fixit; iste sparsit; hic extinxit*. Velut extinctus mundo est; & quasi coloniam in cœlum præproperè duxerit, mundi exul est, cui patria chara non est, cui instar mortis exilium non est. Scitè Hebræus Philo lib. de Abramo, de eius peregrinatione, aut exilio ita fatur: *Quis alius putas tàm constans fuisset, ac pertinax* (Abrami de patria egressio, *pertinacia* dicitur?) *vt non flecteretur affectu cognationis, & patriæ quarum innatum, & coalitum est cuique desiderium, magis, aut certè non minùs, quàm membra corporis? Testes sunt legislatores; qui secundum ab extrema capitali pœna atrocissimorum criminum conuictis statuerunt exilium: profectò non secundam, quantùm equidem verè indicare possum, sed aliquando grauiorem*. Reddit Philo rationem, & quidem peridoneam: *Siquidem mors calamitatum finis est, exilium verò nonfinis est, sed nouorum malorum initium, dum eustata vna sensu carentis, innumera mortes sentiuntur*. Itaque exilium dicuntur *innumera mortes*, ad quarum tolerantiam velut obstinata *pertinacia* requiritur. Quid exaggeratius? Ergo Abram pro obedientia tot innumeras sustulit mortes, quoties exul à patria fuit.

Homo perfectus in hoc Mundo quasi exul debet esse.

Iustus non detinetur affectu cognationis, vel patriæ.

Vers. 1.

§. 7 Quare Abramus præceptum babet egrediendi de Terra, de cognatione, & de Domo post mortem Tharæ patris eius, & non anteà? Hoc dubium colligitur ex verbis S. Ioannis Chrisostomi in homil. 31. in Genesim, qui scribit. *Non anteà Abramum Deus indeuocauit, donec mortuus est Thara. Et tunc illo defuncto, inquit, & dixit Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, de cognatione tua, & de domo patris tui*. Scilicet Abramus Tharæ primogenitus, & tantorum bonorum hæres, tandem non iubetur à paterna domo egredi, & omnia relinquere, (si spectetur narratio-

nis series) quousquè eius pater defunctus est. Non cùm viuente patre, longissimis tenebatur spebus paternum percipiendi sensum: nec post fastidia possessę hæreditatis *iam odiosa ipsa satietate* (vt inquit Seneca epist. 78.) sed dum primigenia fortuna arridebat magnæ, & opulentæ domus primogenito: Tunc, tunc quidem egredi iubetur è paterna domo, & omnia deserere. Importuno sanè tempore tunc vocari videtur Abramus. Imò & opportunissimo; nam mors propè spectata, quid non impetret pietatis? Porrò ipsum paternum funus, quo patris diues census illi obuenit, ad illum deserendum tacitè inuitat; & in patris sepulcro terrena filij spes vnà tumulatur, in quo non absimilem rerum desertionem descriptam reperit. Festinat ipse res ipsas deserere præcurrat. Proprium ipse funus in paterno prælegit: & rerum abdicationem melioris vitæ facit asylum; paternumque occasum pietatis ortum inuenit, aut fecit. Indè opportunè notat Chrysostomus, quod consultissimè Abram in hęreditatis percipiendæ euocatur auspicio, tacita etiam sepulchri suasione permotus: O in aliena morte præproperè lege tuam!

Mors ad omnia spernenda stimulus.

Vers. 1. §.8. Quare dum terminus à quo exeundum Abramo est, explicatiùs exponit, imò & difficultates exeundi particulatim exaggerat Deus, cùm terminum, ad quem eundum illi erat, exponere debuisset, illum designare prorsùs negligit, & silentio occultat? Benè est, egrediatur Abram de vr Chaldæorum, & paternam domum audacter deserat; quò iturus est, cur illi minimè denunciatur? Versùs quam mundi plagam iter suum dirigat, qui quò iturus sit, prorsus ignorat? Puto, qui sic de domo sua egreditur non it, sed errat, & nescius quò vadat, vagus, & profugus quoquouersùs deuiabit. O' gratiæ Sacramenta, & actuosa Perfectorum opera graphicè in Abrami vocatione adumbrata! Peregregiè Basilius Seleuciensis in orat. 7. *Veni in terram, quam monstrabo tibi: Locum occultat, vt animi constantiam exerceat.* Nempè in alta Abrami vocatione, ab impia Caldeæ vrbe ad terram promissionis (in qua Sanctorum ad perfectionis fastigium, typus figuratur) cursus sui meta Abramo non proponitur, ne qui illum sic magnificè vocat, perfectionem metari videatur. Nulla figitur acquirendæ virtutis meta, immetata est res Christianæ perfectionis: quantamlibet virtutis perfectionem acquisieris, non te sistas, quia adhuc superest, quod requiras: totum tibi videatur parùm, quicquid adhuc potest recipere augmentum. Consumata hominum virtus, adhuc vteriùs consummari potest; vltra perfectionem adhuc perfectio stat, & immetatis terminis dilatatur. Vno verbo dicam, Nil virtuti satis est.

Nulla nobis præfigitur perfectionis meta.

§.9 Quare Iubetur Abramus paternam domum relinquere, natiuitatis solum, vt eat in terram monstrandam sibi? Quænam hæc Terra, quam ostensurus sit ei Dominus? Vbi sita? quo climate? quanta fertilitate? Præclara est de hoc Numinis mandato S.P.N. Augustini oratio Serm. 68. de tempore, *Nouum probationis genus, habenti propria, exilia indicere peregrina, ingerere laborem itineris quiescenti, imperare penuriam possidenti, & tantarum facultatum Domino necessitatem imponere peregrinandi: Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina; & voluntaria casa, quàm digesta pratoria? Exi, ait, de terra tua: Quis hoc sinè fidei viribus libenter audiret? Leuiùs probaretur, si vel nomen loci, quò perrexisset, audiret.* Benè appellauit nouum probationis genus: Cui enim similis indictus recessus? Iacobum enim peregrinari mater Rebecca compulit, sed quò pergeret, intimauit, scilicet in fratris sui Laban domum: Sed considera Abramum inter Patriarchas nominatum *Patrem multarum gentium*. (vt infrà cap. 17. explicabimus Deo fauente) Quos autem illa nominatio significauit, nisi viros Apostolicos, nisi Concionatores, quorum sonus in omnem terram exit, ac proindè plurimarum nationum genitores sunt in Christo Iesu? In horum igitur typum dictum est Abrahæ, vti certa, & possessa pro ignotis commutaret: nec aliam se habere patriam arbitraretur, quàm vbi maior refulgeret Dei honor, vbique diuinum grandius obsequium. Vnde habes, quòd Christi imitatoribus verbum Dei seminantibus nulla fixa est patria; & ibi domicilium, vbi maior Dei honor affulget.

Vers. 1.

Domum relinquere ad Dei nutum magnæ virtutis indicium.

Concionatores eò debent ire quò maior Dei gloria eos vocat.

Concionatoribus nulla fixa est patria.

§. 10. Quare si Deus Abram ad perfectionem, suique amorem vocabat, preceptum tàm difficile dedit, vt egrederetur de terra, de domo propria, & de cognatione? Difficillimum fuisse hoc præceptum eleganter demonstrat S.P. N. Augustinus nuper citatus, qui ad

Vers. 1.

ad verba superiori in §. alata adiungit: *Libenter tamen fides accepit, quicquid arduum videbatur incredulis; Leue non est cuiquam dimittere propria, & sectari aliena incerta? Quis enim propria sinè dolore, & lacrymis dereliquit?* Suppono etiam (vt dubium soluam) cum Lyrano, Abramum tunc in tyronum, & incipientium statu positum: nam hæc initia familiaritatis cum Numine. Stupesco igitur, quòd nouitio etiamnum tàm strenua proponeret: his enim lac, non escas difficiliores porrigendas monet Paulus: sic & Deus ipse populum de Aegypto exeuntem circumduxit priùs per plana, ne territi sub exordio itineris cælestia contemnerent promissa, Abraæ itaque tyrocinio nondum absoluto, cur ea imperauerit, quibus vix ferendo sint gigantes? Equidem Deus Patriarcham ad magnifica vocabat: *Faciamque te in gentem magnam* (ait) *benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum*. Hæc tam grandia, si inter domesticos remaneret consanguinei, vt moris est impedirent: nam illi capitales hostes sunt magnorum conatuum. Quò igitur cognati Abraæ offendiculo non essent ad excelsa currenti, tyroni adhuc non veretur exilium indicere, & ardua imperata reuelare. Aptè D. Hieronymus epist. 28. ad Lucinum: *Abraa dicitur*: Egredere de terra tua, & de cognatione, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monstrauero tibi: *Relinquit Chaldaam, relinquit Mesopotamiam: quarit, quod nescit, ne perdat, quod inuenerat*: non enim arbitratus est simul se habere posse, & patriam, & Deum. Comptè dixit: *simul habere posse*. Nam anhelantibus ad superna, præcipuus obex, patria, domestici, ac consanguinei.

Vt iusti magna operentur, à consanguineis retrahendi.

Vers. 1. §. 11. Quare paradiseam regionem charissimo Deus occultauit Abramo, & per ignotos calles illum ductitat, malè festinantem ad metam, quam ignorabat? *Locum occultat, vt animi constantiam exerceat: metam celat, vt cursum contendat*, diximus superiùs cum Seleuco ingenio orat. 7. Pende modò ly, *vt animi constantiam exerceat*, more simplicium, qui ambulant confidenter (vti dixit Sapiens in Prouerbijs cap. 10. vers. 9. *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter*,) non more duplicium, qui in omnibus vijs suis inconstantes deprehenduntur. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus vijs suis*, S. Iacobi epist. cap. 1. vers. 8. *Præstat per Deum nescire, quàm per hominem scire*, sententiosè Tertullianus lib. de Anima cap. 1. Ita ingenitæ simplicitatis suffragio strauit sibi viam ad beatam regionem Abramus, & per camdem semitam traducendos cùm fidelium parente, illius filios adumbrauit.

Simplicitas ad Cælum viam parat.

§. 12. Quare Abram non priùs vocatur à Deo ad speculandam hæreditatem terræ Chanaan, quàm fuerit pater eius defunctus? Hoc dubium licèt cum aureæ eloquentiæ calamo superiùs iam resolutum videatur, attamen nouam solutionis reflexionem attende. Vt si quando Abram aliquo inordinato affectu paternas ambijsset diuitias, vel nouissimarum oblatione, immoderatiùs adhæsisset oblatis, paterni recordatione pulueris emendaretur, & illas amandaret affectu diuitias, quas secum in tumulum deferre non possunt hæredes. *Si enim obitus non refrænat, & quid tandem reuocabit?* instat Theodor. stuit. serm. 12. En quantum mortis meditatio præstat! Vers. 1.

Mortis memoria inordinati affectus cohibentur.

§. 13. Quare non dixit solùm *Egredere de terra tua*, sed addidit, *& de cognatione tua*? Respondet Abbas Rupertus, qui dubium sibi proponit (lib. 5. in Genesim cap. 3. pag. mihi 92.) *Nisi quia alibi terra, & alibi cognatio eius erat? Siquidem terra eius Chaldaa erat, cognatione autem eius nunc in Aran, idest in Syriam, profugiendo deuenerat. Quòd ergo cùm dixisset* egredere de terra, *addidit*, & de cognatione tua, *idem est ac si diceret: sicut de terra Chaldæorum corpore egressus es, animo quoque sic egredere, vt nunquam illuc redeas, insuper & hinc; vbi nunc habitas*, egredere de cognatione tua. Vers. 1.

Vocatus à Deo non solùm patriæ sed parentum affectum debet relinquere.

§. 14. Quare Deus non statim promissa dona concedit Abramo, sed in longum tempus differt dicens: *Faciamque te in gentem magnam*, &c. *si spes qua differtur affligit animam*, dixit Spiritus Sanctus in Prouerbijs cap. 13. vers. 12. Ad quid ergo tantum tempus interponitur? Ità Deus alta sua dispositione se solet exhibere, vt doni dilatione magis virtus exerceatur, ac probetur; sic affirmat Aureus Doctor homil. 31. in Genesim: *Cùm promissionem promissionibus adiunxisset, iterum paruam moram facit, & differt vt hac potissimum ratione Patriarcha pietas demonstretur*. Vers. 2.

Deus iustis aliquando differt promissa bona, vt magis exerceantur.

§. 15. Quare post egressionem de patrio solo promittitur Abraæ faciam te in gentem magnam? Strenuum virtutis athletam priùs in palæstram prolixæ peregrinationis producit; continuò sperandum perniciosis cursus bra- Vers. 2.

uium munificè taxat. Ecquod est opulentum hoc præmium? Faciam te in gentem magnam. Lege dubium: & quomodo in gentem magnam, si dixit Moyses in cap.7 Deuteronomij vers. 7. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores?* Populus præ reliquis oppidò exiguus in gentem magnam excrescere dicitur, cùm exiguo præ cæteris numero circumscribatur? Audi Ruperti Abbatis acumen lib.5. in Gen.cap.5. ad rem opportunè satis. Faciamque te, *inquit*, in gentem magnam: *Non dixit in gentem multam. Etenim gens illa quæ pro benedictione nunc offertur, comparatione aliarum gentium, non valdè multa futura erat.....Benè ergo non ait*: faciamque te in gentem *multam, sed* in gentem magnam. *Nam verè magna gens, cuius Dominus Deus eius, de qua magnos Patriarchas atque Prophetas, ac diuersorum meritorum magnos viros habemus, per quos veram Dei magnitudinem cognouit mundus*. Profectò Abramides, quos Deus in gentem magnam eligit, non in gentem multam esse vult: vult enim ex hac gente erigere Patriarchas, afflare Prophetas, propagare iustos, & populum Dei eligere, per quem veram eius magnitudinem mundus agnoscat. Persæpè enim gens quantò ditior magnitudine, tantò egentior deuotione: latior corpore, angustior mente, *multiplicasti gentem* (inquit Esaias c.9.vers.3.) *& non magnificasti lætitiam*. Benè ergo non ait: faciam te in gentem multam, sed in gentem magnam. Heù quoties non magna, quia multa!

Verè magnus, qui habet Deum amicum, & adiutorem.

Vers. 2. §. 16 Quare necesse fuit tot promissionibus Abram ad suam amicitiam dominum prouocare? Non enim Abrami cum Deo amicitia, vt sæcularis est, quæ spe potiùs, quàm fide paritur. Peritè has Dei promissiones magnificas Basilius Seleuciæ antistes contemplatus orat. 7. arguté Abramum tunc vocat *Amicitiæ diuinæ nundinatorem*. Scilicet Abrami tyrocinia, tot opulentis spebus affatim adipata, non sinceram amicitiam nulla spe defæcatam; sed *amicitiæ diuinæ nundinas*, concinnè nominat: quoadusquè Abramus postea fide inclytus, credentium indigitatur parens; & filij mactatione auspicata puriorem cum Deo amicitiam ritè publicauit: Dum Hortatore Deo, patriam deserit, spe ductus ampliora possidendi, non tàm strictam cum Deo amicitiam inire, quàm *diuinam amicitiam nundinari* dicitur. Exspes suarum vtilitatum est vera amicitia, non commodorum mercatura. Negat verè amicum, qui lucelli spe amicum facit. Amicitia, res fidei est, non spei negotium: Beneuolentia, non negotiatione constat amicitia, quæ est animorum, non vtilitatum vsura. O frequentes humanæ amicitiæ nundinas, in quibus non officij, sed commodi emolumenta requirimus! Quisquis vtilitatem propriam ex amico quærit, & perdit amicitiæ gratiam, & amicitiæ nomen corrumpit. O quot nominum cadauera in vrbibus putrida squalent! amicorum nomina crebrò audimus, sed re amicitiæ vacua; quæ de vtilitate, non de fide peruersè titulantur. O populares amicitiæ nundinas, in quibus infido commercio, nostris commodis gratiam mercamur alienam!

Tyrones Deus varijs donis ad se vocat.

Amici, qui sua commoda quærunt multi, sed tali nomine digni non sunt.

§. 17. Quare si Deus dixit Abraæ faciam te in gentem magnam, posteà per totos viginti quinque annos frequenti oratione liberos expetit, prolem suspirat, ardenti successionis voto? Vers. 2. Eccur Deus longa nimis dilatione suum Abramum lassat, & nimis prolixa expectatione fatigat? Spe obtinendæ prolis immissa, orationem excitat, fiduciam erigit, ac vota inquietat; & tamdiù differt annuere postulatis? estne miserendi auaritia, misericordiæ redundantia; quæ Isaaci donandi beneficium, dum prolixa expectatione protelat, dilatione ad gratiam exaggerat? Eleganter Cassiodorus hac super re, aliorsùm ita fatur: *Habet hoc enim humana conditio, vt celeriùs adepta, fastidio sint: dum omne pretiosum vilescit oblatum: & contrà dulciùs accipitur, quod sub aliqua dilatione præstatur*. Nimirum diuturna expectatio artificium diutiùs placendi est. Citò fastidimus ad possessionem eius, ad cuius expectationem perdiù non hiauimus. Malè dulces sunt deliciæ citò parabiles: facilitas rei obtinendæ nauseam negotiatur: diuturna expectatio vota adipat, & dilatione possessionem erudit ad saporem. Sic Abram vt dulciùs promissionem accipiat, dilationis voto committitur.

Deus vt magis postea consoletur iustos, postulata aliquando differt.

§. 18. Quare si semel Deus fideliter omnipotens suo Abramo beneficè dixit *benedicam tibi*, opus fuit addere erisque benedictus? An Dei verba non secutus effectus frustare vnquam potuit? num potest Deus cuiquam benedicere, quin benedictus indubiè censeatur? Estne aliquod in terris robur, quod cassam reddere Dei benedictionem eualeat? Vers. 2.

An-

Anteuidit hanc dubitationem S. Ioannes Chrysostomus, & super hac re homil. 31. in Genes. ita philosophatur; *Non solùm*, inquit, *genti magna te prasiciam, & nomen tuum extollam: sed* & benedicam te, & eris benedictus. *Ne putes tautologiam esse, & idem bis dici, cùm dicitur*; benedicam te, & eris benedictus. *Tanta enim te, inquit, benedictione dignabor, vt illa in omne saculum sit duratura.....Idcirco, & Iudai in Patriarcha superbientes, volebant se in eius familiam intrudere, & dicebant*: Filij Abraam sumus. Ioan. cap. 8. vers. 33. Itaque Tautologia non est: nec sermo frustrà iteratus, cùm Abramo dicitur *benedicam tibi, erisque benedictus*; nam cùm dicitur *Benedicam tibi*, meram ei benedictionem illi Dominus spondet haud dubiè impertiendam; cùm autem additur *Erisque benedictus*, benedictionis diuturnitatem significat, quæ est beneficij emphasis, felicitatis gratia, atque gratiæ hypostasis. Quasi benedictio, quæ diuturnam durationem non habet, quodammodò benedictum non faciat, de fugitiua beneficij acceptione, nisi diuturna consistentia perduret, vt benedictionis gratiam adimpleat.

Dona, quæ dat Deus semper durent.

Vers. 2.

§. 19. Quare Deus Abramo bonam famam loco ingentis cuiusdam beatitudinis promisit. *Magnificabo* inquit *nomen tuum*? Non solùm vitam, sed etiam nomen, hoc est famam magnificandam pollicetur; nam vt benè Philo hebræus lib. de migratione Abrami expendens eum locum: *Sicut*, inquit, *bonum, ac honestum esse; ita & videri, prodest. Est quidem veritas opinione melior; vtramque tamen sua bona fortuna sequitur. Cui Deus vtrumque concessit, vt bonus, ac honestus, & sit, & videatur: hic verè beatus est, & verè vir magni nominis. Nec est negligenda bona fama, res in omni vita vtilissima.*

Deus bonam famam concedit iustis.

Bona fama æstimanda.

Vers. 3.

§. 20. Quare larga quidem benedictio, & opulenta felicitas dicitur eis, qui benè de Abramo dicunt, eumque laudibus celebrant. E contrario autem hi qui eum vituperijs dehonestant, infami execratione mulctantur? Grande quidem præmium, & cum maximis comparandum: nec è diuerso minor est supplicij reatus. Pulchrè D. Ioannes Chrysostomus apud Anton. in Melissa lib. 1. serm. 51. *Quemadmodum*, inquit, *non modò, qui mala faciunt, sed etiam qui laudant eos, eiusdem aut grauioris quoque participes erunt supplicij: ita qui bonos laudant, & admirantur, consortes erunt coronarum, quæ illis destinatæ sunt.*

Pœna digni laudatores improborum.

Exemplum autem, & argumentum in scriptura habemus: dixit Dominus ad Abram: Benedicentes tibi benedicam, & execrantes te execrabor. Hanc aurei Doctoris sententiam exscripsit S. Maximus etiam serm. illo 43. Vide hic inidoneæ laudationis Sacramentum. Scilicet qui vituperanda laudat, & improbos peregrina laude extollit, dignus est, qui adsimilem, imò & multò grauiorem subeat pœnam, ac qui commisit flagitium, quod laude commendat; quasi laus improbitatis, eiusdem improbitatis reatum combibat, bibulo supplicij commercio, de fœdere eiusdem culpæ, quam laudatione haurit. Et quod mirere magis, eiusdem culpæ participium, grauius supplicium meretur; ac si eiusdem culpæ laudatione particeps, grauiùs culpetur, & mulctetur pœnaliùs. *Non modò qui mala faciunt, sed etiam qui laudant eos, eiusdem aut grauioris quoque participes erunt supplicij.*

Laudatores bonorum præmio digni sunt, & remunerantur.

Vers. 3.

§. 21. Quarenam errantem Abramum per inuia, & deserta, vbi ne leue quidem hominis vestigium visebatur, non auxiliari Angeli alicuius ducatu Sichem traduxit? An fortè hoc ipso designauit Deus nullo Abrami comite opus esse, quàm vnius illius, cuius nutu ignotam illam profectionem inibat? simile huic concepit S. Chrysostomus hom. 8. in Matth. causam disquirens, quarenam Angelus, qui fugam in Ægyptum, Iosepho, cum puero Iesu mandauit, non ille se quoque comitem adiunxit; *designans*, inquit, *maximo ipsius, propter quem fugiebant, paruuli, esse munitos comitatu*. Sed liceat in hæc philosophari. Si Angelum adiecisset Deus in ardua illa peregrinatione, ac inuia solitudine Abramo, eius suspicor fuisset mentis repromissam illi de cœlo prouidentiam, eam esse, vt omnem prorsus hominis solicitudinem ablegandam duceret; quod tunc maximè suasum habuisset, si præstò fuisset Angelus itineris comes, vt peregrinaturo Eliazer in Mesopotamiam, singulari prouidentia non defuturum Angelum præeuntem, ille prædixit: *Mittet Angelum suum coram te*: Gen. 24. vers. 7. Atqui Deus ita prouidè homini, cuius curam gerit, consulit, vt eum tamen exigat in opere suo non desidem, atque adeò, ne incuriosum faceret in suscepto itinere Abramum, sinè comite, solitarium dimisit, quò cautiores, & ipse vias huc, illucque digrediens indagaret. Prouidentia est, cuius beneficio, si non negligentes sumus

Cui Deus adiutor est, nullo indiget adiutore.

Deus ità de suis curat, & prouidet, vt homines tamen sibi caueant, & non sint negligentes.

Digitized by Google

mus omninò beati esse poterimus; id quod fortassis locus ipse, ad quem tandem deuenit Abramus, adumbrat. *Si chem* enim interpretatur *humerus*, seu *iugum obedientiæ religiosum, & diligentem executionem, & labores* allegoricè Lauretus titulo Sichem lit. S. tanquam sanctissimo innuitur Patriarchæ, sibi quidem peculiari de cœlo prouidentia in eo itinere Deum adesse, neque tamen à suis laboribus, & diligenti cooperatione fore illum exemptum.

Sichem quid significet?

Vers. 3. §. 22. Quare dixit Deus Abramo faciam te in gentem magnam? quia ex Abramo descensuri erant Leuitæ, qui omnibus carnis affectibus renuntiantes, affectionibusque præcisis, Deo adhæserunt, eiusque honorem studio vigilantissimo procurarunt. Ergo Abram Leuitarum Pater à terrenis educitur, & ad cælestia transfertur, vt tantæ sanctitatis origo omni exornaretur munditia, ac virtutum elegantia. Accipe Ambrosium de fuga sæculi, & in cap.2. sic habebis: *Leuitæ relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique, & Abraæ dictum est: exi de terra tua, & de cognatione tua: sed fortè dicas: Leuita non erat, sed habebat in lumbis suis Leui*. Decuit Leuitarum patrem mundi despectu nobilitari, vt filij quasi hæreditario iure transmissum à parente ingenium reciperent, aut vt parens ab ipsis filijs mutuaretur: filij singulari nobilitandi excellentia patrem exigebant, qui singulari resplenderet munditia: *Non erat Leuita; sed habebat in lumbis Leui*: Leui in paternis adhuc lumbis degens parentem nobilitauit, & singulari sanctitas priuilegio lucere fecit. Dominus namque quos ad eximiæ posteritatis decreuit originem, solitat mirandis virtutum dotibus exornare, & cælestibus prærogatiuis munire.

Iustorum genitores virtutibus nobilitantur, & excellunt.

Superior, qui est Pater Religiosorũ, alijs debet praire exemplo in fecunribus sperdis.

Vers. 4. §. 23. Quare ergo mandatum seruauit Abram, vt exiret de cognatione sua, si secum cognatum Lot detulit, dum legitur, *& iuit cum eo Lot*? Præceptum Domini fuit exponendum de cognatione repugnante diuino famulatui, non verò de illa, quæ ei minimè obsistebat, imò diuinus nutus erat, vt in manifesto periculo inter idololatras consobrinum suum non desereret; Nam vt ait D. Chrysostomus homil. 14. in epistol. 1. ad Timoth. *Deus idcircò vincula propinquitatis instituit, vt multiplex subesset occasio nos mutuò diligendi beneficijsque confouendi*.

Parentes, qui se a Dei famulatu retrahunt deserendi.

Vers. 4. §. 24. Si Thare pater Abram, cùm adhuc esset in regione Chaldæorum, septuaginta annorum genuit Abram, & postea in Aran ducentesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est, quomodò post mortem eius Abram exiens de Aran septuagintaquinque annorum fuisse memoratur, cùm à natiuitate Abram vsquè ad mortem patris eius centum triginta quinque anni fuisse doceantur? Dubium, quod sibi proposuit Venerabilis Tuitiensis Abbas in lib. 5. super Genesim cap. 2. pag. mihi 91. sic, vt resoluat, scribit: *Igitur vera est illa Hebræorum traditio, quòd egressus sit Thare cum filijs suis de igne Chaldæorum, & quòd Abram auxilio Dei sit liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis. Potest tamen rectè intelligi, quòd Thare cum suis omnibus statim quidem post persecutionem venerit in Aran: & cùm proposuisset ire in terram Chanaan, illic remoratus sit, Abram autem iubente Deo, vt egrederetur de terra, & de cognatione sua, egressus sit. Sic enim se habet ordo narrationis.*

Liberatus à culpa, vel eius occasione, tunc vere incipis viuere.

§. 25. Quomodo Abram septuaginta, dumtaxat, quinque annorum fuit, cùm egressus de Haran dicitur, si non plures, quàm anni septuaginta, Thare parenti adscribuntur, cùm dilectam genuit prolem Abramum? Grande quidem inter expositores litigium, quo anno ætatis suæ Abramus exierit. Et sanè (quod mirere magis) Interpretum proceres centum trigintaquinque annos Abramo tribuunt, tametsi scriptura septuaginta quinque dumtaxat illi tribuere videatur. Rem componunt S.P.N. Augustinus quæst. 25. super Genesim, & lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 15. & S. Hieronymus in trad. Hebr. in Genesim cap. 12. qui putat Abramum de Vr Chaldæorum ideò exijsse, quia Persica numina adorare constantissimè recusauit: *Et ex illo tempore reputetur ei tempus gratis, ex quo confessus est Deum, spernens idola Chaldæorum*. Scilicet vitæ tempus ethicè non ætatibus, sed moribus computatur. Rationali homini non imputatur tempus, quo brutis pecudibus similem agit vitam: quod Deo viuit, vixisse dicitur. Qui virtuti viuit, citò senex est; & quod vitijs detrahitur, vitæ adijcitur. Adolescens virtutum moribus factus, *consummatus in breui expleuit tempora multa*, Sapientiæ cap. 4. vers. 13. Senex autem vitiorum delicijs innutritus *Puer centum annorum* nominatur, Esaiæ cap. 65. vers. 20. Pietas longioris vitæ compendium est. Virtus, & caret tempore, & tempus pietate redimit. Vers. 4.

Vitæ tempus non ætate, sed bonis moribus computatur.

Google

dimit. Itaque sexaginta illi anni quibus Abramus veri Dei nescius, idola coluit, minimè computantur, quasi rationali vitæ nemo tunc foret, & inter muta animalia, aut exanimales truncos, aut rupices, citiùs quàm inter homines censeri debeat. Sic idololatra, proprio numine vacuus, & operosus alieno, mentito, adulterino, falsato; tanquam rationis expers vitæ exul reputatur.

Vers. 5. §. 26. Quare si Abram nesciebat terram, in quam erat iturus posteà in terram Chanaan descendit; vndè sciebat, quòd in terra Chananæa futurus esset suæ peregrinationis exitus? Ad dubium soluendum præstò est Aureus Doctor (dum superiori modo descriptum sibi ipsi proposuit) dicens, *Quamuis præceptum ita continebat*; Veni in terram, quam monstrauero tibi: *Attamen Deus ei & hoc significauit, indicans menti eius terram, in qua ipsum constituere volebat. Propterea enim cùm præciperet ei, indefinitè dicebat*: Veni in terram, quam monstrauero tibi: *vt nobis iusti virtutem detegeret. Deindè postquam ille quod suum erat magna largitate attulit, mox Deus ei significauit, in qua terra vellet eum domicilium habere.* Hactenus S. Ioannes Chrysostomus homil. 31. in Genesim lit. A. pag. mihi 171.

Cum iustus præcepta Dei exequitur, viam maioris perfectionis addiscit.

Vers. 5. §. 27. Quare si Abram, & Loth nullam in Vr Chaldæorum genuerunt prolem dicitur, quòd secum asportauerunt animas, quas fecerant in Haran? Notandum est, quòd pro ly *facere* Hebræis idem est ac parare, acquirere, possidere, siuè per emptionem, siuè per generationem, siuè alio quouis modo. Notandum secundò, quòd ly *animas quas fecerant*, Hebræi spiritualiter animas fecerant explicant. His suppositis ad dubium. Quia Abram viros plurimos, & Sara mulieres multas ab infidelitate ad Dei cultum, & obsequium traduxerunt, ideò dicitur *animas quas fecerant in Haran*. Vndè pro ly *animas quas fecerant in Haran* Chaldæus Paraphrastes opportunè exscribit, & exponit: *Et omnes animas, quas legi subiecerunt in Haran*; quo disertè ostendit animas sinè Dei legibus emortuas esse, lege autem diuina animari, & nouo vitæ auspicio feliciter viuescere: quod est singulare diuinæ legis elogium.

Anima secundum Deum non viuens mortua dicitur.

Vers. 5. §. 28. Quare Abram iussus exire de cognatione sua traduxit secum Sarai vxorem suam? Num absolutæ fuisset obseruantiæ; num generosiùs, & perfectiùs diuina vota implesset, si & vxorem ablegasset, & carni, & sanguini omnimodum nuntium remisisset? Cur eam igitur, qui ambulare coram Deo, & perfectioris vitæ sectari debuerat institutum secum traduxit? Accipe Lippomanum ibidem, & lege: *Quæcunque chara in mundo habebat iubetur relinquere, patrem, parentes, amicos, familiam patris, soli Deo impensè credendo adhærere, vt dignus habeatur Dei promissionibus magnificis; solam vxorem non iubetur relinquere, licèt sterilem, & vetulam: placet enim Deo thorus immaculatus*, & quia hoc ipsum, sanctissimo innotuerat Patriarchæ; ideò coniugem non dimisit, neque à se ipso separari permisit.

Thorus immaculatus coniugum quam Deo charus.

§. 29. Vel dic: Non reliquit vxorem, vt illius pudicitiam custodiret, & à periculis in eo genere, illam quamplurimis vendicaret; quandiù enim penes se proximam detinuerit, ab infandis eam periculis eximet, feralesque illud & euentus, qui egregias quandoque domos euertunt, & fœdam ipsissimet, sæpè ac sæpiùs innurunt infamiam, vt in eadem protoparente videre est, quam, *separatam, & à viro suo procul remotam inuasit, & decepit serpens, nec eam potuit decipere, quamdiù vidit eam à viro suo non separatam*, obseruat D. Anastasius Synaita lib. 10. Hexameron: & quamuis de Eua sententiam protulerit, huic loco applicabilem censui. Vers. 5.

Maritus pudicitiæ vxoris custos perpetuus esse debet.

§. 30. Quare vnus egredi iussus Abram de terra traxit secum vxorem, & Loth filium fratris sui? Quia ab exemplo Abram filium fratris sui Loth vxoremque veram acquirerent perfectionem. Hinc Veritas æterna vti refertur in cap. 5. vers. 19. S. Ioannis dixit: *Amen dico vobis, non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.* Quàm verè, ò quàm appositè! *Verisimile quippè est, vt quidquid virtutis in Sanctorum filijs cernitur, totum ab ipsis parentibus traditum fuisse credatur. Non potest quidquam filius facere, nisi quod viderit patrem facientem.* Illustrat D. Petrus Damianus Serm. 17. vbi expende consultè dictum, *Patrem*, non docentem, sed *Facientem*, idest, exercitæ virtutis exemplo parentum virtus in generosam prolem auspicato deriuetur euentu. Vers. 5.

Filij parentum mores exprimunt.

§. 31 Quare primus locus terræ promissionis, qui Abramum exulem excepit, & quem inauspicatò Sanctissimus Vers. 6.

Pa-

Digitized by Google

Patriarcha inhabitat, non finè nominis Sacramento *Sichem* nominatur? *Sichem* vt Literalissimè pariter, ac moralissimè inibi notauit Anselmus Laud: idem est, ac *Humerus*. Res profectò obseruatione dignissima. Cùm Abramus reliquit paternam domum, & censum, & patriam, inter agrestes nationes, inhumanas, efferas, barbaras exul peregrinatur vsquè ad Terram promissionis, potiùs egebat *humeris* ad sufferendas longæ, & incertæ peregrinationis ærumnas: nec tunc, sed cùm paradiseam sibi, & posteris promissam terram ingreditur, *humeris* donatur. Scilicet qui non donatur *humeris* ad ferendam multiplicem longæ peregrinationis calamitatem, *humeris* quamprimùm donatur, dum Terræ promissionis auspicatur ingressum. Sic est difficile felicitatem ferre? Sic est arduum sustinere fortunam totam prosperitatis mole feliciter incumbentem? *Humeris* donetur felix necesse est? An potiùs in prosperioris fortunæ auspicio, *humeris* roboratur, vt imminentia ferat in fortunia, quæ felicior prosperitas felicibus ominatur? Fortunatus statim *humeris* eget, non tàm, vt felicitatem ferat, quam vt vicinam calamitatem sustineat. Vndè Abram nuper felix, *humeris* præproperè fulciter ad impendentium felici ærumnarum tolerantiam. O caue tibi à prospera fortuna, certo infortunij præsagio.

Felicibus infelicitas proxima est; adiutorio indigent speciali, ne succumbant.

Vers. 7. §. 32 Quare apparuit Dominus Abramo in terram Sichem, & non magis in Chaldæa? Pulchrè D. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 3. respondet: *Nusquam superis habes, quòd visus esset illi Deus. Quia quandiù Chaldæus fuit, hoc est, non solùm in regione, sed etiam in opinione Chaldæorum non poterat Deum videre, quem intra mundum quærebat.* Sic immergebantur Chaldæi mundo, vt nihil magnum, nihil diuinum extrà mundum putarent; hinc erat, quòd Deus quàm longissimè abesset à Chaldæis: dum autem Abram Chaldæam reliquit, seque suprà mundum constituit, statim illi apparuit Deus præsentissimus.

Deus longè abest ab ijs, qui Mundo viuunt.

Vers. 7. §. 33 Vel dic: Postquam Abram Chaldæam reliquerat, non modò ad colloquium, sed etiam ad conspectum familiareque consortium vocauit Deus. Æquum enim erat, vt qui propter Deum à mundo exierat, ad Deum familiariter intraret, & qui mundum propter Deum execrabatur, Deo gratior, & amicior consecraretur. Rem totam confirmat Philo Hebræus in lib. 6. *Postquam*, inquit *Abram totum domum egressus est, ait lex, visum ei Deum: dicens, quod manifestè apparet extricato rebus mortalibus, & reuertenti ad incorpoream huius corporis animum.* Quo in symbolo religiosi adumbrantur, quos necesse est rebus humanis priùs renuntiare, vt diuinis liberaliùs perfruantur.

Qui Mundum propter Deum relinquit, Deo charior fit.

§. 34 Quare ibi apparuit Dominus Abramo? Quia in terra alienigena versabatur, & quasi vagus, & profugus, & certa statione destitutus vagabatur, quòd sanè, viro, alioquin in terra sua commodis omnibus refertissimo, molestiæ plurimum, & mœroris fuerat euasurum: *Quare bonus Dominus consolatur eum*, inquit Aureus doctor vbi supra, *Vt, ne torpesceret, neque dubitaret ad promissionem, quia, dixit, veni huc, & faciam te in gentem magnam, quandoquidem, diuersa à promissione videbat fieri & se obambulare, vt subiectum, & vilem, & omni præsidio destitutum, neque habentem vbi diuerteret. Vt igitur mentem eius excitet, ait Visus est Dominus Abrahæ.* Sic Deus quemquam non patitur solatio destitutum. Vers. 7.

Deus non patitur seruos suos solatio destitui.

§. 35 Quare Abramus à Chaldæis, ac Chananæis fugiens, ad conualles, ac montes tendit, vt ibi sacrificia Deo offerat? Abramus vita castus, & Sanctus benè agnouerat rationem suam viuendi, moresque suos esse valdè alienos ab illarum gentium consuetudinibus, Sacrificiaque sua, quæ vero Deo exhibebat esse multum dissimilia ritibus habitatorum Chanaam, inde ergo ad montes, ac conualles transfugit, ne barbararum gentium odia in se excitaret à quibus in cultu veri Dei, ac ratione viuendi maximè discrepabat, nec benè conueniunt, nec in vna sede morantur bonus, & malus homo, D. Ioannes Chrysostomus homil. 32. Quare illinc discessit? *Fortè*, ait, *videbat quibusdam incolis non placere suum aduentum, proindè eximiam suam mansuetudinem declarans, & ne cum vllo aliquid haberet negotij, solitudinem apprehendit.* Vers. 8.

Iustus malos fugit, ne cum ipsis rixetur.

§. 36 Quare dicit Moyses, quòd Abraham: *Perrexit vltrà vadens, & progrediens*; vel vt legunt Septuaginta: *Castrametatus est in deserto?* Ducem ne bellicæ manus egit Abramus, vt castra figeret in deserto? Non reperio. Æ n verò castramentatus, dicitur, quòd ita esset ad obediendum Deo mandanti paratus, Vers. 9.

ratus, ac assolent milites, ad nutum ducis, in alium, prout expedit, locum, sublatis induciis, protinùs emigrare? Consentit Chrysostomus ibidem *Quemadmodum*, inquiens, *De militibus solemus dicere, ita est de iusto. Hic dicit Scriptura Sacra, quòd castrametatus sit, vt ostendat expeditum Patriarcham; quòd, sicut milites absquè difficultate, nunc huc, nunc illuc tentoria sua erigunt; ita & iustus ille quamuis secum duceret vxorem, & fratris filium, & tantum seruorum numerum, maiori tamen facilitate migrara solebat.*

Sicut militer Duci promptè obediunt, ita iusti Deo.

Vers. 9. §. 37. Quare Abram è Sichem in montē Bethel contrà orientem perrecturus, non diù commoratur, hunc inter, & Hai, fixumque non parat tabernaculum, cum familia sua paululum quietunus, sed tractu non intermisso, prolixum iter illud absoluit; *Perrexit Abram vadens, & vltrà progrediens? Ne*, respondet Ferus ibidem, *Ne cum homine prauo, quid haberet commercij, solitudinem petit*. Caue ergo à contubernio, vel societate malorum quisquis sis, vel iustus, vel Angelus, vel diuinæ quodammodò æmulus præcellentiæ.

Cauendum à societate malorum.

Vers. 10. §. 38. Quare, si ob famem Palæstina deserenda tunc erat, non redit ad natale solum postmodùm vndè exierat rediturus? Cur Patriarcha non potiùs eligit Chaldæam in qua haberet multam rerum opportunitatem: in Ægypto verò cùm esset terra extranea multa poterat timere infortunia? Noluit ergo vir magnus repetere terram, quam iubente Deo semel reliquerat, prudentissimè sibi meliora iudicans omnia pericula extraneæ terræ Ægypti, quàm omnia opportuna bona natiui soli, quòd iubente Deo semel dimiserat. Rupertus ad eundem locum eleganter scribit. *Iam quidem in aperto litera est victoriosa viri obedientis perseuerantia, quia facta fame in terra peregrinationis suæ; maluit adhuc in terra Chanaam, qua est Ægyptus peregrinando aliena solatia quærere, quàm ad terram, vel ad cognationem suam qua Deo iubente fuerat egressus, aliquatenus respicere*. Nimirùm Abram Deo iubente egressus fuerat è natali solo, vbi vitam receperat. Ecce tibi victoriosa viri obedientis perseuerantia. Qui natali terræ velut obstinatè renunciat, vbi vitæ principium natiuitate mutuauerat, vt cognatione aleret, & conseruaret; & peregrinatur in barbarum Ægyptum contemnens interfectionis discrimen, quasi in obsequio, obsequijque perseuerantia vitam tutiùs collocauerit. In annonæ penuria mortem timet, ac fugit; nec tamen recurrit ad natalem solum, vbi vitam fœnerauit, & totius inter suos conseruaret; Sed in agrestem Aegyptum contendit, vbi interfectionis periculum impendebat; benè scius, quòd etiam in mortis discrimine, melius de obedientia vnde viueret, habuisset. Idcircò vel in vitæ discrimine vitam obsequio piè quærit, & feliciter inuenit. Audi huius dubij clausulam. Vir obediens de obsequio vitam mutuatur: Creatura enim sentit creatorem, non viuendo, sed obediendo.

Religiosi quæ semel dimiserunt sæcularia, non debent repetere.

Incæpto bono perseuerandum.

Obediens omnia spernit pericula.

§. 39. Quare Abram idem periculum non timuerit apud Chananæos atque Aegyptios, cùm pulchritudo Sarai æquè periclitari potuerit in terra Chanaan, atque in Ægypto? Diuersa enim est ratio Chananæorum, atque Ægyptiorum; isti intemperationis, & perfusioris erant libidinis, extraneisque magis habebant cupiditates. Adhæc, quòd Chananææ mulieres erant multò candidiores, & pulchriores, quàm Ægyptiæ; quapropter pulchritudo Sarai magis futura erat apud Ægyptios singularis, rara, & insolita, quàm fuerat apud Chananæos, maiorisque apud illos, quàm apud hos incendij amoris, & periculi causa. Vers. 11.

§. 40. Quare si Abramus magno Dei spiritu erat ditatus, ex eius iussu hoc iter aggressus est, multasque magnasque promissiones à Deo acceperat vt in toto ipso continentur capite, nunc tanto timore concutitur? Alta diuina dispensatione inter tanta magnalia talis timor ei accidit, vt recognoscens suam imbecillitatem humiliaretur, ne in lapsum alicuius vanitatis irrueret: eleganter nec non acutissimè ad rem suffragatur in eodem loco Procopius: *Nempe, ait, miraculi si operis magnitudo eum insolentem redderet, gratia Dei metum indidit ei, vt suam imbecillitatem agnosceret.* Vers. 11.

Iusto timendum etiā si varijs donis sit ornatus.

§. 41. Quare addubitat Abbas Tuiciensis (impress. Coloniæ Agripp. lib. 5. in Gen. cap. 7. col. 2. pag. mihi 93.) non eadem fide confisus, si vt liberatus fuerat de Vr Chaldæorum, quòd liberare posset eum Dominus de manu Ægyptiorum, vt non moreretur propter eam, securè dixit esse vxorem suam? *Videlicet*, nota Ruperti Abbatis acumen, *quia timebat Dominum, quia nolebat tentare Dominum Deum suum. Is namque Deum tentat, qui quanta potest parte pericula se non expedit, & illic poscit miraculum Dei, vbi non nihil proficere potest* Vers. 12.

A Deo non sunt semper quærenda miracula, vbi possumus aliquid prudenter vitare.

humana rationis ope, qua in promptu sit. Benè igitur vir prudens vtrinque sollicitus., videlicet ne, & se interficerent, & illam reseruatam sua libidini subiugarent, quam potuit partem periculi sustulit, & cætera fidelitèr Deo curanda reliquit.

Vers. 11. §. 42. Quare Abram timebat se interficiendum ab Ægyptijs? Propter Sarai Pulchritudinem. O' vtinam non ipse sibi carnifex, formosæ mulieri vxoratus, importunis suspicionibus dilaniatus euaderet! *Quatuor ante tempus hominem occidunt: Vxor formosa; Tristis familia; immoderatus cibus, & aer corruptus*, abijt in prouerbium. Cætera prætereo incommoda, & plura iactitanti, pulchram se dixisse vxorem, graui Francisci Petrarchæ responsione perstringo, Dialog. 66. *Difficilem*, inquit, *Prouinciam nactus es. Vigila; durum est custodire, quod à multis appetitur. Solet forma corporis, vt multa alia, paritate gaudere, imparitatem, ac dissimilitudinem aspernari. Si par igitur tibi forma est, exerceberis; alioquin contemneris, vtrumque laboriosum.. Si magna forma est? & magna superbia: Vix est aliquid, quod æquè animum tumefaciat, & extollat. Si maxima? Vide, ne castitas, parua sit.: nam scitè satyricus: Rara adeò est concordia forma, atque pudicitia. Vt hæc consent, morum insolentiam, quis ferat, & quotidiana fastidia? Formosam si habes vxorem? habes domi idolum sumptuosum, operosum. Videbis in dies peregrinos, nouosque habitus, lauda hinc corporis habitudinem, quam omnia deceant; hinc ingenium inuentricis, ad cuncta versatile, tum iacturam patrimonij, lucrum voca. Habes idolum litigiosum, insolens, quod effusus colas, quod extrà te raptus stupeas, quod adores, vndè totus pendeas. Submitte collum iugo, & contentus forma coniugis, curasquè alias, & propriam libertatem procul abijce. Caue, ne quoquo modo aliam, præter illam laudes, ne quandò oculos ab illius fronte diuerteris, ne solito parciùs blandiaris, solito minùs insanies; quidquid respueris, capitale sit; omnis sanitas, defectio. Viue denique ad vxoris edictum, & nutum Dominæ, suspensus obserua, mancipium, non maritus: Hæc factio, si tanti existimes aliquandiù formosam thori sociam amplecti, senique ad tempus cute gaudere, & candidus natus ex vtero, tanquam poma nobiliora; pulchro de vase suscipere.* Qui si adhuc repetis, vxorem te formosam duxisse; breuibus adhuc occurrit. *Venenum dulce, compedes aureas, splendidam seruitutem.* Forma delectat? *Vana, breuisque delectatio. Nil forma fugacius, & præsertim fæminea: qui vxorem propter formam diligit, citò illam oderit.* Quid ne grauius? Quid ne moralius? His euinco, ducendæ vxoris negotium, consiliosè agendum, Mores potiùs, quàm census, quàm formam spectandos.

Pulchritudo multoties tormentum.

Vxorem ducens mores potiùs, quam formam curet.

§. 43 Quare ait Abram vxori dic obsecro quòd soror mea sis? Qualenam munimen Abrami vitæ esse poterit, quòd Sarai sororem suam se nominet? Magnum subiungit Abram: *Et viuat anima mea ob gratiam tui.* Si Sarai sororem meam se dicit, vitam protraham, O' terrarum orbis Regina misericordiarum Mater Virgo MARIA. En respice nos ad te recurrentes exleges; Ægyptij, nempè dæmones, insidiantur; fugiunt Angeli, sacræ Triadis Tribunal nostris visis criminibus æterna nos morte mulctat. Heu misericordiæ Mater dic obsecro, quòd soror nostra sis, solo pietatis vinculo iuncta, Ob gratiam tui viuet anima nostra. *Si dæmones Aegypti audient te sororem nostram esse*, non solùm minimè occident nos, sed etiam Principes Angelici comites nostri adiuncti seruabant, & vt totius Trinitatis adorandæ Personæ amoris pietatisue reflexu recipiant nos in æterna tabernacula. *O' Sara nostra ò MARIA*, sic cum D. Bonauentura in spec. confidenter exclamo, *Dic obsecro, quòd soror nostra sis, vt propter te viuant anima nostra. Dic charissima Sara, quòd soror nostra sis, vt propter talem sororem, Ægyptij, idest, dæmones nos revereantur, Angeli nobis coniungantur, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus nostri misereantur.* Vers. 13.

Maria Virgo nos protegit contra omnia aduersa.

§. 44. Quare in ista Abrami ab Vr Chaldæorum fuga, & peregrinatione cum Sarai vxore tot euenerunt sinistra, sublatio Sarai in domum Pharaonis, timor mortis Abrahæ, suspicio de Sarai pulchritudine, & quæ narrantur cætera? Vt sicut hæc peregrinatio in Ægyptum erat figura de peregrinatione, & fuga pueruli Iesus, cum Iosepho, & Maria ab Herodis tyrannide in Ægyptum, sic, & cognosceretur MARIA Sarai pulchrior, & tutior in Ægypto, nec non magis firma securitas Iosephi de puritate MARIÆ. Hoc totum eleganti calamo exposuit B. Simon de Cassia lib. 2. cap. 22. mei Eremitani instituti Augustiniani fulgentissimum Iubar, dicens: *Quòd sanctissimus Ioseph ingressus Ægyptum non præmonuit sanctissimam Virginem; vt diceret, se ipsius esse sororem, vt olim præmonue-* Vers. 13.

Abraham pergens in Ægyptum typus fugæ pueri Iesus.

Iosephi, & Abrami comparatio de Sara, & B. V. Maria in Ægyptum.

monuerat Abram Saram, veritus, propter eius pulchritudinem, mortem incurrere, si se fateretur vxorem; & tamen B. Virgo specie, & pulchritudine sua Saram, & Rebeccam superauit. Neque item ipsa sublatu est in domum Ægyptij Regis, sicut Sara in domum Pharaonis: sciebat enim sanctissimus Ioseph, quòd maiori custodia munita esset Virgo, quàm Sara, à quo sæpè ipsa responsa acceperat, & talem gratiam Deus in Virgine Matre posuerat, vt nec propter excellentem eius pulchritudinem immundè posset conspici. Nouerat hoc Ioseph experimento sui, qui nunquam ex ipsa carnis tentationem præsenserat, quamuis secum pariter habitaret.

Vers. 13. §. 45. Quare Abram magis voluit frater haberi, quàm maritus Saræ? si maritus haberetur, duo erant committenda Deo, & quòd mariti vitæ, & quòd vxoris pudicitiæ consuleret. Si frater autem putaretur, ipse illo modo suæ vitæ consuleret, pudicitiam autem vxoris committeret Deo. Sapientissimè ergo modum elegit, in quo aliquid ipse faceret, vt in eo, quod non posset, adesset Deus. Accipio à S. P. N. Augustino confirmationem dicente in lib. 22. contra Faustum cap. 36. *Cùm inter ignotos propter eximiam Saræ pulchritudinem, & eius pudicitia, & mariti vita esset in dubio, neque vtrumque tueri posset Abram, verùm vnum horum posset, idest, vitam; ne Deum suum tentaret, fecit, quod potuit, quod autem non potuit commisit Deo. Qui ergo se hominem occultare non potuit, maritum occultauit, ne occideretur; vxorem Deo credidit, ne pollueretur.* Quid diuinius? fidei speique assertor, nunquam commisit vni Deo, illa, quæ ipse præstare posset, & deberet.

Non debemus solum Deum operantem relinquere, sed nos cum ipso operemur.

Vers. 14. & 15. §. 46 Quare visa Sara ad miraculum pulchra, ad Pharaonem per Principes fama refertur? In ingenti adeò hominum copia mulier peregrina laudibus celebratur, quam cùm Ægyptiorum Principes curiosè adspexissent inuolarunt celeriter, vt Regi denunciarent. Transi modò (antequam dubium soluam) cogitatione ad Ionam, qui, cùm Niniuem ingressus terribilibus minis Niniuitas perculisset, sic ad peccatorum luctum planctumque commouit, vt iam continuis aures referirentur gemitibus, & vtilissimis exundaret ciuitas planctibus: tunc huius veritatis notitia ad Regem peruenit; non tamen nuntij auctor proditus, sed fama peruagata refertur. *Peruenit verbum ad Regem Niniue.* Ionæ cap. 3. vers. 6. Et cur, inquam ego, imminens ciuitati periculum regi principes non retulerint, cùm alij Principes Saræ pulchritudinem denuntiarint quàm citissimè? Conducibilius profectò erat de graui adeò appetenti discrimine regem monere si aliquomodò valeret frustrare: imò vtilissimum erat mulieris venustatem silentio tegere, nec cupiditatis irritare insaniam, & libidinis fouere dementiam, & tamen Principum quisque se auctorem denuntiationis gloriatur, cùm nullus vtilis adeò admonitionis se delatorem glorietur. Et quæ discriminis causa est? Ipsa indicauit materia: dum mulieris exaggeratur pulchritudo, dum oris commendatur venustas, cupiditati enuntiantur grata; dum ciuitatis periculum, dura: adeòque desuescunt homines magnatibus referre vtilia, si ingrata, gestiuntque adeò, vel noxia dicere, si iucunda, vt ad Niniuitarum Principem discriminis notitia sine auctore peruenerit, ad Ægypti verò Regem quisque, vt notitiam ingesserit, inuolarit; *Viderunt eam semel, & iterum.* Scribit ibidem Lippomanus, *Curiosè scilicet: vt aulicorum, ac carnalium Principum studia discas, qui tantoperè pulchram laudauerunt Regi ceù dignam regio matrimonio, per omnia regum moribus sese attemperantibus illis, qui in domibus regum sunt.* Adstipulatur Chrysostomus. *Ecce quomodo lenonis agere officium in regis gratiam.* Suspicati sunt Ægyptiorum magnates regis se gratiam posse promereri, si vilissimo lenonum munere non erubescerent fungi; nec recusarunt nuntiare, quæ nouerant regi placere; & Niniuitæ quia duris nuntijs verentur exasperare, quia indignationem timent mouere, imminens toti regno improbè tacent periculum, nec communem ciuitatis referunt planctum. O vtinam hæc non adeò solita; nec ab aulicis studiosè adeò obseruata; verum cupiditatis vernulæ, adulatoresque, quidquid voluptates enutrire poterit, referent, quidquid ad salutem vtile, adsectatione ignorabunt.

Aulici solum delectabilia referunt Principibus

§. 47 Quare sublata est Sarai in domum Pharaonis? Et non audisti quare? Quia viderunt eam. Ergo deduc: Si vxor inuenusta, aut deformis sit, periculosum ingenerat tædium, si pulchra afferre solet periculum: Vnde nescias, an totius sit mediocriter elegantem, an eximiam pulchram ducere. Ego autem dico quòd vxorem deformem ducere, tormentum; formosam, magnum periculum. Vers. 15.

Vxor pulchra magnum periculum, deformis tormentum.

§. 48 Vel dic: Laudauerunt eam, Vers. 15.

& nunciauerunt Pharaoni. Vt discas (scribit suprацitatus Lippomanus) aulicorum hominum studia. Hac veluti nota à cælestibus mundani aulici discriminantur: vt non immeritò Principum aulæ dixeris, quod S. Hieronymus Iouiniano lib. 2. *Quoscumque formosos, quoscunque calamistratos, quos crine composito, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt, imò inter tuos sues grunniunt: de nostro grege tristes, palludi, sordidati, & quasi peregrini huius saeculi.*

Aulici nimis munditiæ corporis intenti.

Vers. 16. §. 49 Quare benè fuit Abramo propter Sarai? Quia Sarai sublata fuit in Domum Pharaonis. Nunc siste, & dic quòd totum hoc mysticè ad Virginis assumptionem referri potest; cùm occinentibus supernæ aulæ Principibus de eius miranda specie in aures æterni Monarchæ, translata est de hoc orbe in patriam amœnæ felicitatis; Sed eccè in typo iustarum animarum Abram Saræ dicit; *Interficient me, & te reseruabunt, dic ergo, obsecro te quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui*. Optimè *interficient me, & te reseruabunt*; Mors enim cuius procax impetus aduersùs alios sanctos, quos sub vitæ exitum, & spiritu, & corpore vexauit, quanquam, & societatem animæ Marianæ cum immaculato eius dissoluit corpore, sed tanta cum iucunditate purissimus auolauit spiritus, vt anima quasi non discessisse videretur, sed occultasse se parumper ad requiem sensuum corporis, vndè Damascenus Oratione 1. de dormitione Deiparæ; *Ac proindè Sacram suam migrationem, mortem haudquaquam appellabimus, sed somnum, aut peregrinationem, vel vt aptiore verbo vtar, cum Deo præsentiam*: Et Oratione 2. de eadem materia; *ipsius quoque aspectum* (inquit) *mors quoque ipsa pertimuit*; hanc ergo ob prærogatiuam obitus velut non obitus, congruè de illa, *Et te reseruabunt*; Videntes, igitur Sancti, quòd mors deiparam formidaret, expauit enim ad eius conspectum; vt ex Damasceno percepimus, cupientes humanam experiri, cùm vltimus adueniret terminus, suggerunt, vt admoneat *Sororem suam esse*. Quàm primùm enim mors intellexerit fratres illos esse Dei Parentis (quidni enim fratres Virginis, cùm & fratres eos Christus ipse nuncupare dignatus sit?) frænabit violentiam, & lætam se, hilaremque profecturis, commonstrabit. Hinc habes, quòd Sara (Deiparæ Typo) sublata in Domum Regis cælestis, benè fuit Abramo iusto propter eam.

Virginis transitus malè dicitur mors.

Mors nullì parcens in B. Virginem non est ausa.

Vers. 16. §. 50 Quare erga Abram tàm munificus Pharao, aulæque regiæ Principes? Quia *benè vsi sunt propter illam* nempè Sarai: sed quid egerat Patriacha tantis diuitijs dignum? Num Ægypti hostes dimicans profligauit? Num pro Regis capite vitam obtulit? Num aduersùs eum coniurationem molientes detexit? Num orauit eloquenter, & Monarcham dulcissima lingua encomijs in Cœlum sublimauit? Nihil istorum omnium. Quid vero? Pudendum sanè dictu: quoniam secum pulcherrimam adduxit fœminam, quæ laudata à Principibus Dynastæ placuit, & sublata est continuò in domum Pharaonis. *Abram verò benè vsi sunt propter illam*. Ecce præclara merita! En puluerem, & sudores! *Proter illam*. Interim miles infelix, cui vix sanguis ob vulnerum multitudinem, panem non habet, non pallium, non calceamentum. Philosophus post Atticarum noctium vigilias, stipem mendicat, nec est, qui consideret, vt egestate pereat vterque; atque Abram, quòd fœminam in paucis iucundam, & bellam exhibuerit aulicis videndam, Crassi substantiam, post biduum, quàm intrauit Aegyptum, propè æquat. Concinnè Hieronymus Oleaster in explanatione morali huius Geneseon capitis fatus est. *Quàm benè Principes operas soluunt illis, qui eis in suis cupiditatibus deseruierunt: & meliùs quàm ijs, qui Communitati in bello, aut in alijs, quæ sunt Communitatis, seruiere*.

Principes libidinum ministros remunerantur, non virtutem.

Vers. 17. §. 51 Quare Flagellum Pharaonem non solùm, sed etiam seruos punit: cur luet famulus, quod peccauerit Dominus? Hoc sanè politiam sapit terrenam, non œconomiam diuinam: apud sæculum namque, cùm non tàm animo sit peccatorum cohibitio, quàm iniusta nummorum dispoliatio, illos tantum affligere solet mentita correctionis vmbra, quos ob imbecillitatem faciliùs nummis cupiditatis denudare potest flamma. Ergo Deus Pharaonem affligat non seruos? Iure inquit Chrysostomus inibi, & seruos, & Dominum iusta puniuit vindicta: quia omnes cupidinis defœdarat insania: *Quapropter* Verba sunt doctoris. *Non ipse solus; sed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes*. Imò Pharao excusatiùs peccauerit, quandoquidem propriæ voluptatis lenocinijs allectus. Seruus verò alienæ cupiditatis assentator turpiùs deliquit quandoquidem nulla obcæcatus cupiditate peccauit.

Ministri criminum suorum Principum puniuntur cum ipsis.

§. 52 Qua-

Digitized by Google

Verſ. 17. §. 52 Quare Domus Principis hoc eſt filij eius, vxores, conſanguinei, ac cognati in tantam punitionem diuinæ iuſtitiæ incidunt, qui criminis ac delicti erant expertes? Quorſum diuino ſupplicio affliguntur? Nonnè ſat erat, vt ipſe Imperator, qui flagitij erat reus, torqueretur? Ad quid omnes cognati eius pœna comprehenduntur? Vt ob Patriarchæ vxorem ablatam rigidiùs diuina vltio ſæuiret in Pharaonem, penetrabilioríque telo ipſe premeretur, cum ſuis flagellatur, ac ſi graui ſuorum iactura acriùs puniretur, quàm ſolùm in ſe ipſo, nam quò dulciùs illa pignora erant dilecta, eò acutiùs diuino verbere torquebatur, ac ſi pro tanto flagitio non ſolùm pœna in illo eſſet ſufficiens, niſi etiam in totam domum inundaret, vt profundo dolore vulneraretur. Sic Aureus Doctor eleganter non minùs quàm profundè confirmat vbi ſuprà. *Qua de cauſa cùm Rex peccet, omnes de domo eius ſunt pœnæ participes? non abſque re hoc fit, ſed vt grauiùs puniatur, & grauiori pœna eius inſania compeſcatur.*

Vt grauiùs puniantur Principes, eorum conſanguinei puniuntur.

Verſ. 17. & 18. §. 53. Quare rex idololatra delicijs deditus habens mulierem venuſtiſſimam in domo ſua, præcipuè cùm audiret Sarai non eſſe vxoratam, ab ea ſe abſtinuerit? dicitur in textu: *Flagellauit autem Deus Pharaonem plagis maximis.* Immiſſa nempè infirmitate quadam, quæ etſi videretur infirmitas extitit ſalutis occaſio; etſi videretur vexatio, fuit quædam malorum præſeruatio, vt homo à grauiſſimo adulterij crimine cuſtodiretur, ne in diuinum iudicium, ac extremam mortis pœnam incideret. Argutè Theodoretus in quæſt. 61. in Geneſim ſcripſit: *Conſtat quod rapta Sara, ſtatim diſpenſator omnium obſtrinxit morbo, qui libidinem eius fregit, & venator habens intrà retia prædam, capta frui non potuit, quia morbus non permiſit.*

Infirmitate Deus reuocat à peccato.

Verſ. 17. §. 54. Quare flagellauit Dominus Pharaonem, & quæ fuerunt eius plagæ? Non vacat aliud agenti perueſtigare, quænam fuerint eiuſmodi plagæ Pharaoni, & eius aulicis ſeueriùs inflictæ. Enucleanda tamen ſunt pulchra Procopij Gazæi verba, ad rem præſentem opportuna: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis. Sic docuit Pharaonem, dum vlciſcitur iuſtum, vt vnà cum gentibus agnoſceret Deum: ſimul etiam quaſi ſub typo indicat, quæ ſemini eius eſſent ibi euentura.* Scilicet hæ plagæ nunc Pharaoni inflictæ adumbrant ſeueriores plagas alteri Pharaoni poſteà ſub Moyſe acerbè infligendas. Aſt hic Pharao, etſi inſano formoſiſſimæ Saræ amore captus eſt, vbi primam accepit plagam, confeſtim venuſtiſſimam, & deſideratiſſimam dimiſit feminam. Alius autem Pharao pluribus repetitiſque plagis perdiù afflictus, vix tandem populum dimiſit. Quænam tantæ peruicaciæ cauſa extitit? cur maiorum exempla ſecutus non eſt? Scilicet apud Principes magnum eſt diſcrimen inter negotium libidinis, & rem politiæ. Porrò Principes ſic tenaciſſimè hærent rationibus ſtatus, vt qui vbi primùm ſenſit primam animaduerſionis plagam, cupitæ veneris blandicijs renunciarit, ſeque ſubitò extricarit libidinis præſtigijs; pertinaciter tamen in re politiæ, & regij erarij emolumentis proteruus hæſerit: adeò vt niſi cum vita propoſitum non dimiſerit. Adamatam Saram venuſtate eximiam prima excutit plaga: Hebræum populum vix poſt plures, ipſaſque atrociſſimas dimittit. Ibi res libidinis, hic res politiæ peragitur. Sic ratio ſtatus Veneris voluptatibus antiſtat? Quin, & propudioſas etiam voluptates ſuadet?

Principes facilè, ab alijs peccatis reuocantur; ſed politicæ intenti obſtinatiſſimi peccant.

§. 55. Quare, ſi Pharao peccauerat, & ſic benè, quòd flagelletur, & flagellatam legimus domum eius totam? Niſi quia credibile eſt omnes aliquo modo in Pharaonis facto deliquiſſe: & ideò quia nullus inuenitur à culpa extraneus, neque à pœna alienus. *Veriſimile eſt*, ait aurea Doctoris Conſtantinopolitani Eloquentia homil. 32. *eos cooperatos fuiſſe: quapropter non ſolùm ipſe, ſed etiam domeſtici eius pœnæ fuerunt participes.* Quod vſquè adeò verum eſt, vt ſæpiùs videamus flagellatum à Deo iuſtum cum impio, quàm criminis reum alienum à ſupplicio. Verſ. 17.

Si Princeps peccat, vix Aulicus à peccato immunis.

§. 56. Quare non permittit Rex Sarai apud ſe commorari? Ex hoc commendabilis Pharao: Periculoſum enim eſt ad manum adeſſe fomitem voluptatis, concupiſcentiæ illectamentum. Fuga aduerſum impudicitiam comparanda victoria. Hinc de Ioſeph Patriarcha, qui impudicitiam Putipharis vxoris fugiendo vicit, elegantiſsimè ſcripſit Mediolanenſium Paſtor lib. de Ioſeph cap. 5. in 4. Tomo ſuorum operum: *Magnus quippè vir, qui venditus, ſeruile tamen neſciuit ingenium: adamatus non redamauit: rogatus non acquieuit: comprehenſus aufugit. Qui cum ab vxore domini conueniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit, ac ne ipſa verba diù quidem paſſus eſt: contagium* (Nota hæc verba) Verſ. 19.

Fuga vincitur impudicitia.

verba) *enim iudicauit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit, & relictis quibus tenebatur exuuijs, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, quia erat tectior indumento pudoris. Non est enim nudus nisi quem culpa nudauerit.*

Vers. 19. §. 57. Quare non statim vt Pharao Saram Domini suæ habuit, ad eam accesserit? prestò est D. Hieronymus qui vt dubium in loco eodem sibi propositum soluat scribit: *Fortassè idem mos erat id temporis apud reges Aegyptiorum, atque posteà fuit (vt docet Historia Esther) apud reges Persarum: ad quorum congressum non admittebantur mulieres, nisi ante per vnum annum multiplici, & exquisito cultu, ac mundo muliebri preparatæ essent.*

Vers. 19. §. 58. Quare Pharao Saram è domo dimisit, quàm sibi copulauit? Non alia ratione, nisi quia eam carnali cognitione attingere non poterat, nec debebat, casta enim illa erat, & castè cum illa conuersandum ei erat. Hoc autem Pharaoni placere non poterat, placuit decor, & pulchritudo, sed non placuit castitatis obseruatio. In quo expressè notantur, qui religionis pulchritudine capti, eius admittunt habitum, profitentur statum, nimirum quia nec Religionis bona ignorare possunt, nec pulchritudinem non admirari: at quia in ea castimoniam, & omnium virtutum genera obseruare necessarium est, eam dimittunt, vt liberè potiantur Aegypto. Audi Hugonem Folietanum citatum à Tilmanno inibi: *Sunt enim quidam, ait, qui delicatam, ac voluptuosam fore credunt Religionem, expertem laboris, vacantem otio, & adeò habitum Religionis indiscretè rapiunt, votum faciunt, professionis vinculo constringuntur, cùm autem religionis ordinem, & consuetudines eius aduersantes carni nouerint, in hæc verba prorumpunt, putauimus, inquiunt, pondus Religionis esse leuius. Quis enim potest ferre Claustri tædium, diuturnitatem silentij, pondus laboris, asperitatem vestis, parcimoniam cibi? Sic ergo vxorem suam reddunt Abrææ, expellentes eam, vt liberi remaneant in Aegypto: Abram verò ascendit ab Aegypto in Bethel, idest carnalium voluptatum consortia deserens in domo Dei manet, hoc enim Bethel interpretatur.* Hęc Folietanus. Rationi quidem optimè consona, quis enim dubitat religiosum nuptias celebrare cũ Religione, dum eam sibi copulat, tanquam sponsam ornatam viro suo? eam autem dimitti sinè salutis æternæ damno, non potest fieri.

Religiosi malè viuentes facilè Religionem deserunt.

Vers. 9. §. 59 Quare Abram perrexit vadens, & vltrà ad meridiem progreditur? Et quod quæso causæ ad nouam suscipiendam peregrinationem? Promissam terram tenet Abram, quid vltrà peregrinatur? Præcipuè cùm iam bis Altare ædificauerit Domino in terra promissionis in gratiarum actionem beneficij præstiti. Vt cum Caietano tenent multi, *Et hoc est secundum Altare ædificatum ab Abram in terra Promissionis, ad Sacrificandum Deo, qui iam bis apparuerat ei, & faciebat ipsum videre terram promissionis à semine suo.* Nihilominus tamen vltrà progreditur Abram, quasi in aliam terram migraturus. Sed si rem attentè inspiciamus, viri magnitudinem, & pœnè diuinam Philosophiam admirabimur. Audi quid dicat Scriptura. *Chananæus autem tunc erat in terra.* Et ne Chananæorum familiaritate, & necessaria omninò communicatione ipse, aut domus eius tota macularetur, terram etiam promissam à Deo fugit, altaria Dei dereliquit: Domum totam, & tabernacula mouit, alioque migrauit, & in solitudinem se recepit. *Quare illuc discessit* (inquit S. Ioannes Chrysostomus homil. 32.) *Fortè videbat quibusdam incolis non placere suum aduentum, & ne cum vllo aliquid haberet negocij, solitudinem apprehendit.* Non placebat Incolis Abram Pius vtique, & iustus, impijs, & perditis hominibus, quorum terram, patriam, mores, & familiaritatem, fugit Patriarcha, licèt à Deo audiat, Tibi dabo terram hanc, licèt Bethel relinquat, quod est domus Dei, per inuia enim, & deserta perditorum hominum consortia fugit.


Omnia licèt bona videantur fugienda, vt impius fugiatur.

Vers. 12. §. 60 Quare Abramo, & vndè cogitatio illa incidit: dicent, quòd vxor mea sis? Etenim si Aegyptij cogitarent malum aduersùs ipsum, potiùs dicere deberent, quòd pellex illius est, non coniux, nam qui sine Dei timore occidere eum non dubitarent, vt acciperent Saram in vxorem: quid mirum sine tanto inconuenienti dicerent, Saram non vxorem, sed pellicem? *Illud admiratione dignum est*, ait Benedictus Fernandez cap. 12. sect. 8. *Quod dicturi sint potiùs ipsius concubina est? Quid enim noui apparet meretriculas, cum lenonibus, huc, atque illuc vagari?* Existimo ergo eos homines, etsi timore Dei destitutos, non tamen ausuros iudicio temerario putare illam fœminam concubinam esse, sed vxorem? Nam à iudicio vsquè

Iudicij temerarij tantus horror, vt etiam ab eo perditissimi abstineant.

vſquè à Deo temerè conceptoretiam ſceleratiſſimi homines horrent. Et ita putabunt vxorem, non pellicem? Et conſequenter etſi ducantur in Saram inordinato pulchritudinis eius affectu, & opus ſit occidere maritum, tamen quia maritum iudicant; ne temerè iudicent lenonem; & ideò in eius mortem armabuntur, quia ab illo iudicio nunquam diuellentur, nec adduci poterunt, vt credant nec Abramum lenonem eius, nec Saram pellicem impudicam. Fateor admiratione in hoc iudicio dignos Aegyptios. O' vtinam eorum vera, & pia cogitatio Chriſtianis omnibus propoſita ſit, in exemplum, & documentum, ne præcipiti audacia temerè iudicia contrà proximos prodant, omninò temeraria, nam, & Aegyptij vxorem reputant, quæ poſſet iudicari concubina, & fortè concubinæ reputantur à Chriſtianis, quæ poſſunt reputari vel vxores, vel ſorores, vel alio quouis titulo neceſſariæ fœminæ, ſed quia ille concubinas non habebat, nec quemlibet alium eam habere iudicabunt, nam, & ideò dixit, & meritò S. Ioannes Chryſoſtomus tom. 1. homil. de Dauid, & Saul. *Plerumque vulgus hominum ex ſuo animo de alijs iudicat, velut qui ſæpè inebriatur, haud facilè credere poſſit eſſe quempiam hominem ſobriè, frugaliterque viuentem; qui ſcortis indulgent, etiam pudicè viuentes habent pro incontinentibus.* Similiter etiam, qui caſtè, pièque, & ſobriè viuit, reliquos caſtos, ſobrios, pièque viuentes arbitratur. Vnde caput hoc, & dubia obſero cum calamo admirabilis Doctoris Eccleſiæ S. P. N. Auguſtini, qui in Pſal. 65. ſcripſit: *Vide ne fortè quod deprehendis in alio cogites facere, & ideò in illum inclamas, non quia fecit: redi ad te intùs; & ſis tibi iudex.* Nota verba.

Homines facilè putant proximum ſuo crimine infectum, ſicut iuſtus alterum ſua virtute ornatum.



ultum munificè taxat. Ecquod est opulentum hoc præmium? *Faciam te in gentem magnam*. Lege dubium: & quomodo in gentem magnam, si dixit Moyses in cap. 7 Deuteronomij vers. 7. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores?* Populus præ reliquis oppidò exiguus in gentem magnam excrescere dicitur, cùm exiguo præ cæteris numero circumscribatur? Audi Ruperti Abbatis acumen lib. 5. in Gen. cap. 5. ad rem opportunè satis. Faciamque te, *inquit*, in gentem magnam. *Non dixit in gentem multam. Etenim gens illa quæ pro benedictione nunc offertur, comparatione aliarum gentium, non valdè multa futura erat..... Benè ergo non ait*: faciamque te in gentem *multam, sed* in gentem magnam. *Nam verè magna gens, cuius Dominus Deus eius, de qua magnos Patriarchas atque Prophetas, ac diuersorum meritorum magnos viros habemus, per quos veram Dei magnitudinem cognouit mundus*. Profectò Abramides, quos Deus in gentem magnam eligit, non in gentem multam esse vult: vult enim ex hac gente erigere Patriarchas, afflare Prophetas, propagare iustos, & populum Dei eligere, per quem veram eius magnitudinem mundus agnoscat. Persæpè enim gens quantò ditior magnitudine, tantò egentior deuotione; latior corpore, angustior mente, *multiplicasti gentem* (inquit Esaias c. 9. vers. 3.) *& non magnificasti lætitiam*. Benè ergo non ait: faciam te in gentem multam, sed in gentem magnam. Heù quoties non magna, quia multa!

Verè magnus, qui habet Deum amicum, & adiutorem.

Vers. 2. §. 16 Quare necesse fuit tot promissionibus Abram ad suam amicitiam dominum prouocare? Non enim Abramicum Deo amicitia, vt sæcularis est, quæ spe potiùs, quàm fide paritur. Peritè has Dei promissiones magnificas Basilius Seleuciæ antistes contemplatus orat. 7. argutè Abramum tunc vocat *Amicitiæ diuinæ nundinatorem*. Scilicet Abrami tyrocinia, tot opulentis spebus affatim adipata, non sinceram amicitiam nulla spe defæcatam; sed *amicitiæ diuinæ nundinas*, concinnè nominat; quoadusquè Abramus postea fide inclytus, credentium indigitatur parens, & filij mactatione auspicata puriorem cum Deo amicitiam ritè publicauit. Dum Hortatore Deo, patriam deserit, spe ductus ampliora possidendi, non tàm strictam cum Deo amicitiam inire, quàm *diuinam amicitiam nundinari* dicitur. Exspes suarum vtilitatum est vera amicitia, non commodorum mercatura. Negat verè amicum, qui lucelli spe amicum facit. Amicitia, res fidei est, non spei negotium; Beneuolentia, non negotiatione constat amicitia, quæ est animorum, non vtilitatum vsura. O frequentes humanæ amicitiæ nundinas, in quibus non officij, sed commodi emolumenta requirimus! Quisquis vtilitatem propriam ex amico quærit, & perdit amicitiæ gratiam, & amicitiæ nomen corrumpit. O quot nominum cadauera in vrbibus putrida squalent! amicorum nomina crebrò audimus, sed re amicitiæ vacua; quæ de vtilitate, non de fide peruersè titulantur. O populares amicitiæ nundinas, in quibus infido commercio, nostris commodis gratiam mercamur alienam!

Tyrones Deus varijs donis ad se vocat.

Amici, qui sua commoda quærunt multi, sed tali nomine digni non sunt.

§. 17. Quare si Deus dixit Abraæ Vers. 2.
faciam te in gentem magnam, posteà per totos viginti quinque annos frequenti oratione liberos expetit, prolem suspirat, ardenti successionis voto? Eccur Deus longa nimis dilatione suum Abramum lassat, & nimis prolixa expectatione fatigat? Spe obtinendæ prolis immissa, orationem excitat, fiduciam erigit, ac vota inquietat; & tamdiù differt annuere postulatis? estne miserendi auaritia, misericordiæ redundantia; quæ Isaaci donandi beneficium, dum prolixa expectatione protelat, dilatione ad gratiam exaggerat? Eleganter Cassiodorus hac super re, aliorsùm ita fatur: *Habet hoc enim humana conditio, vt celeriùs adepta, fastidio sint: dum omne pretiosum vilescit oblatum: & contrà dulciùs accipitur, quod sub aliqua dilatione præstatur*. Nimirum diuturna expectatio artificium diutiùs placendi est. Citò fastidimus ad possessionem eius, ad cujus expectationem perdiù non hiauimus. Malè dulces sunt deliciæ citò parabiles: facilitas rei obtinendæ nauseam negotiatur: diuturna expectatio vota adipat, & dilatione possessionem erudit ad saporem. Sic Abram vt dulciùs promissionem accipiat, dilationis voto committitur.

Deus vt magis postea consoletur iustos, postulata aliquandò differt.

§. 18. Quare si semel Deus fideliter Vers. 2.
omnipotens suo Abramo beneficè dixit *benedicam tibi*, opus fuit addere eritque benedictus? An Dei verba non secutus effectus frustare vnquam potuit? num potest Deus cuiquam benedicere, quin benedictus indubiè censeatur? Estne aliquod in terris robur, quod cassam reddere Dei benedictionem eualeat?

An-

Anteuidit hanc dubitationem S. Ioannes Chrysostomus, & super hac re homil. 31. in Genes. ita philosophatur: *Non solùm*, inquit, *genti magnæ te præficiam, & nomen tuum extollam: sed* & benedicam te, & eris benedictus. *Ne putes tautologiam esse, & idem bis dici, cùm dicitur*; benedicam te, & eris benedictus. *Tanta enim te, inquit, benedictione dignabor, vt illa in omne sæculum sit duratura.....Idcircò, & Iudæi in Patriarcha superbientes, volebant se in eius familiam intrudere, & dicebant*: Filij Abraam sumus. Ioan. cap. 8. vers. 33. Itaque Tautologia non est: nec sermo frustrà iteratus, cùm Abramo dicitur *benedicam tibi, erisque benedictus*; nam cùm dicitur *Benedicam tibi*, meram ei benedictionem illi Dominus spondet haud dubiè impertiendam: cùm autem additur *Erisque benedictus*, benedictionis diuturnitatem significat, quæ est beneficij emphasis, felicitatis gratia, atque gratiæ hypostasis. Quasi benedictio, quæ diuturnam durationem non habet, quodammodo benedictum non faciat, de fugitiua beneficij acceptione, nisi diuturna consistentia perduret, vt benedictionis gratiam adimpleat.

Dona, quæ dat Deus semper durent.

Vers. 2.

§. 19. Quare Deus Abramo bonam famam loco ingentis cuiusdam beatitudinis promisit. *Magnificabo* inquit *nomen tuum*? Non solùm vitam, sed etiam nomen, hoc est famam magnificandam pollicetur; nam vt benè Philo hebræus lib. de migratione Abrami expendens eum locum: *Sicut*, inquit, *bonum, ac honestum esse; ita & videri, prodest. Est quidem veritas opinione melior; vtramque tamen sua bona fortuna sequitur. Cui Deus vtramque concessit, vt bonus, ac honestus, & sis, & videatur: hic verè beatus est, & verè vir magni nominis. Nec est negligenda bona fama, res in omni vita vtilissima.*

Deus bonam famam concedit iustis.

Bona fama æstimanda.

Vers. 3.

§. 20. Quare larga quidem benedictio, & opulenta felicitas dicitur eis, qui benè de Abramo dicunt, eumque laudibus celebrant. E contrario autem hi qui eum vituperijs dehonestant, infami execratione mulctantur? Grande quidem præmium, & cum maximis comparandum: nec è diuerso minor est supplicij reatus. Pulchrè D. Ioannes Chrysostomus apud Anton. in Melissa lib. 1. serm. 51. *Quemadmodum*, inquit, *non modò, qui mala faciunt, sed etiam qui laudant eos, eiusdem aut grauioris quoque participes erunt supplicij: ita qui bonos laudant, & admirantur, consortes erunt coronarum, quæ illis destinatæ sunt. Exemplum autem, & argumentum in scriptura habemus: dixit Dominus ad Abram: Benedicentes tibi benedicam, & execrantes te execrabor.* Hanc aurei Doctoris sententiam exscripsit S. Maximus etiam serm. illo 43. Vide hic inidoneæ laudationis Sacramentum. Scilicet qui vituperanda laudat, & improbos peregrina laude extollit, dignus est, qui assimilem, imò & multò grauiorem subeat pænam, ac qui commisit flagitium, quod laude commendat; quasi laus improbitatis, eiusdem improbitatis reatum combibat, bibulo supplicij commercio, de fædere eiusdem culpæ, quam laudatione haurit. Et quod mirere magis, eiusdem culpæ participium, grauius supplicium meretur; ac si eiusdem culpæ laudatione particeps, grauiùs culpetur, & mulctetur pænaliùs. *Non modò qui mala faciunt, sed etiam qui laudant eos, eiusdem aut grauioris quoque participes erunt supplicij.*

Pœna digni laudatores improborum.

Laudatores bonorum præmio digni sunt, & remunerantur.

Vers. 3.

§. 21. Quarenam errantem Abramum per inuia, & deserta, vbi ne leue quidem hominis vestigium visebatur, non auxiliari Angeli alicuius ducatu Sichem traduxit? An fortè hoc ipso designauit Deus nullo Abrami comite opus esse, quàm vnius illius, cuius nutu ignotam illam profectionem inibat? simile huic concepit S. Chrysostomus hom. 8. in Matth. causam disquirens, quarenam Angelus, qui fugam in Ægyptum, Iosepho, cum puero Iesu mandauit, non ille se quoque comitem adiunxit; *designans*, inquit, *maximo ipsius, propter quem fugiebant, paruuli, esse munitos comitatu*. Sed liceat in hæc philosophari. Si Angelum adiecisset Deus in ardua illa peregrinatione, ac inuia solitudine Abramo, eius suspicor fuisset mentis repromissam illi de cœlo prouidentiam, eam esse, vt omnem prorsùs hominis solicitudinem ablegandam duceret; quod tunc maximè suasum habuisset, si præstò fuisset Angelus itineris comes, vt peregrinaturo Eliazer in Mesopotamiam, singulari prouidentia non defuturum Angelum præeuntem, ille prædixit: *Mittet Angelum suum coram te*: Gen. 24. vers. 7. Atqui Deus ita prouidè homini, cuius curam gerit, consulit, vt eum tamen exigat in opere suo non desidem, atque adeò, ne incuriosum faceret in suscepto itinere Abramum, sinè comite, solitarium dimisit, quò certiores, & ipse vias huc, illucque digrediens indagaret. Prouidentia est, cuius beneficio, si non negligentes sumus

Cui Deus adiutor est, nullo indiget adiutore.

Deus ità de suis curat, & prouidet, vt homines tamen sibi curent, & non sint negligentes.

Digitized by Google

Sichem quid significet?

mus omninò beati esse poterimus; id quod fortassis locus ipse, ad quem tandem deuenit Abramus, adumbrat. *Sichem* enim interpretatur *humerus*, seu *iugum obedientiæ religiosum*, *& diligentem executionem*, *& labores* allegoricè Lauretus titulo Sichem lit. S. tanquam sanctissimo innuitur Patriarchæ, sibi quidem peculiari de cœlo prouidentia in eo itinere Deum adesse, neque tamen à suis laboribus, & diligenti cooperatione fore illum exemptum.

Vers. 3. §. 22. Quare dixit Deus Abramo faciam te in gentem magnam? quia ex Abramo descensuri erant Leuitæ, qui omnibus carnis affectibus renuntiantes, affectionibusque præcisis, Deo adhæserunt, eiusque honorem studio vigilantissimo procurarunt. Ergo Abram Leuitarum Pater à terrenis educitur, & ad cælestia transfertur, vt tantæ sanctitatis origo omni exornaretur munditia, ac virtutum elegantia. Accipe Ambrosium de fuga sæculi, & in cap. 2. sic babebis: *Leuitæ relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique, & Abraæ dictum est: exi de terra tua, & de cognatione tua: sed fortè dicas: Leuita non erat, sed habebat in lumbis suis Leui*. Decuit Leuitarum patrem mundi despectu nobilitari, vt filij quasi hæreditario iure transmissum à parente ingenium reciperent, aut vt parens ab ipsis filijs mutuaretur: filij singulari nobilitandi excellentia patrem exigebant, qui singulari resplenderet munditia: *Non erat Leuita; sed habebat in lumbis Leui*: Leui in paternis adhuc lumbis degens parentem nobilitauit, & singulari sanctitas priuilegio lucere fecit. Dominus namque quos ad eximiæ posteritatis decreuit originem, solitat mirandis virtutum dotibus exornare, & cælestibus prærogatiuis munire.

Iustorum genitores virtutibus nobilitantur, & excellunt.

Superior, qui est Pater Religiosorũ, alijs debet præire exemplo in sæcularibus sperdis.

Vers. 4. §. 23. Quare ergo mandatum seruauit Abram, vt exiret de cognatione sua, si secum cognatum Lot detulit, dum legitur, *& iuit cum eo Lot?* Præceptum Domini fuit exponendum de cognatione repugnante diuino famulatui, non verò de illa, quæ ei minimè obsistebat, imò diuinus nutus erat, vt in manifesto periculo inter idololatras consobrinum suum non desereret; Nam vt ait D. Chrysostomus homil. 14. in epistol. 1. ad Timoth. *Deus idcircò vincula propinquitatis instituit, vt multiplex subesset occasio nos mutuò diligendi beneficijsque confouendi*.

Parentes, qui se à Dei famulatu retrahunt deserendi.

Vers. 4. §. 24. Si Thare pater Abram, cùm adhuc esset in regione Chaldæorum, septuaginta annorum genuit Abram, & postea in Aran ducentesimo quinto ætatis suæ anno mortuus est, quomodò post mortem eius Abram exiens de Aran septuagintaquinque annorum fuisse memoratur, cùm à natiuitate Abram vsquè ad mortem patris eius, centum triginta quinque anni fuisse doceantur? Dubium, quod sibi proposuit Venerabilis Tuitiensis Abbas in lib. 5. super Genesim cap. 2. pag. mihi 91. sic, vt resoluat, scribit: *Igitur vera est illa Hebræorum traditio, quòd egressus sit Thare cum filijs suis de igne Chaldæorum, & quòd Abram auxilio Dei sit liberatus, & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis. Potest tamen rectè intelligi, quòd Thare cum suis omnibus statim quidem post persecutionem venerit in Aran: & cùm proposuisset ire in terram Chanaan, illic remoratus sit, Abram autem iubente Deo, vt egrederetur de terra, & de cognatione sua, egressus sit. Sic enim se habet ordo narrationis*.

Liberatus à culpa, vel eius occasione, tunc vere incipit viuere.

§. 25. Quomodo Abram septuaginta, dumtaxat, quinque annorum fuit, cùm egressus de Haran dicitur, si non plures, quàm anni septuaginta, Thare parenti adscribuntur, cùm dilectam genuit prolem Abramum? Grande quidem inter expositores litigium, quo anno ætatis suæ Abramus exierit. Et sanè (quod mirere magis) Interpretum proceres centum trigintaquinque annos Abramo tribuunt, tametsi scriptura septuaginta quinque dumtaxat illi tribuere videatur. Rem componunt S.P.N. Augustinus quæst. 25. super Genesim, & lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 15. & S. Hieronymus in trad. Hebr. in Genesim cap. 12. qui putat Abramum de Vr Chaldæorum ideò exijsse, quia Persica numina adorare constantissimè recusauit: *Et ex illo tempore reputetur ei tempus gratiæ, ex qua confessus est Deum, spernens idola Chaldæorum*. Scilicet vitæ tempus ethicè non ætatibus, sed moribus computatur. Rationali homini non imputatur tempus, quo brutis pecudibus similem agit vitam: quod Deo viuit, vixisse dicitur. Qui virtuti viuit, citò senex est; & quod vitijs detrahitur, vitæ adijcitur. Adolescens virtutum moribus factus, *consummatus in breui expleuit tempora multa*, Sapientiæ cap. 4. vers. 13. Senex autem vitiorum delicijs innutritus *Puer centum annorum* nominatur, Esaiæ cap. 65. vers. 20. Pietas longioris vitæ compendium est. Virtus, & caret tempore, & tempus pietate redimit. Vers. 4.

Vitæ tempus non ætate, sed bonis moribus computatur.

Digitized by Google

dimit. Itaque sexaginta illi anni quibus Abramus veri Dei nescius, idola coluit, minimè computantur, quasi rationali vitæ nemo tunc foret, & inter muta animalia, aut exanimales truncos, aut rupices, citiùs quàm inter homines censeri debeat. Sic idololatra, proprio numine vacuus, & operosus alieno, mentito, adulterino, falsato; tanquam rationis expers vitæ exul reputatur.

Vers. 5. §. 26. Quare si Abram nesciebat terram, in quam erat iturus posteà in terram Chanaan descendit; vndè sciebat, quòd in terra Chananæa futurus esset suæ peregrinationis exitus? Ad dubium soluendum præstò est Aureus Doctor (dum superiori modo descriptum sibi ipsi proposuit) dicens, *Quamuis praceptum ita continebat*; Veni in terram, quam monstrauero tibi: *Attamen Deus ei & hoc significauit, indicans menti eius terram, in qua ipsum constituere volebat. Propterea enim cùm praciperet ei, indefinitè dicebat*: Veni in terram, quam monstrauero tibi; *vt nobis iusti virtutem detegeret. Deindè postquam ille quod suum erat magna largitate attulit, mox Deus ei significauit, in qua terra vellet eum domicilium habere.* Hactenus S. Ioannes Chrysostomus homil. 31. in Genesim lit. A. pag. mihi 171.

Cum iustus præcepta Dei exequitur, viam maioris perfectionis addiscit.

Vers. 5. §. 27. Quare si Abram, & Loth nullam in Vr Chaldæorum genuerunt prolem dicitur, quòd secum asportauerunt animas, quas fecerant in Haran? Notandum est, quòd pro ly *facere* Hebræis idem est ac parare, acquirere, possidere, siuè per emptionem, siuè per generationem, siuè alio quouis modo. Notandum secundò, quòd ly *animas quas fecerant*, Hebræi spiritualiter animas fecerant explicant. His suppositis ad dubium. Quia Abram viros plurimos, & Sara mulieres multas ab infidelitate ad Dei cultum, & obsequium traduxerunt, ideò dicitur *animas quas fecerant in Haran*. Vndè pro ly *animas quas fecerant in Haran* Chaldæus Paraphrastes opportunè exscribit, & exponit: *Et omnes animas, quas legi subiecerunt in Haran*; quo disertè ostendit animas sinè Dei legibus emortuas esse, lege autem diuina animari, & nouo vitæ auspicio feliciter viuescere: quod est singulare diuinæ legis elogium.

Anima secundum Deum non viuens mortua dicitur.

Vers. 5. §. 28. Quare Abram iussus exire de cognatione sua traduxit secum Sarai vxorem suam? Num absolutæ fuisset obseruantiæ, num generosiùs, & perfectiùs diuina vota impleßet, si & vxorem ablegasset, & carni, & sanguini omnimodum nuntium remisisset? Cur eam igitur, qui ambulare coram Deo, & perfectioris vitæ sectari debuerat institutum secum traduxit? Accipe Lippomanum ibidem, & lege: *Quacunque chara in mundo habebat iubetur relinquere, patrem, parentes, amicos, familiam patris, soli Deo impensè credendo adhærere, vt dignus habeatur Dei promissionibus magnificis; solam vxorem non iubetur relinquere, licèt sterilem, & vetulam: placet enim Deo thorus immaculatus*, & quia hoc ipsum, sanctissimo innotuerat Patriarchę; ideò coniugem non dimisit, neque à se ipso separari permisit.

Thorus immaculatus coniugum quam Deo charus.

§. 29. Vel dic: Non reliquit vxorem, vt illius pudicitiam custodiret, & à periculis in eo genere, illam quamplurimis vendicaret; quandiù enim penes se proximam detinuerit, ab infandis eam periculis eximet, feralesque illud & euentus, qui egregias quandoque domos euertunt, & fędam ipsismet, sæpè ac sępiùs innurunt infamiam, vt in eadem protoparente videre est, quam, *separatam, & à viro suo procul remotam inuasit, & decepit serpens, nec eam potuit decipere, quamdiù vidit eam à viro suo non separatam*, obseruat D. Anastasius Synaita lib. 10. Hexameron: & quamuis de Eua sententiam protulerit, huic loco applicabilem censui. Vers. 5.

Maritus pudicitiæ vxoris custos perpetuus esse debet.

§. 30. Quare vnus egredi iussus Abram de terra traxit secum vxorem, & Loth filium fratris sui? Quia ab exemplo Abram filium fratris sui Loth vxoremque veram acquirerent perfectionem. Hinc Veritas æterna vti refertur in cap. 5. vers. 19. S. Ioannis dixit: *Amen dico vobis, non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quacumque enim ille fecerit, hac & filius similiter facit*. Quàm verè, ò quàm appositè! *Verisimile quippè est, vt quidquid virtutis in Sanctorum filijs cernitur, totum ab ipsis parentibus traditum fuisse credatur. Non potest quidquam filius facere, nisi quod viderit patrem facientem*. Illustrat D. Petrus Damianus Serm. 17. vbi expende consultè dictum, *Patrem*, non docentem, sed *Facientem*, idest, exercitæ virtutis exemplo parentum virtus in generosam prolem auspicato deriuetur euentu. Vers. 5.

Filij parentum mores exprimunt.

§. 31 Quare primus locus terræ promissionis, qui Abramum exulem excepit, & quem inauspicatò Sanctissimus Vers. 6.

Par-

Patriarcha inhabitat, non sinè nominis Sacramento *Sichem* nominatur? *Sichem* vt Literalissimè pariter, ac moralissimè inibi notauit Anselmus Laud: idem est, ac *Humerus*. Res profectò obseruatione dignissima. Cùm Abramus reliquit paternam domum, & censum, & patriam, inter agrestes nationes, inhumanas, efferas, barbaras exul peregrinatur vsquè ad Terram promissionis, potiùs egebat *humeris* ad sufferendas longæ, & incertæ peregrinationis ærumnas: nec tunc, sed cùm paradiseam sibi, & posteris promissam terram ingreditur, *humeris* donatur. Scilicet qui non donatur *humeris* ad ferendam multiplicem longæ peregrinationis calamitatem, *humeris* quamprimùm donatur, dum Terræ promissionis auspicatur ingressum. Sic est difficile felicitatem ferre? Sic est arduum sustinere fortunam totam prosperitatis mole feliciter incumbentem? *Humeris* donetur felix necessè est? An potiùs in prosperioris fortunæ auspicio, *humeris* roboratur, vt imminentia ferat in fortunia, quæ felicior prosperitas felicibus ominatur? Fortunatus statim *humeris* eget, non tàm, vt felicitatem ferat, quam vt vicinam calamitatem sustineat. Vndè Abram nuper felix, *humeris* præproperè fulciter ad impendentium felici ærumnarum tolerantiam. O caue tibi à prospera fortuna, certo infortunij præsagio.

Felicibus infelicitas proxima est; adiutorio in digent speciali, ne succumbant.

Verſ. 7. §. 32 Quare apparuit Dominus Abramo in terram Sichem, & non magis in Chaldæa? Pulchrè D. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 3. respondet: *Nusquam superis habes, quòd visus esset illi Deus. Quia quandiù Chaldæus fuit, hoc est, non solùm in regione, sed etiam in opinione Chaldæorum non poterat Deum videre, quem intra mundum quærebat*. Sic immergebantur Chaldæi mundo, vt nihil magnum, nihil diuinum extrà mundum putarent; hinc erat, quòd Deus quàm longissimè abesset à Chaldæis: dum autem Abram Chaldæam reliquit, seque suprà mundum constituit, statim illi apparuit Deus præsentissimus.

Deus longè abest ab iis, qui Mundo viuunt.

Verſ. 7. §. 33 Vel dic: Postquam Abram Chaldæam reliquerat, non modò ad colloquium, sed etiam ad conspectum familiareque consortium vocauit Deus. Æquum enim erat, vt qui propter Deum à mundo exierat, ad Deum familiariter intraret, & qui mundum propter Deum execrabatur, Deo gratior, & amicior consecraretur. Rem totam confirmat Philo Hebræus in lib. 6. *Postquam*, inquit *Abram totam domum egressus est, ait lex, visum ei Deum; dicens, quod manifestè apparet extricato rebus mortalibus, & reuertenti ad incorpoream huius corporis animam*. Quo in symbolo religiosi adumbrantur, quos necesse est rebus humanis priùs renunciare, vt diuinis liberaliùs perfruantur.

Qui Mundum propter Deum relinquit, Deo charior fit.

§. 34 Quare ibi apparuit Dominus Abramo? Quia in terra alienigena versabatur, & quasi vagus, & profugus, & certa statione destitutus vagabatur, quòd sanè, viro, alioquin in terra sua commodis omnibus refertissimo, molestiæ plurimum, & mæroris fuerat euasurum: *Quare bonus Dominus consolatur eum*, inquit Aureus doctor vbi supra, *Vt, ne torpesceret, neque dubitaret ad promissionem, quia, dixit, veni huc, & faciam te in gentem magnam, quandoquidem, diuersa à promissione videbat fieri & se obambulare, vti abiectum, & vilem, & omni præsidio destitutum, neque habentem vbi diuerteret. Vt igitur mentem eius excitet, ait Visus est Dominus Abrahę*. Sic Deus quemquam non patitur solatio destitutum. Verſ. 7.

Deus non patitur seruos suos solatio destitui.

§. 35 Quare Abramus à Chaldæis, ac Chananæis fugiens, ad conualles, ac montes tendit, vt ibi sacrificia Deo offerat? Abramus vita castus, & Sanctus benè agnouerat rationem suam viuendi, moresque suos esse valdè alienos ab illarum gentium consuetudinibus, Sacrificiaque sua, quæ vero Deo exhibebat esse multum dissimilia ritibus habitatorum Chanaam, inde ergo ad montes, ac conualles transfugit, ne barbararum gentium odia in se excitaret à quibus in cultu veri Dei, ac ratione viuendi maximè discrepabat, nec benè conueniunt, nec in vna sede morantur bonus, & malus homo, D. Ioannes Chrysostomus homil. 32. Quare illinc discessit? *Fortè*, ait, *videbat quibusdam incolis non placere suum aduentum, proindè eximiam suam mansuetudinem declarans, & ne cum vllo aliquid haberet negotij, solitudinem apprehendit*. Verſ. 8.

Iustus malos fugit, ne cum ipsis viuetur.

§. 36 Quare dicit Moyses, quòd Abraham: *Perrexit vltrà vadens, & progrediens*; vel vt legunt Septuaginta: *Castrametatus est in deserto*? Ducem ne bellicæ manus egit Abramus, vt castra figeret in deserto? Non reperio. At verò castrametatus, dicitur, quòd ita esset ad obediendum Deo mandanti paratus, Verſ. 9.

Digitized by Google

ratus, ac assolent milites, ad nutum ducis, in alium, prout expedit, locum, sublatis inducijs, protinùs emigrare? Consentit Chrysostomus ibidem *Quemadmodum*, inquiens, *De militibus solemus dicere, ita est de iusto. Hic dicit Scriptura Sacra, quòd castrametatus sit, vt ostendat expeditum Patriarcham, quòd, sicut milites absquè difficultate, nunc huc, nunc illuc tentoria sua erigunt; ita & iustus ille quamuis secum duceret vxorem, & fratris filium, & tantum seruorum numerum, maiori tamen facilitate migrare solebat.*

Sicut milites Duci promptè obediunt, ita iusti Deo.

Vers. 9. §. 37. Quare Abram è Sichem in montē Bethel contrà orientem perrecturus, non diù commoratur, hunc inter, & Hai, fixumque non parat tabernaculum, cum familia sua paululum quieturus, sed tractu non intermisso, prolixum iter illud absoluit; *Perrexit Abram vadens, & vltrà progrediens?* Ne, respondet Ferus ibidem, *Ne cum homine prauo, quid haberet commercij, solitudinem petit.* Caue ergo à contubernio, vel societate malorum quisquis sis, vel iustus, vel Angelus, vel diuinæ quodammodò æmulus præcellentiæ.

Cauendum à societate malorum.

Vers. 10. §. 38. Quare, si ob famem Palęstina deserenda tunc erat, non redit ad natale solum postmodùm vndè exierat rediturus? Cur Patriarcha non potiùs eligit Chaldæam in qua haberet multam rerum opportunitatem: in Ægypto verò cùm esset terra extranea multa poterat timere infortunia? Noluit ergo vir magnus repetere terram, quam iubente Deo semel reliquerat, prudentissimè sibi meliora indicans omnia pericula extraneæ terræ Ægypti, quàm omnia opportuna bona natiui soli, quòd iubente Deo semel dimiserat. Rupertus ad eundem locum eleganter scribit. *Iam quidem in aperto litera est victoriosa viri obedientis perseuerantia, quia facta fame in terra peregrinationis suæ, maluit adhuc in terra Chanaam, quæ est Ægyptus peregrinando aliena solatia quærere, quàm ad terram, vel ad cognationem suam qua Deo iubente fuerat egressus, aliquatenus respicere.* Nimirùm Abram Deo iubente egressus fuerat è natali solo, vbi vitam receperat. Ecce tibi victoriosa viri obedientis perseuerantia. Qui natali terræ velut obstinatè renunciat, vbi vitæ principium natiuitate mutuauerat, vt cognatione alerert, & conseruaret; & peregrinatur in barbarum Ægyptum contemnens interfectionis discrimen, quasi in obsequio, obsequijque perseuerantia vitam tutiùs collocauerit. In annonæ penuria mortem timet, ac fugit; nec tamen recurrit ad natalem solum, vbi vitam fœnerauit, & totius inter suos conseruaret; Sed in agrestem Aegyptum contendit, vbi interfectionis periculum impendebat; benè sciens, quòd etiam in mortis discrimine, melius de obedientia vnde viueret, habuisset. Ideircò vel in vitæ discrimine vitam obsequio piè quærit, & feliciter inuenit. Audi huius dubij clausulam. Vir obediens de obsequio vitam mutuatur: Creatura enim sentit creatorem, non viuendo, sed obediendo.

Religiosi quæ semel dimiserunt secularia, non debent repetere.

In cœpto bono perseuerandum.

Obediens omnia spernit pericula.

Vers. 11. §. 39. Quare Abram idem periculum non timuerit apud Chananæos atque Aegyptios, cùm pulchritudo Sarai æquè periclitari potuerit in terra Chanaan, atque in Ægypto? Diuersa enim est ratio Chananæorum, atque Ægyptiorum; isti intemperatioris, & perfusioris erant libidinis, effrænesque magis habebant cupiditates. Adijce, quod Chananææ mulieres erant multò candidiores, & pulchriores, quàm Ægyptiæ; quapropter pulchritudo Sarai magis futura erat apud Ægyptios singularis, rara, & insolita, quàm fuerat apud Chananæos, maiorisque apud illos, quàm apud hos incendij amoris, & periculi causa.

Vers. 11. §. 40. Quare si Abramus, magno Dei spiritu erat ditatus, ex eius iussu hoc iter aggressus est, multas magnasque promissiones à Deo acceperat vt in toto ipso continentur capite, nunc tanto timore concutitur? Alta diuina dispensatione inter tanta magnalia talis timor ei accidit, vt recognoscens suam imbecillitatem humiliaretur, ne in lapsum alicuius vanitatis irrueret. Eleganter nec non acutissimè ad rem suffragatur in eodem loco Procopius. *Nè tàm, vit, miraculosi operis magnitudo eum insolentem redderet, gratia Dei metum induit ei, vt suam imbecillitatem agnosceret.*

Iusto timendum etiã si varijs donis sit ornatur.

Vers. 12. §. 41. Quare addubitat Abbas Tuiciensis (impress. Coloniæ Agripp. lib. 5. in Gen. cap. 7. col. 2. pag. mihi 93.) non eadem fide confisus, si vt liberatus fuerat de Vr Chaldæorum, quòd liberare posset eum Dominus de manu Ægyptiorum, vt non moreretur propter eam, securè dixit esse vxorem suam? *Videlicet*, nota Ruperti Abbatis nomen, *quia timebat Dominum, quia nolebat tentare Dominum Deum suum. Is namque Deum tentat, qui quanta potest parte periculi se non expedit, & illic poscit miraculum Dei, vbi non nihil proficere potest huma-*

A Deo non sunt semper quærenda miracula, vbi possumus aliquid prudenter vitare.

humanæ rationis ope, quæ in promptu ſit: Benè igitur vir prudens vtrinque ſollicitus, videlicet ne, & ſe interficerent, & illam reſeruatam ſuæ libidini ſubiugarent, quam potuit partem periculi ſuſtulit, & cætera fideliter Deo curanda reliquit.

Verſ. 12. §. 42. Quare Abram timebat ſe interficiendum ab Ægyptijs? Propter Sarai Pulchritudinem. O' vtinam non ipſe ſibi carnifex, formoſæ mulieri vxoratus, importunis ſuſpicionibus dilaniatus euaderet! *Quatuor ante tempus hominem occidunt: Vxor formoſa: Triſtis familia: immoderatus cibus, & aer corruptus*, abijt in prouerbium. Cætera prætereo incommoda, & plura iactitanti, pulchram ſe dixiſſe vxorem, graui Franciſci Petrarchæ reſponſione perſtringo, Dialog. 66. *Difficilem*, inquit, *Prouinciam nactus es. Vigila: durum eſt cuſtodire, quod à multis appetitur. Solet forma corporis, vt multa alia, paritate gaudere, imparitatem, ac diſſimilitudinem aſpernari. Si par igitur tibi forma eſt, exerceberis; alioquin contemneris, vtrumque laborioſum. Si magna forma eſt? & magna ſuperbia: Vix eſt aliquid, quod æquè animum tumefaciat, & extollat. Si maxima? Vide, ne caſtitas, parua ſit: nam ſcitè ſatyricus: Rara adeò eſt concordia formæ, atque pudicitiæ. Vt hæc conſtent, morum inſolentiam, quis ferat, & quotidiana faſtidia? Formoſam ſi habes vxorem? habes domi idolum ſumptuoſum, operoſum. Videbis in dies peregrinos, nouoſque habitus, lauda hinc corporis habitudinem, quam omnia deceant; hinc ingenium inuentricis, ad cuncta verſatile, tum iacturam patrimonij, lucrum voca. Habes idolum litigioſum, inſolens, quod effuſus colas, quod extrà te raptus ſtupeas, quod adores, vndè totus pendeas: Submitte collum iugo, & contentus forma coniugis, curaſque alias, & propriam libertatem procul abijce. Caue, ne quoquo modo aliam, præter illam laudes, ne quandò oculos ab illius fronte diuerteris, ne ſolito parciùs blandiaris, ſolito minùs inſanies: quidquid reſpueris, capitale ſit; omnis ſanitas, defectio. Viue denique ad vxoris edictum, & nutum Dominæ, ſuſpenſus obſerua, mancipium, non maritus: Hæc facito, ſi tanti exiſtimas aliquandiù formoſam thori ſociam amplecti, leniqueque ad tempus cute gaudere, & candidus natus ex vtero, tanquam poma nobiliora; pulchro de vaſe ſuſcipere.* Qui ſi adhuc repetis, vxorem te formoſam duxiſſe; breuibus adhuc occurrit. *Venenum dulce, compedes aureas, ſplendidam ſeruitutem.* Forma delectat? *Vana, breuiſque delectatio. Nil forma fugacius, & præſertim fæminea: qui vxorem propter formam diligit, citò illam oderit.* Quid ne grauius? Quid ne moralius? His euinco, ducendæ vxoris negotium, conſilioſè agendum, Mores potiùs, quàm cenſus, quàm formam ſpectandos.

Pulchritudo multoties tormentum.

Vxorem ducens mores potiùs, quàm formam curet.

§. 43 Quare ait Abram vxori dic obſecro quòd ſoror mea ſis? Qualenam munimen Abrami vitæ eſſe poterit, quòd Sarai ſororem ſuam ſe nominet? Magnum ſubiungit Abram: *Et viuat anima mea ob gratiam tui*. Si Sarai ſororem meam ſe dicit, vitam protraham. O' terrarum orbis Regina miſericordiarum Mater Virgo MARIA. En reſpice nos ad te recurrentes exleges; Ægyptij, nempè dæmones, inſidiantur; fugiunt Angeli, ſacræ Triadis Tribunal noſtris viſis criminibus æterna nos morte mulctat. Heu miſericordiæ Mater dic obſecro, quòd ſoror noſtra ſis, ſolo pietatis vinculo iuncta. Ob gratiam tui viuet anima noſtra. Si dæmones Aegypti audient te ſororem noſtram eſſe, non ſolùm minimè occident nos, ſed etiam Principes Angelici comites noſtri adiuncti ſeruabant, & vt totius Trinitatis adorandæ Perſonæ amoris pietatiſue reflexu recipiant nos in æterna tabernacula. *O' Sara noſtra ò MARIA*, ſic cum D. Bonauentura in ſpec. confidenter exclamo, *Dic obſecro, quòd ſoror noſtra ſis, vt propter te viuant animæ noſtræ. Dic chariſſima Sara, quòd ſoror noſtra ſis, vt propter talem ſororem, Ægyptij, ideſt, dæmones nos vereantur, Angeli nobis coniungantur, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus noſtri miſereantur.* Verſ. 13.

Maria Virgo nos protegit contra omnia aduerſa.

§. 44. Quare in iſta Abrami ab Vr Chaldæorum fuga, & peregrinatione cum Sarai vxore tot euenerunt ſiniſtra, ſublatio Sarai in domum Pharaonis, timor mortis Abrahæ, ſuſpicio de Sarai pulchritudine; & quæ narrantur cætera? Vt ſicut hæc peregrinatio in Ægyptum erat figura de peregrinatione, & fuga pueruli Ieſus, cum Ioſepho, & Maria ab Herodis tyrannide in Ægyptum, ſic, & cognoſceretur MARIA Sarai pulchrior, & tutior in Ægypto, nec non magis firma ſecuritas Ioſephi de puritate MARIÆ. Hoc totum eleganti calamo expoſuit B. Simon de Caſſia lib. 2. cap. 22. mei Eremitani inſtituti Auguſtiniani fulgentiſſimum Iubar, dicens: *Quòd ſanctiſſimus Ioſeph ingreſſus Ægyptum non præmonuit ſanctiſſimam Virginem; vt diceret, ſe ipſius eſſe ſororem, vt olim præmonue-* Verſ. 13.

Abraham pergens in Ægyptum typus fugæ futuri Ieſus.

monuerat Abram Saram, veritus, propter eius pulchritudinem, mortem incurrere, si se fateretur vxorem; & tamen B. Virgo specie, & pulchritudine sua Saram, & Rebeccam superauit. Neque item ipsa sublata est in domum Ægyptij Regis, sicut Sara in domum Pharaonis: sciebat enim sanctissimus Ioseph, quòd maiori custodia munita esset Virgo, quàm Sara, à quo sæpè ipsa responsa acceperat, & talem gratiam Deus in Virgine Matre posuerat, vt nec propter excellentem eius pulchritudinem immundè posset conspici. Nouerat hoc Ioseph experimento sui, qui nunquam ex ipsa carnis tentationem præsenserat, quamuis secum pariter habitaret.

Iosephi, & Abrami comparatio de Sara, & B. V. Maria in Ægyptum.

Vers. 13. §. 45. Quare Abram magis voluit frater haberi, quàm maritus Saræ? si maritus haberetur, duo erant committenda Deo, & quòd mariti vitæ, & quòd vxoris pudicitiæ consuleret. Si frater autem putaretur, ipse illo modo suæ vitæ consuleret, pudicitiam autem vxoris committeret Deo. Sapientissimè ergo modum elegit, in quo aliquid ipse faceret, vt in eo, quod non posset, adesset Deus. Accipio à S. P. N. Augustino confirmationem dicente in lib. 22. contra Faustum cap. 36. *Cùm inter ignotos propter eximiam Sara pulchritudinem, & eius pudicitia, & mariti vita esset in dubio, neque vtrumque tueri posset Abram, verùm vnum horum posset, idest, vitam; ne Deum suum tentaret, fecit, quod potuit, quod autem non potuit commisit Deo. Qui ergo se hominem occultare non potuit, maritum occultauit, ne occideretur; vxorem Deo credidit, ne pollueretur.* Quid diuinius? fidei spei que assertor, nunquam commisit vni Deo, illa, quæ ipse præstare posset, & deberet.

Non debemus solum Deum operantem relinquere, sed nos cum ipso operemur.

Vers. 14. & 15. §. 46 Quare visa Sara ad miraculum pulchra, ad Pharaonem per Principes fama refertur? In ingenti adeò hominum copia mulier peregrina laudibus celebratur, quam cùm Ægyptiorum Principes curiosè adspexissent inuolarunt celeriter, vt Regi denunciarent. Transi modò (anteqnam dubium soluam) cogitatione ad Ionam, qui, cùm Niniuem ingressus terribilibus minis Niniuitas perculisset, sic ad peccatorum luctum planctumque commouit, vt iam continuis aures referirentur gemitibus, & vtilissimis exundaret ciuitas planctibus: tunc huius veritatis notitia ad Regem peruenit; non tamen nuntij auctor proditus, sed fama peruagata refertur. *Peruenit verbum ad Regem Niniue.* Ionæ cap. 3. vers. 6. Et cur, inquam ego, imminens ciuitati periculum regi principes non retulerint, cùm alij Principes Saræ pulchritudinem denuntiarint quàm citissimè? Conducibilius profectò erat de graui adeò appetenti discrimine regem monere si aliquomodò valeret frustrare: imò vtilissimum erat mulieris venustatem silentio tegere, nec cupiditatis irritare insaniam, & libidinis fouere dementiam, & tamen Principum quisque se auctorem denuntiationis gloriatur, cùm nullus vtilis adeò admonitionis se delatorem glorietur. Et quæ discriminis causa est? Ipsa indicauit materia: dum mulieris exaggeratur pulchritudo, dum oris commendatur venustas, cupiditati enuntiantur grata; dum ciuitatis periculum, dura: adeòque desuescunt homines magnatibus referre vtilia, si ingrata, gestiuntque adeò, vel noxia dicere, si iucunda, vt ad Niniuitarum Principem discriminis notitia sine auctore peruenerit, ad Ægypti verò Regem quisque, vt notitiam ingesserit, inuolarit; *Viderunt eam semel, & iterum.* Scribit ibidem Lippomanus. *Curiosè scilicet: vt aulicorum, ac carnalium Principum studia discas, qui tantoperè pulchram laudauerunt Regi ceù dignam regio matrimonio, per omnia regum moribus sese attemperantibus illis, qui in domibus regum sunt.* Adstipulatur Chrysostomus. *Ecce quomodo lenonis agere officium in regis gratiam.* Suspicati sunt Ægyptiorum magnates regis se gratiam posse promereri, si vilissimo lenonum munere non erubescerent fungi; nec recusarunt nuntiare, quæ nouerant regi placere; & Niniuitæ quia duris nuntijs verentur exasperare, quia indignationem timent mouere, imminens toti regno improbè tacent periculum, nec communem ciuitatis referunt planctum. O vtinam hæc non adeò solita, nec ab aulicis studiosè adeò obseruata; verum cupiditatis vernulæ, adulatoresque, quidquid voluptates enutrire poterit, referent, quidquid ad salutem vtile, adsectatione igoorabunt.

Aulici solum delectabilia referunt Principibus.

§. 47 Quare sublata est Sarai in domum Pharaonis? Et non audisti quare? Quia viderunt eam. Ergo deduc: Si vxor inuenusta, aut deformis sit, periculosum ingenerat tædium, si pulchra afferre solet periculum: Vnde nescias, an totius sit mediocriter elegantem, an eximiam pulchram ducere. Ego autem dico quòd vxorem deformem ducere, tormentum; formosam, magnum periculum. Vers. 15.

Vxor pulchra magnum periculum deformis tormentum.

§. 48 Vel dic: Laudauerunt eam, Vers. 15.

& nunciauerunt Pharaoni. Vt discas (scribit supracitatus Lippomanus) aulicorum hominum studia. Hac veluti nota à cælestibus mundani aulici discriminantur: vt non immeritò Principum aulæ dixeris, quod S. Hieronymus Iouiniano lib. 2. *Quoscunque formosos, quoscunque calamistratos, quos certus compositos, quos rubentibus buccis videris, de tuo armento sunt, imò inter tuos sues gruniunt: de nostro grege tristes, pallidi, sordidati, & quasi peregrini huius sæculi.*

Aulici nimis munditiæ corporis intenti.

Vers. 16. §. 49 Quare benè fuit Abramo propter Sarai? Quia Sarai sublata fuit in Domum Pharaonis. Nunc siste, & dic quòd totum hoc mysticè ad Virginis assumptionem referri potest; cùm occinentibus supernæ aulæ Principibus de eius miranda specie in aures æterni Monarchæ, translata est de hoc orbe in patriam amænæ felicitatis; Sed eccè in typo iustarum animarum Abram Saræ dicit; *Interficient me, & te reseruabunt, dic ergo, obsecro te quòd soror mea sis, vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Optimè *interficient me, & te reseruabunt*; Mors enim cuius procax impetus aduersùs alios sanctos, quos sub vitæ exitum, & spiritu, & corpore vexauit, quanquam, & societatem animæ Marianæ cum immaculato eius dissoluit corpore, sed tanta cum iucunditate purissimus auolauit spiritus, vt anima quasi non discessisse videretur, sed occultasse se parumper ad requiem sensuum corporis, vndè Damascenus Oratione 1. de dormitione Deiparæ; *Ac proindè Sacram tuam migrationem, mortem haudquaquam appellabimus, sed somnum, aut peregrinationem, vel vt aptiore verbo vtar, cum Deo præsentiam*: Et Oratione 2. de eadem materia; *ipsius quoque aspectum* (inquit) *mors quoque ipsa pertimuit*; hanc ergo ob prærogatiuam obitus velut non obitus, congruè de illa, *Et te reseruabunt*; Videntes igitur Sancti, quòd mors deiparam formidaret, expauit enim ad eius conspectum; vt ex Damasceno percepimus, cupientes humanam experiri, cùm vltimus adueniret terminus, suggerunt, vt admoneat *Sororem suam esse*, Quàm primùm enim mors intellexerit fratres illos esse Dei Parentis (quidni enim fratres Virginis, cùm & fratres eos Christus ipse nuncupare dignatus sit?) frænabit violentiam, & lætam se, hilaremque profecturis, commonstrabit. Hinc habes, quòd Sara (Deiparæ Typo) sublata in Domum Regis cælestis, benè fuit Abramo iusto propter eam.

Virginis transitus malè dicitur mors.

Mors nulli parcens in B. Virginem non est ausa.

§. 50 Quare erga Abram tàm munificus Pharao, aulæque regiæ Principes? Quia *benè vsi sunt propter illam* nempè Sarai: sed quid egerat Patriacha tantis diuitijs dignum? Num Ægypti hostes dimicans profligauit? Num pro Regis capite vitam obtulit? Num aduersùs eum coniurationem molientes detexit? Num orauit eloquenter, & Monarcham dulcissima lingua encomijs in Cœlum sublimauit? Nihil istorum omnium. Quid vero? Pudendum sanè dictu: quoniam secum pulcherrimam adduxit fœminam, quæ laudata à Principibus Dynastæ placuit, & sublata est continuò in domum Pharaonis. *Abram verò benè vsi sunt propter illam.* Ecce præclara merita! En puluerem, & sudores! *Proter illam.* Interim miles infelix, cui vix sanguis ob vulnerum multitudinem, panem non habet, non pallium, non calceamentum. Philosophus post Atticarum noctium vigilias, stipem mendicat, nec est, qui consideret, vt egestate pereat vterque; atque Abram, quòd fœminam in paucis iucundam, & bellam exhibuerit aulicis videndam, Crassi substantiam, post biduum, quàm intrauit Aegyptum, propè æquat. Concinnè Hieronymus Oleaster in explanatione morali huius Geneseon capitis fatus est. *Quàm benè Principes operas soluunt illis, qui eis in suis cupiditatibus deseruierunt: & meliùs quàm ijs, qui Communitati in bello, aut in alijs, quæ sunt Communitatis, seruiere.* Vers. 16.

Principes libidinum ministros remunerantur, non virtutem.

§. 51 Quare Flagellum Pharaonem non solùm, sed etiam seruos punit: cur luet famulus, quod peccauerit Dominus? Hoc sanè politiam sapit terrenam, non œconomiam diuinam: apud sæculum namque, cùm non tàm animo sit peccatorum cohibitio, quàm iniusta nummorum dispoliatio, illos tantùm affligere solet mentita correctionis vmbra, quos ob imbecillitatem faciliùs nummis cupiditatis denudare potest flamma. Ergo Deus Pharaonem affligat non seruos? Iure inquit Chrysostomus inibi, & seruos, & Dominum iusta puniuit vindicta: quia omnes cupidinis defœdarat insania: *Quapropter* Verba sunt doctoris. *Non ipse solus; sed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes.* Imò Pharao excusatiùs peccauerit, quandoquidem propriæ voluptatis lenocinijs allectus. Seruus verò alienæ cupiditatis assentator turpiùs deliquit quandoquidem nulla obcæcatus cupiditate peccauit. Vers. 17.

Ministri criminum suorum Principum puniuntur cum ipsis.

§. 52 Qua-

Verſ. 17.

§. 52 Quare Domus Principis hoc eſt filij eius, vxores, conſanguinei, ac cognati in tantam punitionem diuinæ iuſtitiæ incidunt, qui criminis ac delicti erant expertes? Quorſum diuino ſupplicio affliguntur? Nonnè ſat erat, vt ipſe Imperator, qui flagitij erat reus, torqueretur? Ad quid omnes cognati eius pœna comprehenduntur? Vt ob Patriarchæ vxorem ablatam, rigidiùs diuina vltio ſæuiret in Pharaonem, penetrabiliorique telo ipſe premeretur, cum ſuis flagellatur, ac ſi graui ſuorum iactura acriùs puniretur, quàm ſolùm in ſe ipſo, nam quò dulciùs illa pignora erant dilecta, eò acutiùs diuino verbere torquebatur, ac ſi pro tanto flagitio non ſolùm pœna in illo eſſet ſufficiens, niſi etiam in totam domum inundaret, vt profundo dolore vulneraretur. Sic Aureus Doctor eleganter non minùs quàm profundè confirmat vbi ſuprà. *Quæ de cauſa cùm Rex peccet, omnes de domo eius ſunt pœnæ participes? non abſquè re hoc ſit, ſed vt grauiùs puniatur, & grauiori pœna eius inſania compeſcatur.*

Vt grauius puniantur Principes, etiam conſanguinei puniuntur.

Verſ. 17. & 18.

§. 53. Quare rex idololatra delicijs deditus habens mulierem venuſtiſſimam in domo ſua, præcipuè cùm audiret Sarai non eſſe vxoratam, ab ea ſe abſtinuerit? dicitur in textu: *Flagellauit autem Deus Pharaonem plagis maximis.* Immiſſa nempè infirmitate quadam, quæ etſi videretur infirmitas extitit ſalutis occaſio; etſi videretur vexatio, fuit quædam malorum præſeruatio, vt homo à grauiſſimo adulterij crimine cuſtodiretur, ne in diuinum iudicium, ac extremam mortis pœnam incideret. Argutè Theodoretus in quæſt. 61. in Geneſim ſcripſit: *Conſtat quod rapta Sara, ſtatim diſpenſator omnium obſtrinxit morbo, qui libidinem eius fregit, & venator habens intrà retia prædam, capta frui non potuit, quia morbus non permiſit.*

Infirmitate Deus reuocat à peccato.

Verſ. 17.

§. 54. Quare flagellauit Dominus Pharaonem, & quæ fuerunt eius plagæ? Non vacat aliud agenti peruestigare, quænam fuerint eiuſmodi plagæ Pharaoni, & eius aulicis ſeueriùs inflictæ. Enucleanda tamen ſunt pulchra Procopij Gazæi verba, ad rem præſentem opportuna: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis. Sic docuit Pharaonem, dum vlciſcitur iuſtum, vt vnà cum gentibus agnoſceret Deum: ſimul etiam quaſi ſub typo indicat, quæ ſemini eius eſſent ibi euentura.* Scilicet hæ plagæ nunc Pharaoni inflictæ adumbrant ſeueriores plagas alteri Pharaoni poſteà ſub Moyſe acerbè infligendas. Aſt hic Pharao, etſi inſano formoſiſſimæ Saræ amore captus eſt, vbi primam accepit plagam, confeſtim venuſtiſſimam, & deſideratiſſimam dimiſit feminam. Alius autem Pharao pluribus repetitiſque plagis perdiù afflictus, vix tandem populum dimiſit. Quænam tantæ peruicaciæ cauſa extitit? cur maiorum exempla ſecutus non eſt? Scilicet apud Principes magnum eſt diſcrimen inter negotium libidinis, & rem politiæ. Porrò Principes ſic tenaciſſimè hærent rationibus ſtatus, vt qui vbi primùm ſenſit primam animaduerſionis plagam, cupitæ veneris blandicijs renunciarit, ſeque ſubitò extricarit libidinis præſtigijs; pertinaciter tamen in re politiæ, & regij ærarij emolumentis proteruus hæſerit: adeò vt niſi cum vita propoſitum non dimiſerit. Adamatam Saram venuſtate eximiam prima excutit plaga: Hebræum populum vix poſt plures, ipſaſque atrociſſimas dimittit. Ibi res libidinis, hic res politiæ peragitur. Sic ratio ſtatus Veneris voluptatibus antiſtat? Quin, & propudioſas etiam voluptates ſuadet?

Principes facilè, ab alijs peccatis reuocantur; ſed politicæ intenti obſtinatiſſimi peccant.

Verſ. 17.

§. 55. Quare, ſi Pharao peccauerat, & ſic benè, quòd flagelletur, & flagellatam legimus domum eius totam? Niſi quia credibile eſt omnes aliquo modo in Pharaonis facto deliquiſſe: & ideò quia nullus inuenitur à culpa extraneus, neque à pœna alienus. *Veriſimile eſt*, ait aurea Doctoris Conſtantinopolitani Eloquentia homil. 32. *eos cooperatos fuiſſe: quapropter non ſolùm ipſe, ſed etiam domeſtici eius pœnæ fuerunt participes*. Quod vſquè adeò verum eſt, vt ſæpiùs videamus flagellatum à Deo iuſtum cum impio, quàm criminis reum alienum à ſupplicio.

Si Princeps peccat, vix Aulicus à peccato immunis.

Verſ. 19.

§. 56. Quare non permittit Rex Sarai apud ſe commorari? Ex hoc commendabilis Pharao: Periculoſum enim eſt ad manum adeſſe fomitem voluptatis, concupiſcentiæ illectamentum. Fuga aduerſùm impudicitiam comparanda victoria. Hinc de Ioſeph Patriarcha, qui impudicitiam Putipharis vxoris fugiendo vicit, elegantiſſimè ſcripſit Mediolanenſium Paſtor lib. de Ioſeph cap. 5. in 4. Tomo ſuorum operum: *Magnus quippè vir, qui venditus, ſeruile tamen neſciuit ingenium: adamatus non redamauit: rogatus non acquieuit: comprehenſus aufugit. Qui cum ab vxore domini conueniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit, ac ne ipſa verba diù quidem paſſus eſt: contagium* (Nota hæc verba)

Fuga vincitur impudicitia.

verba) *enim iudicauit, si diutiùs moraretur, ne per manas adulteræ libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimea excassit, & relictis quibus tenebatur exuuijs, spoliatus quidem, sed non nudus aufugit, quia erat tectior indumento pudoris. Non est enim nudus nisi quem culpa nudauerit.*

Vers. 19. §. 57. Quare non statim vt Pharao Saram Domini suæ habuit, ad eam accesserit? prestò est D. Hieronymus qui vt dubium in loco eodem sibi propositum soluat scribit: *Fortassè idem mos erat id temporis apud reges Aegyptiorum, atque posteà fuit (vt docet Historia Esther) apud reges Persarum: ad quorum congressum non admittebantur mulieres, nisi ante per vnum annum multiplici, & exquisito cultu, ac mundo muliebri preparatæ essent.*

Vers. 19. §. 58. Quare Pharao Saram è domo dimisit, quam sibi copulauit? Non alia ratione, nisi quia eam carnali cognitione attingere non poterat, nec debebat, casta enim illa erat, & castè cum illa conuersandum ei erat. Hoc autem Pharaoni placere non poterat, placuit decor, & pulchritudo, sed non placuit castitatis obseruatio. In quo expressè notantur, qui religionis pulchritudine capti, eius admittunt habitum, profitentur statum, nimirum quia nec Religionis bona ignorare possunt, nec pulchritudinem non admirari: at quia in ea castimoniam, & omnium virtutum genera obseruare necessarium est, eam dimittunt, vt liberè potiantur Aegypto. Audi Hugonem Folietanum citatum à Tilmanno inibi: *Sunt enim quidam*, ait, *qui delicatam, ac voluptuosam fore credant Religionem, expertem laboris, vacantem otio, & adeò habitum Religionis indiscretè rapiunt, votum faciunt, professionis vinculo constringuntur, cùm autem religionis ordinem, & consuetudines eius aduersantes carni nouerint, in hæc verba prorumpunt, putauimus, inquiunt, pondus Religionis esse leuius. Quis enim potest ferre Claustri tædium, diuturnitatem silentij, pondus laboris, asperitatem vestis, parcimoniam cibi? Sic ergo vxorem suam reddunt Abrae, expellentes eam, vt liberi remaneant in Aegypto: Abram verò ascendit ab Aegypto in Bethel, idest carnalium voluptatum consortia deserens in domo Dei manet, hoc enim Bethel interpretatur.* Hęc Folietanus. Rationi quidem optimè consona, quis enim dubitat religiosum nuptias celebrare cū Religione, dum eam sibi copulat, tanquam sponsam ornatam viro suo? eam autem dimitti sinè salutis æternæ damno, non potest fieri.

Religiosi malè viuenter facilè Religionem deserunt.

§. 59 Quare Abram perrexit vadens, & vltrà ad meridiem progreditur? Et quod quæso causæ ad nouam suscipiendam peregrinationem? Promissam terram tenet Abram, quid vltrà peregrinatur? Præcipuè cùm iam bis Altare ædificauerit Domino in terra promissionis in gratiarum actionem beneficij præstiti. Vt cum Caietano tenent multi, *Et hoc est secundum Altare ædificatum ab Abram in terra Promissionis, ad Sacrificandum Deo, qui iam bis apparuerat ei, & faciebat ipsum videre terram promissionis à semine suo.* Nihilominus tamen vltrà progreditur Abram, quasi in aliam terram migraturus. Sed si rem attentè inspiciamus, viri magnitudinem, & pœnè diuinam Philosophiam admirabimur. Audi quid dicat Scriptura. *Chananæus autem tunc erat in terra.* Et ne Chananæorum familiaritate, & necessaria omninò communicatione ipse, aut domus eius tota macularetur, terram etiam promissam à Deo fugit, altaria Dei dereliquit: Domum totam, & tabernacula mouit, aliòque migrauit, & in solitudinem se recepit. *Quare illuc discessit* (inquit S. Ioannes Chrysostomus homil. 32.) *Fortè videbat quibusdam incolis non placere suum aduentum, & ne cum vllo aliquid haberet negocij, solitudinem apprehendit.* Non placebat Incolis Abram Pius vtique, & iustus, impijs, & perditis hominibus, quorum terram, patriam, mores, & familiaritatem, fugit Patriarcha, licèt à Deo audiat, Tibi dabo terram hanc, licet Bethel relinquat, quod est domus Dei, per inuia enim, & deserta perditorum hominum consortia fugit. Vers. 9.


Omnia licèt bona videantur fugienda, vt impius fugiatur.

§. 60 Quare Abramo, & vndè cogitatio illa incidit: dicent, quòd vxor mea sis? Etenim si Aegyptij cogitarent malum aduersùs ipsum, potiùs dicere deberent, quòd pellex illius est, non coniux, nam qui sine Dei timore occidere eum non dubitarent, vt acciperent Saram in vxorem: quid mirum sine tanto inconuenienti dicerent, Saram non vxorem, sed pellicem? *Illud admiratione dignum est*, ait Benedictus Fernandez cap. 12. sect. 8. *Quod dicturi sint potiùs ipsius concubina est? Quid enim non apparet meretriculas, cum lenonibus, huc, atque illuc vagari?* Existimo ergo eos homines, etsi timore Dei destitutos, non tamen ausuros iudicio temerario putare illam fœminam concubinam esse, sed vxorem? Nam à iudicio vsquè Vers. 12.

Iudicij temerarij tantus horror, vt etiam ab eo perditissimi abstineant.

vsquè à Deo temerè concepto etiam sceleratissimi homines horrent. Et ita putabunt vxorem, non pellicem? Et consequenter etsi ducantur in Saram inordinato pulchritudinis eius affectu, & opus sit occidere maritum, tamen quia maritum iudicant; ne temerè iudicent lenonem; & ideò in eius mortem armabuntur, quia ab illo iudicio nunquam diuellentur, nec adduci poterunt, vt credant nec Abramum lenonem eius, nec Saram pellicem impudicam. Fateor admiratione in hoc iudicio dignos Aegyptios. O' vtinam eorum vera, & pia cogitatio Christianis omnibus proposita sit, in exemplum, & documentum, ne præcipiti audacia temerè iudicia contrà proximos prodant, omninò temeraria, nam, & Aegyptij vxorem reputant, quæ posset iudicari concubina, & fortè concubinæ reputantur à Christianis, quæ possunt reputari vel vxores, vel sorores, vel alio quouis titulo necessariæ fœminæ, sed quia ille concubinas non habebat, nec quemlibet alium eam habere iudicabunt, nam, & ideò dixit, & meritò S. Ioannes Chrysostomus tom. 1. homil. de Dauid, & Saul. *Plerumque vulgus hominum ex suo animo de alijs iudicat, velut qui sæpè inebriatur, haud facilè credere possit esse quempiam hominem sobriè, frugaliterque viuentem; qui scortis indulgens, etiam pudicè viuentes habent pro incontinentibus.* Similiter etiam, qui castè, pièque, & sobriè viuit, reliquos castos, sobrios, pièque viuentes arbitratur. Vnde caput hoc, & dubia obsero cum calamo admirabilis Doctoris Ecclesiæ S. P. N. Augustini, qui in Psal. 65. scripsit: *Vide ne fortè quod deprehendis in alio cogites facere, & ideò in illum inclamas, non quia fecit: redi ad te intùs, & sta tibi iudex.* Nota verba.

Homines facilè putant proximum suo crimine infectum, sicut iustus alterum sua virtute ornatum.



CAPVT XIII.

GENESIS.

Verſ. 1.  *Scendit ergo Abram de Ægypto, ipſe, & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo; ad Auſtralem plagam.*

2. *Erat autem diues valdè in poſſeſſione auri, & argenti.*

3. *Reuerſuſque eſt per iter, quo venerat, à meridie in Bethel, vſquè ad locum vbi priùs fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai:*

4. *In loco altaris quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini.*

5. *Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula.*

6. *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.*

7. *Vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananeus & Pherezæus habitabant in terra illa.*

8. *Dixit ergo Abram ad Lot; Ne quæſo ſit Iurgium inter me & te, & inter paſtores meos & paſtores tuos: fratres enim ſumus.*

9. *Ecce vniuerſa terra coram te eſt: recede à me, obſecro: ſi ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.*

10. *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ vniuerſa irrigabatur, antequam ſubuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Ægyptus venientibus in Segor.*

11. *Elegitque ſibi Lot regionem circa Iordanem, & receſſit ab Oriente: diuiſique ſunt alterutrum à fratre ſuo.*

12. *Abram habitauit in terra Chanaam: Lot verò moratus eſt in oppidis, quæ erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.*

13. *Homines autem Sodomitæ peſſimi erant, & peccatores coram Domino nimis.*

14. *Dixitque Dominus ad Abram, poſtquam diuiſus eſt ab eo Lot: Leua oculos tuos in directum, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem & meridiem, ad orientem, & occidentem.*

15. *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo vſquè in ſempiternum.*

16. *Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ, : ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit.*

17. *Surge ergo, & perambula terram in longitudine & in latitudine tua: quia tibi daturus ſum eam.*

18. *Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram, venit, & habitauit iuxtà conuallem Mambre, quæ eſt in Hebrom: ædificauitque ibi altare Domino.*

LITE-

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1. Num. I. *ASCendit ergo Abram de Aegypto, ipse, & vxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad Australem plagam*: idest versus Ierusalem, quasi diceret rediit Abraam in Bethel vndè exierat. *Opportunè hic quis accommodarit* (inquit S. Io: Chrysostomus homil. 32. in Genesim lit. A. pag. mihi 179.) *Verba illa, quæ Beatus Dauid ijs, qui à Babylonica redibant captiuitate, dicebat*: Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. (*Psal.* 125. vers. 5. & vers. 6.) Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient in exultatione gestātes manipulos suos. *Vidisti descensum anxietate, atque timore plenum, habentem focum, & mortis formidinem? Vide nunc reditum claritate, & dignitate conspicuum.*

Iusti fletus à Deo consolatur.

2 *Ad Australem plagam*: Alij *ad meridiem, in solitudinem*; Hebraicè enim est הנגבה *Hanegba* significat autem Negeb meridiem, & austrum: neque est intelligendum quòd promissionis solum, ad quod Patriarcha noster ascendit rediens de Aegypto, sit in australi parte respectu Aegypti: sed est in Aquilonari; vnde Australis plaga accipitur hic respectu Hierusalem; quia illa pars terræ promissionis, quæ est vicinior Aegypto, est pars australis respectu Iudeæ.

Vers. 2. 3 *Erat autem diues valdè in possessione auri, & argenti*. Vltrà diuitias auri, & argenti, addunt hebræa Veritas, & Septuaginta pecorum diuitias, & legunt *Erat autem grauis valdè pecore, argento, & auro*. Constat enim præcipuas antiquorum opes pecora, atque oues in primis fuisse. Vnde etiamnum ouium custos, non ouilio, sed opilio, tanquam opum conseruator scilicet, dici videtur.

Iusti à Deo etiam in hac vita diuitijs remunerantur.

4 Nota quod supra dixi. *Erat autem grauis Valde*, quia Hebraicè est כבד מאד *Chabed Meod*: Chabed autem non solùm diuitem, sed oneratum, grauem denotat.

Vers. 3. 5 *Reuersusque est per iter, quo venerat, à meridie in Bethel*. In Hebræo est למסעיו idest per mansiones quibus venerat; & hoc duplici de causa, sicut ex Lyrani (ibid. col. mihi 196.) explicatione colligitur. Prima quia homines reuertentes ad terram suam vndè exierant, consueuerant accipere hospitium redeundo vbi fuerunt prius hospitati eundo. Secunda causa, quia quando Abramus iuit in Aegyptum non habebat pecuniam pro expensis sufficientibus, & contraxerat in hospitijs aliqua debita, sed in redeundo erat diues valde, vt predictum est, & ideò rediit per eadem hospitia ad soluendum illa debita. Hic verò primam admitto Lyrani causam, quæ confirmatur etiam ab Abulensi impress. Venet. quæst. 1. lit. D. col. 1. pag. mihi 127. sed secundo motiuo aliquid credibilitatis suspendo, quia non est tam faciliter credendum, quòd Abram mox, vt exiret de loco in quo habitabat, pecunijs careret.

6 *Vsquè ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel, & Hai*. Locus in quo prius tabernaculum fixerat erat apud montem Hebal, & Garizim, & erat vltrà Bethel.

7 *In loco Altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini*, idest locum altaris, scilicet, in quo cap. 12. vers. 8. altare erexerat (quamuis Menochius dicat fortasse, quod destruxerat ipse, ne ab idololatris Chananæis contaminaretur) ibi tamen exorauit Dei nominis pius inuocator. Vel Vers. 4.

8 *Inuocauit ibi nomen Domini*, idest gratias egit Deo; quia se, & familiam suam conseruauerat.

9 *Sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & Tabernacula*. Idest Lot consortio Abrami donatus vsquè nunc locupletatus particeps Abrami benedictionis in gregibus ouium, armentis, & tabernaculis. Vers. 5.

10 Hic aduerte. Quod Tabernaculum in generali significat quodcumque tectum, vel domus, & dicitur. *Succah*. Hebræis, à radice *Sacan*, quod significat velare, operire, tegere, vndè, & *Miscan* ab eadem radice idem est quod habitatio, commoratio, vicinia. Strictius tamen, & apud prophanos etiam scriptores, vsurpatur pro tētorio, & appellatur ab Hebræis *Obel*, à radice *Abal* quod extendere, siuè expandere significat, & ita accipitur infra in vers.

Tabernaculum quid significat?

18. vbi dicitur *Mouens igitur tabernaculum suum Abram*, idest tentorium, vt apud Liuium lib. 9. de bello Macedon. Coarctatio plurium in angustia tendentium. Et Virgil. l. 2. Aeneid.

——*Hic saeuus tendebat Achilles.*

Vers. 6. 11 *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul*; idest exigua terra illa Chanaan tot gregibus ouium, & armentorum Abrae, & Lot simul sufficientia pabula exhibere non poterat; hoc enim significat hebraicum verbum נשא *Nasa*.

12 Erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter: hoc nomen *substantia* indicat omnia possessa siuè animata, siuè inanimata; & si substantia eorum erat magna, quanto magis vtriusque coniuncta possessio? Hinc non poterant simul habitare; nam Tabernaculum vnius erat apud Tabernaculum alterius.

Vers. 7. 13 *Vndè facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Lot.* Hujus contentionis origo fuit, quia quisque pastorum suis gregibus pascua meliora assignare cupiebat, hinc Aureus Doctor dixit vbi supra; *Attende quomodò valdè familiares discessionis initium faciunt. Hinc enim omnia mala pullulant à famulorum nequitia.*

Nequitia famulorum discordiae Dominorum origo.

14. *Eo autem tempore Chananaeus, & Pherezaeus habitabant in terra illa*; idest Chananaei habitabant in illa terra, scilicet partim circà fluenta Iordanis, partim iuxtà mare Mediterraneum: Pherezaei autem insedebant montana illius terrae hoc enim colligitur tunc ex lib. Num. cap. 13. vers. 30. vbi legitur: *Amalec habitat in meridie, Hethaeus, & Iebusaeus, & Amorrhaeus in montanis: Chananaeus verò moratur iuxtà mare, & circa fluenta Iordanis.* Tum etiam ex lib. Iosue.

Vers. 8. 15 *Dixit ergo Abram ad Loth: ne quaeso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos*: idest ob supradictas Pastorum contentiones licet Abramus, & Lot directè iurgia nollent, tamen necesse erat eos iurgari.

Iusti lites fugiunt.

16 *Fratres enim sumus*: idest ego, & tu, non fratres ex eodem patre, & matre; sed fratres, quia Abram erat frater Aram patris Loth.

17 Nota quod dicuntur fratres tripliciter, scilicet, natura, cognatione, & gente; Natura, vt Iacob, & Esau: cognatione vt Abram & Loth; Gente vt Hebraei; sic dicit glossa ordinaria, & S. Hieronymus super S. Matth.

Fratres quotupliciter dicuntur.

18 Vel dic; *Ne quaeso sit* (adde amplius) *iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos*, ne apud hos Chananaeos infideles degentes simus ipsis scandali, & derisionis nostrae occasio, tantò magis, quàm cognatione fratres sumus: *Debebat enim ipse* (inquit D. Ioannes Chrysostomus homil. 33. lit. C. pag. mihi 182.) *Vtpotè missus omnibus Palaestinae cultoribus sapientiae doctor, nullam scandali dare occasionem, vel ansam concedere; sed morum lenitate, tuba clarius omnes erudire, & sua virtutis facere imitatores.*

Discordia inter Christianos (qui fratres sunt) scandalum infidelibus.

19 Vel dic; *Ne quaeso sit iurgium*, &c. idest ne recurratur ad Iudicem Chananaeum auferantur nostrae, pastorumque nostrorum lites, & contentiones.

20 *Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro; si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*; idest, ista Chananaeorum terra, in qua iussus sum habitare tuo oblata est obsequio; habitatores enim parati sunt, quam elegeris plagam incolendam vendere, vel locare, vt diuidamur ergo oportet, si tu ad Aquilonem, ego ad meridiem pergam; sit autem tibi vel mihi septentrionis sinistra: sit mihi, vel tibi meridiei dextera. Vers. 9.

21 Nota quòd S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 20. col. 3. pag. mihi 203. lit. B. dicit, hinc fluxisse consuetudinem illam, vt in diuisione bonorum, quae fit inter propinquos, maior natu diuidat, minor autem eligat. *Hinc fortassis* (verba sunt Sancti Patris) *effecta est inter homines pacifica consuetudo, vt quando terrenorum aliquid partiendum est; maior diuidat, minor eligat.* Hoc quod Sanctus Patriarcha noster, & Ecclesiae doctor eximius dubitanter dixit, à Ruperto Abbate impress. Colon. Agrip. lib. 5. in Genesim cap. 9. col. 2. pag. mihi 94. collectum affirmatiuè asseritur dum dicit: *Huiusmodi vsque hodiè inter haeredes rectè seruatur aequalitas, vt ob fugienda iurgia maior diuidat, minor eligat.* Ex Ruperto indè Cornelius à Lapide, Pererius, & alij.

In diuisione bonorum, maior natu diuidit, minor eligit.

22 *Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circà regionem Iordanis*; Idest Lot vt conuenienter eligeret, prudenter totam circa regionem circumspexit. Vers. 10.

Prudens electio multa scrutatur.

23 *Quae vniuersa irrigabatur.* Illa vallis in qua Pentapolis erat à Iordane irrigabatur vsquequaque, Vndè ingens erat terrae amaenitas, & fertilitas accidebat, nam id praestat Iordanis Fluuius

mirae

Digitized by Google

miræ amænitatis, & quascumque terras fæcundantis. *Iordanis maximè fæcundat.* De quo Plinius impress. Venet. lib. 5. cap. 15. num. 40. col. mihi 103. scribit: *Iordanis amnis oritur è fonte Paneade, qui cognomen dedit Cæsarea, de qua dicemus: amnis amœnus, & quatenus locorum situs patitur, ambitiosus, accolisque se præbens, velut inuitus Asphaltitem lacum dirum natura petit, à quo postremò ebibitur, aquasque laudatas perdit pestilentibus mixtas.*

24 *Antequam subuerteret Dominus Sodomam, & Gomorrhã.* Sodoma, Interpretatur *Secretum eorum,* siue *calx,* aut *camẽtum eorum;* Oppidum Iudeæ σίδνα (inquit Stephanus) metropolis erat decem oppidorum, quæ in Asphaltite lacu submersa sunt. *Sodoma quid significat?* Nam Sodomorum hæc regio versa est in lacum salis, & sterilem, qui dicitur mare mortuum, quia nec pisces in eo viuunt: Nauem quoque non patitur, nec vllam sustinet materiam, quæ supernatet, nisi bituminatam, præter homines intus viuentes: *Asphaltitis lacus qualitates.* nam omne carens vita in profundum mergitur: si quid viuum arte aliqua immerseris superexibit. Lucerna ardens supernatat, extincta mergitur: in quem, ait Iosephus, grauissima quæque coniecta in altum referri. Vndè Vespasianus Imperator quosdam iunctis post tergum manibus, in altum proijci iussit, & omnes tanquam spiritus, sursum repulsi, superfluitarunt. Multis in locis iste lacus nigras glebas bituminis vomit: & ideò lacus Asphaltidis dicitur. Poma item in arboribus nata si incidas, fauillas intus inuenies; sic affirmat Comest. in cap. 18. Genesis.

25 *Et Gomorrham.* Gomorrha ciuitas Pentapoleos, ad orientalem plagam terræ Iudæ sita fuit in vicinia Sedom. *Gomorrha vbi sita?* Ea cum Sodoma, igne cælitus immisso, vt infrà Deo fauente, & prosperante videbimus, deflagrauit. *Quid interpretatur?* Interpretatur *Populus Rebellis,* aut *Populus timens,* siuè *manipulus,* aut *seruitus.*

26 *Sicut Paradisus Domini,* Hebraicè enim est כגן אדוני *Hegan Adonai,* idest sicut *Hortus Domini,* quem scilicet Deus Adamo instruxerat, & adornauerat, ità S. P. N. Augustinus, qui lib. 1. quæst. super Genesim quæst. 27. col. 3. pag. mihi 85. scribit. *Quod terra Sodomorum, & Gomorreorum antequam deleretur comparatur paradiso Dei, eo quod erat irrigua, vt terra Aegypti, quam Nilus irrigat: satis vt opinor ostenditur quomodo debeat intelligi ille paradisus, quem plantauit Deus vbi constituit Adam. Quis enim alius intelligatur Paradisus Dei non video: & vtique si arbores fructifera in paradiso virtutes animi accipienda essent: sicut nonnulli existimant; nullo corporali in terra paradiso veris lignorum generibus instituto: non diceretur de ista terra, sicut paradisus Dei.*

27 *Et sicut Aegyptus venientibus in Segor.*) Sensus est, tota Pentapolis ante subuersionem, maximè à loco, in quo tunc erat Abram eundo versùs Segor, irrigua erat, & fertilissima sicut Paradisus, & sicut Ægyptus, quam Nilus fecundat. Segor interpretatur *Parua.*

28 *Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo.* Vers. 11. Eligitur ergo à Loth regio circa Iordanem, & cum ad locum electum pergeret, alter ab altero diuisus, & separatus fuit, & quia ambo erant inter se fratres modo quo exposuimus, & tali diuisione factum est, vt frater diuideretur à fratre patruus à nepote, idest Abram separatus à Loth fratre suo, & item Loth disiunctus est à fratre suo Abram. *Iusti etiam loco dissiti se amant.* Vndè S. P. N. Augustinus lib. de Ciuitate Dei 16. cap. 20. & 21. dicit. *Lot à patruo suo Abram in terram Sodomorum, salua charitate discessit: digressique sunt inuicem, & separatim habitarunt, necessitate sustentanda familia, non fœditate discordia.*

29 *Abram habitauit in terra Chanaan.* Vers. 12. Nomen Chanaan non propriè pro vna illa gente Chananæorum ponitur, sed vniuersæ, pro tota terra Chanaan.

30 *Lot verò moratus est in oppidis, qua erant circa Iordanem, & habitauit in Sodomis.* Ly *moratus est,* Lot commendat sanctitatem qui non per transeuntis modum, sed permanenter apud impios commoratus est. *Lot commendabilis; quia inter malos benè vixit.* De quo laudabili scripsit encomio Apostolorum Princeps in sua Secunda cap. 2. vers. 8. *Aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.*

31 *Homines autem Sodomita pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis:* Vers. 13. Idest inquit explicans Caietanus ibid. Sodomitæ erant pessimi, & peccatores coram Domino nimis. *Hebræi carentes superlatiuis, aduerbijs vtuntur.* *Carent Hebrai superlatiuis nominibus, & propterea ad significandum superlatiua, adijciunt aduerbium valdè, vel nimis coram Domino.*

32 *Coràm Domino:* duplic iter hoc intelligi potest; vel potest significare palam, & publicè, sinè vllo pudore, sicuti Esaias sui temporis Iudæos nimis licenter, & inuerecundè peccantes, as- *Coràm Domino duplicem sensum habet.*

similauit Sodomitis, dicendo cap. 3. vers. 9. *Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt.*

33 Vel dicuntur fuisse peccatores, *Coram Domino*, quia Sodomæ peccatum est vnum de tribus, quæ dicuntur in Sacris Literis ad Deum clamare. Primum namque eorum est effusio sanguinis innocentis: de Abel enim dixit Deus Cain (Gen. cap. 4. vers. 10.) *Vox sanguinis, Abel, Fratris tui clamat ad me de Terra.* Secundum est operariorum defraudatio mercedis, de quo crimine scribit S. Iacobus Apostolus cap. 5. vers. 4. *Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth intrauit.* Tertium peccatum est istud Sodomorum, de quo scriptum est infrà cap. 18. vers. 20. *Dixit itaque Dominus; Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.*

Peccatum Sodomorum vnum de tribus clamantibus ad Deum.

Quæ sint Tria peccata ad Deum clamantia.

Vers. 14.

34 *Dixitque Dominus ad Abram postquam diuisus est ab eo Lot.* Post abscessionem itaque Lot Deus Abraæ ostentatur. Pastorum contentiones sedatæ, & Abraæ domui pax donata tunc diuina potitus est visione.

35 *Leua oculos tuos, in directum, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem ad orientem, & occidentem.* Hoc duobus modis intelligi potest, vel quod Deus, seù Angelus vice Dei Abramo vigilanti obiecerit imaginem totius terræ promissionis, & singularum eius partium, vt omnia quæ in illa terra spectatu digna erant propriè & distinctè cerneret, sicuti tenebrarum Princeps Domino in deserto ieiunanti ostendit omnia huius mundi regna eorumque gloriam; vt dicit S. Matthæus cap. 4. vers. 8. *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.*

Quo modo Deus Abraæ terram promissionis ostenderit.

36 Vel potest intelligi quod oculus Abraæ supernaturaliter eleuatus fuit, vt videret multas terras (quas naturaliter tantùm circumspiciendo peruidere nequierat) sicut S. Benedictus vidit totum terrarum orbem, vt refert Vaticana Columba impress. Rom. lib. 2. Dialog. cap. 35. Lit. B. pag. mihi 244. *Cumque vir Dei Benedictus quiescentibus adhuc fratribus instans vigilijs, nocturnæ orationis tempore peruenisset, ad fenestram stans, & omnipotentem Deum deprecans, subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valdè in hac speculatione secuta est; quia sicut post ipse narrauit, omnis etiam mundus velut sub vno solis radio collectus, antè oculos eius adductus est.* At verò cum Petrus indè D. Gregorium interrogasset, ibid. Lit. D. dicens: *Nec coniicere scio quonam ordine fieri potest, vt mundus omnis ab homine vno videatur.* Responsum dedit S. Gregorius ibid. Lit. E. *Proculdubio cernere, nonnisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum si mundum antè se collectum vidit, qui sublenatus in mentis lumine extrà mundum fuit? Quòd autem collectus mundus antè eius oculos dicitur, non cælum, & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est.*

S. Benedicto orbis totus nocte ostensus fuit.

Vers. 15.

37 *Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsquè in sempiternum.* Locus iste à S. Parente nostro Augustino explanatur quatuor in locis. Primò in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 21. Secundò in eodem libro cap. 17. Tertiò in libro quem contra Priscillianistas, & Origenistas scripsit ad Orosium cap. 5. Quartus locus est, quem refero, & in quo meo infimo videri enucleatiùs, atque distinctiùs eadem de re disserit Sanctus Pater est in lib. quæst. in Genesim quæst. 31. col. 2. lib. 1. pag. mihi 86. vbi sic dicit: *Quæstio est quomodò dixerit æternam* (idest in sempiternum) *cum Israelitis temporaliter data sit: Vtrum secundùm hoc sæculum dicta sit æterna, vt abeo quod est αἰών Græcè, quod sæculum significat dictum sit αἰώνιον: tanquam si latinè dici posset sæculare: an ex hoc aliquid secundùm spiritalem promissionem hîc intelligere cogamur, vt æternum dictum sit, ideò, quia hinc æternum aliquid significat? An potiùs locutionis est scripturarum vt æternum appelletur, cuius rei finis non constituitur: aut non ita sit, vt deinceps non sit faciendum, quantum pertinet ad curam, vel potestatem facientis, sicut, ait Horatius in epistolis,*

Si terra Promissionis Israeli data fuit Temporaliter, quomodo dicitur vsquè in sempiternum.

,,Seruiat æternù, qui paruo nesciet vti.

Non enim potest in æternum seruire, cuius ipsa vita, qua seruit æterna esse non potest; quod testimonium non adhiberem, nisi locutionis esset. Verborum quippe illi sunt nobis auctores, non rerum, vel sententiarum. Si autem defenduntur scriptura secundùm locutiones proprias, quæ idiomata vocantur, quanto magis secundùm eas, quas cum alijs linguis communes habent? Vide hunc versiculum explicatum magis in cap. 15. num. 82.

38 *Facia-*

Google

Vers. 16. 38 *Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ: si quis potest hominum numerare puluerem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.* Hic Hyperbolica allocutione plurimus populus Hebræorum signatur. *Hominum numerare puluerem*, idest grana minutissima pulueris. *Semen tuum poterit numerare* idest sicut nullus potest pulueris minutissima grana numerare, sic etiam, & nullus poterit numerare semen tuum; quod explicatur in cap. 23. Numer. vers. 10. vbi habetur: *Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israel?*

Hyperbolica locutio de semine sicut puluere.

Vers. 17. 39 *Surge ergo, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam.* Scilicet ab oriente, in occidentem, & in latitudine ab Austro in septentrionem. Non est intelligendum, quòd mandauerit Deus Abraæ, quòd ambularet totam terram Chanaan in longitudinem, & latitudinem, quia nec hoc egit, sed solùm mouit indè Tabernaculum, & venit circà Hebron: sed intelligebatur istud verbum, tamquam quoddam motiuum ad gaudium; quasi dicat; ego promitto tibi totam istam terram, vt videas conuenientem situm, & omnium rerum amænitatem, in hoc enim multum lætaberis.

Deus seruos suos aliquandò ad gaudia mouet, de rebus temporalibus

Vers. 18. 40 *Mouens igitur Tabernaculum suum Abram venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre, quæ est in Hebron, ædificauitque ibi altare Domino.* Scilicet motis castris de confinio montis Ebal, & Garizin inter Bethel, & Hai ciuitates duas venit, & habitauit iuxta conuallem Mambre.

41 Mambre est locus in Hebron dictus in quercubus procul sex stadijs ab Hebrone. Vocatur autem Mambre à nomine cuiusdam Principis, quia Secundùm Iosephum isti tres viri, qui nominantur in vers. 24. sequentis cap. scilicet Mambre, Aner, & Escol erant fratres, & Mambre erat primogenitus inter eos; ideò a nomine illius nominata fuit vallis, & in hac valle est Ilex, quæ vocatur Ilex Mambræ, apud quam multo tempore moratus fuit Abram, ibi enim tres vidit Angelos. Ista Ilex vsquè ad tempora Theodosij Imperatoris B. Hieronymo testante, & ex illa ista, quæ nunc ibi est, fuisse perhibetur, & ab incolis chara tenetur, quæ licet arida sit, medicabilis tamen est, vt patet in lib. de diuisione terræ Sanctæ. Interpretatur Mambre *Rebellis*, seù *Amarans* vel, *Commutans*, aut *Permutans*.

Mambre locus vndè dictus, & vbi situs.

Ilex vbi.

Mambra quid interpretetur.

42 Hebron Ciuitas est in terra Chanaan, que & Cheriatharbe dicitur, & *Quatuor* Interpretatur, idest quatuor patriarcharum, *Adam* scilicet *Abram, Isaac*, & *Iacob*, qui ibi sepulti sunt, sic Franciscus Ximen: Fuit quondam Philistinorum metropolis, & in qua sæpiùs Israelitarum reges vngebantur: ibique Dauid in regem coronatus est. Tali nomine *Ebron* vocatur etiam Palæstinorum mons, haud longè à Gaza Syriæ ciuitate.

Hebron quid, & quomodò interpretatur.

In Hebron Reges Israel vngebantur.

ANNOTATIO MORALIS.

Vers. 1. Num. 43 **A**Scendit ergo *Abram de Ægypto, ipse, & vxor eius, & omnia quæ habebat; & Lot cum eo, ad australem plagam.* Quando aliquis fit Religiosus ascendere debet, quia obligatur de die in diem ad euangelicam perfectionem tendere, & vadit ad australem plagam, idest Hiærusalem cœlestem versùs, nam si voluerit facilè saluabitur.

Ad Religiosos quotidiana perfectionis ascensio spectat.

44 Vel dic cum Lyrano, Religiosus postquam profecit in doctrina secularium, ad claustrum redire debet ad agendum gratias Deo, & orationi studioque vacandum.

Ad claustrum rediens orationi incumbat.

45 Vel dic. Ascendit ergo Abram de Aegypto, idest quando aliquis recedit à mundana conuersatione possidens aurum contritionis, tunc verè ascendit, quia mundo relicto cælestia suspirat.

Dum mundus relinquitur cœlestia suspirantur.

46 Hinc habes quòd anima sic illuminata tripliciter ascendit. Primò per gradus virtutum secundò ad cor altum. Tertiò ad æthereum thalamum. De primò ascensu dicitur in Psal. 83. vers. 8. *Ibunt de virtute in Virtutem*, de secun-

Anima sancta tripliciter ascendit, & quomodò.

Digitized by Google

secundo ascensu dicitur Psal. 63. vers. 8. *Accedet homo ad cor altum*. De tertio dicit Ecclesi. in persona Virginis MARIÆ, *MARIA VIRGO Assumpta est ad æthereum thalamum*. Anima in primo ascendit sponsa, in secundo pretiosa, in tertio gloriosa. Primò ascendit de valle lacrymarum mundata. Secundò de flumine gratiarum fæcundata. Tertiò de torrente voluptatis satiata. De primo dicitur Psal. 83. vers. 7. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum in loco quem posuit*. De secundo Psal. 45. vers. 5. *Fluminis impetus lætificat*. De Tertio Psal. 35. vers. 9. *Inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos*.

Vers. 2. 47 *Erat autem diues valde in possessione auri, & argenti*. Diuitiæ si Ægyptiæ, idest, mundanæ sunt, viro Sancto graues sunt; sic, & Isaias cap. 1. vers. 4. dixit: *Populo graui iniquitate*, scilicet pondere iniquitatum prægrauato exponit Estius in annot. in Genesim c. 13. Lit. B. col. 1. pag. mihi 14. impress. Lut. Paris.

Diuitiæ terrenæ Iusto graues.

48 Vel dic. Hebræus pro *Diues* posuit *Grauis*. Aptè quidem. Nam præterquam quod aurum natura est graue; diuites importabilibus grauantur oneribus; pauperes reficiendi, domus increscunt apparatus, asseruandi cura molestissima.

Quia aurum natura graue, Diuites maximis grauantur oneribus.

49 Hinc Q. Horatius Flaccus benè, ostendit quod pecunia à bono, & honesto abstrahit scribens lib. 1. epist. 16.

Aurum ab honesto abstrahit.

Perdidit arma, locum virtutis Deseruit, qui
Semper in augenda festinat, & obruitur re.

Et lib. 2. Satyr. 3.

Nimirum insanus paucis videatur, eo quòd
Maxima pars hominum morbo iactatur eodem.

Et lib. 1. Satyr. 4.

— *Quemuis media erue turba,*
Aut ob auaritiam, aut misera ambitione laborat.

Et Seneca quam bellè ad rem dixit: *Vidisti aliquando canem missa à Domino frusta panis aperto ore captantem? Quidquid accipit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri inhiat. Idem euenit nobis, quidquid expectantibus fortuna proiecit, sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attenti, in Epicuri illud chaos incidimus, quod inane sine termino est*. Etiam accedit huic dicto Senecæ Laertij Historica sententia. Diogenes Anaximenis conspicatus seruos, plura vasa aurea ferentes, cuius ea essent, interrogauit: quibus dicentibus, Anaximenis; *An* inquit *Non pudet eum, tam multa habere seipsum verò non possidere*.

Auri insatiabilis appetitus.

Diogenes Anaximenis factum.

Meliùs est seipsum possidere quàm aurum.

50 Vel dic erat diues valde, &c. Verus Religiosus abundat auro Charitatis.

51 *Reuersusque est per iter quo venerat, &c.* Verus Religiosus numquam minuit spiritum, ac deuotionem, sed semper in bono perseuerat de hac enim perseuerantiæ virtute benè scripsit Mellifluus doctor exponens verba illa S. Matthæi cap. 10. vers. 22. *Qui autem perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit*. Sic elegantissimè dicit: *Perseuerantia sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus. Prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat Victoriam, nec palmam victam consequitur. Vigor virium, virtutis consummatio est, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium soror est patientiæ; constantiæ filia; amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum: propugnaculum Sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam; nec laudem fortitudo. Denique non qui cæperit, sed qui perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit. Saul cum esset paruulus in oculis suis, rex est super Israel constitutus, non perseuerans in humilitate; & regnum amisit, & vitam. Si cautela Samson, si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuissent, nec is Sapientia priuaretur, nec ille viribus*. Vers. 3.

Perseuerantia coronatur bonitas iusti.

Perseuerantiæ encomium.

52 *In loco Altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini*. Pro beneficijs sunt Deo referendæ gratiæ. Hinc Lipomanus dixit: *Erepti ergo de quotidianis nostris periculis, hoc exemplo edocti gratias Domino referamus, à quo solùm auxilium credere, & sperare oportet*. Vers. 4.

Beneficium gratiam reposcit.

53 *Sed, & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & Tabernacula*. Preme particulam: *Qui erat cum Abram*, Et videbis quomodò ex Societate sancti viri oritur abundantia. Ergo inquit Mediolanensium Sanctissimus Doctor, & Pastor in lib. de bono mortis tom. 1. cap. 9. *Non sequamur illecebrosa, & seductoria, sed sequamur illud, quod bonum est, illi adhæreamus, illud imitemur, illius præsentia, illius communicatio nos meliores faciat, mores nostros coloret, illius quædam nos societas informet. Qui enim bono adhæret, assumit inde quod bonum est, quia scriptum est*: Psal. 17. vers. 26. Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris (vers. 27.) Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris: Vers. 5.

Ex societate bonorum opes abundant.

As-

Assiduitate enim atque imitatione quadam similitudinis imago formatur ideoque addidit (ibid. vers. 28.) Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. *Etenim qui appropinquat lumini, citius illuminatur: & plus in eo splendor æterni luminis refulget è proximo.*

Inter Regulares omnia bona communia.

54 Vel dic. *Lot qui erat cum Abram, fuerunt, &c.* Bona Religiosi ab omnibus Religiosis participanda sunt, & auferenda est omninò inter eos singularitas, seù partialitas: hine S. P. N. Augustinus in sua Regula erga principium præcipit nobis dicens: *Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

Vers. 6.

55 *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.* Sic sæpè sæpius accidit: aliquis fortunam mancam vocitat donatricem, dat pecora, abnegat gramina: hinc collige quòd à solo Cōditore perfectum omne munus descendit. Hoc est quod dicebat B. Iacobus Apostolus in sua Epistola cap. 1. vers. 17. nempè: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quam non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

A solo Deo omne munus perfectum descendit.

56 Vel dic (*Nec poterat eos capere terra*) cum S. Ambrosio in lib. 1. de Abram cap. 3. Lit. K. col. mihi 271. *Sæculare vitium, vt diuites terra non capiat. Nihil enim satis est diuitum cupiditati. Quantò ditior quis fuerit, tantò auidior ad possidendum est. Extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere. Numquid huiusmodi Abram? Minimè. Tamen vt minimè auarus electionem offert, vt iustus dissentionem amputat.*

Diuites terra non capit.

Homo quantò plus ditior, tantò auidior.

57 *Vade, & facta est rixa inter pastores gregum Abram, & Lot.* Ecclesiastici semper rixantur pro acquirendis præbendis pinguioribus.

Vers. 7.

58 Vel dic; opes semper pariunt lites, & rixas etiam inter fratres, & cognatos amicissimos: vndè S. Ioannes Chrysostomus homil. 33. Lit. D. pag. mihi 182. scribit: *Aucta sunt armenta, multiplicati greges, affluxerunt diuitiæ multæ, & statim discinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixæ, & contentio; vbi enim meum, & tuum, illic omne litium genus; vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia.* Hinc de primis Christi-fidelibus, ait S. Lucas in Act. Apost. cap. 4. vers. 32. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna. *Causam subdit: Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.*

Diuitiæ inter parentes rixarum origines.

Quare initio Ecclesiæ erat cor vnū, & anima vna inter Christianos?

59 Vel dic: *Facta est rixa inter pastores:* Eccè inter quos, & à quibus fit hodie rixa, & contentio, inter pastores Religiosorum, & quare? Quia substantia eorum multa, & ideò nequeunt communiter habitare, ideò per Amos cap. 6. vers. 1. dicitur. *Væ qui opulenti estis in Sion: & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.*

Diuitiæ Ecclesiasticis damnosæ.

60 Vel dic, quid per Abram, nisi Ratio? quid per Lot? nisi caro, seù sensualitas designatur? Quid per Pastores, nisi cogitationes, quid per Greges, nisi affectiones, & desideria eorum significantur? Vndè benè dicitur facta est rixa; quia inter carnem, & spiritum continua lucta manet: sicuti prædicat Apostolus cap. 5. ad Galatas vers. 17. dicens: *Caro enim concupiscit aduersus Spiritum: Spiritus autem aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur: vt non quæcumque vultis, illa faciatis.*

Inter carnem, & spiritum continua lucta.

61 *Dixit ergo Abram ad Lot.* Idest dicit Ratio; *Ne quæso sit iurgium inter me, & te;* Et est castigatio rationis volentis carnem sibi pacificare orationibus; sed non potest nisi prius recesserit Lot, id est, caro mortificata fuerit ieiunijs, vigilijs, & disciplinis; Hæc enim tria carnem mortificant, & spiritum viuificant. Vndè ad Romanos cap. 8. vers. 13. dixit Doctor Gentium: *Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis:*

Vers. 8.

Caro mortificanda, vt spiritus viuat.

62 Vel dic cum dæmon vincere non possit quos vnitos videt, curat rixari, vt solitarios adoriatur, & comminuat eos à quibus vnitas superabatur.

Dæmon vnione victus, discordia victor.

63 Vel dic. *Dixit ergo Abram, &c.* Superior, & quilibet homo rectus debet amputare discordias. Hinc S. Ambrosius lib. 1. de Abram cap. 3. vbi supra scribit; *Mulcebatur Sanctus Abram nepotis præsentia, cui patrium affectum exhibebat, incidit rixa inter seruulos nepotis, & patrui. Aduertit prudentior seruulorum dissensionibus concordiam dominorum solui solere: amputauit fibram discordiæ, ne contagium serperet. Tolerabilius enim putauit, vt copula sequestraretur, quàm gratia dirimeretur. Quod te facere oportet, si forte in huiusmodi aliquid incideris, vt seminarium dissensionis auferas. Neque enim tu fortior, quàm Abram. Ille declinanda censuit, non despicienda seruulorum iurgia. Quod si tu fortior, caue ne alter, qui infirmior est, artem præbeat famulorum susurris. Frequenter indiuisæ seruitia apud* Domi-

Discordiæ amputandæ, & maximè à Superioribus.

Digitized by Google

Dominos ipsos discordiam serunt; diuide potius, vt maneat amicitia. Indiuisa domus duos non sustinet. Nonne melius est emi grave cum gratia, quam cohabitare cum discordia? Sic Sanctus Ambrosius.

Verf. 9. 64 *Ecce Vniuersa Terra coram te est: Recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Nota si ad sinistram; Hoc dicit Spiritus siuè ratio, quia quod dextrum est carni, sinistrum est spiritui, & econuersò. In quo enim delectatur caro spiritus contristatur.

Quod dextrum est carni, sinistrum est spiritui, & econtrà.

65 Vel dic: *Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo.* En veræ amicitiæ symbolum. Sic curat amicum recedere, vt ipse præstò esset. Vndè veram amicitiam Doctus quidam paralellis lineis, nec concurrentibus, nec recedentibus comparauit. Vndè ad rem nostram eleganter scripsit S. Cyprianus de singularit. Clericor. *Sicut oculus verti non potest, quò, & alius non vertatur; ita, & quidquid vnus voluerit, eò, & aliorum voluntas vertetur:*

Tessera amicitiæ mutuum velle concors.

Verf. 10. 66 *Eleuatis itaque Lot oculis vidit omnem circà regionem Iordanis, quæ vniuersa irrigabatur antequam subuerteret. Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut Paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.* Qui cæcus eligit sæpè pænitudini obnoxius est.

Electionem cæcam pænitentia sequitur.

67 Vel dic: sicut gratia portat secum abundantiam, ita ad peccatum sequitur pænuria.

Sicut ex gratia abundantia, sic ex crimine oritur penuria.

68 Vel dic cum S. Ambrosio vbi supra lit. M. *Diuersa hominum ingenia sunt: alios vtilia, alios amena delectant. Infirmior amaniora eligit, vtiliora fastidit. Villicus nonnunquam vtilis est, vel actor agri confertur vrbano. Si insipiens sit elector, aut cocum elegit, aut focalem, quem venustioris gratiæ putat, refutat vtiliorem. Plerunque etiam vbi fructus impares sunt, prudentior amaniora declinat. citò inuidiam mouent, citò in se excitant mentem auari. Hic tamen nihil dixit scriptura de eo quòd alia pars vtilior, alia amanior fuerit, ne studio Abram cepisse oculos adolescentis videretur. Amænam partem vnam descripsit, non addidit alteram vtiliorem. Necessè erat vt de tota regione duas partes faceret: deindè præsentia, non absentia diuidebat. Vna regio capere vtrumque non poterat. Quod potuit summa esse iustitię, electionem obtulit.* Vndè.

Infirmioris ingenij amæniora eligere.

Verf. 11. 69 *Elegitque sibi Lot regionem circà Iordanem, & recessit ab oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo.* Semper qui decliuia circà huius mundi Iordanem eligit ab oriente virtutis recedit. De Lot autem D. Gregorius cit. ab Hugone Cardinale in hunc locum dicit: *Lot amæna eligit, vtilia refugit, de loci pulchritudine capitur, ab hostibus captiuatur. Virtutum enim deserit consortium, qui speciem eligit non veritatem.*

Aspera deligit terrena qui per via virtutis relinquit.

70 *Abram habitauit in terra Chanaan. Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circà Iordanem, & habitauit in Sodomis.* Chanaan interpretatur *commutatio*, seu *mercatio*, quæ habet curam, & anxietatem annexam: Vbi designatur, quòd Prælationis status est anxietatibus plenus. Hinc dicebat Sanctus Ambrosius super epist. ad Romanos cap. 12. tom. 5. Qui præest in solicitudine. *Eum qui curam, vt præsit fratribus suscepit, iuxtà fidem suam accipere vigilantiam, & auctoritatem, vt proficiat in quo solicitus sit habens in illis fructum quibus præest.* Verf. 12.

Chanaan quid interpretatur.

Prælati status anxietatibus plenus.

71 *Lot verò, ...habitauit in Sodomis;* & tamen Sodomorum æmulatus non fuit impietatem. En morale! Egregium equidem sanctitudinis documentum à prauis non infici socijs. Vndè eleganter S. Gregorius in Præf. comment. in Iob dicit: *Non enim valdè laudabile est bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est inter bonos non fuisse bonum: ità est immensi præconij etiam inter malos bonum extitisse.*

Tessera sanctitatis à malis non infici socijs.

72 *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.* Peccator tunc suprema affectus malitia ostentatur, quando nec hominum vereretur aspectum, neque Dei iudicio coram obiecto, à malitia recedit. Verf. 13.

Peccator obduratus verecundiam ignorat.

73 *Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot.* Pacifici enim Deum vident, & cælesti quodammodo requiei donantur; sic dixit veritas æterna per os D. Matthæi cap. 5. verf. 9. *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur.* Verf. 14.

Pacis amatores Deum vident.

74 *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem:* Iusti fruuntur hic aliquod gusti eorum, quæ spectant; vt obiectione præmij feruentius seruiant, sed *hæc seruitus Dei donum est* inquit S. Ambrosius in lib. de paradiso cap. 14. tom. 4.

Iustus obiecto cæli premio feruentiùs Deum diligit.

75 *Omnem terram quam conspicis tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum.* Viro iusto temporalis bonorum promissio, quasi nihil, si bona non promittuntur simul æterna. Verf. 15.

Iusto viro bonorum temporalium promissio nihil.

76 Hic nota quòd triplex est terra, scilicet terra inimica, terra aliena, & terra nostra. Prima est in inferno; secunda

Triplex Terra, & quæ. cunda in mundo. Tertia in cœlo. De prima dicitur Baruch cap. 3. verſ. 10. *Quid eſt Iſrael, quòd in terra inimicorum es?* ſcilicet terra inimica. De ſecunda ibidem verſ. 11. dicitur: *Inueteraſti in terra aliena*. De tertia hìc dicitur: *Omnem terram, quam conſpicis*. Prima eſt terra morientium: vndè Iob cap. 10. verſ.21. *Antequam vadam, & non reuertar, ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine*, videlicet vmbra mortis. Secunda Languentium: vndè Iſaiæ cap. 3. verſ.9. *Luxit, & elanguit terra*. Tertia viuentium Pſal.26. verſ. 13. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*. In prima flos aruit, in ſecunda paruit, in tertia apparuit. Aruit flammis gehennalibus: paruit, non ſolum magiſtris, ſed perſecutoribus: apparuit Deo, & Angelis, & hominibus. De primo: Pſal.102.verſ. 14. *Homo ſicut fœnum dies eius: tanquam flos agri ſic efflorebit*. Item *Homo ſimilis fœno.* Pſal.89. verſ.6. *Manè floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat* ideſt *Floreat* in Iuuentute, *tranſeat* in ſenectute; *veſpere*, in decrepitate: *decidat* in mortem; *induret* in glebam; *areſcat* in gehennam. De ſecundis, quomodo pareant; dicitur in prima S. Petri cap. 2. verſ. 13. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum*. Quomodo appareant dicitur Pſal. 125. verſ.6. *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*. Omnes enim, qui viderint eos, cognoſcent illos. Primi arent, quia floruerunt in mundi natiuitate: ſecundi, ſanctitate: tertij, felicitate.

Verſ. 16. 77 *Faciamque ſemen tuum ſicut puluerem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit*. Per ſemen quod ſicut pul- *Humiles pulueri ſimiles.* uis multum, & modicum eſt, ſignificantur boni modici per humilitatem, multi per charitatem: hinc Apoſtolus vt omnes lucrifaceret eſt omnibus omnia factus, ſicut dixit in 1. ad Corinthios cap. 9. verſ. 22. *Factus ſum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.*

Verſ. 17. 78 *Surge ergo, & perambula terram in longitudine, & in latitudine ſua, quia tibi daturus ſum eam*. Ideſt *ſurge* à torpore, Prouerb. cap.6. verſ. 9. *Vſquequò Piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Perambula terram* viuentium ſcilicet per contemplationem, in longitudine, & latitudine, ideſt conſiderans *Vbi vera ſunt gaudia, ibi fixa debent eſſe noſtra corda.* præmiorum æternitatem, & immenſitatem. Hinc Doctor gentium 2. ad Corinthios cap. 4. verſ. 17. ſcribit: *Id enim, quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, nota ly *Æternum*, ecce Æternitas. Ly *ſupramodum*, ecce immenſitas. Ly *pondus* ecce ſoliditas: nam ibi non erunt gaudia vana, ſicut hìc, ſed vera; idcircò vbi vera ſunt gaudia ibi fixa ſint corda noſtra.

79 *Mouens igitur tabernaculum ſuum Abram venit, & habitauit iuxtà conuallem Mambre, quæ eſt in Hebron: ædificauitque ibi altare Domino*. Mambre interpretatur *Viſio* vel *perſpicacia*. Et bona eſt coniunctio vallis Mambre: quia quantò perſpicaciùs videt quis cæleſtia tantò humiliatur in ſe ipſo. Verſ. 18. *Mambre quid interpretatur. Ex contemplatione cæleſtium oritur humilitas.*

80 *Ædificauitque ibi altare Domino*: omne beneficium à Deo collatum ſubitas expoſcit grates. Hinc *Grates ſubitò reddendæ.*

Quòd pro tribus agendæ ſunt Gratiæ Deo

Breuis Moralitas.

81 In tribus debent homines gratias Deo referre. Primò de malis, quæ per Dei gratiam potuerunt fugere. Secundò de bonis, quæ Deo auctore poſſunt facere. Tertiò de gaudijs cæleſtibus, quæ expectant ex eius promiſſione. De his filij Iſrael poſt maris rubri tranſitum gratias agebant Deo cum dicerent Exod.cap.15. verſ. 1. *Cantemus Domino: glorioſè enim magnificatus eſt*; vndè *equum, & aſcenſorem deiecit in mare*; eccè primum. verſ.2. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*; eccè ſecundum. Verſ.13. *Dux fuiſti in miſericordia tua populo, quem redemiſti: & portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum Sanctum tuum*, eccè tertium. *Pro tribus ſunt Deo agendæ gratiæ, & quæ.*

82 De primo dicitur Pſal. 55. verſ. 13. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, oculos meos à lacrymis pedes meos à lapſu*, eccè primum. De ſecundo Pſal. 12. verſ.6. *Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi*, eccè ſecundum. De Tertio Pſal. 114. verſ. 9. *Placebo Domino in regione viuorum*, eccè tertium.

83 In figura hominum trium, in Leuitico inuenimus, tria genera animalium domino ſacrificata; ſcilicet, animalia immunda, vt eſt capra, quod Luxurioſum eſt animal, & hoc pro primo: animalia munda, vt os, & ouis; in figura ſecundi. Turtur, & columba, quæ ſurſum volant; in figura tertij Deo exultant, lætitiam de ſupernis in corde ſuo concipientes. In tribus eſt hæc exultatio pro gratiarum actione.

84 Exultans enim debet habere iubilum

Quomodo in Domino gaudendum.

bilum in ore psalmum in corde, tympanum in corpore. Iubilum, scilicet, Vocem, qua Deum laudat. Psalmum, scilicet, spiritualem lætitiam de supernis, nempè, quæ desiderat. Tympanum, scilicet, gestum corporis, in quo vtrumque exprimat. Indè Dauid: Psal. 80. Vers. 1. cecinit: *Exultate Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.* Vers. 2. *Sumite psalmum, & date Tympanum, psalterium iucundum cum cithara*. Ait Apostolus 1. ad Corinthios cap. 14. vers. 15. de duobus primis: *Psallam spiritu, psallam & mente*. De Tertio ibid. cap. 6. vers. 20. *Glorificate, & Portate Deum in corpore vestro*. Hæc tria agebat Dauid, cùm adduceret arcam Domini in Ierusalem, *Ducebat*, inquit, *arcam in iubilo*: Hoc de primo. De secundo ait: *Domine vniuersa hæc tibi lætus obtuli*. De Tertio dicitur, quòd vidit Michol Filia Saul Dauid saltantem coram arcam Domini, *Et despexit eum in corde suo*.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XIII. GENESIS.

Vers. 1. & 2.

§. 1 QVare dicitur de Abramo: *Ascendit ergo Abram de Ægypto ipse, & vxor eius, & omnia quæ habebat*, &c. *Erat autem diues valdè in possessione auri, & argenti*: Et statim subditur; sed & Loth, qui erat cum Abram fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula? Multò examine dignum est, quòd omnia pretiosa, ac magnæ æstimationis resplendeant in Abramo; Lot verò nihil splendidum, ac magnæ æstimationis habeat, dum tota eius Substantia ex pecoribus describitur, non verò ex auro. Quænam tanti discriminis causa? Simul degebant Abram, & Lot, simulque negotiabantur. Cur ergo ille ex auro totus aureus nitet; hic verò ex gregibus totus bubulus apparet? Audi. Abram inter cætera sua magnalia hoc habuit, quòd dum filium suum Isaac in sacrificium obtulit, passionem, ac mortem Filij Dei designauit, ipsamque in figura vidit, & ab vmbra Passionis Filij Dei, innumeri aurei riui defluunt, omniumque pretiosissimorum fontes exundant: qui enim Christum crucifixum habet omnia possidet: quot enim sunt passionis Christi vulnera, tot copiosissimi omnium bonorum fontes apparent D. Ambr. lib. 2. de Abram cap. 5. *Non habebat Lot, ait, aurum, quod habebat ille, qui vidit Christi posteriora, de quo scriptum est, & posteriora eius in pallore auri. Vidit illum Abram, sicut testatus est Dominus dicens Abram diem meum vidit, & gauisus est; ideo auri speciem habere meruit, & possidere.*

Abram totus aureus; Lot verò totus bubulus apparet, & cur?

Qui Christum crucifixum habet omnia possidet.

Quot Christi vulnera, tot bonorum fontes.

Vers. 1. & 2.

§. 2 Quare, & quomodo potuit exiens de Ægypto Abram fuisse diues valde? *Soluitur hoc*, audi D. Hieronymum citatum à Lippomano ibidem, *Hebraica veritate, in qua scribitur. Abram grauis vehementer: Ægypti enim pondere grauabatur: & licèt videantur esse diuitiæ pecoris, auri, & argenti, tamen si Ægyptiæ sunt, viro Sancto graues sunt.* Dum Ægyptum incolebat, graues illi non videbantur diuitiæ; imò illas non habere erat satis molestum, & onerosum; at cùm Ægypto renuntiat, sic à sæcularium distat ambitu, vt amplo diuitiarum torqueatur censu: iam non solùm non ambit; sed & diuitias fastidit: veluti graui pondere oppressus gemit, qui olim de Ægyptia conuersatione diuitias non putabat onera, sed augmenta. Ascenderat ipse, hoc est non solùm corpore; sed animo Ægyptijs renuntiarat oblectamentis, & se expedierat fallacijs: ideò quas olim diuitias amabat; modò feliciter fastidiebat: ascendenti namque res humanæ habentur impedimenta, & semper reputantur obstacula. Profectò quibus diuitiæ non graues, adhuc incolere Ægyptum compertum est? Disce ergo, si humanæ fallaciæ retia effugisti, nil abiectè cupere; sed generosè omnia spernere. Verùm, ò miserum! non semel accidit, vt qui omnia generoso conculcauit despectu, cognatorum dilectione fœdissimo irretiatur ambitu. Videbis aliquando Religiosos adire tribunalia, Principum cursare domos, terere ministrorum limina, & sui ipsorum iniuria cognatis soli-

Ascendenti ad perfectionem sunt impedimenta res humanæ.

Qui mundum calcauit indè semper contemnere debet.

licitare incrementa. Heu! quomodo qui generoso mundum calcarunt despectu, terrenorum inde fædantur ambitu.

Verſ. 1. & 2. §. 3 Quare Abram ibi diues vbi de Ægypto aſcendebat in terram promiſſionis? Cùm autē illa terra ſymbolum, & figura eſſet terræ viuentium, & regni Dei, neceſſarium erat, vt diues eſſet in poſſeſſione auri, & argenti, qui properabat ad gloriam ex Ægypti terra. *Figuratur hìc*, ait Thomas Anglicanus, *Copia ſpiritualium diuitiarum, quam habent aſcendentes de hac miſeria ad æternam patriam*. Nec myſterio vacat, nihil dixiſſe Scripturam de Lot diuitijs. Vndè dubitandum eſt.

Qui ad gloriam Dei properat, diues.

§. 4 Quare cùm Moyſes bona auri, & argenti Abrami refert, ſimiliter bonorum Lot mentionem facere renuit? Nimirum quia Lot figura erat diuitum ſæculi, qui manebat in Sodomis, nec contendebat in terram promiſſionis; ideò nihil de eius auro, & argento dicitur, quibus ſine dubio caruit, quia illis conſtat, & emitur cæleſtis theſaurus. *Erat diues*, ait S. Ambroſius lib.2. de Abramo cap.5. lit. I. col. mihi 319. *Valdè, vtpotè cui nihil bonorum deerat, non mihi videntur in homine iuſto ſæculares diuitiæ laudari, eius ergo diuitias Scriptura expreſſerat, ſuperrat cognoſcere; vtrumnam Lot quoque nepos eius, & ipſe vtpotè eiuſdem ſucceſſionis, diues fuerit. Sed Scriptura eum pecoris abundantem aſſerit, non habebat argentum, quia nondum iuſtus: etenim argentum ignitum lingua iuſti, Non habebat aurum, quod habebat ille, qui vidit Chriſti poſteriora .... Et ideò auri ſpeciem habere meruit, & poſſidere*. Diuites ergo, & prædiuites eſſe oportet, qui emere poſſint cęlorum regnum, & ideò Reges adorantes Chriſtum, Matth. cap.2. verſ. 11. *Apertis theſauris ſuis obtulerunt aurum, thus, & myrrham*. Non enim emitur Chriſtus alio inferiori, niſi theſauri pretio. Ideò huiuſmodi diuites emere poſſunt regna cælorum, qui quia rari ſunt in hoc ſæculo; rari etiam ſunt, qui ſalui ſint in futuro.

Diuitiæ ſæculi in diuite non laudandæ.

Chriſtus nonniſi Theſauri pretio emitur.

Verſ. 2. §. 5 Quare Moſes nunc vocat Patriarcham Abramum diuitem, id quod nullibi aliàs meminit; ſed nunc primùm dicit, quòd diues fuerit? S. Io: Chriſoſtomus hom. 33. lit. A pag. mihi 281. ad dubium ſoluendum ſibi propoſitum ſic elegantiſſimè dicit: *Vt diſcamus diuinæ Sapientiæ ſolertiam, & ſuæ in iuſtum prouidentiæ immenſam, & excellentem potentiam. Nam qui famis neceſſitate in Ægyptum peregrinari coactus fuit, ... is ſubitò diues factus eſt: & diues non tantùm pecoribus, ſed argento, & auro. Vidiſti quanta Dei prouidentia: abit, vt aliquam famis conſolationem inueni at, & redit non ſolùm fame mitigata, ſed, & diuitijs, & indicibili gloria conſpicuus*. Eccè tibi quid fecerit in Abramo Ægyptius panis, & hominem liberauit à fame, & impleuit auro: nunquam antea diues in auro dictus fuit, niſi poſtquam depulit famem Aegyptio pane. Hoc facit panis terrenus, vt aurum teneatur, & in diuitias inclinent mentes humanæ. Longè aliter cæleſtis panis, qui facit aurum reijci, & egentibus dari. Cantatiſſimi illi Magi (Matth. cap.2. verſ. 119.) Bethlem abierunt, quæ interpretatur *Domus panis* quæſituri inter paleas cæleſtem panem. Quid tunc? *Inuenerunt Puerum, & MARIAM matrem eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera*. Vt cæleſtis *panis Domum* intrant, nil citiùs faciunt, quàm adorato Puero, theſauros reſerare, aurum deſpicere, eiuſque pedibus præbere conculcandum. Miraris quia ſapientes viri ſic aurum à ſe ablegant? Fecit hoc, Fecit hoc cæleſtis panis guſtus, qui vehementer contrariatur diuitijs temporalibus aſſeruandis. Ex quo S. Ioannes Chryſoſtomus in homil. 17. ſuper Matth. quemlibet Chriſti Domini ſectatorem monet: *Fallacem iſtiùs ſæculi vmbram relinquens, in Bethlem feſtinus accurre, ac Domum ſpiritualis panis ingredere...... Igitur adoraturi Chriſtum cuncta proijciamus è manibus, ſi habuerimus aurum, offeramus ipſi non terræ defodiamus*.

Dei prouidentia ergà iuſtos.

Euchariſtia auri cupiditatem pellit.

§. 6 Quare dicitur Abram *diues in poſſeſſione auri, & argenti*, quando diuites ſic apud Deum periclitantur, *vt facilius ſit camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*. Matth. cap.19. verſ.24. Ergo ſi Abram diues eſt, etiam periclitatur? Abſit; eſt enim Abram diues in poſſeſſione, non in ſeruitute; ſic dominatur auro quaſi eius verus Dominus, & poſſeſſor; non illi ſubiacet, quaſi ſeruus, in quo difficultas ſalutis verſatur, ſicuti colligitur ex Sophonia dicente cap. 1. verſ.11. *Diſperierunt omnes inuoluti argento*. Eccè tibi qui pereunt ſub argento nimirum omnes illo inuoluti. *Non dixit*, explicat hæc Verba Rupertus, *diſperierunt omnes habentes argentum, ſed diſperierunt omnes inuoluti argento. Longè aliud eſt habere argentum, quàm* Verſ. 2.

Non auri poſſeſſio, ſed affectus damnatur.

esse argento inuolutum, siquidem, & Abram, & Dauid, & multi alij sancti, & iusti argentum habuerunt, in auro, & argento diuites fuerunt; & tamen non disperierunt. Quare? quia pecunias tanquam Domini possederunt, non tanquam serui pecuniæ in pecunijs argenti sperauerunt. Itaque non in possessione, sed in seruitute argenti periclitantur homines, qui tanquam veri possessores dominantur auro, ij facilem habent ingressum in regnum cœlorum; non sic, qui tanquam serui subijciuntur argento. Quò respiciens Ecclesiasticus cap. 31. vers. 8. dicebat: *Beatus diues, qui inuentus est sine macula: & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris.*

Vers. 4. §. 7. Quare Abram non anteà inuocat nomen domini, quám veniret in locum vbi aram struxerat; dicit enim textus: *In loco altaris, quod fecerat priùs, & inuocauit ibi nomen Domini?* cur non anteà; sed in loco Altaris? Fuit patribus Altare memoriale Christi passionis, eiusque crucis, ideò nonnisi in loco altaris inuocat nomen diuinum, sciens de adiuncta passione, cruceue esse Dei nomen efficacissimum. Vide S. Ambrosium lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 9. S. Gregorium super Ezech. homil. 22. Et Rupertum Abbatem lib. 2. super Ezech. c. 27. & super Amos cap. 9. & super Apoc. cap. 5.

Dei nomen efficacissimu ex Passione, & Cruce.

Vers. 4. §. 8 Quare Abram (vt ex Abulensi notat Salianus) ædificato altare, in cap. 12. vers. 8. & peracto sacrificio, illoque non demolito, periculo profanæ pollutionis exposuerat? Nempè rediturus erat Abram post expletam in Ægypto famem: *In locum altaris, quod fecerat priùs*; Maneat ergo altare erectum in quo postulatum est beneficium, vt in eodemmet pro beneficio accepto gratiæ referantur. Illud ipsum altare in quo postulatur beneficium, sit gratitudinis monimentum, & auspicium gratiarum actionis: & altare quod preces detulit impetrati beneficij referat gratias; ne altare, quod petitionem nouit, impetrati beneficij gratitudinem ignoret. Eandemmet aram (aliquo licet periculo deuorato) testem suæ gratitudinis sistit, ne de accepti beneficij reatu vnquam possit appellari. *Nam gens humana* (vt sententiosè dixit Tertullianus Apolog. cap. 40.) *illius rea est, cuius & ingrata*. Ingratus enim ipsamet beneficia in reatum conuertit, beneficiorum infidè reus. Exindè Abram non demolitur Altare, quod erexerat priùs, vt quæ fuerat officina impetrationis, futuræ gratitudinis superstes notaculum auspicato foret, gratitudinis precibus coæua.

Beneficij memoria retinenda.

§. 9 Quare Abram solùm in terra Chanaan non autem in Ægypto Sacrum construxit Altare? quia & sacrificium, & oratio debent esse extrà tumultum. Audi mentem D. Gregorij homil. 20. in Ezechielem ad rem nostram opportunè applicatam: *Israeliticus populus, primum sacrificium in Ægypto obtulit, Secundum in Eremo. Qui itaque mentem adhuc habet in sæculo, sed boni iam aliquid operatur, Deo sacrificium obtulit in Aegypto: qui verò præsens sæculum deserit, & agit bona, quæ valet, quasi iam Aegypto derelicta, sacrificium prabet in Eremo, quia repulso strepitu carnalium desideriorum, in mentis sua quiete, atque solitudine, immolat quidquid operatur.* Non de quocumque nobis hìc sacrificio, sed de illo, quod omnium Deo gratissimum est, orationis videlicet, ac diuinæ laudis, de quo Vates: *Sacrificium laudis honorificabit me*, delectari debemus, & insudare vt offeramus procul à turbis, à curis, à strepitu, & à tumultibus. Hoc monitum est S. P. N. Augustini in Serm. 182. dicentis. *Cùm oraueris, habeto cor quietum, & ab omni tumultu exteriorum, liberum, & clauso ostio, idest exclusa phantasmatum turba, ora patrem tuum.* Vers. 4.

Oratio fieri debet extrà tumultum.

§. 10 Quare Moyses non solitariè Lothum nominat sed addit, & Loth qui erat cum Abram fuerunt greges, &c. Vt Substantię augmentum illi obuenisse ostendat de Abrami consortio. Et quandonam iusti societas non fuit homini cuicumque lucrosa? Dicebat Genes. cap. 30. vers. 30. *Modicum habuisti antequàm venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitque Deus tibi ad introitum meum.* Hinc S. Basilius in Gordianum Martyrem, dixit: *Quemadmodum suauia aromatum odoramenta, proprium quiddam per aerem continenter spirant, quibus præsentes recreantur: ita vir bonus toti sibi commorantium contubernio salutaris, & iucundus.* Vers. 5.

Iusti societas vtilis.

§. 11 Quare dicitur quòd Abram, & Lot non poterat tellus eos capere; vt habitarent simul? O admirabile dictum! Duos terra vti angusta capere non potest. Transi modò ad ferè innumeros Abrahæ filios cœlorum syderibus designatos, illosque videbis nullatenus angustari; sed latè, ac simul fugere: *Suspice Cœlum*, aiebat Dominus, *Et numera stellas, si potes. Et dixit ei sic erit* Vers. 6.

semen

Digitized by Google

semen tuum. Inquires: si tot filij queunt communiter habitare, quare opus est Abramum, & Lot diuidi? Aut si necessum est duos diuidi, quomodo tot poterunt simul coniungi. Iam textus explicuit: *Nec poterat eos*, inquit, *capere terra, vt habitarent simul*. Terra vti angusta plures non capit; at Cœlum vti latissimum ferè innumeros admittit; dum stellis fratres delineantur, & plures simul habitare videntur: dum in terra degunt, vel duo iam angustantur, & comprimuntur. Opportunè S. Gregorius lib. 5. Moralium cap. 31. *Qui liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus vna est, & singulis tota, quæ tantò largior esse ostenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur*. Acerescit nescio quid possessori, si sortiatur in cœlestibus consortem; detrahitur in humanis, si habuerit participem, ita angusta sunt caduca; ita ampla inueniuntur æterna.

Terrenis vacans socios in felicitate non vult, secùs vacans cælestibus.

Vers. 6.

§. 12. Quare non poterat eos capere terra? Quia Pastores erant frequenter rixati. Plures adeò pecudes pastui inhiabant, vt regio redderetur angusta, & frequentior turbaret animos rixa: ex se tellus lata; sed ingens pecudum copia: grex quiuis alteri herbam præripere vigilabat, & dum eadem omnes vrgebat cura, nullum, quantumuis læta, & irrigua sustentare quiuerant pascua. Ad hæc Chananæus, & Pherezæus non modicam sibi telluris partem vendicabant, in angustiasque cæteros redigebant: tot tellurem illam possidere exambiebant, vt cuique fuerit angusta, & omnibus sanè rixa. Adest Lippomanus. *Et poterat quidem sustinere terra vtrosque, nisi etiam alij populi eandem occupassent: ex quibus hic Pharezæi nominantur, prius non cum reliquis populis enumerati, vt de nouo in eandem terram fortè irrupisse videri possent*. Alter erat alteri impedimentum; & de impedimento oriebatur iurgium. Tellus multorum desideria vocabat, & pacem omnibus adimebat: Chananæus armis inuadit; Phærezæus iuuolat, Lot greges grauant, Abrami pecudes occupant: tot modicam expetiuere tellurem, vt satisfuerit cunctorum iurgio; sed minimè desiderio. Nec solùm videbis hæc ab hominibus geri circa alicuius momenti lucra; sed etiam circa exigui pretij negotia. Sic omnibus semper angusta, quia plures habent appetitores, & ambitores humana.

Hominum pax à cupiditate turbatur.

§. 13. Quare facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot? Modestiam Patriarcharum si licitum esset quasi increparem, audi Philonem in lib. 1. de Abram qua super re sic ad rem præsentem scitò Philosophantem: *Facta est rixa inter Pastores, &c. Itaque seruitutis immemores præ licentia semper rixabantur cum sapientis nostri (Abrami) magistris pecorum, plerunquè cedentibus propter sui heri mansuetudinem* (nota quæ subtexit verba) *qua modestia auxerunt insolentiam, & impudentem audaciam aduersariorum, vt recensitis mutuis odijs necessè habuerint, qui lædebantur, iniuriam armis repellere*. O malum! pacata offensi modestia nutrit offensoris insolentiam, & impudentem audaciam sic auget vt rixari necesse sit? sanè rara virtus est, quæ offensori semper ignoscit, nam vel patienti modestia, iniuriarum fomitem è diuerso ministrat. Vers. 7.

Iniquus ex iusti modestia assurgit ad insolescendū.

§. 14. Quare Abram diuersam iam regionem incolens adhuc iurgijs premitur, & varijs concertationibus diuexatur? Solutio huius dubij stat in quintò antecedentis capitis versiculo in illis verbis scilicet: *Tulit Lot filium fratris sui*. Philo Hebræus iam datus in Lot partem ad sensibilia procliuem agnouit, à qua nisi recesserit sapiens, continuis diuexabitur dissidijs, placida pacis quiete priuatus, & contentionibus periculosis addictus: *Quamprimum igitur intellectus* (verba sunt Philonis) *incipit se ipsum nosse, & in contemplationibus intelligibilibus versari, totam illam partem ad sensibilia procliuem ablegabit, quæ Hebraicè Lot vocatur; quamobrem ille sapiens inducitur dicere apertè: Discede à me: non est enim possibile, vt incorporearum incorruptibiliumq; rerum amator cohabitet cum prono ad ista sensibilia*. Relicta patria adhuc Abramum premebat rixa, dum secum habuit Lot concupiscentiæ imaginem: ergo ad benedictionem cœlestem promerendam, ad perfruendum pace opus fuit impietatis emporium prouida fuga deserere, & cupiditatem etiam prudenti exilio ablegare: nam quantumuis à patria distiterit Abram, dum Lot secum habet, inducitur varijs appetitionibus perturbatus, & Litium altercatione impetitus. Vers. 7.

A cupiditatis occasione recedendū propter cælestia.

§. 15 Quare erat continua rixa inter pastores Abrami, & Lot? quia vni, & alteri creuerat famulorum numerus. Dum ambo cum parua familia de terra sua, & cognatione sua egrediuntur, nil habent non pacificum; vbi crescit Vers. 7.

pa-

Digitized by Google

pastorum multitudo, de multitudine non potuerunt non exire rixæ lethales. Sic cap.4. Genesis nostri vers. 1. *Adam cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens. Possedi hominum per Deum.* (Vers. 2.) *Rursùmque peperit fratrem eius Abel.* Eccè ibi vt crescere cæpit hominum numerus. Quid tunc? vers. 8. *Consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Vt cæpit crescere numerus, cæperunt apparere rixæ, & lethalia vulnera: vndè pulchrè ait Sedulius lib.2. Paschal. cap. 1. *Proh dolor! duo tantum fuerunt æterni: postquam cæpit crescere origo, tunc periit, cladémque parturitus à semine detrimenta suscepit.* Cùm duo tantùm erant, tunc pax æternabatur cum vita; at vbi ad multitudinem itur, & calamitates oriuntur, & rixæ: hinc benè dicebat Isaias cap. 9. vers. 3. *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.*

Facilis in multitudine pacis perturbatio.

Vers. 8. §. 16 Quare Abram dixit Lot nequæso sit iurgium inter me, & te? Cum Seneca epist. 18. dudium soluerem dicendo: *Non multum prodest vitia sua proiecisse, si cum alienis rixandum est.* Itaque Abram à quo tempore vocatus est, & diuinum sequens ductum, Deo, & virtuti totus impendebatur, vitia sua proiecit; sollicitus est autem de domesticorum rixis, ne rixandi, & obiurgandi fomitem sensim ingerant: indè domestica rixarum, & iurgiorum exempla submouet; *Non enim multum prodest vitia sua proiecisse, si cum alienis rixandum est.*

Vers. 8. §. 17 Quare si contentio, ac rixa solùm fuerat inter vtriusque pastores, Abram ait ad consobrinum: *Ne sit inter me, & te*; nam facilè Lot dicere poterat, nullum mecum tibi fuit iurgium; & hoc tantùm extitit inter nostros pastores? Sapienter Abram hæc ait, nouerat enim, quòd sæpè rixa seruorum seminarium sit contentionis dominorum, præcipuè cùm circa eorum substantiam exorta sit. Cùm vidisset ergo altercationem seruorum, voluit in radice amputare discordiam inter dominos, hoc est, inter ipsum, & Lot; & ideò, ait ei recede à me. Abulensis ibid. *Hoc ponitur,* ait, *ad denotandam prudentiam Abrae, & virtutem: pertinet nempè ad virum iustum, & prudentem, vt visa occasione mali, statim prouideat, & non dissimulet, quia in exordio potest præuideri contrà mala, ne fiant, in progressu autem non potest præuideri. Ideò sicut Abram, cùm esset vir sanctus, & prudens, cognito quòd pastores iurgati essent, & habito, quid ex hoc sequi posset, statim locutus est ad Lot, vt tolleretur occasio futurorum malorum.*

Seruorum rixa dominorum litibus occasio maximè pro temporalibus.

§. 18. Quare refert Moyses Abram Lotho dixisse tria (*Ne quæso, sit iurgium inter me, & te*; Eccè vnum. *Et inter pastores meos, & pastores tuos*; ecce secundum. *Vniuersa terra coram te est*; Ecce tertium) ad contentiones, rixasque sedandas? Quia voluit Abram docere tria esse, quæ pacem perturbant. Vndè hæc verba Abrami in hanc rem sic opportunè expensa ab Hugone in allegor: Gotfrid: Tilm. citato refero. *Tria sunt, quæ pacem cohabitantium perturbare solent; idest, quando quis mouetur ad iram pro se ipso, pro amico, & pro commodo. Tria hæc remouit Abram, dum habitauit cum nepote. Primum remouit dicens: Non sit rixa inter me, & te. Secundum dicens: Neque inter pastores meos, & tuos. Tertium posuit: Ecce, inquit, tota terra antè te est, hoc est, si de me, si de amico, si de possessione dissensio est, omnibus cedo.* O'verè nulli æquiparanda Abrami humilitas, Patriarchæ prudentia! Vers. 8.

Quænam sint, quæ pacem perturbent.

§. 19 Quare Abram maior cùm foret, supplex Lothum conuenit, qui exhibere se patruo supplicem verbauus debuerat, & senioris non præstolari accessum? Quid mirum? occurrit Lippomanus ibidem. Senior erat iustus Abram: hoc vnum sufficit, vt, *sicut ætate, ita & virtutibus præcedat Abram præoccupando Lot.* Nescis modò quid in sancto sene præcedat distinguere, humanitas ne, an humilitas? Vers. 8.

Virtus dignabilem se præbet ætate minoribus.

§. 20 Quare Abraæ, ac Lotho iurgium, si soli Pastores rixabantur? Prudentissimus Abramus adiudicauit famulorum piacula dominis esse tribuenda; quia actiones subditorum Præsulibus assolent adscribi. Nec immeritò, sic debet Præsul subditorum excessus corripere, & delinquendi occasiones intercidere. Vers. 8.

Multoties, seruorum crimina Dominis adscribuntur.

§. 21 Quare Abram separari voluit à Loth? quia elegit potiùs separari, quam simul commorando, dilectionem periclitari; vnde S. Ambrosius lib.1. de Abram cap.3.tom. 1. *Tolerabilius,* inquit, *putauit, vt copia sequestraretur, quàm gratia demeretur.* Valdè enim periclitatur charitas cum substantia multa, etiam inter eos, quos naturæ vinculum iungit, quia ex amore superfluo ad diuitias perituras læditur proximus, & auarus redditur odiosus. Hinc etiam exclamauit Rauennas Vers. 8.

Auferuntur lites, cùm separantur litigantes.

uennas

uennas eloquentia ferm. t. de filijs duobus Prodigo, & Frugi pag. mihi 2. impreſſ. Venet. *Facultates vnitatem ſcindunt, fraternitatem ſeparant, cognationem ſpargunt, parentem perdunt, & violant charitatem.*

Verſ. 8. §. 22. Quare Abram dixit, fratres enim ſumus? Vt pacem poneret, & iurgia tolleret, fraternitatis motiuum adduxit. Sic Protomartyr Stephanus Act. Apoſtol. cap. 7. verſ. 26. de Moyſe narrat, quòd videns duos hebræos litigantes, reconciliabat eos dicens: *Viri, fratres eſtis, vt quid nocetis alterutrum?* ſolam fraternitatem objiciens, vt pacis abundans motiuum. Et notabile quidem, quòd iſtos, quos alloquebatur Moyſes, non ligabat vinculum proximum ſanguinis, ſed nationis, ſeu generis tantùm. O ſi conſideratio iſta penetraret cor noſtrum, & verba iſta memoraremur frequentiùs, quàm fortiùs reſiſteremus diſcordiæ! Et eò quidem magis, ſi non tantum carnis vinculum nos copularet, ſed religioſa profeſſio, Patriarchæ vnius filios nos efficeret, vnam Regulam profitentes, communi victu, veſtitu, & tegumento vtentes, vndè Fratres vocaremur, quàm certè vniti eſſemus! Et ſi fortè, ex fragilitate humana, diuideremur, quàm ſolliciti eſſemus ad vinculum charitatis redire, & iterùm coniuncti manere! Sanè S. P. N. Auguſtinus initio noſtræ Regulæ, ſtatim à Charitate incæpit, dicens: *Ante omnia, Fratres chariſſimi, diligatur Deus, deindè proximus.* Vide quæſo, quomodo ſtatim eos, *Fratres*, appellat, & non ſimpliciter, ſed *chariſſimos*, quibus erat ſtrictiſſima charitate coniunctus, & quos ita inter ſe inuicem appellari volebat. Proindè, charitate præcepta, concordiam intulit, aſſerens præcipuè ad Religionem vocatos, vt ſpirituali dilectione eſſent inter ſe religati: *Propter quod* (inquit ibidem) *in vnum eſtis congregati, vt vnanimes habitetis in Domo, & ſit vobis anima vna, & cor vnum in Deo.* Quæ verba B. Iordanus de Saxonia lib. 2. cap. 1. conſiderans, ait: *Oportet enim, ſi in vnum ſumus congregati corporaliter, vt ſimul habitemus ſpiritualiter. Non enim prodeſt, ſi nos continet vna domus, & ſeparet diuerſa voluntas.* Et confirmat auctoritate Hugonis dicentis: *Plus enim Deus attendit vnitatem animi, quàm loci.* Et hanc vnanimitatem Philippenſibus cap. 1. verſ. 27. commendans Apoſtolus, dixit: *Audiatur de vobis, quia ſtatis in vno ſpiritu vnanimes.* Vbi benè

Patir motiuum conſideratio, quod fratres ſumus.

Religioſi debent viuere ſummè concordes.

quidem, ait, *ſtatis*, quia, qui vnanimis conſeruatur cum Fratre, non cadit Deo, ſed antè oculos eius ſtat plenus meritis: coronam æternam accepturus. Igitur ſi ad hoc ad Religionem præcipuè ſumus vocati, vt vinculo ſpirituali ſimus religati, *& vnanimes habitemus in Domo*, quare, diuiſis cordibus intrat diſcordia, & deſtruit omnia? Quare conſideratione charitatis à Sanctiſſimo Patre noſtro præcepta, ac vnanimitatis inde illatę, & à nobis profeſſæ, hoſtem hunc non calcamus? Quare illi cedendo, eligimus amare viuere, qui reſiſtendo, poſſemus præ gaudio exilire? Teſte illo, qui dixit Pſal. 132. verſ. 1. *Eccè quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Quare fratres ſumus, & nominamur, niſi, quia ab *vno* Paſtore ſecundùm carnem originati, & ab *vno* ſecundùm ſpiritum regenerati, & ab *vno* ſecundùm *vnam* regulam regulati? Si ergo tot charitatem ſuadent, &, iſta intrante, viget concordia, excipiatur amplexibus charitas, pulſa diſcordia. Sit nobis Abrami cuiuſcumque reſecandæ contentionis nobile motiuum: *Fratres enim ſumus.*

§. 23 Quare Abram Lothū allocutus eſt dicens, poſt quam rixę inter paſtores exortæ erant, ne quæſo ſit iurgium inter me, & te? Quia contentiones, vel non habendæ, vel citò ſunt reſecandæ. Hoc eſt quod nobis Excalceatis ſuis chariſſimis filijs præcepit dilectiſſimus S. P. N. Auguſtinus eùm dixit in regula: *Lites, aut nullas habeatis, aut quàm celerimè finiatis.* Vbi inſinuat, quòd ſi aliquando, ex fragilitate humana, inter aliquos orta ſit turbatio, tamen nò diù duret, ſed quàm celerrimè finiatur. Non enim fuit contentus dicere celeriter, aut celerrimè; ſed *quamcelerrimè*, vt magis indicaret, quantum debeamus eſſe feſtini ad priſtinam charitatem redire, quia frequenter à paruis incipitur, nempè, à verbo iocoſo, & ad magna proceditur, nimirum ad odium, quo occiditur anima: ideò ſubdit Sanctus Pater, *Ne ira creſcat in odium, & trabem faciat de feſtuca, & animam faciat homicidam.* Et eſt conformiter ad Apoſtoli doctrinam dicentis ad Epheſios cap. 4. verſ. 26. *Sol non occidat ſuper iracundiam:* Vbi ita ibidem tom. 3. ait S. Ambroſius: *Iram tranſire vult, nec retineri in pectore, vt die orta, cum die decidat.* Et rationem ſubdit. *Quia ſi in animo manſerit, dat occaſionem diabolo gloriandi; neceſſe eſt enim, quòd animus*

Verſ. 8.

Contentiones, vel non habendæ, vel ſtatim ſollendæ.

Digitized by Google

animus iratus malè cogitet. Quod cupit diabolus. Inuenit enim mentem paratam ad malum, cui se inserens, effectu suo decipit hominem factum ad vitam, quia hominis cogitare est, diaboli implere.

Vers. 9. §. 24. Quare Abramus habet hanc vrbanitatem cum suo Nepote sibi inferiore, vt ipse locum quem cupit eligat; & Lot ei cum simili non respondet, vt ipse tanquam senior priùs eligat, sed tacet omninò, & optione data vtitur? Erat Abramus prouectior ætate, eminentior gradu, conditione, ac qualitate: & quantò illustrior erat conditione, tantò & vrbanitate extitit.

Quanto quis nobilior, tanto vrbanior.

Vers. 9. §. 25. Quare Abramus Lotho etiam inferiori cessit, & electionem regionis commisit? Admiratur Aureus Doctor Patriarchæ humilitatem exhibitam in ea data optione Nepoti. *Ista enim* ait, *vera est humilitas*, quam eximius ille vir declarauit erga eum, qui multò „ se fuit inferior, non solùm ob virtu„ tis rationem, sed propter ætatem, & „ alia omnia: cogita enim quòd senex „ iuueni cessit, & patruus nepoti: & „ qui tantam à Deo sortitus est gra„ tiam, ei qui nullo magnum aliquod „ specimen præbuerat, & ea, quæ „ oportebat illum dicere, vt iuuenem „ ad senem ætate, & dignitate, & pa„ truum, illa Patriarcha ad iuuenem „ dicebat. Igitur nos quoque non eis „ tantùm, qui ætate nobis sunt maio„ res, vel etiam æquales, honorem ex„ hibeamus. Non est enim humilitas „ facere, quod necessitate debes, vel „ cogeris, hoc, inquam, non est mo„ destiæ, sed debiti. Vera autem mo„ destia est, quando cedimus ijs, qui „ nobis videntur esse minores, & eos „ veneramur, qui nobis videntur esse „ magis indigni, quàm nos. Quòd si „ rectè sapimus: nullos etiam nobis „ esse minores, arbitrabimur, sed nos „ superari ab omnibus hominibus di„ cemur; Hæc S. Ioannes Chrysostomus tom. 1. homil. 33. pag. mihi 187. quæ tu tacitus cogita, & certo certius inuenies ad veram humilitatem solùm peruenisse eum, qui omnibus hominibus talem se præbet, qualem nepoti suo Patriarcha se exhibuit. Nulli enim non inferiorem se debet ostendere quicumque gaudet vera cordis humilitate. Hinc Hugo Cardinales in vers. 10. cap. 15. Genesis dixit: *Humilis maiori, æquali, & minori se subijcit.*

Vera humilitas minoribus cedere.

Vers. 9. §. 26. Quare Abramus non sibi priùs elegit terram, & reliquam Lotho postea dimisit? Erat in Abramo diuinæ virtutis abundantia, de qua sola venit, quòd primus ipse minori cedat primas: opportunè S. Ioannes Chrysostomus in homil. 33. vbi suprà: *Magna est*, inquit, *iusti huius philosophia. Per omnia non vult esse onerosus fratrueli, quasi diceret; vt cessent contentiones, propterea te dominum electionis, & arbitrum constituo, omnem tibi potestatem do, vt terram, quam meliorem censes, tu eligas, & reliquam sinas esse meam. Nam hoc quis vnquam, vel æquali, vel fratri faciendum censuit, id quod fratrueli Abramus? At excellentis virtutis suæ exhibet exemplum.* Non equidem à communi hominum consuetudine, non à natura, sed ab excellentis virtutis gratia venit, quòd minori primas cedas. Sola Dei gratia est, quæ potest facere, vt qui primus in aliquo erat, se cohibeat, & primas alteri cedat. Quòd alter primas præripiat absquè eò, quòd tu cedas, id fortasse continget lege nascentium; at quòd te cohibeat, vt alter progrediatur, id à sola Dei gratia venit, sic affirmat Constantinopolitanus Antistes aureo calamo homil. 3. in Matth. tractans de partu Thamar, scribens: *Nec enim erat consequentiæ naturalis, vt is, qui emisisset manum, eandem postquam esset vincta reuocaret. Nam præmissa quidem huius manu, alterum egredi naturale fortasse sit, retrahi verò istam, & transitum alteri cedere, non iam fit lege nascentium, sed profectò ex Dei gratia, quæ tunc pueris aderat.*

Gratia Dei specialis, hominem minori cedere.

§. 27. Quare Abramus, vt pastores suos subditos iurgijs, & bellis liberaret libentissimè omnem terram cedit Lotho; & Achab Rex Israel non ferens tres annos pacis in regno suo, tollit Ramoth Galaad à Syro rege non dubitans suos subditos ad periculosissimum certamen educere, vt vel eorum sanguine sibi ciuitatem acquirat? Sic in lib. 3. Regum cap. 22. vers. 1. *Transierunt igitur tres anni absquè bello inter Syriam, & Israel* (vers. 3.) *Dixitque Rex Israel ad seruos suos: Ignoratis quòd nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ?* Quantum hoc? Abramus vt suos contentionibus liberet, vniuersam terram minori cedit. Achab, vt vel vnam ciuitatulam non cedat, sed sibi acquirat, non dubitat suos contentionum lethalium, præliorumque discrimini offerre. Sed erat in Abramo cælestis regni politia, cuius est se, suaque postponere paci, & incolumitati subditorum. Erat autem in Achabo politia Vers. 9.

Boni Principes sua non curant prò pace subditorum, mali aliena vsurpant, & subditos perdunt.

politia mundialis regni, quæ pro suis stabiliendis, subditos bellicis contentionibus tradere non dubitat. Ad hanc huiusmet dubij solutionem meam confirmandam, accedunt duo Auctores pro vtraque parte militantes. Primò Cassiodorum 2. variarum 29. audi, *Regnantis est gloria, subditorum otiosa tranquillitas.* Nunc verò auditum præsta D. Synesio in lib. de Regno dicenti: *Bellorum imperator artifex est, vti sutor calceamentorum*; Sed aduerte: Hic de mundiali regno, ille de cælesti loquebatur, quando mundiales principes bellicis pugnis intenti nihili æstimant, quòd sui in perpetua sint lucta, dum terras suas stabiliant; cælestis autem Princeps tunc se gloriosum reputat, quando vel sanguinis proprij dispendio, sui apparent incolumes, & tranquilli.

Vers. 10. §. 28. Quare, esto Pentapolitanus ager de delicijs cum *paradiso Domini* de amænitate certet, & quo pacto potest cum *Ægypto venientibus in Segor*: idoneè comparari? Sic conspicuæ humanis oculis apparent amæniores Ægypti deliciæ, non quando prospectibus coràm aduersantur, sed dum à tergo relinquuntur: sic mundialia bona oculis inspecta fastidium pariunt, & à tergo visa, vel potiùs inuisa, & derelicta perplacent? O' fuge ea bona, quæ dum auersa facie, & cæca voluptatis appetentia objiciuntur aspectui, gratiora sunt; quasi à derelictione, placendi gratiam desertionis lenocinio mutuentur. Mundiale bonum perspicaces non patitur oculos; cæcos, & auersos optat, vt placeat, quod à tergo gratius est. Caue tibi ab his voluptatis præstigijs, ne te incautum perstringant, & à Religionis fastigio præcipitent in mundi barathrum.

Mundi bona placent, quia malè inspecta.

Vers. 10. §. 29. Quare non potiùs similis esse dicitur eidem Ægypti pago, dum in illum è Segor venitur, & coram spectandus proponitur campus iste Sodomorum, sed similis paradiso domini, & sicut Ægyptus? Amænior est ager, cùm topiarias delicias tergo objicit, quàm dum easdem aspectibus proponit? O' moralissimum documentum! Nimirùm Ægypti campus herbaceo virore vernans, florum discolori varietate nitens, fructuum maturitate autumnans; non tàm dicitur amænus, & pulcher, cùm se spectatorum ingerit oculis, & spectandus objicitur; quàm dum oculos vitat spectatorum, & à tergo inuisus relinquitur. Tunc vel maximè, de amænitate, & præstantia cum paradiso certat, & is est, quem sodomitici campi fertilior venustas audeat æmulari. Non cùm amœnitatem aspectibus exhibet, grande hoc Elogium meretur, sed dum illam dissimulat, & post tergum inglorius dimittitur. Tergo prænitet, qui aspectibus posset nitere: vberioremque fæneratur gloriam, quando humanis oculis gratiam non ingerit suam, nec propriæ amænitatis ostentatione spectatoribus vltrò annuit. Dum parcit aliorum oculis, suæ laudi non parcit; sed amænioris gloriæ opulentiam dissimulatione mercatur.

§. 30. Quare amœnissima tota illa Iordanis regio à Lotho visa in florenti statu sua erat *sicut paradisus Domini*? Expende verbum *sicut*, & solutum dubium habebis; nempè, quia in mundialibus bonis nil aliud inuenitur, quàm similitudo, quàm figura, ideò erat, *sicut paradisus*, in solis diuinis veritas est, & soliditas. Hinc cecinit Sacer Vates Psal. 86. vers. 7. de terrena Ierusalem: *Sicut Latantium omnium, habitatio est in te.* Vbi præclarè Diuus Hieronymus ait: *Quare non dixit: Latantium omnium habitatio est in te, sed sicut latantium? quoniam in isto præsenti sæculo non est certa lætitia, sed quasi lætitia.* Ergo mihi crede, nullum bonum certum, nec solidum, nec verum inuenies in isto sæculo, quasi bona sunt terrena omnia; ac cælestia in veritate, & soliditate bona sunt. Dum se tibi objiciunt mundi bona, figuram quandam, & similitudinem objiciunt, vt quæ præter eas habeant nihil; at in Dei bonis nihil non verum, & solidum objicitur. Vers. 10.

Mundi bona sunt solùm similitudo, & figura.

§. 31. Quare exprimitur quòd Loth elegerat sibi regionem circa Iordanem? Quia iudicauit esse *sicut Paradisus Domini*: sed cogetur breui inops ab ea recedere, quia vbi existimauerat suas multiplicandas opes ob terræ fertilitatem, consumptæ iusto Dei iudicio sunt ob inhabitantium prauitatem. *Vides,* ait inibi S. Io: Chrysostomus, *Loth tantùm expectantem terræ naturam, & non aduertentem inhabitantium malitiam. Qua enim vtilitas dic, oro, si terra sit fructuosa, & ferax, homines adeo mali? Quid damni ex solitudine, & infrugifera terra, si homines sint humaniores? caput enim, & summa bonorum est habitantium gratitudo.* Ergo non Terra, sed habitatores terræ spectandi sunt. O' & tu hoc documentum cape! non terra, sed habitatores spectandi. Vers. 10. & 11.

In diuitijs comparandis spes hominum fallax.

Ciuitatum diuitiæ ciuium prauitate destruũtur.

In domicilijs non commodum, sed habitantium probitas spectanda.

Digitized by Google

Vers. 11. §. 32 Quare refert Moyses, Lot recessisse ab oriente? Vt mundialium hominum præcipites electiones in hac Lothi electione taxarentur. De quo dictum est; *Elegitque sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente*. Dixerat immediatè ante, quòd hæc regio rigabatur, *Sicut paradisus Domini*, Quam videns Lot, & eligens, meritò dicitur recessisse ab oriente. Metuendum enim semper est, quòd recedat à luce, & eat in tenebras, qui sibi in hac vita paradisum nitatur afferere. Hinc habes, quàm sit pessima hominum mundialium electio, quia in hac vita beari amant.

Spes hominum in delicijs fallax.

Praua electio velle in hac vita beari.

Vers. 11. §. 33 Quare Lot sibi elegit plana Abram verò ardua, & difficilia relinquens? Quia infirmi animi est facile, & planum sibi velle; Nec immeritò præstanti viro Abramo ardua quæuis reseruantur per Deum: ex quo D. Hieronymus epist. ad Pammachium sic præstantem virum monebat: *Euge noster, initia transgrediens, statum summum tenes, de radice perueniis ad cacumen, primus inter monachos, in prima vrbe, primum sequeris Patriarcham. Loth quod interpretatur declinans, campestria eligat, facilia magis sectetur. Tu in arduis, & saxosis cum Sara tibi monumentum para*. Non equidem deceret strenuum virum cum Lotho in planis manere; nisi cum Patriarchis ad ardua, & summa capessenda auderet. Ait enim Cassiodorus 2. Variarum. a. *Generosi est animi optare, quod summum est*.

Iustus ardua eligit propter Deũ.

Vers. 11. §. 34 Quare Abramo non displicuit habitare in terra ieiuna aquis, quæ nisi multo labore fossis puteis vix inueniebantur? Quia sciebat gratum se Numini reddere de omne quod sua liberalitate accipiebat; & quamuis in arenti solo se videbat, fluenta tamen gratiarum sperabat: ex quo eleganter D. Chrysostomus suprà eit. fatur. *Quæ vtilitas, dic oro, si terra sit fructuosa, & ferax, homines autem adeò mali? quid damni è solitudine, & infrugifera terra, si homines sint humaniores? Caput enim, & summa bonorum est habitantium gratitudo*. Sit hominibus gratitudo erga Deum, & licèt ponantur in terra inuia, & inaquosa, & prorsùs sterili, nullam ibi sentient penuriam, sed omnibus abundabunt. Vna hæc gratitudinis virtus sufficiens est, vt nullæ penuriæ sentiantur, vt in summa bonorum spoliatione homo diues appareat.

Iustus diues fieri curat proprijs laboribus.

Deo gratis nihil asperum.

Vers. 12. §. 35. Quare Abramus moratur in terra Chanaam, quæ erat montosa, Lot verò campestria, ac plana eligit? Non omnia possumus omnes, Lot tenet loca plana, vt facilia; Abramus verò vt præstantiori, ac excellentiori animo præditus, loca ardua, & difficilia occupat, ad quæ infirmiores non valent se extendere. Sic Petrus quia animo præstantissimus erat reliquit omnia, idest omnia quæ habebat, quod poterat habere; immò & ipsum mundum, nam ipso relicto sordescente, cælum aspiciebat inuitans, sed perfectior sequens: ideò benè dixit *reliquimus omnia.*, quod multorum dixisse, paucorum fecisse est.

Infirmus in virtute facilia solum eligis, secus animo fortis.

§. 36. Quare si Loth sufficiebat vnum oppidum, vna Ciuitas ad habitandum, dicitur in plurali, quòd morabatur in oppidis? Difficultas soluitur ex subiunctis verbis: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino*: Ex quo docet Carthusianus, *Et probabile, quòd Loth paulatim experiens impietatem oppidanorum illorum, recessit ab vna vrbe mala in aliam, æstimans habitatores vnius meliores habitatoribus alterius vrbis*. Cum Lot in vno oppido videret malitiam, ac nequitiam inhabitantium, illud relinquebat, & ad aliud transibat, an meliores inueniret. Qui puritatem, ac synceritatem animi desiderat retinere, & conseruare; ne commoretur, neque figat sedem inter iniquos, sed illos relinquens ad alios se transferat. Vers. 12.

Ab iniquis recedendum, vt virtus seruetur.

§. 37. Quare exprimitur quòd Sodomitæ pessimi erant? Vt demonstraretur quales essent ærumnæ iusti Lothi; nam illi erat dolor eximius inter tam pessimos viuere viros; & benè poterat dicere, quod aiebat Dominus ad synagogæ Principes, Luc. cap. 9. vers. 41. *O generatio infidelis, & peruersa! vsquequò ero apud vos, & patiar vos?* Hinc intellige quàm sit dolori iusto viro impiorum conuersatio. Vers. 13.

Dolor viro iusto cum impijs cohabitatio.

§. 38. Quare vir probus inter nefandos homines dicitur habitasse? *dici potest*, inquit Lyppomanus, *dispensatione diuina id factum, quò iusti virtus magis exerceretur, & per illorum prauitatem nequissimam ostenderetur*. Quid enim laudabilius, quàm vbi multi gratiam perdiderant, ibi vnum hominem iustum inuenisse? Vers. 12.

Iusti virtus ostenditur inter iniquos.

§. 39. Quare antequam Sodomorum hominum iniquitas, ac turpitudo in corporibus suis denotetur, priùs tamen Paraphrastes scribit, quòd erant iniqui cum suis diuitijs? Legit enim ipse, seù vertit: *Viri Sodomitæ erant iniqui* Vers. 13.

qui

Digitized by Google

qui cum suo mammona, & pessimi in corporibus suis. Ad quid id potiùs nobis exponitur? Vt significetur, quòd ex tanta rerum copia pessimus abusus in corporibus pullulauerit. Commemorans Dominus ignis pluuiam, in Sodomam effusam ait Lucæ cap. 17. vers. 28. *Edebant, & bibebant; emebant, & vendebant; plantabant, & ædificabant: pluit ignis, & sulphur de cœlo*. Cùm referuntur peccata, ob quæ in tantam pænam venit Sodoma, dicitur: *Edebant, emebant, vendebant, plantabant*. Cur non in medium adducitur eorum lasciuia, ac nefandus vsus contrà naturam; sed tantùm illæ tales actiones edendi, emēdi, vendendi quæ ad diuitiarum copiam, ac ad appetitum possessionis spectabant; hæ solùm assignantur, vtpotè causa, ac radix omnium vitiorum, ac malorum. Sic Ter Aphricæ Tullius affirmat in lib. 1. ad vxorem cap. 5. *Emebant*, ait, *insignia carnis, & sæculi vitia* definit, *quæ à diuinis disciplinis plurimùm auocent: alterum per lasciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluptatem*. Vide ipsum in impress. Paris. lit. B. pag. mihi 424.

Diuitiarum copia vitiorum origo.

Vers. 14. §. 40. Quare promittitur hìc Abramo omnis terra; & obseruatur, quod promittitur, postquam diuisus est ab eo Lot? Quia homo adeò mitis, vt ob suam mansuetudinem seruandam, ac altercationes deuitandas non renuerit cedere vni parti terræ, quæ erat ante oculos posita, ab hac parte in sua hæreditate non defraudatur, sed potiùs omnis terra, quam eleuatis oculis percipit, ei conceditur, & largitur: Ad rem opportunus est S. Ioannes Chrysostomus, inibi dicit ore diuino ad Abrā: *Partem terræ cessisti: Ecce ego totam tibi terram polliceor, neque hoc solùm, sed semini tuo polliceor eam vsquè in sæculum*, hinc vides, quòd si pro Deo terrenas dimittas opes, fænore duplicato recipies.

Mansueto viro donantur à Deo quæ sponte cedit hominibus.

Vers. 14. §. 41. Quare non apparet Deus Abramo, quamdiù cum Loth consobrino suo moratur, sed postquam diuisus est ab eo? Vt hoc fiat manifestum, quòd Deus tunc in oratione loquitur nobiscum, quando nos sic loquimur cum eo, vt simus diuisi, & separati ab omnibus rebus temporalibus, quæ mentem nostram distrahere, ac diuertere valent. Audi aureum Doctorem ibidem: *Notanter dicit*, ait, *postquam diuisus est ab eo Lot: cùm enim morarentur simul, non apparebat Deus Abraæ. Cum autem recessit Lot, immediatè ei apparuit Deus. Signum est pro contemplatiuis viris: non enim spiritualibus circa huius mundi varias solitudines occupatis apparet Deus: sed mentibus ab omni mundanorum strepitu vacantibus*.

Deus ad suos loquitur, cum ab hominibus separantur.

Vers. 14. §. 42. Quare nedum relicto, à quo discesserat Abramus, & diuisus fuerat, nepote Loth, diuini colloquio Numinis est potitus? Num quia mærentem illum vidit, quòd a Nepote, cum quo diù fuerat commoratus, abstractum se videret, ac segregatum? Ne recrudesceret dolor, sed remedio mitesceret opportuno, diuino illum Deus colloquio est dignatus. *Abram* (acumen est Carthusiani ibidem) *in aliena terra habitans, antiquam habuit consolationem ex cohabitatione Loth nepotis sui; idcircò, dum amore virtutum separasset eum à se, meruit consolationem diuinam accipere*. Sic quemquam non patitur Deus solatio destitutum.

Mærorem ex parentibus prò se derelictis consolatur Deus.

Vers. 14. §. 43 Quare antequam largis adeò pollicitationibus Abramum prosequeretur, leuare oculos illum iussit, & totam priùs lustrare terram, Leua oculos tuos, & vide, &c.? Hìc *pulchrè nos admonet locus iste*, inquit ibidem Oleaster, *quàm velit Deus nos dona eius speculari*; vt in eius amorem (adderem) nos excitet; nam benè, quem colis Deum, semper recolere debes factorem.

Ad amorem Dei nos excitat donorum eius contemplatio.

Vers. 14. & 15. §. 44 Quare diuisas regiones primas cum dedisset Abramus Lotho, statim à Deo accipit ille integras totius regionis partes? Quid plenius lucro? Ipse partem dederat vnam, siuè dexteram siuè sinistram, & omnes integrè à Deo accipit partes. Et cur sic numeratis omnibus partibus terræ eius integram possessionem Deus mandat Abramo? Ex eo quòd diuisæ terræ partem obtulit totam accepit; Ait D. Chrysostomus in præsenti iam suprà citatus. *Vt discamus, quòd Deus remunerauerit eum pro ijs; qua in Loth collocauerat, hæc addidit, dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est Loth, quasi manifestè dicens: partem terræ cessisti: ecce ego totam tibi terram polliceor. Vidisti quantis cessit, & quanta est assecutus? Hic erudiamur, vt magna in dandis eleemosynis largitate vtamur, quò datis paruis adipiscamur magna*. Abramus totam terram ob oculos Loth posuit, vt quam vellet partem acciperet: Deus statim totam terram ob oculos posuit Abrami, vt totam, & integram perciperet. Sic augeri solent parua, quæ à nobis in egenos proficiscuntur. Sic Eleemosyna quamuis modica, ma-

Plura recipimus, quam quæ damus propter Deū.

maxima auget bona; Ergo fac pauperi Eleemosynam, & bona maiora habebis; nam, *Quemadmodum*, inquit S.Clemens Alexandrinus lib. 3. Pœdagogiæ cap. 7. *Quicumque putei scaturiunt, exhausti in pristinam mensuram reuertuntur; ità etiam largitio, quæ est bonus fons benignitatis, potum sitentibus communicans, rursus augetur, & repletur, quemadmodum ad vbera, quæ suguntur, vel mulgentur, solet lac accedere.*

Vers. 15. §. 45 Quare Deus dixit Abramo vide à loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem. Omnem terram quam conspicis tibi dabo? quia Deus quasi nesciat parua donare simul omnes terræ partes proponit, & omnes simul largitur; nam omnibus suis dilectis magna nonnisi, & integra præstat. Vnde vidisti quomodò in principio huius nostri Geneseon dicitur cap. 1. vers. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*. Et vt homo existeret, nonnè sufficeret, quòd illi terram crearet; quare statim maluit, & terram, & Cœlum illi creare? Audi. Parna res erat terra, vt sola à Dei beneficentissima manu daretur; additum fuit Cœlum, vt diuina largitas inciperet à magnis; Solet enim Deus non tàm à paruis ire ad magna, quàm à magnis ad maiora extendere suam largitatem. Huius reflexionis sigillum ponit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, dicens: *Hoc præconio suo addidit bonitas Dei quòd priùs domicilium Domini commenta est, aliquam postmodum molem maximam, postmodum & maiorem, vt in magna tanquam in minore proluderet, atque proficeret, & ita de bono Dei, idest, de magno ad optimum quoque eius, idest maximum habitaculum promoueretur.*

Deus nonnisi magna dat seruis suis.

Vers. 15. §. 46 Quare, & quomodo fuit vera promissio de æternanda terra in Semine Abraæ, si nullum est Abraæ semen quod regnet in terra? Respiciebat promissio non semen Abrahæ naturale, sed morale; quod apparet in doctrina fidei, in exemplis virtutum: quod, & in Abramo, & in omnibus fæcundius est ad æternandam sortem promissionis diuinæ. Vnde ad confirmandum quod suprà diximus non impropriè admittimus D. Petri Cellensis lib. de panibus cap. 9. acumen super illud Apocalypsis cap. 7. vers. 4. *Et Audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati*, &c. *Vndè enim* (inquit supradictus Doctor) *cuiusque Tribus Patriarcharum tanta filiorum numerositas, vt duodecim habeat millia signata, nisi quia vera virtus sterilitate remota propagatur etiam in mille generationes? Tanta namque Iuda succrescit proles virtutis, quanti fuerint æmulatores confessionum*, &c. Sic semper virtutum satores numerosioribus gaudent imitatorum prolibus.

Tot sunt iustorũ filij, quot vitæ imitatores.

§. 47. Quare recedente priùs Loth hæc fit donatio Abramo? Benè, nec non elegantissimè respondet Oleaster: *Quia pius Dominus inuidiam, aut odium nepotis timuit ipsi Abraæ*. Quasi, & ipse Lot probus alioqui vir, patrui sui felicitatem videre non posset, quin inuideret. O vide quantum valet Inuidia! Hanc descripsit, seù effectus ipsius expressit proprijssimè Virgilius de Liuore, dicens: Vers. 15.

Inuidia etiam facilè accenditur in iustis.

Liuor tabificum malis venenum
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibis artubus cruorem,
Quid quisque furit inuidetque sorti
Vt debet sibi pæna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores,
Suspirat, gemit, incutitque dentes,
Sudat frigidus, intuens quod odit.
Effundis mala lingua virus atrum.
Pallor terribilis genas colorat.
Infelix macies renudat ossa.
Non lux, non cibus est suauis illi,
Nec potus iuuat, aut sapor Lyai:
Nec si pocula Iupiter propines,
Atque hac porrigat, & ministret Hebe,
Aut tradat Ganymedes ipse nectar.
Non somnum capit, aut quiescit vnquam,
Torquet viscera carnifex cruentus.
Vesanos tacitè mouet furores
Intentans animo faces Erinnys.
Lethalis Titijque vultur intus
Qui semper lacerat comestque mentem,
Viuit pectore sub dolente vulnus,
Quod Chironia nec manus leuaret,
Nec Phœbus, sobolesue chara Phœbi.

Inuidorum verò vehementem castigationem descripsit vno in Distichon Martialis lib. 1. Epigram. Sic

Qui dulcis vultus, & non legis ista libenter
Omnibus inuideas liuide, nemo tibi.

§. 48 Quare tàm grandis, tàmque prodiga in Abramum liberalitas, vt *Omnem* illi *Terram*, quam oculis lustrare poterat, daturum se illi Deus polliceretur; omnem terram, quam conspicis tibi dabo? Nonnè, vt exiguam illius Eleemosynam repensaret, quam Loto nepoti fecit, de Iordanis regione deligenda, quam exhibere non tenebatur? Fauet Aureus Doctor ibidem. *Hic erudimur*, inquiens, *Vt magna, in dandis Eleemosynis, vtamur liberalitate*, Vers. 15.

Eleemosinæ plus retribuitur, quàm ipsa det.

quò,

Digitized by Google

quò, datis paruis, adipiscamur magna. Quomodò enim paria sunt dare parum argenti, & obtinere remissionem peccatorum? Pascere esurientem, & in die illa horribili, fiduciam assequi? Dare paruam regionem, addiderim, & potiri dominatu amplissimæ terræ, quæ oculis conspici posset? An non cum fœnore disperdis quidquid fueris in pauperes elargitus? Eleemosinæ enim opus, lucrosa negotiatio est, quæ hominem facit de prodiga liberalitate locupletem.

Verſ. 16. §. 49 Quare hæc gens ex ſemine Abrahæ deſcenſura, quia multitudine innumerabilis comparatur pulueri, cùm, Teste Moyse Deuter. cap. 7. verſ. 7. futuri eſſent cunctis *Populis pauciores*? Reſpondet Abbas Tuitienſis lib. 5. ſuper Geneſim cap. 10. *Non ergo ad comparationem cæterarum gentium, ſed ad quantitatem electorum, qui ex illa gente futuri erant, hoc eſt referendum: quia videlicet cùm ſoli electi pertineant ad numerum; gens autem illa maxima ex parte reprobata vacuum nobis feceris locum, benè pulueri terræ comparati ſunt, quem dinumerare nobis quidem impoſſibile: Deo autem iudicetur ſuperfluum, apud quem ſoli electi noti ſunt.* Itaque veriſſimè pariter, ac moraliſſimè electus Dei populus, & exiguus præ reliquis, & præ omnibus innumerabilis perhibetur. Exiguus, quia facilè cæteris numero cedit: innumerabilis præ reliquis, quia ſingulis prolixè ætatibus ampliorem electorum numerum fæcundè propagat. Imò indè forſan de immetato electorum numero copioſè innumerabilis, quia præ reliquis numero exiguus eſt. Ergo ad quantitatem electorum, qui ex illa gente futuri erant, hoc eſt referendum.

Numerus electorum paruus.

Verſ. 16. §. 50 Quare, ſi filij Abram dilatandi erant, & multiplicandi, ſicut ſtellæ cœli (vt infra videbimus) additur hic & exprimitur, quòd erunt ſicut pulůis, vel vt legunt Septuaginta *Sicut arena terræ*? Quia præclara excellentia filiorum Abrahæ, non ſolùm componenda erat ex magnis, & amplis, verùm etiam ex paruis ac minutiſſimis granis arenæ, & pulueris. Caietanus ibidem impreſs. Pariſ. pag. mihi 71. ait: *Vide, & hic progreſſum. Prius promiſerat: Faciam te in gentem magnam; modò augendo dicis, ſicut puluerem terræ innumerabilem.* Expende Verba. Poſtquam Abramo promittitur: Faciam te in gentem magnam, augendo ei dicitur, ſicut puluerem terræ; quia etiam ipſa magnitudo augetur ex minima, leuiſſima pulueris feſtuca.

Populus à Deo electus ex omni genere generum componitur.

§. 51. Quare prima comparatio de multiplicando Abrahæ ſemine, abiecto ſit pulueri; ſecunda micantibus ſtellis? Eleganter Hugo ibidem. *Ad ſtellas*, ait, *vſquè extolluntur, qui ita ſe abijciunt, ſicut pulvis.* Ac ſi dicat, quòd illi ſolùm micandi dignitatem in firmamento obtinent, qui merentur labores, & humilitates ſuſtinendo. Verſ. 16.

Dignior in Cælo micans, qui humillos in terra.

§. 52. Vel dic cum Ruperto Abbate lib. 5. in Geneſ. cap. 18. col. 2. pag. mihi 99. Impreſs. Colon. Agrip. *Quia videlicet non omnes, qui terram illam poſſeſſuri erant propter Abram, ſtellis comparandi erant; neque numerandi ſicut ſtellæ cæli apud illum, de quo veraciter dicitur: Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat! ſed multiplicandi erant ſuper numerum pulueris, terramque amaturi potiùs, quàm cœlum.* Pro Abrami meritis decernebantur & beneficia: vtque ſciremus parum eſſe filiorum multitudine exundare, ſi non cælo ſtellarum ad inſtar inferendi; ſed inter terræ puluerem computandi; priùs promiſit multitudinis numerum, poſtea claritatem morum. Verſ. 16.

Parum eſt ex illuſtribus naſci, niſi moribus reſplendeant homines.

§. 53. Quare ſi numeroſam fæcunditatem, & examina ingentia ſequuturæ ſtirpis denotare volebat Deus, non ſatis erat, vel à ſola ſtellarum multitudine, vel à pulueribus duxiſſe exemplum? Auguror præter numerum voluiſſe inſuper differentiam nepotum demonſtrare, ſed non carnalis populi, verùm ſpiritalis prolis: quippè Abram Pater credentium: Fideli autem in plebe duo genera: Alterum, eorum, qui diuinis incumbunt officijs, quales Clerici, quales Monachorum greges, & hi ſtellæ cæli, quoniam Conuerſatio eorum in cœlis eſt: alterum, qui matrimonia colunt, liberos procreant, ſæculo implicantur; puluerem terræ hos dicas, & ob terrenas ſollicitudines, & quoniam procellis curarum iactantur, vt puluis à vento quaſſatur; ſed quia inter mundi ſtrepitum præcepta obſeruant diuinæ legis, & ſtatuta tempora deuotis aſſignant exercitationibus, pietatem intermiſcentes negotijs prophanis, quæ excuſare impoſſibile eſt, à mundo enim vt non occupentur fieri nequit; idcircò & ipſi ſimul promerentur vt ad Abrahæ benedictionem ſpectent inferiori quidem gradu, licèt, quàm alteri illi, celſioris profeſſionis. Rupertus ſic interpretatus, vbi ſupra: *Nec verò pro ſola multitudine, vel numeroſitate, ſed &* Verſ. 16.

In Cœlo regnare poſſunt omnia genera perſonarum.

& pro differenti claritate dixit, sic erit semen tuum : Nam sicut non solùm alia claritas Solis , alia Luna , & alia claritas stellarum , sed etiam stella à stella differt in claritate ; sic non solùm alia gloria Dei , & alia gloria sanctorum Abrahæ filiorum; sed etiam ipsi differentem ab inuicem diuersis pro meritis suis gloriam habebunt .

Vers. 16. §. 54. Quare filij Abraæ comparantur terræ pulueri, & cæli astris? Vt credamus duo ex Abramo proditura filiorum examina; aliud non solùm numero , sed splendore , & gloria simile cælestibus astris; alterum , & numero, & vtilitate pulueri terræ comparatum . Sed quare deiectos , & reiectos Abraæ filios pulueri , splendidos autem, & electos astris comparare maluit ? Quid habet puluis terræ , quod sordeat in filijs Abraæ ; & quid habent astra , quod in illis splendeat magis ? Terrenus puluis nescit in suo quiescere statu , sed per varias generationes , in perfectiores formas amat transmutari; vt qui in se turpis est, in olus, siue in florem transmutatus, de pulchritudine contendat cum quolibet pretioso lapide . At astra cæli hoc singularissimum habent, quòd in eo ordine , & statu, in quo condita sunt, in eodem perseuerant, quin nec præstantiorem alium desiderarint: Quò spectans D. Valerianus hom. 1. fatur. *Tanta est disciplina ratio , vt intra temporum metas lege conscriptas , ità indefessi itineris alternis vicibus syderum cursus agitetur , vt nec Luna defectionis sua damna effugiat, nec Solem diurni luminis flamma destituat* . Quid pulchrius? Per tot annos in nullo ab ordine suo exorbitarunt astra . Nec miror , quòd Sol in tot susceptis vijs , vel minimum radium luminis non amiserit; non, inquam, hoc miror , cum naturale sit creaturis integram suam gloriam niti conseruare . Illud mirandum est in stellis, & luna, quòd cum defectionis patiantur damna, & obscuritates, per tot sæcula non effugerint hæc damna , nec vel in minimo sortem suam meliorare fuerint conata. Tanta equidem est in cælestibus disciplinæ ratio , tanta virtus, vt quæ defectionibus turpantur, in ijs defectionibus maluerint durare , quia id mundi lex præscribit, quàm ad perfectiorem sortem exorbitare. Ex quo non immeritò splendent Lectissimi filij Abraæ. Crede enim mihi , quòd homo, qui in gloriæ statu constitutus , non ambit perfectiorem alium , is ad splendidissima cæli lumina pertinere

Instar stellis comparatur, & quare? alij verò pulueri, & quare?

notatur . Qui autem ab vno ad perfectiorem contendit semper transmutari , is terrenæ pulueri exæquatur, nunquam non potentiorum pedes allambens , nunquam non in reiectorum numerum deputandus .

§. 55. Quare Deus seriò imperat , vt Palæstinam Abramus pedibus lustret , & cominùs perspiciat ? Sat erat terram promissam eminùs prospexisse. Scilicet , quia tibi daturus sum Palæstinam (quam nunc tu non possides , sed Chananæus , & Phærezæus) vt donum magnificè æstimes ; *Leua oculos tuos , & vide : Surge , & perambula terram* . Idest , lustra pedibus , & vide oculis terram , quam tibi promitto , dum ab alijs possidetur . Profectò, vt ea , quæ nos habemus, apparent nobis viliora ; sic quæ alij possident , luculentiora videntur . Nostra contemnimus , aliena maximi æstimamus : quasi nostra possessio detrahat æstimationi rerum, & earum pretium ab aliena possessione censeatur . Ergo Abramus perambulet pedibus , & anteuideat oculis promissionis terram , sibi magnificè promissam, quando sub alieno iacet possessore ; vt indè eius augeatur æstimatio : quandoquidem non tàm a rei bonitate , quàm ab alieno possessore , census rei est . O quantula sunt mundialia bona , quorum eò est æstimatio opulentior, quò a nobis magis sunt aliena ! O quoties , quæ procul spectata percupimus, possessa fastidimus ! Nauseamus ad nostra, hiamus ad aliena. Inde sæpè magis est arduū , vel incertas , & friuolas spes mactare Deo, quàm auitas possessiones abijcere. Vers. 17.

Cupiditas, aliena pretiosa, sua vilia credit.

§. 56 Quare Dominus Abramo dixit : Surge ergo , & perambula terram in latitudine , & longitudine sua , quia tibi daturus sum eam ? Meritò antè ipsam receptionem iubetur Abramus promissam terram percurrere , non enim sola adepta iuuant, sed & adipiscenda non paruam delectationem inferunt . Quod noscens S. Ioannes Chrysostomus supra citatus sic in præienti diserit : Surge, & perambula terram , & cætera , *Vt scire possis , & magnitudinem terra , quam possessurus es , & antequam fruaris , spe positus , magnam indè animi voluptatem captas* . Sic Deus producit iucunditatem beneficij sui , illud ante promittens, & recolendum, proponens ne solùm cùm in re est , sed cùm adhuc est futurum, recipientem beare festinet. Nouit beneficentia diuina, vel ante donum , dono munerare suos , dum quod præ- Vers. 17.

Cælum non solum possessione, sed etiã promissione sui beat.

Digitized by Google

præstiturá est, multo antè promittit.

Verſ. 17. §. 57 Quare Deus terram, quam Abramo promiſerat non dedit? Quia terrena quies popularibus à Deo conceditur, non ſingularibus, & ſtrenuis viris. Hoc ſolùm nouit Dominus porrigere ſuis præſtantiſſimis fidelibus, & ſingularibus amicis, quod tantùm neceſſarium victui habeant. Sic enim Abram in caſulis habitando vt magnus, & ſingularis vir, non terrena ſed ſpiritualia ſpectabat, & diuina. Solis autem ſeruis ſuis permittit Dominus petere *Panem quotidianum* Matth. cap. 6. verſ. 11. vel vt ſignificantiùs Græcè, *ſuperſubſtantialem da nobis hodiè*. Non humanarum deliciarum fœnum, non terrena, & fluxa gaudia petat fidelis, ſed ſuperſubſtantialem panem nempe Chriſtum, hunc petat, hunc ſpectet; cætera gaudia popularibus à Deo conceduntur.

Terrena terrenis dat Deus, neceſſaria ſolùm aliquando ſeruis ſuis.

Iuſtus cæleſtia non terrena quærat a Deo.

Verſ. 11. §. 58 Quare Lot elegit ſibi regionem circà Iordanem? Quia (paucis in verbis ſe expedit S. Io: Chryſoſtomus in Cat. Lippomani) *Loth ad vnum tantum reſpexit, nempè fertilitatem terræ*. Et peccata impiorum hominum, ſocietatem tàm periculoſam? pro nihilo habuit. O ſic labitur mundus! Nil aliud curant terreni homines, nil aliud reſpiciunt, quàm amœna, quàm delitioſa, quàm lætiſſima; nihili æſtimantes peccata, à quibus tandem ruina, & perditio naſcitur. Debuiſſet equidem bonus vir priùs peccata inhabitantium æſtimare, & ex illis conſilium ſuæ electionis trutinare, quando ſola peccata, & faciunt ruinas, & ſuſpectas reddunt felicitates.

Homo delicias magis quærit, quam vitare peccata.

Verſ. 18. §. 59. Quare Abram hic tabernaculum mouet vt pergat in Hebron, ſi in hoc loco Deum videt, cum Deo loquitur, Deus multa ipſi pollicetur? Cur hunc dimittens locum iubetur mouere tabernaculum, & in Hebron ire? Etiam in Hebron Deum ſpectat, cui aram erigit. Et dum non diſcedit à Deo, cui etiam in Hebron litat, aramque illi ſtruit, non æſtimat alia relinquere. Nulli alligatur iuſtus niſi Deo, quæuis alia facile dimittit, dum ob oculos habet Deum, cui exlubeat cultum. Hinc applicabile iudicauerim ad rem noſtrã, quod ſapientiſſimè Mediolanenſiũ Paſtor in c. 3. lib. de Iſaac ſcripſit tali calamo. *Anima ergo bona contemnit viſibilia, & ſenſibilia, nec conſiſtit in eis nec in ſuſcipiẽdis his immoratur, & reſidet, ſed aſcendit ad illa æterna, & inuiſibilia, & plena miraculis. Etenim perfectioni ſtudens, ſolùm illud bonum diuinitatis intendit, nec aliud quidquam requirendum putat, quia tenet quod ſummum eſt*. Sic faciat, qui ſapit, vnum Deum attendat, quem dum præ manibus habet, nihili æſtimet alia, ſiue amittenda ſint omnia, ſiue perdenda ſint vniuerſa; hoc ſolùm ſpectet, quòd Deum habeat.

Iuſtus omnia facilè dimittit contemplans Deum.

§. 60. Quare nominantur hic exleges Sodomitæ, & additur quòd fuiſſent peſſimi, & peccatores coram Domino? Vt ex comparatione, & vnione ſimul cohabitantis Loth, magis & eius iuſtitia, & bonitas reſplenderet, & eorum ænormis improbitas cognoſceretur; nam oppoſita (Prouerbium Philoſophicum eſt) juxtà ſe poſita magis eluceſcunt. Hinc benè dicitur quòd fuiſſent peſſimi; & peccatores coram Domino; ſed quaſi nihil dicitur: nam hoc vitium horrendum, quod naturam, quæ imaginem Dei gerit, in vſus proſtituit pecudis peiores, benè nefandum, hoc fœdiſſimum flagitium appellatur. Et Diuus Ioannes Chryſoſtomus ſuper hunc textum, horrens vltrà quàm dici poteſt, exclamat: *O'inſaniam! ò ſtupiditatem! ò vos, & brutis inſipientiores, & canibus impudentiores! Nuſquam enim huiuſmodi congreſſus apud illos, ſed agnoſcit proprios terminos natura. Vos autem genus veſtrum infamius brutorum genere effeciſtis*. Et quidem Tertullianus lib. de pudic. cap. 4. homines tàm ſceleſtos non modò bruta appellat, ſed monſtra: *Reliquas*, inquit, *libidinum furias, impias, & in corpora, & in ſexus vltrà iura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus: quia non ſunt delicta, ſed monſtra*. Et quod de vitijs loquitur, pari pacto de vitioſis aſſeri poteſt. Verſ. 13.

Sanctitas viri iuſti agnoſcitur ex cohabitatione impiorum.

Idem D. Chryſoſtomus homil. 4. in Matth. in præſenti, horum hominum *Dogma ſatanicum, horum vitam diabolicam* appellat. Parum dixiſti, ò Chryſoſtome. Imò dogma pluſquàm ſatanicum, vita deterior, ac diabolica eſt, vt tu ipſe ſapientiſſimè iam olim enunciaſti, ſic inquiens: *Quid te appellare debeo? feram? ſed illa vno fortè aliquo vitio tenentur, tu verò in te omnia colligendo, longè ferarum irrationale, ſtultumque tranſgrederis. An diabolum te potiùs appellem? ſed ille nec pecunias concupiſcit, nec tyrannidi ventris obſequitur. Cum igitur in te plura vitia ſint, quàm in beſtijs, atque dæmonibus; reſponde obſecro, vndè te poſſum iure hominem nuncupare, nulla in te cernens humanæ ſigna naturæ?* Viderunt etiam Ethnici, è quibus Tybullus.

O' fuge te teneræ puerorum credere turbæ.
Nam cauſam iniuſti ſemper amoris habent.

CAPVT XIV.

GENESIS.

Vers. 1. *FActum est autem in illo tempore, ut Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium.*

2. *Inirent bellum contrà Bara regem Sodomorum, & contrà Bersa regem Gomorrhæ, & contrà Sennab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contràque regem Bala, ipsa est Segor.*

3. *Omnes hi conuenerunt in vallem Siluestrem, quæ nunc est mare salis.*

4. *Duodecim enim annis seruierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserant ab eo.*

5. *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astaroth & Carnaim & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim.*

6. *Et Chorræos in montibus Seir, vsquè ad Campestria Pharam, quæ est in solitudine.*

7. *Reuersique sunt, & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades, & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæorum, qui habitabant in Asasonthamar.*

8. *Et egressi sunt, rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Bala, quæ est Segor: & direxerunt, aciem contrà eos in valle Siluestri.*

9. *Scilicet aduersùs Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quatuor reges aduersùs quinque.*

10. *Vallis autem Siluestris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, terga verterunt, cecideruntque ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem.*

11. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæorum, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt:*

12. *Necnon & Lot & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.*

13. *Et eccè vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi, fratris Escol, & fratris Abner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.*

14. *Quod cùm audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo: & persecutus est vsquè Dan.*

15. *Et diuisis socijs, irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos vsquè Hoba, & Phænicem, quæ est ad læuam Damasci.*

16. *Reduxitque omnium substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque & populum.*

17. *Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis regis.*

18. *At verò Melchisedech rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi.*

19. Be-

Digitized by Google

19. *Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum, & terram.*

20. *Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.*

21. *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.*

22. *Qui respondit ei; Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ.*

23. *Quòd à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abram.*

24. *Exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre, isti accipient partes suas.*

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1. Num. 1. Factum est autem in illo tempore vt Amraphel Rex Sennaar. Idest dicit Caietanus ibid. pag. mihi 72. *Iuxtà Hebræum habetur* pro ly factum est, *& fuit*. Ergo hic faciendus est punctus: & subiungendum. In diebus Amraphel Regis Sennaar, Arioch Regis Ponti (Septuaginta habent. *Rex Elasar*) Chodorlahomor Regis Elamitarum, & Thadal Regis Gentium fecerunt Bellum. Amraphel interpretatur, *dixit vt caderet*.

2. Notandum est, quòd cum constet Abram vigintiquinque annis ante natiuitatem Isaac peregrinatum fuisse in terris Chanaam, si supputes cum Beroso tempora Regum Sennaar, videbis quòd iste Amraphel Ninus filius Semiramidis extiterit, quintus rex post Nemrod. Nec Hebræis credendum est hunc Amraphel Nemrod esse asserentibus, cùm multò ante hæc tempora mortuus esset. *Amraphel quis.*

3. Notandum secundò cum Cornelio à Lapide, quòd Bellum hoc contigit sub annum Abraæ 80. qui fuit Nini iunioris trigesimus; Nam Abram natus est anno 43. incipiente Nini senioris, qui vniuersim regnauit annos 52. Nouennis ergo erat Abram, cùm mortuus est Ninus senior. Nino huic successit vxor Semiramis, quæ regnauit 42. annis. Huic deindè successit filius Ninus iunior, qui regnauit annis 38. ergo annus 80. Abraæ incidit in 29. vel 30. Nini Iunioris.

4. *Et Arioch Rex Ponti*, Hebræa veritas, Chaldæus, & Septuaginta legunt *Rex Ellasar*, sed pro ly *Ponti* S. Hieronymus, Eugubinus, Abulensis, Pererius & alij, Hellespontum intelligunt, qui, fretum angustum inter Propontidem, & mare Ægæum, Asiam ab Europa septem non amplius stadiorum interuallo disterminans: ita dictum ab Helle Athamantis filia in eo submersa: hic Hellespontus hodiè dicitur Brachium Sancti Georgij, & Gallico idiomate *le destroit de Gallipoli*.

5. Arioch autem interpretatur, *Ebrius*, seù *Procerus*, vel *Ebrietas tua*, aut *Leo tuus*. *Arioch quæ interpretatio?*

6. *Et Chodorlahomor rex Elamitarum*: idest rex Persarum, nam ab Elam filio Semi prognati sunt Persæ, vti diximus in primo Tomo nostri Geneseon cap. 10. vers. 22. tit. Literal. Expos. num. 64. col. 2. pag. 189.

7. *Chodorlahomor* interpretatur *decorus manipulus*, seù *Generatio seruitutis*, aut quasi *habitatio seruitutis*, siuè *sphærula*, vel *rotunditas manipuli*. *Codorlahomor quæ interpretatio?*

8. *Et Thadal rex Gentium*. Rex Galileæ superioris, quæ dicta fuit Gentium, eò quòd à vicinis gentibus, Arabibus, & Ægyptijs, teste Strabone lib. 16. propter fertilitatem, & mercimoniorum ob insignes portus opportunitatem, incoleretur; ideòque postmodum à Iudæis, illi Galileæ nomen indentibus, dicta est Galilæa Gentium: sic Andreas Masius in cap. 12. vers. 9. Iosue, & ex eo Cornelius à Lapide.

9. Notandum est quòd tradunt historici duplicem esse Galilæam superiorem scilicet, & inferiorem. Superior iuxtà Tyrum, Sidonem, & Cæsaream Philippi sita est, qua gentes attingit ad Aquilonem. Ista Galilæa gentium Isaiæ cap. 9. & Matth. cap. 4. appellatur; vel quia illic gentes vsquè ad Salomonis tempora habitarint, vel quòd Hiramo regi Tyriorum oblata sit, 3. Regum cap. 9. Hæc in Tribu Nephtali sita est.

Galilæa quotuplex?

Galilæa superior, & inferior vbi sita?

10. Galilæa inferior circà Tiberiadem, & stagnum Genezareth in Tribu Zabulon posita est, de qua Matthæi cap. 3. & 4. Christus Dominus frequenter versatus est in Galilæa Ioan. cap. 4. Vndè etiam Galilæus vocatus est, Matthæi cap. 26. aut propter Nazareth, & Capharnaum in quibus illi domicilium, Lucæ cap. 2. & 4. quapropter etiam Iulianus Imperator Christianos solebat Galilæos nuncupare, Euseb. lib. 10. cap. 35. Eccles. Histor.

11. *Thadal* interpretatur *Sciens Iugum*, vel *conterens iugum*, siuè *scientia eleuationis vel ascensionis*.

Vers. 2. 12. *Inirent bellum contrà Bara regem Sodomorum, & contrà Bersa regem Gomorrhæ, & contrà Sennaab regem Adamæ, & contrà Semeber regem Seboim, contraque regem Bala*: Hic ponuntur quinque reges, quorum quilibet erat Dominus vnius ciuitatis solùm. Tantùm enim iam processerat dominandi libido, quòd quælibet ciuitas suum regulum habebat, quorum plurimi alicui majori seruiebant.

13. Interpretantur, *Bara, Incendium*, siuè *expurgatio*, aut *Pastus*, siuè *iumentum*, vel *Insipientia*, aut *in Vigilia*. *Bara* etiam est nomen alterius vxori, Saharaims de quo 1. Paralipomenō legitur cap. 8. vers. 8. *Porrò Saharaim genuis in regione Moab, postquam dimisit Husiam, & Bara vxores suas*. *Senaab, dens patri*, vel *mutationis pater*, seù *dormitio patris*. *Semeber, Nomen*, vel *fama robusti*, vel *fortis*, aut *nomen alæ*, vel *pennati*, vel *Positus*, siuè *desolatus*, aut *stupefactus*. *Seboim* vrbs, *Damulæ* vel *capreæ*, siuè *pulchri*, vel *præcipui*, aut *inflati*, vel *voluntarij*.

14. *Bala ipsa est Segor*. Proprium nomen huius ciuitatis erat Bala, sed postea vocata fuit Segor, est enim Segor nomen commune signans paruitatem, quia dixit Loth, nonnè *parua* est, & ideò vt subiungitur infrà 19. cap. vocatum est nomen eius Segor.

15. Notandum est, quòd eodem nomine Balæ fuerunt vocatæ, Ciuitas vna in Tribu Simeon, vti legitur in Iosue cap. 19. vers. 3. *Et Hasersual, Bala, & Asem*. Et in 1. Paralipomenon cap. 4. vers. 29. *Et in Bala, & in Asom, & in Tholad*. Item Ancilla Rachel vxoris Iacob, vti videtur in cap. 29. Genesis vers. 29. *Cui pater seruam Balam tradiderat*. Insuper & vxor Nephtali, vt habetur in primo Paralip. cap. 7. vers. 13. *Filij autem Nephtali: Iasiel, & Guni; & Ieser, & Sellum, filij Bala*. Nomen est etiam filij Azaz, sicut apparet ex primo Paralipomenon cap. 5. vers. 8. *Porrò Bala filius Azaz, filij Samma, filij Ioel, ipse habitauit in Aroer vsquè ad Nebo, & Beelmeon*.

16. Notandum secundò, quòd *Bala* si nomen est Ciuitatis in Tribu Simeon, interpretatur *Inueterata*, siuè *turbata*, aut *defluens*; si nomen est Segor, interpretatur *deglutiens*, siuè *destruens*, item *Salissa*, siue *vitula conterminans*, vel *parua*.

17. *Omnes hi conuenerunt in vallem siluestrem, quæ nunc est mare salis*. Pro ly *vallem siluestrem* Septuaginta Interpretes habent φάραγγα τὴν ἁλυκὴν idest *Vallem salsam*, Vnde cogitat Eugub: hìc sumi *syluestrem* pro deserta, & inculta, sic etiam Lippomanus; Contrarium enim placet alijs, & volunt *syluestrem* poni pro nemorosa, & amæna, & nihil aliud velle Aquilam per τῶν πευκίδνων, & Theod. τῶν ἁλῶν. Quòd verò Septuaginta reddiderint *Vallem salsam*, dici potest non respexisse ad tempus illud, quo bellum gestum est, sed ad tempus quod secutum est Pentapoleos incendium, tunc enim tota illa regio, sale, & bitumine, oppleta fuit, cuiusmodi saporem etiamnum lacus Asphaltites ibidem enatus refert; vndè & subditur, quæ nunc est lacus salis; locus enim ille deinceps vocatus fuit mare salsum, vel salis, vel mare mortuum. Vers. 3.

18. *Duodecim enim annis seruierant Chodorlahomor, & tertiodecima anno recesserunt ab eo*. Chodorlahomor Rex Elamitarum, sibi subiugauerat quinque ciuitates prædictas, & tributarias sibi fecerat, & duodecim annis iam seruierant ei in tributo, tertiodecimo anno denegauerunt tributum, vel rebellarunt, aut iugum tributi excusserunt, quod proprium est vocis hebraicæ מרדו *maradu*. Vers. 4.

19. *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaim in Astaroth,* Vers. 5.

&

Digitized by Google

& Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim: Proindè Chodorlahomor quartodecimo anno assumptis secum tribus Regibus, scilicet Rege Balim, Rege Ponti, rege Gentium, (speciale nomen est hoc alicuius nationis) venit contrà illos quinque reges, qui sibi tributum negauerant.

20. *Raphaim*, isti sic nominati homines, fortassè dicti sunt à quodam gigante Rapha, cuius sit mentio in primo libro Paralipomenon cap. 20. vers. 6. vbi dicitur: *Sed & aliud bellum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habens digitos, idest, simul viginti quatuor: qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus*. Eius posteri, qui similiter gigantes fuerunt, appellati sunt Raphaim, eratque certa quædam gens de ijs gentibus, quæ Palæstinam inhabitabant. Quamquam id nominis postea ad quoslibet gigantes significandos traductum est, vt cernere licet Prouerb. cap. 9. vers. 18. *Et ignorauit quòd ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius*. Et cap. 21. vers. 16. *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur*. Vide etiam Isaiæ cap. 14. & 26. & Deuter. cap. 2. his enim locis legitur vocabulum gigantum, communiter significans quoslibet Gigantes, cum tamen hebraicè sit Raphaim.

21. *Astaroth carnaim*. Syriorum fuit numen, & Palæstinorum Dea, quam Græci simul, & Latini Dianam, & Iunonem appellarunt. Vnde S. P. N. Augustinus in lib. 7. quæst. super Iudicum quæst. 16. col. 1. pag. mihi 161, asserit lingua punica, quæ ex Hebræa descendit, Iunonem vocari Astartem. Iam Diana hæc est Luna, & Carnaim dicitur idest Bicornis. Igitur Ciuitas ista *Astarothcarnaim* nuncupata videtur à Simulacro Dianæ, quod in ipsa venerabatur. Dianam enim, eò quòd eadem esset Luna, solere pingi, & fingi cum lunula bicorni in fronte, docent Veteres statuæ, & numismata. Hinc Catullus cecinit de Diana. *Astaroth quid?*

Montium Domina vt fores,
Syluarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantium,
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
Tu potens Triuia, & notoes.
Dicta nomine Luna.

Et Horatius in Car. Sac. bicornem vocauit dicens.

Syderum regina bicornis audi.

22. *Et Zuzim*: Sunt nomina aliarum gentium ignotarum, quæ post mutata nomina habuerunt.

23. *Et Emim*: Isti pertinent ad genus gigantum aliquo modo, quia videntur gigantes propter aliqualem corporis magnitudinem; tamen non sunt verè gigantes.

24. *In Saue Cariathaim*: De saue S. Hieronymus, lib. de locis Hebraicis, hoc solùm tradit: *Saue*, inquit, *Ciuitas antiqua super regionem Sodomorum, in qua habitauerunt Ommei gens valida, quam excidit Chodorlahomor*. De his gentibus atque locis ita scribit Bethlemiticus Doctor in quæst. Hebr. *Quatuor reges profecti de Babylone, interfecerunt gigantes, qui hic appellantur Hebraicè*, Raphaim: *Robustos quoque Arabia*, & Zuzim *in Ham*, & Emim *in ciuitate* Saue, *qua vsquè hodie sic vocatur*, Zuzim *autem*, & Emim, *Terribiles, & horrendi interpretantur, pro quo Septuaginta sensum magis quàm verbum ex verbo transferentes, gentes fortissimas posuerunt. Pro eo autem quod septuaginta verterunt* (cum eis) *Hebraice est* (Be Ham) *idest, in Ham, sed illi eam vocem putauerunt scribi per Literam* He, *ducti elementi similitudinem; cùm per* Heth *Scriptum sit*. Be Ham, *enim cùm per tres literas scribitur, si mediam*, He, *habet, interpretatur in eis*. *Saue quid sit.*

25. *Et Correos in montibus Seir vsquè ad Campestria Pharam, quæ est in Solitudine*. D. Hieronymus supracitatus dicit: *Seir mons in terra Edom, in qua habitauit Esau in regione Gabalena: quæ ex eò quòd Esau pilosus esset, & Hispidus, Seir; idest, Pilosi nomen accepit. In quibus locis priùs habitauit Corrhæus, quem interfecit Chodorlahomor*. Scir enim interpretatur: *Hispidus*, siuè *Pilosus*, aut *Hædus*, vel *Damon*, seù *Hordaceus*, vel *Tempestas*. De Corrhæis, siuè Horrhæis (quod idem sunt) fit mentio in Deuteron. cap. 2. vers. 12. *In Seir autem priùs habitauerunt Horrhai, quibus expulsis atque deletis, habitauerunt Filij Esau, sicut fecit Israel in terra promissionis suæ, quam dedit illi Dominus*. Vers. 6.

26. *Reuersique sunt, & venerunt ad fontem Misphat*: Quod significat iudicium in Heb: vocatur enim fons ille fons iudicij, quia ibi congregabantur iudices terræ illius ad determinandum iudicia. Vers. 7.

27. *Ipsa est Cades*: Cades est vrbs in finibus Idumeæ, à qua & adiacens solitudo appellatur desertum Cades, vbi hebræorum mansio trigesima tertia *Cades quid.*

 fuit;

fuit, in qua mansione anno post egressum de Ægypto quadragesimo, mortua est Maria soror Moysis, & ibidem sepulta, cuius sepulchrum manens vsquè ad ætatem S. Hieronymi eo loco monstrabatur. In lib. Ecclesiastici cap. 24. vers. 18. præcipuè laudatur palma Cades, nam dicitur, *Quasi palma exaltata sum in Cades; & quasi plantatio rosa in Iericho*. Est autem locus percelebris in scriptis Mosis, cui nomen Cades-Barne, vnde Moses misit duodecim exploratores ad speculandam Promissionis terram. Et hanc quidem Cades Barne omnes ferè longè dissitam fuisse putant ab illa Cades, in qua trigesima tertia mansio facta est. Videntur enim Hebræi decimaquinta mansione ad Cades Barne consedisse. Sed quando incertis admodum, & perplexis gyris per inuiam solitudinem Pharan circumductos esse constat totis illis decem, & octo mansionibus; non est profectò incredibile, vt nomen ita, & locum vnum eundemque esse, iuxtà nobilem illam vrbem Petram. Idque etiam Chaldæus opinatus esse videtur; quippe qui pro vtrauis Cades reddit Rechem. Cades enim interpretatur *Sanctitas*.

Vers. 8. & 9. 28 *Et percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhaeorum qui habitabant in Asasonthamar*: idest non percusserunt fortassè ciuitates, sed agros, & simul gentem Amorrhæam, non tamen totam, sed habitantem in Asasonthamar.

29. *Et egressi sunt, rex Sodomorum, & rex Gomorrha, rexque Adama, & rex Seboim, necnon rex Bala, qua est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Siluestri: scilicet aduersùs Chodorlahomor, &c.* Quatuor igitur regibus cunctas illas regiones deuastantibus, nempè regi Elamitarum, regi Gentium, regi Sennaar, & regi Ponti, quinque reges Sodomæ, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim, & Balæ apud vallem syluestrem operti arboribus, insidias collocantium more, opponuntur.

Vers. 10. 30. *Vallis autem syluestris habebat puteos multos bituminis, &c.* Elegerant quinque reges (audientes vtique quatuor reges deuastatores regionum aduentare) hunc locum, propter puteos bituminis periculosum, vt hostibus ignaris periculi exitialis esset. At superuenientibus quatuor regibus, & fortiter decertantibus: Ex quinque regibus duo, scilicet, rex Sodomæ, & rex Gomorrhæ terga hosti verterunt; militum autem eorum pars cecidit in puteos, pars fugit ad montes, & pars addicta est captiuitati.

31. *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhaeorum, & vniuersa, qua ad cibum pertinent, & abierunt*: idest tulerunt omnes diuitias in auro, & argento, & alijs supellectilibus, panem, & vinum, carnes, & similia, ità quòd nil relinquebant illi reges in istis ciuitatibus nisi bona immobilia; *sed* (adiungit Abulensis ibid. lit.I. col. 2. pag. mihi 468.) *Adhuc non solùm ista* (idest supradicta) *sed etiam filios, & vxores, vt patet, quia Lotb, etiam adduxerunt, & infrà habetur, quòd Rex Sodomorum petijt ab Abramo, dicens, tantùm animas da mihi, catera tolle tibi, postulabat enim vxores, & filios, & senes manentes in ciuitatibus, qui captiui ducebantur*. Vers. 11.

32. Nec non, & Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. *Permisit Deus* (dicit à Lapide hic pag. mihi 143.) *Lot in Sodomis capi, vt castigaret eius præproperam, & sensualem electionem, qua inter impurissimos Sodomitas, illectus loci fertilitate, habitare praelegerat*. Fuit tamen hæc Lot captiuitas iniusta ideòque iusto bello liberauit eum Abram. Esto enim Chodorlahomor Pentapolitas rebellantes iusto bello inuasisset, Lot tamen vtpotè exterum, & peregrinum tangere non poterat. Adde, Chodorlahomor Pentapolitas magis ambitione, & libidine dominandi, vt videtur, quàm iusto aliquo titulo sibi subiugasse, totum ergo eius hoc bellum iniustum fuisse videtur, ac proindè iustè eum Abram persecutus est, & cecidit. Vers. 12. *Lothi captiuitas iniusta.*

33. Notandum est, quòd bellum iustum est illud, quod per fideles Christianos fit contra infideles, & rebelles Ecclesiæ: defendendo se contrà inuadentes ipsos Catholicos, *Ferreti, vt infrà*. Vel *Bellum quid sit, & quotuplex.*

34. Bellum iustum est, quod auctoritate Dei, vel Principis, geritur; à conuenienti persona, contrà inuasores, & oppressores boni status Reipublicæ, non humana cupiditate, sed amore pacis habendæ, & communis salutis procurandæ. Vel

35. Bellum iustum est, quod interueniente legitima auctoritate, ex causa iusta, intentione recta, moderamine debito geritur. Prima tria apponit D.Thomas 2.2.quæst.40.artic.1. quartum addunt alij.

36. Bel-

Digitized by Google

36 Bellum iniustum, & temerarium est, quando fit contrà illos, qui se iustè defendunt, & iuris auctoritatem. Ferreti de re, & disciplina militari num.109. pag.mihi 155.

37 Bellum etiam dicitur à *Bello*, qui fuit primus inuentor gladij, ferri, cum quo bellatur, vel à *Bellona* Martis sorore, vt firmat Mar. Var. Idem qui supra num.196.pag. 164.

38 Bellum, est hominum diffidentium, armata decertatio. Paulus Cor. lib. 3.Sent. dist. 7. & aduertendum est quòd Bellum est duplex defensiuum, & offensiuum; bellum defensiuum est illud, quo vis iniusta repellitur, & licet etiam priuata auctoritate: Bellum offensiuum est illud, quo vis infertur.

Bellare quando sit vel non sit, peccatum.

39 Bellare si fiat authoritate Pontificis, iusta causa, & recta intentione non est peccatum dicit Angelicus doctor vbi suprà artic. 1. Clericis, & Episcopis non est licitum pugnare cum sanguinis effusione etiam in bello iusto idem ibid. artic. 2. In bellis non licet vti insidijs dicendo falsum, vel non seruando promissum; sed licet vti insidijs ad fallendos hostes non aperiendo eis nostrum propositum, nec sunt verè fraudes idem ibid. artic. 3. In diebus festis licet bellare iusto bello, & in necessitate, quia est ad salutem Reipublicæ. Idem ibidem artic. 4.

40 *Et ecce vnus qui euaserat, nuntiauit Abram Hebræo.* Iste vnus fuit aliquis de exercitu regis Sodomorum, qui cognoscebat Lot, & Abram, & quia locus, in quo factum fuit bellum, non distabat multum à loco, in quo morabatur Abram, potuit citò venire, vt Abram eadem die pararet seruos suos, & in sequenti nocte iret super eos.

41 *Nunciauit Abram Hebræo.* Hic primò inuenitur in sacro codice cognomen Hebræi; sed vndè sint dicti Hebræi, iam exposuimus in primo tomo nostri Geneseon cap. 10. num. 60. vers. 21. col. 1. pag. 189. Nunc quærendum est quo pacto, & quo fine dictus sit Abram Hebræus. Quidam dicunt vocatum fuisse Hebræum ab Heber; sed falluntur. Quia huius vocis, העבר *Hagaber* origo deducitur à verbo עבר *Gbabar*, quod Latinè est transijt, eò quòd primus eius gentis ex Mesopotamia, traiecto fluuio Euphrate, venerit in terram Chanaan. Vndè hic dicitur Abram Hebræus, idest transfluuialis; *Sed cur* (inquit S.P.N. Augustinus lib. 1. quæst. super Genesim quæst. 29. col. 1. pag. mihi 86. tom. 8.) *ità appellatus sit hæc videtur causa: quia ex Mesopotamia veniens transito flumine Euphrate sedes constituit in terra Chanaam; & transfluuialis appellatus est ex ea regione vndè venerat.*

Abraham cur dictus Hebræus.

42 Accedit etiam alia euidens ratio, ex qua patet quòd Hebræi non sunt dicti ab Abram (sicut multi existimarunt, & deduxerunt ex eò quòd Abram dictus sit Hebræus); Sed ab Heber, à quo etiam ipse Abram dic, vltrà supradatam rationem, dicitur Hebræus, & hoc patet per Literas in Hebræo; quia Abram incipit ab א Aleph, Heber verò per ע Ayn; & ideò si Hebræus diceretur ab Abram inciperet per Aleph; quod non est verum, sed incipit ab Ayn. Ad hanc satisfaciendam quæstionem etiam Caietanus ibid. pag. mihi 73. apposuit calamum sic scribendo. *Quamuis sit quæstio an Abram dictus fuerit Hebræus ab Heber, an ab Habar (hoc est à transire flumen Euphratis, quia ex regione trans flumen migrauerat in terram Chanaam) ipse tamen sonus vocis præ se fert magis Heber, quam Habar. Non enim dicitur Abram Hubræo, sed Hebræo.*

43. *Qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi:* de hac Mambre conualle iam supra diximus in cap. 13. vers. 18. num. 41. titul. Literal. Expos.

44. *Fratris Escol, & fratis Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* Tres isti viri erant potentes Amorrhæi, cum quibus Abram fœdus inierat, vt se inuicem adiuuarent.

45 *Eschol* interpretatur *Botrus*, siuè *Orbatio*, aut *ignis omnis*. Et Eschol est Vallis, simul, & torrens terræ Chanaan in vicina Hebronis.

46 *Aner* interpretatur *Responsio*, aut *Canticum Lucernæ*, siuè *Affligens Lucernam*. Est etiam Aner nomen ciuitatis in tribu Manasse, sicuti legitur in 1. Paralip. cap. 6. vers. 70. *Porrò ex dimidia tribu Manasse, Aner, & suburbana eius.*

47 *Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo.* Vernaculi dicuntur serui sui in domo sua nati, vel qui ei continuò seruiebant; numerauit istos, quia per numerum accepit, scilicet congregans omnes, quos potuit. Vndè Caietanus vbi supra inquit: *Armauit vsitatos suos natos domus suæ, trecentos, & decem, & octo. Non supputauit Moses nisi viros* Vers. 14.

qui

qui erant vsui continuò Abraæ; manifestando quòd non erant alienigenæ, sed nati ex familia ipsius Abraæ. Et quia trecenti decem, & octo fuerunt armati nati ex familia Abraæ, patet quòd magna valdè erat Abraæ familia: habens præter hos, senes, paruulos, mulieres, ineptos ad bellum, & relictos ad curam tot animalium.

48 *Et persecutus est vsquè Dan*. Hic Dan fontem significat, qui nomine Ior appellatur, indè Iordanis nomen accepit. Sic Comest. ibidem. Et S. Hieronymus in Hebraicis traditionibus scribit: *Dan est oppidum Phænices, quod nunc Paneas dicitur: estque vnus de fontibus Iordanis: namque alter vocatur Ior, quod interpretatur riuus. Duobus ergo fontibus, qui non procul inter se distant, in vnum riuulum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur*. Idem in libro de locis Hebraicis. *Dan*, inquit, *viculus est in quarto à Paneadem milliario euntibus Tyrum, qui vsquè hodie sic vocatur. Erat autem terminus Iudeæ prouinciæ contrà Septentrionem; vndè flumen Iordanis erumpens, à loco sortitus est nomen*. Hæc vrbs primò nominata est Lesen siuè Lais: postea vocata est Dan; nam qui erant de Tribu Dan, expugnarunt, & subuerterunt eam, ac denuò instauratam ab ipsis munitamque habitauerunt, appellantes Dan de nomine Patriarchæ sui Dan, qui princeps, & parens fuerat illius Tribus. Sic habetur in Iosue 19. & in Iudic. cap. 18.

Iordanis vndè nomen acceperit.

Dan Ciuitas vbi; & quot eius nomina.

49 Hæc ipsa Vrbs, dominantibus iam Romanis, abdicato veteri nomine Dan, appellata est Paneas siue Panium. Tiberio autem Principe, Philippus qui eius regionis Tetrarcham agebat, de suo, & Imperatoris nomine, Cæsaream Philippi nuncupauit: denique rex Agrippa prolatis pomerijs Cæsareæ Philippi, vt tradit Iosephus lib. 20. Antiquit. cap. 16. mutato nomine, in Neronis honorem vocauit eam Neroniadem.

50 Hic locus tempore Saluatoris Domini Nostri IESV Christi magnoperè nobilitatus fuit, tum in confessione illa Principis Apostolorum, testimonio, & præconio Domini tantoperè laudata: *Tu es Christus filius Dei viui*, Matth. cap. 16 vers. 16. Tum miraculo illius mulieris multos annos sanguinis fluxu laborantis; quæ tactu fimbriæ domini, confestim, & perfectè sanata fuit.

51 Dan porrò abest à Sidone versùs orientem, millia passuum circiter triginta quinque; & quia à Tergo, idest, versùs septentrionem habet montem Libanum, quo monte Sacræ literæ determinant, & finiunt Chananæam: ideò sæpè Dan pro termino aquilonari Terræ sanctæ dicitur, sicut Bersabea pro termino australi. Ex quo illud frequens est, & tanquam prouerbij loco vsurpatum in sacris literis, *à Dan vsquè Bersabee* 1. Regum cap. 3. vers. 20. & alibi, quo significatur vniuersa illa, vel regio, vel gens.

52 *Et diuisis socijs, irruit super eos nocte*: idest quòd fecit plures acies belli, & ipse iuit in vna acie cum suis, & alij in alia parte, vt magis terrerent hostes suos; qui dormientes, propter laborem præcedentis belli, & cum essent inermes, subitò irruens super eos Abram, percussit, *Neque euaserunt, nisi aliqui, qui fugere potuerunt*, inquit Abul. ibidem. Vers. 15.

53 *Et persecutus est eos vsquè Hoba, & Phœnicem quæ est ad læuam Damasci*: ly *Phœnicem* nec est Græcè, nec Hebraicè, nec Chaldaicè, nec in omnibus latinis libris, nec id agnoscit S. Hieronymus, quippè qui illud *ad læuam Damasci* de Hoba, siuè Choba tantùm interpretatur: *Choba* (inquit ille in libro de locis Hebraicis) *est ad læuam Damasci: est autem Choba villa in eisdem regionibus, habens accolas Hebræos: qui credentes in Christum omnia legis præcepta custodiunt; & à principe hæreseos, Hebionitæ nuncupantur. Contrà huiusmodi dogma Paulus scripsit ad Galatas*. Sic Hieronymus.

§. 54 *Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque, & populum*: idest tàm propitio Marte Abramus, & tres fratres, scilicet Mambre, Escol, & Aner dimicauere, vt reducerent ad vrbes direptioni datas, omnes opes, Lotum, eiusque diuitias, nec non viros, ac fœminas, captiuitati quæ fuerant addictæ. Vers. 16.

§. 55 *Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum eius, postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor, & regum, qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis Regis*. Sodomæ Rex qui fugerat, aut quia ex putei bituminosi lacibulo (vti placet aliquibus) extractus processit Victori Abraæ obuiam, vt gratias ageret, & simul sibi ciues suos reddi impetrare posset. Vers. 17.

§. 56 *In valle Saue, quæ est vallis Regis*. Hic non locus percussionis, sed locus occursus describitur. Alij legunt, *Hic erat campus Regis, locus refrigerij*, vel

vel exercitij, vel ludus Regis. Septuaginta post dictionem Regis addiderunt Melchisedech, vt non esset ambigendi locus, cuiusnam Regis hæc esset vallis; sed dicere possumus vallem dictam Regis, non alicuius particularis, vel quia pulchra, & amæna erat maximè; hoc est Regia, eo modo quo omnia, quæ excellunt regia appellamus; sed dicta est hæc vallis, vel campus Regis, vel locus exercitij Regis, vel ludus, vel quia Rex hortos, & loca facta ad delicias hic haberet, vel quia hic Rex cum suis ludicris exercitationibus, vel etiam militaribus exercebatur.

Vers. 18. 57 *At verò Melchisedech Rex Salem:* Magnam ingredimur quæstionem, nempè quis esset iste Melchisedech Rex Salem, & tantùm sit difficillimus locus iste, quantùm Apostolus ad Hebræos scribens cap. 7. vers. 1. dixit: *Hic enim Melchisedech, rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obuiauit Abrahæ egresso à cæde regum, & benedixit ei:* Vers. 2. *Cui, & decimas omnium diuisit Abraham: primum quidem qui interpretatur rex iustitiæ: deinde autem, & rex Salem, quod est, Rex pacis;* Vers. 3. *Sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* Ex eo quòd Melchisedech hic ab Apostolo dicitur ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, idest sine patre, & sine matre, nonnulli putarunt Melchisedech esse Spiritum Sanctum. Hic enim productus est non per generationem, sed per spirationem; ideoque non est filius habens patrem, sed est Spiritus Sanctus procedens à Patre, & Filio. Ita sensit Auctor quæstionum noui, & veteris Testamenti quæst. 109. qui extat tom. 4. operum S. P. N. Augustini, & vulgò Auctor iste fert nomen Sancti Patris; Sed illius operis Auctorem non fuisse Sanctissimum Patriarcham clarissimè patet, quia ipse auctor putat Melchisedech fuisse Spiritum Sanctum, & eam sententiam S. P. N. Ecclesiæ Doctor eximius, & Hæreticorum Malleus in lib. de Hæresibus recenset inter hæreses, & numerat trigesimam quartam hæresim; nec vspiam S. Pater eius libri tanquam sui meminit; neque illam sententiam, tanquam à se positam in eo libro alicubi tractauit. Vndè Alphonsus de Castro in suo libro aduersus omnes hæreses impress. Parisijs anno 1564. titulo Melchisedech lit. B. pag. mihi 164. sic doctissimè scribit: *Quidam errore decepti, Sacram Scripturam minimè, vt debebat intelligentes, dixerunt Melchisedech sacerdotem qui benedixit Abrahæ reuertenti de victoria quinque regum, non fuisse hominem purum, sed fuisse Christum, aut aliam quandam Dei virtutem. Huic errori fauentes vocat Augustinus Melchizedechianos, & ponit eos trigesimoquarto loco inter hæreses quas in libro de hæresibus recensit. Ex quo euidenter colligitur, librum qui inscribitur de quæstionibus noui, & veteris testamenti, non esse Augustini, quamuis sub eius nomine circumferatur. Nam præter alia argumenta quæ ad hoc conuincendum adfert Erasmus Rotherodamus, hoc est efficacissimum, quod quæstione 109. multis argumentis ijsque valdè ineptis nititur probare, Melchisedech non fuisse hominem purum, sed quandam Dei virtutem, videlicet Spiritum Sanctum: Neque hoc in libris retractationum vnquam recantauit, imò nec illius libri in toto illo decursu suarum retractationum vsquam meminit. Cùm ergo in libro de hæresibus, hanc assertionem censeat hæreticam, non erat tàm stupidus Augustinus, vt oppositas secumque pugnantes assertiones doceret. Hæc ideò admonui, ne si fortè aliquis in quæstionem illam inciderit, à constantia certitudinis flectatur, Augustini auctoritate pressus.*

Melchisedech quis esset.

Hæres circa personam Melchisedech.

58 *Quis autem huius hæresis princeps fuerit, aut quo tempore cœperit, Augustinus non expressit, neque apud alium inuenire potui. Epiphanius tamen in libro de octoginta Hæresibus, lib. 2. hæresi. 55. dicit Hieracem, quendam insigniter doctum hanc hæresim docuisse, sed non dicit esse ab illo primùm inuentam. Et idem repetit posteà hæresi 67. vbi longiorem de hoc Hierace facit sermonem.* Hactenus F. Alphonsus à Castro; qui diffusè etiam ostendit Melchisedech non fuisse Spiritum Sanctum ex eò quod Rex Salem dictus est, qua super de re videndus est in loco citato vbi supra.

59 Secundò, Origenes, & Didymus, teste S. Hieronymo in epist. ad Euagrium, putarunt Melchisedech esse Angelum. Sed vtraque hæc sententia est erronea, & quòd esset Angelus, & quòd esset Spiritus Sanctus; nam ex ijs quæ in hoc capite, & in Epistola ad hebræos loco citato narrantur de Melchisedech, clarum est fuisse verum hominem; siquidem vera est B. Pauli sententia ad Hebræos cap. 5. vers. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Quapropter filius Dei naturam

Melchisedech non fuit Angelus contra Origenem, & Didymum.

turam humanam assumpsit, vt per eam, & in ea Sacerdos fieret apud Deum.

60 Tertiò, Samaritæ, Teste Epiphanio, & quidam Hebræi, teste S. Hieronymo, quos sequitur Lyranus ibid. Lit. B. col. mihi 205. insuper & Abulensis ib. Lit. I & K col. 1. pag. mihi 470. & alij, opinati sunt Melchisedech esse Sem Filium Noe. Sem enim, imò, & ipsum Noe vixisse, & pertigisse vsquè ad tempora Abrami certum est. Abram enim natus est anno post diluuium 292. Noe autem 350. annis post diluuium vixit. Nam sexcentesimo Noe anno factum est diluuium. Noe autem vixit 950. annos; ergo diluuio superuixit 350. annos, ac consequenter 58. vixit cum Abramo. Similiter Sem post diluuium vixit 502. annis; Nam tempore diluuij erat penè 100. annorum, vixit autem vniuersim 600. annos; ergo 35. annis superuixit Abramo: mortuus est enim Abram agens annum 175. (sicut infrà videbimus) post diluuium anno 467. Si dicas, falsò de Sem dici, quòd sit sine patre, & matre; patrem enim habuit Noe, eumque expressum in Scripturis. Respondent, Sem sub nomine Sem dici in Scriptura habere Patrem, scilicet Noe, non autem sub nomine Melchisedech, quia superiùs in Genesi, vbi eius genealogia texitur, non Melchisedech vocatur, sed Sem. Sed hoc nimis exile, subtile, & frigidum est: nec enim nomen, sed hominem, & personam intelligit, & curat S. Scriptura. Adde, non Sem, sed Cham possedisse Ierusalem, totamque Chanaan. Hæc enim dicta est à Chananæis incolis, qui orti sunt à Chanaan Filio Cham; Sem autem, eiusque posteri habitarunt trans Euphratem, in Oriente, vt docet Ioseph lib. 1. Antiquit. cap. 7.

Melchisedech quis ex Abulense, & Lyrano.

61 Ergo dico cum Iosepho, S. Dionysio Cælest. Hierarc. cap. 9. S. Epiph. hær. 5. Theodor. in Gen. quæst. 63. Irenæo, Hippolyto, Eusebio Apollinario, Eustathio alijsque Patribus, Melchisedech fuisse aliquem ex regulis Chananæorum, scilicet, Regem Salem, siue Ierusalem, & ex eis fuisse oriundum; dici tamen *Sine patre & matre*, non quasi ijs caruerit, sed quia eius pater, mater, & genealogia non describitur in Scripturis; & quia hìc repentè eum inducit Scriptura (nempè, *At verò Melchisedech, &c.*) non præmissa eius stirpe, & genealogia, nec natiuitate, aut morte eius indicata, imò nulla alibi, vel antè, vel post eius facta mentione, vt ex ipsa eius historia, de Olympo lapsus, & in Olympum receptus videatur Melchisedech, hoc enim significat Græcum ἀγενεαλόγητος, scilicet, eum cuius genealogia non recensetur, non autem eum qui stirpe, & genere caret: γενεαλογεῖν enim idem est, quod recensere, & describere Genealogiam. Vndè apertè hoc explicauit Doctor Gentium apud Hebræos cap. 7. vers. 6. dicens. *Cuius autem generatio non annumeratur*. Hinc, & Syrus clarè hic vertit, *cuius nec pater, nec mater scribuntur in generationibus, neque initium dierum eius, neque finis vitæ ipsius*.

Melchisedech quis esset, proprior sententia.

62 S. Epiphanius hæresi 55. & 67. ex traditione, sed incerta, vt videtur, Patrem Melchisedech Heraclam, matrem Astaroth, vel Asteriam nominatam dicit. Si quæris qua de causa nomen Patris, & Matris Melchisedech subticet Scriptura? Respondeo: hæc causa dari potest, quòd Scriptura ferè tantùm Iudæorum historiam, & genus pertexat vsquè ad Christum, vt constet eum ex Abram, Iuda, & Dauide esse natum, sicuti ijsdem promiserat Deus; vnde nec omnium Iudæorum natales percenset Scriptura, nec enim Eliæ, Danielis, trium puerorum, & aliorum parentes nominat; Gentium autem Genealogiam negligit, & vix curat Scriptura. Melchisedech autem erat Gentilis, non Iudæus. Pari modo Iob, (Iob 1.) licèt famosissimus esset vir, imò rex; pater, mater, & genealogia non recensentur.

Melchisedechi Pater, & Mater eius qui.

Melchisedech cur dicatur sine patre, matre, & Genealogia.

63 Respondetur Secundò. Melchisedech dicitur esse sinè Genealogia, non absolutè, sed respectu Sacerdotij: quia non iure hæreditario, nec per carnis successionem, Sacerdotium iniuit Melchisedech (vti nec Christus) imò fortè nec ex parentum doctrina, aut exemplo, quia ex Gentibus scilicet Chananæis prognatus est, qui illo tempore corruptissimis erant moribus, & in Deum impijssimi, nec Dei, sed idolorum cultores; præsertim verò, si suum illud Sacerdotium, in quo panem, & vinum offerens, typus fuit Christi Melchisedech, non à patre, aut à matre, sed a Deo solo accepit, vt huius Sacerdotij respectu rectè dici possit esse sinè patre, matre, & genealogia, quia primus ipse illud iniuit, & orsus est.

64 *Rex Salem*: Salem inquit S. Hieronymus epist. 126. ad Euagrium, non

est

est Ierusalem, sed oppidum iuxtà Scythopolim (quod alio nomine dicitur Sichem, vel Sichima, vbi Iacob pauit greges, & Dina rapta, ac vitiata est, vt idem D. Doctor ait in locis Hebraicis) in quo ostenditur palatium Melchisedech, ex magnitudine ruinarum veteris operis ostendens magnificentiam. Iuxtà hanc Salem baptizauit quoque S. Ioannes Baptista in Ænnon, sicut legitur in cap. 3. S. Ioannis vers. 23. *Erat autem, & Ioannes Baptizans in Ænnon iuxtà salim: quia aquæ multæ erant illic, & veniebant, & baptizabantur*. Verùm Irenæus, Hippolytus, Eusebius, Iosephus quoque lib. 7. belli cap. 18. & passim Hebræi, ac veteres Patres, recentiores etiam permulti, vt Abulensis, Pererius, Ribera, ac in primis Andreas Masius exactus vrbium, & Terræ sanctæ perscrutator in cap. 10. Iosue, docent *Salem* hanc esse Ierusalem. Vndè, & Chaldæus ista verba *At verò Melchisedech rex Salem* vertit: *Et Melchisedech rex Ierusalem*. Imò Ierusalem conditam esse à Melchisedech tradit Iosephus loco citato, à quo vocata est *Salem*, deinde ab alijs *Iebus*; ac denique ex שלם *Salem*, & יראה *yre*, dicta est Ierusalem. Quare Palatium illud Melchisedech, quod in Sichem ostendi, ait Hieronymus, non à Melchisedech conditum, sed eius nomine insignitum esse, vel à Ieroboam, vel ab aliquo alio posterorum regum verisimile est. Idque vt videtur, hac de causa, vt scilicet sibi vendicarent Melchisedech, quasi ipse non fuisset in Salem, sed in Sichem, vbi ipsi regnabant; Sic enim de Homeri patria certant septem Greciæ vrbes, & quæque eum sibi vendicat, suumque ciuem esse contendit.

Salem quid sit.

Melchisedech fundator Ierusalem.



65 Dices: Abram suos hostes persecutus est vsquè Dan, quæ postea dicta est Cesaræa: Hæc autem vicina est Sichimis, non autem Hierosolymæ. Respondeo: Abram reuertens à cæde regum redibat ad Conuallem Mambre, vbi habitabat; indè autem non longè aberat à Ierusalem, ad quam licèt paulò remotiorem ire voluit, tum vt gratias Deo ageret pro victoria adepta, idque Hierosolymæ vbi colebatur verus Deus, cùm in reliqua Chanaan colerentur idola; tum excitus fama Melchisedech, qui erat rex, & Sacerdos Dei Altissimi illo tempore celeberrimus. Melchisedech autem audiens aduentare Abramum, ei beneuolentiæ, & honoris causa occurrit.

Rursum in Salem, puta in Ierusalem, regnauit Salomon, qui fuit typus Christi, & à Salem, vel Salom, idest pax, dictus est Salomon, idest, *Pacificus*: vndè & Arabes ac Turcæ (sicut iam diximus in nostra Apocalypsi explanata Venetijs impress. Anno 1690. cap. 6. lect. 7. §. 23. col. 1. pag. 45.) suos Imperatores à Salomone vocant *Solymanos*, vel *Selymos*, atque à Salem, vel Salom ipsos turcas vocant *Musulman*, quasi dicant, saluati, quibus est, & Pax, & salus. Cùm enim Mahomet suum dogma propagaret, gladio iussit occidi omnes nolentes amplecti hoc eius symbolum: *Alla illa Alla, Mehammed rassul Alla*, (quod etiamnum Mahometani magnis vocibus inclamant) idest, *Non est Deus nisi Deus, & Mahomet Apostolus eius*, quicumque ergo id amplectabatur, dicebatur *Musulman*, idest liberatus à gladio, & periculo mortis, quam reluctantibus intentabat Mahomet.

Salomon vnde dictus.

66 *Proferens panem, & vinum*: Nihil refert quòd hebraicè scribitur in præterito protulit. Nihil scribitur hic de sacrificio, seù oblatione sed de prolatione, seù extractione: quam Iosephus dicit factum ad reficiendum victores. *Quod autem* (inquit Caietanus) *in vulgata aditione subditur vt causa oblationis*.

67 *Erat enim sacerdos Dei Altissimi*: Hic licèt Caluinus, & Nouantes, Hebræum כהן *coben* vertant, princeps, quasi diceret. Erat Melchisedech princeps Dei altissimi, tamen vertendum esse, sacerdos, non princeps, patet primò tum ex antecedentibus, tum ex sequentibus: non enim principis, sed sacerdotis est tàm sacrificare quàm benedicere. Secundò quia ita vertunt Septuaginta, Chaldæus, Philo, Iosephus, & Rabbini omnes. Tertiò quia sequitur *Dei Altissimi*, erat ergo sacerdos: non enim rectè quis dicitur Sacerdos Dei altissimi. Quartò quia ita vertit Apostolus ad Hebræos cap. 7. vers. 1. cùm ait: *Hic enim Melchisedech rex Salem, Sacerdos Dei summi* ὑψίστου (vti vertunt Septuaginta, quos citat, & sequitur S. Paulus) idest Altissimi. Rursum patet ex eo quòd obtulit panem, & vinum in sacrificium, in quo typus fuit Christi. Indè enim Psal. 109. vers. 4. *Tu es* (dicit Pater ad Christum, non princeps, sed) *Sacerdos, in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

68 *Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum, & ter-* Vers. 19.

terram; hebraicè enim est *A Deo*, vel *apud Deum*, vel coram Deo. Valdè fauit Deus Abrahæ cui victoriam de hostibus dedit. Tunc ei benedicit, cùm à Deo asserit Abramum donatum fuisse victoria, vt eum ad actionem gratiarum excitaret. Caietanus enim dicit: *Benedictus Abram est ad gloriam Dei excelsi quatenus fortis est. Qualis Sacerdos; talis benedictio. Sacerdos Dei refert benedictionem in Deum, quatenùs autem excelsæ fortitudinis ratione materiæ.*

Vers. 20. 69 *Et benedictus Deus Excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Idest Deus ab omnibus gentibus laudetur; quia tale beneficium fecit Abraæ quem specialiter protexit, vt non solùm tanta hostium turba ipsum non opprimeret, quin & in eius manus traditi fuerunt vt occideret.

70 *Et dedit ei Decimas ex omnibus.* Dicit hic Caietanus pag. mihi 74. *Non intelligo quotam hoc est Decimam quanque partem significari nomine Decimæ: Sed speciem pro genere positam; Et est sensus, & dedit Abram ipsi Melchisedech tanquam Sacerdoti Dei excelsi portionem ex omnibus, quam consueuimus Decimam nominare. Sic enim apud Israelitas nominabatur tempore Moysis,*

71 Notandum est primò, quòd decima, est decima pars, siuè portio, quæ detrahitur ex omnibus rebus, quæ diuino munere obueniunt, nobisque quodammodò frugiferæ, & lucrosæ. Vndè dicitur Deuteronom. cap. 12. vers. 6. *Et offeretis in loco illo holocausta, & victimas vestras, decimas, & primitias manuum vestrarum, & vota, atque donaria, primogenita boum, & ouium.* Vel decima est omnium bonorum mobilium licitè aquisitorum, pars decima Deo data, diuina constitutione debita. Vocab. Iuris, & Lexic. Iuris, & Tusc. conclus. 62. lit. D. *Decima quid sit.*

72 Notandum secundò quòd decimarum tres sunt species, secundùm Hostien. in sum. scilicet, quædam personales, quæ debentur ex opere personali; vt ex artificio, scientia, militia, negotiatione: Quædam prædiales, quæ proueniunt ex prædijs; vt vinum, blada, fructus arborum &c. tales enim dandæ sunt illi Ecclesiæ, in cuius Parochia sita sunt prædia. Quedam mixtæ, & sunt, de quibus dubitatur, vtrum sint prædiales, vel personales, vt de Agnis, & fœtibus aliorum animalium, &c. *Decimarum tres species.*

73 Notandum tertiò, quòd decimæ, aliæ dicuntur prædiales, quia debentur ex fructibus prædiorum, & ex istis non deducuntur expensæ. Gemin. cons. 85. &c. apud Tusc. concl. 63. lit. D. Aliæ dicuntur personales, quæ soluuntur de lucris personalibus, & in istis deducuntur expensæ. Aliæ spirituales, quando proueniunt à iure spirituali; & istæ Laicis concedi non possunt. Ibidem num. 2. & 3. *Decimaru variæ distinctiones.*

74 Notandum quartò, quòd aliæ etiam dicuntur decimæ, temporales, quæ non sunt propriè decimæ, sed decimationes, quæ descendunt à iure tēporali, & istæ cadunt in Laicū, & dantur per Principes sæculares; vt si concedatur decima pars territorij, &c. ibidem num. 4.

75 Notandum quintò cum S. Bonauentura dist. 3. lib. 3. quòd decimatio, actus fuit moralis; Sacramentalis, & figuralis. Moralis in quantū est alicuius partis donatio ad sustentationem eorum, qui diuino cultui sunt deputati; Moralis enim, quia iustum est, vt de altari viuat, qui altari deseruit, 1. Corinth. cap. 9. Sacramentalis, inquantum est oblatio alicuius partis ad Dei honorem in fide mediatoris, ob curationem morbi originalis. Figuralis, in quantum donatio decimæ partis facta summo Sacerdoti, significabat curationem vtilem faciendam per futurum summum Sacerdotem Christum. *Decimatio triplex, & quæ.*

76 Notandum sextò, quòd decimæ Papales, seù beneficiales sunt, quæ leuantur de mandato Papæ.

77 Notandum septimò, quòd D. Thomas in 2. 2. quæst. 87. de decimis loquendo infrà dicenda resoluit nempè; *Artic.* 1. An homines teneantur dare decimas de necessitate præcepti: Respondet Sic, & est partim naturale sustentare ministros diuini cultus, partim est iudiciale ex institutione diuina: ideò seruatur in lege noua, vt renouatum ab Ecclesia. *Artic.* 2. An homines teneantur dare decimas de omnibus. Resp. sic, de omnibus possessis, & ex integris fructibus, ante omnia etiam tributa. Item si quis vendit v. g. frumentum non decimatum, Ecclesia potest exigere decimas, vel ab emptore, vel à venditore. Item qui per furtum, vel rapinam perdit sua, non tenetur, nisi sit in culpa. *Artic.* 3. An decimæ sint clericis dandæ. Resp. Parochis, sed earum vsus potest transire ad Laicos. Item prædiales debentur ei, in cuius territorio sunt prædia, personales ei, in cuius parochia est aliquis. *Artic.* 4. An clerici teneantur *An homines teneantur dare decimas.*

etiam

etiam dare decimas. Resp. de Ecclesiæ possessionibus, non, sed si possident aliquid proprio iure, vel ex successione parentum, vel ex emptione, tenentur. Item religiosi tenentur, si non habent priuilegium.

Vers. 21. 78 *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: da mihi Animas, catera tolle tibi.* Idest dixit Rex Sodomorum ad Abram; Ciues, & subditos meos, quos ex quatuor Regum captiuitate eripuisti, iubeas Domino reddi, & tibi poteris reliqua spolia, idest, ipsorum subditorum meorum opes retinere. Hic S. Ioannes Chrysostomus homil. 35. pag. mihi 193. dicit: *Honesta regis gratitudo, sed vide, & optimos mores iusti.*

Vers. 22. 79 *Qui respondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem Cœli, & terra.* Modus iurandi est, & iurauit Abram per Deum excelsum, dans gloriam ei, & non alicui de Idolis gentium; Vel dic sicut Melchisedech benedixerat Abram in Deo Cœli, ita ipse Abram benedixit immediatè, & dedit honorem Deo Cœli iurando in nomine eius. Iuxtà Hebræum habetur. *Leuaui manum meam ad* יהוה *el excelsum possessorem cœli, & terra.*

☞ 80 Hic aduerte quòd octo significationes habet in Sacris Literis Ly leuare manus suas ad aliquem. Primò leuare manus est orantis, vt Psal. 62. vers. 5. *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas.* Secundò, est opem, & auxilium implorantis, vt Thren. cap. 2. vers. 19. *Leua ad Deum manus tuas pro anima paruulorum tuorum: qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum.* Tertiò, est gaudentis, gratulantis, & laudantis vt Nehemiæ seù 2. Esdræ cap. 8. vers. 6. *Et benedixit Esdras Domino Deo magno: & respondit omnis populus. Amen, Amen: Eleuans manus suas, & incuruati sunt, & adorauerunt Deum proni in terram.* Quartò, est aliquid gaudenti animo facientis, vt Psal. 118. vers. 48. *Et leuaui manus meas ad mandata tua, qua dilexi.* Quintò, est vocantis, & conuertentis ad se, vt Esaiæ cap. 49. vers. 22. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum; & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt.* Sextò, leuare manus pro aliquo, significat, opitulari ei, & ex malis, & calamitatibus, quibus premitur, eripere, vt Ezechiel. cap. 20. vers. 6. *In die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægypti.* Septimò, leuare manus in aliquem, aut contrà aliquem, vel super aliquem, est insurgentis aduersùs aliquem, eumque vexantis, & opprimentis, vt Psal. 73. vers. 3. *Leua manus tuas in superbias eorum in finem*, idest super eorum consilia, & conatus deprime; Et 3. Regum cap. 11. vers. 26. *Ieroboam quoque Filius Nabat, Ephrathæus, de Sareda, seruus Salomonis, cuius mater erat nomine Sarua, mulier vidua, Leuauit manum contrà Regem*, idest & ipse rebellauit contrà Regem, & populum concitauit aduersùs eum. Et Iob cap. 31. vers. 21. *Si leuaui super pupillum manum meam*, idest si potentia mea illum obrui, & oppressi. Octauò, est iurantis: qua significatione sæpè vsurpatur in sacris literis, & ponitur modus rei pro ipsa re; nam quia modus iurandi erat, leuare manus in Cœlum; idcircò leuare manus in Cœlum, vel ad Deum, ponitur pro eo quod est iurare. Vt Apocal. cap. 10. vers. 5. *Et Angelus, quem vidi stantem super mare, & super terram, leuauit manum suam ad Cœlum.* Quod iam exposuimus in nostra Apocalypsi cap. 10. Lect. 11. §. 27. col. 2. pag. 75.

Leuate manus in Sacris literis octo significationes habet, & quæ.

Vers. 23. 81 *Quòd à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caliga, non accipiam ex omnibus, qua tua sunt, ne dicas. Ego ditaui Abram.* Subtegmen enim filum est, quod sub stamine texitur: caligam autem calceum reor. Nihil ex his, quæ ex tuo penu, seù e x subditis tuis ablata ab hostibus recuperaui retinebo; ne iactes, me ex tuis incommodis mea commoda requisiisse.

Vers. 24. 82 *Exceptis, his, qua comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre: isti accipient partes suas.* Inquit Caietanus. *Hinc apparet quòd viri istorum trium confœderatorum Abraæ, iuerunt cum Abram, quos Abram non duxit priuandos portionibus sibi debitis.* Nam si pugnauerunt manifestum est, quòd debebat eis dari pars de præda.

ANNOTATIO MORALIS.

Verſ. 1. & 2.

83 F*Actum eſt autem, &c.* Hæc ſunt quatuor vitia, ideſt concupiſcentia carnis, cōcupiſcentia oculorum, ſuperbia vitæ, Hypocriſis, quæ quinque reges impugnant, ideſt omnes homines quinque ſenſibus deditos, vt ſibi ſeruire compellant: Vndè Mediolanenſium Paſtor in lib. de fuga Sæculi cap. 1. tom. 1. ſic ſcripſit: *Quis inter tot paſſiones huius ſæculi, inter tot illecebras huius mundi, tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis euertit: audiuit auris, & intentionem inflexit: inhalauit odor, & cogitationem impediuit: os libauit, & crimen reddidit: tactus contigit, & ignem adoleuit.*

Quatuor vitia contrà quinque ſenſus.

84 Vel dic: *Chodorlahomor* ſcilicet *Decorus*, ideſt diabolus de quo dicitur Ezechiel. cap. 28. verſ. 12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia & perfectus decore. Ipſe eſt Rex Elamitarum*, ideſt Sæcularium de quo dicitur Ioan. cap. 12. verſ. 31. *Princeps huius mundi*. Iſte volens ſubiugare infirmos quinque ſenſibus deditos, adiungit ſibi alios tres ſocios, *Amraphel*, ideſt Superbiam; *Arioch*, ideſt Luxuriam, *Thadal*, ideſt Auaritiam, & ſic triumphat. Hinc non impropriè, quod ſcripſit S. Ambroſius ſymbolicè in lib. 2. de Abram cap. 7. inſero. *Quinque reges*, ait, *quinque ſenſus corporis noſtri ſunt, viſus, odoratus, guſtus, tactus, auditus. Quatuor reges, illecebræ corporales, atque mundanæ ſunt: quoniam & caro hominis, vt mundus quatuor conſtat elementis. Meritò reges dicuntur: quia habet ſuum culpa dominatum, habet regnum grande. Senſus igitur noſtri facilè delectationibus ſæcularibus ſe deduut, & quadam earum poteſtate capiuntur. Corporales enim delectationes, & illecebras huius ſæculi non vincit, niſi mens, quæ fuerit ſpiritualis, adhærens Deo, & ſe totam à terrenis ſeparans. Deflexio.* (Hoc enim ſignificat hebr. Lot) *Omnis his capitur.*

Dæmon quomodo triumphet de quinque ſenſibus.

Verſ. 3. 85 *Omnes hi conuenerunt in Vallem ſilueſtrem:* Vitia ſemper in conuallem confluunt, quia ad inferna demergunt.

Verſ. 4. 86 *Duodecim enim annis ſeruierant:* Aulici ſic aſſolent regibus miniſtrare, vt exiguo temporis interſtitio non ſolum recedant famuli diuites, ſed & reges opibus videantur: hinc eleganter de Aulicis Tacitus locutus eſt Hiſtor. lib. 1. *Libentiùs cum fortuna Principis, quàm cum Principe loquuntur.* Vnde hæc cernens Seneca in Thyeſte prudentiſſimè dixit:

Aulici quomodo miniſtrent Regibus.

Stet, quicunque volet, potens
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies,
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar otio.

87 *Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, &c. Et Chorraos in montibus Seth, &c.* Nullus eſt adeò fortis, atque robuſtus, quòd vinci non poſſit; nam ſemper ſuperbi à minùs fortibus ſolent ſuperari: Sic ſuperatus fuit Pharao à Moyſe, & Aaron Exod. cap. 5. & 14. Abimelech à muliere, Iudic. cap. 9. Goliath Philiſtæus Gigas à Dauide adoleſcentulo 1. Reg. c. 17. Aman ab Eſther; Eſther c. 3. & 5. & 7. Holophernes à Iudith. Iudith cap. 13. & de his quamplurima habes in ſacris paginis exempla. Verſ. 5. & 6.

Minùs fortes, ſuperbos ſuperant.

88 *Reuerſique ſunt, & venerunt ad fontem Miſphat* (Iam in literali expoſitione diximus, quòd iſte fons, iudicij fons vocabatur, & ſic fuit dictus, non ſolùm, quia ibi congregabantur iudices terræ illius ad determinandum iuditia; ſed etiam, quia ibi Iudæi contrà Moyſem, & Aaron obmurmurarint, iurgati ſint, & velut iuditio expoſtularint; ideò etiam *Contradictionis aqua* dicitur, Num. 20. verſ 13. *Hæc eſt aqua contradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſrael contrà Dominum:* ibidem (vides) Deus Moyſem, & Aaronem propter incredulitatem damnauit, ne terram promiſſam ingredentur. Vndè ad mores. Quàm meritò Præſules ibi damnantur vbi permiſerant ſubditos ſecum contendere, & velut ex iure iniqua poſtulare. Inuiſi quidem Numini Prælati, qui permittunt ſubditorum exceſſus legis fieri præſcripta. Verſ. 7.

Præſules querant pacem inter ſubditos.

89 *Et egreſſi ſunt........Et direxerunt aciem contrà &c. ſcilicet aduersùs Chodorlahomor regem, &c. vallis autem ſylueſtris* Verſ. 8. 9. & 10.

ſtris

Digitized by Google

ftris habebat puteos multos bituminis, &c: Quid enim per vallem fyluestrem nisi mundus, per hostes nisi Diabolus, per Puteum nisi carnalis concupiscentia, per bitumen nisi diuitiarum temporalium appetitus significatur? En quomodo in mundo tutum non est confligere, nam si hostem idest Diabolum euitas, incidis in puteum, idest in carnalem concupiscentiam; si puteum hunc euadis, incidis in bitumen, idest in diuitiarum temporalium appetitum. Vndè ad rem prophetauit Isaias cap.24.verſ.17. dicens: *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ* (verſ.18.) *& erit: qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.*

In mundo ardua bella, & cur?

Verſ. 11. 90 *Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæorum, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt.* Quando vitia rationem superant, auferunt omnem spiritus substantiam, & immittunt famem verbi, quo anima pasci debuit.

91 Vel dic: Dæmones libenter tollunt, quæ ad cibum animarum pertinent, idest verba prædicationis, & doctrinæ, vt colligitur ex dicto S. Matthæi cap.13.verſ.19. *Omnis qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus, & rapit quod seminatum est in corde eius.*

Contrà verbum Dei Dæmon militat.

92 *Et Abierunt.* Sic Dæmon postquam de aliquo triumphauerit ipsum contemnens vadit. Et notandum est quòd Diabolus quinque causis recedit a victo occultans tentationes. Primò, quia inutilem putat. Secundò, vt anima illecta magis prouocetur, & quæ priùs sollicitabatur ab eo, sollicitet ipsum præueniendo tentatione, & sic magis peccet. Tertiò, vt fortiùs impugnet, & victus auidiùs peccet quanto diutiùs abstinuit à peccato. Quartò vt sæpiùs vincere possit. Quintò, vt per frequens recidiuum in desperationem standi demergat. De primo dicitur Hieremiæ cap.38. verſ.22. *Demerserunt in cœno, & in lubrico pedes tuos, & recesserunt à te.* De secundo, dictum est Ezechiel. cap. 16. verſ. 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis.... Vt intrarent ad te.* De tertio dictum est Ieremiæ cap. 8. verſ. 6. *Quasi equus impetu vadens ad prælium.* De quarto dictum est Habacuc cap.1.verſ. 10. *Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam:* & de quinto Ecclesiastici c. 7. verſ.15. *Et non iteres verbum in oratione tua*, idest glossat Hugo Cardinalis. *Ne facias quò oporteat iterare.*

Diabolus quinque causis recedit ab illo quem vicit, & quæ.

93 *Nec non & Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.* Qui impiorum societati vnitur, quamuis iustus semper incommoda patitur. Vel dic, dum punitur peccator etiam iustus affligitur. Verſ. 12.

94 Vel dic quando quis à viro iusto discedit, vt commodis se magis abundare putet, tunc infortunia maiora experitur. *Ecce enim* (inquit S. Ioannes Chrysostomus homil. 35. in Genesim lit.B.pag. mihi 191.) *Vt diuisus est (Lot) à iusto, & putabat se in maiori esse rerum vbertate, & copia, & potiora se assequutum, & abundare, repentè factus est seruus, carens domo, carens & foco: vt discas quantum malum sit diuisio, & quantum bonum concordia: & quod conuenit non maiora temerè capessere, sed potiùs humilitas diligenda est.*

Discessio à iusto ob propria commoda, magna infortunia prædicit.

95 *Et ecce vnus qui euaserat, &c.* Ratio, vel Spiritus Sancti inspiratio *nunciauit Abrahæ*, idest Prælato stragem quam fecerant dæmones, vt succurrat. Sed nota, quòd dicitur *Abram hebræo*: idest transitori. Nam aptus non est Superior, seù Præsul succurrere animabus à dæmone captiuis, nisi sit transitor, non quærens hic mansionem, sed futuram inquirens. Verſ. 13.

Superior transitor esse debet, & cur?

96 *Abram Hebræo, &c.* idest transitori. Sic fideles in hac valle habitare debent velut transeuntes, ne terrenæ habitationi hærescere videantur.

97 *Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre.* Mambre interpretatur Visio, vel perspicacia, seù intelligentia veritatis. Vnde benè cognoscitur, quòd vbi iustus habitat longè à scelestis, ibi & Cœli visiones, & veritatis intelligentia habentur.

Vbi iustus, ibi Deus.

98 *Quod cùm audisset Abram captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem, & octo; & persecutus est vsquè Dan.* Expediti vernaculi sunt boni prædicatores, quos debet eligere Ecclesia, Superior, vel Prælatus ad tollendā animarum prædam diabolo; qui Prædicatores debent esse vernaculi idest non vxorati, scilicet voluptati, aut vanitati dediti, hi enim exclusi sunt, quasi inepti ad bellandum cum Dæmone, quod colligitur ex Deuteronomio cap. 20. verſ. 7. *Quis est homo qui despondit vxorem, & non accepit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eam.* Verſ. 14.

Bonus Prædicator à voluptatibus sit alienus.

Digitized by Google

eam. Et debent treeenti, ideſt debent habere fidem, & prædieationem Crucis. Thau enim, ſiue Taph Græca litera ſignat treeentos. Deeem, & octo enim conſtant ex ternario, & ſenario, idcircò debent etiam habere fidem Trinitatis, & opera bona.

Verſ. 15. 99 *Et diuiſis ſocijs, irrait ſuper eos noctè: percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos vſquè Hoba, & Phænicem, quæ eſt ad lauam Damaſci:* Semper dum eauſa agitur Innocentiæ, maior exereitus à minore, Deo pugnante, ſuperatur; tum etiam quia illa ipſa hoſtium victorum inſolentia agnata erat deletioni.

Dum Innocentia defenditur, victoria eſt certa.

Verſ. 16. 100 *Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque, & populum*. Quando iuſtus de dæmone victor extitit, ſibi ſubijeit omnes paſſiones, & populoſas, ſeù tumultuarias cordis affectiones.

Verſ. 17. 101 *Egreſſus eſt autem Rex Sodomorum*. Superato vniuerſi generis inimico, egreditur vitiorum potentiſſimus miles nempè luxuria; Sed inquit Interlinearis, *Victis vitijs alias inſidias moliuntur, maximè Luxuria, quæ Sodomitis dominatur*.

Animæ qui maiores inimici.

102 *Egreſſus eſt autem Rex Sodomorum in occurſum eius*. Vide quomodo Sodomæ Rex, qui fugerat, aut ex latibulo putei, vt ſuprà diximus, extractus fuerat, triumphantiq; Abramo obuiã iuit, vt gratias ageret, nobis moralitatem opportunam porrigit nempè; Animus gratus, & gratitudo, vel auarum eogit ad munera gerenda; Vndè ſimul erga Deum gratitudo de beneficijs collectis ſollicitè reddenda colligitur. Hine S. P. N. Auguſtinus in epiſt. ad Marcellinum *Quid melius & animo geramus, & ore promomus & calamo explanemus, quàm DEO GRATIAS? Hoc nihil dici breuius, nec audiri latius, nec intelligi gratius, nec agi fructuoſius poteſt*. Ex Virg. lib. 2. Æneid. habetur gratitudinis demonſtratio digniſſima.

Gratia ſollicitè reddenda de beneficio accepto.

Dij (ſi qua eſt cælo pietas, quæ talia curet)
Perſoluãt grates dignas, & præmia reddãt Debita.

Inſuper nobiliſſima de gratiarum actione ſtant Senecæ moraliſſimi documenta.

Primum. *Bis eſt gratum, quod opus: ſi vltrò offeras.*

Secundum. *Beneficia dare qui neſcit, iniuſtè petit.*

Tertium. *Beneficium accipere, libertatem vendere eſt.*

Quartum. *Beneficia plura recipit, qui ſcit reddere.*

Quintum. *Beneficium ſæpè dare, eſt docere reddere.*

103 *At verò Melchiſedech rex Salem proferens panem, & vinum*. Ideſt Chriſtus ad ſuperandas Dæmonis tentationes profert nobis ſuæ paſſionis memoriam; Per panem enim Caro eius, per vinum ſanguis eius intelligitur, nam dixit ipſe S. Ioan. cap. 6. verſ. 56. *Caro enim mea verè eſt cibus: & Sanguis meus verè eſt potus*. Verſ. 18.

Paſſionis Christi memoria omnia aduerſa superat.

104 *Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum, & terram*. De triumpho reportato, vel de mundo, ſeù de dæmone, ſiuè de carne, aut de homine, laudandus eſt Deus, & illi ſunt gratiæ referendæ, vt tollatur omnis præſumptio; immò & Actio grati animi vberiora adhue beneficia promæretur, vndè benedictionibus cælitus oppleatur. Hinc ſeripſit S. Bernardus ſuper Cantic. *Diſce in ferendo gratias non eſſe tardus, non ſegnis, diſce ad ſingula dona gratias agere*. Verſ. 19.

Gratiarum actio de beneficiis grates maximas affert.

105 *Et Benedictus Deus excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt. Et dedit ei decimas ex omnibus*. Quàm feliciter victoria proſperatur, cùm pars Numini cedit! Prudentiſſimè portionem cuiuſcunique lucri Domino in Eeeleſia, aut in paupere attribuis ad ipſius conſeruationem, & incrementùm. Verſ. 20.

Dum pauperi ſubuenitur, & beneficus ſublimatur.

106 *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram, da mihi animas, cætera tolle tibi*: Prædicator, Epiſcopus præſertim, & Curatus debent potiùs procurare animarum ſalutem, quàm ſuos redditus temporales; nam, *Nullum omnipotenti Deo tale ſacrificium, quale eſt zelus animarum*, inquit S. Gregorius homil. 22. ſuper Ezechielem. O'veritas vix aliquibus noſtri temporis Eccleſiaſticis eognita! Audite vos audite qui pondus animarum ſuſtinetis. Solummodo animæ ſunt quærendæ, hæ à demonis vitiorumque captiuitate ereptæ apud Deum pretioſæ, magni debent ab hominibus æſtimari: vilia reliqua eunċta, ſed quæ à mundialibus animæ præponenda adiudieantur. Verſ. 21.

Concionatores, animarum non pecuniarum lucrum quærãt.

107 *Da mihi animas*: Hæc vox eſt diaboli prælato facta inuigilanti. Hinè S. Hierenymus, qui eitat. habetur diſt. 81. Can. *Oportet*, ſeribit, *Oportet ſacerdotes, quibus Domini populus commiſſus eſt, cum magna conſtantia vigilare ſuper domeſticas oues, ne lupinis morſibus, id*

eſt,

est, diaboli stimulis lanientur.

Vers. 22. 108 *Qui respondit ei: Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ.* Ille leuare potest manus suas ad Cœlum, qui excutit eas ab omni munere, nam *oblatio muneris tinea est regiminis*. Scripsit Cass. in epist. & benè Gentilis ille vates 5. Fast. cecinit.

Muneris oblatio tinea regiminis.

Sæpè Iouem vidi, cùm iam sua mittere vellet,

Fulmina, thure dato, sustinuisse manum.

109 Hic aduerte quòd sunt, qui munera non quærunt, sed oblata recipiunt: & sunt qui non quærunt, sed tepidè respuunt: & sunt, qui quærunt, & recipiunt. De his omnibus dicitur Iob cap. 15. vers. 34. *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Et qui sint isti, docet Isaias cap. 1. vers. 23. *Principes tui infideles* (loquitur ad Ierusalem Propheta) *socij furum; omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.*

De muneribus triplex moralis obseruatio.

Vers. 23. 110 *Quòd à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditaui Abram.* A continentia Abraæ discendum est, quod verè diuitem hominem reddat, vt possit ipse dicere illud Senecæ. *Meæ sunt diuitiæ, tu diuitiarum es: quia diuitiæ sapienti in seruitute, stulto in imperio sunt.*

Diuitiæ sapienti in seruitutem, stulto in imperio sunt.

111 Vel dic, quòd, qui Deum habet, omnia huius mundi spernit; vndè S. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 8. *Perfectæ*, inquit, *mentis est, nihil de terrenis, nihil de corporalibus illecebris assumere. Ideò Abram dicit: Nihil sumam ab omnibus tuis. Quasi contagium declinat intemperantiæ, quasi labem refugit corporalium sensuum, delectationes mundi reijcit, quærens quæ suprà mundum sunt, hoc est extendere manus ad Dominum. Manus operaria, virtus est animæ. Angustæ mentes inuitentur promissis, erigantur speratis mercedibus.*

Qui Deum habet, mundana omnia spernit.

112 *Exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum Aner, Escol, & mambre: isti accipient partes suas:* Iustus iustitiam, & æquitatem semper diligit. *Hi enim erant* (scribit Aureus Doctor homil. 36. pag. mihi 194. Lit. C.) *Coniurati Abraæ, hoc est, amicitia coniuncti: quod ostendit, quia voluerunt periclitari cum eo. Vnde remunerare volens eos, facit vt partem aliquam accipiant, Apostolicam legem etiam in hoc implens: dignus est operarius alimento suo. Nihil enim vltrà vsum suum accipere permittit. Dicit enim: Exceptis ijs, quæ comederunt Iuuenes, & portione eorum, qui mecum venerunt Eschol Aner, Mambre, ij accipient portionem.* Vers. 24.

Æquitatem qui amat semper iustus.

DE BELLO
MORALITAS.

113 Notandum est quòd triplex est Bellum; Primum est ruinosum, secundum fructuosum, Tertium gloriosum. Primum est Diaboli, & membrorum eius cum Deo, & proximis. Secundum est iusti cum vitijs. Tertium est Christi cum Diabolo, & eius membris. Primum est damnabile, secundum laudabile, tertium Nobile. Primum est Diaboli cum Michaele, & eius Angelis. Secundum Abraæ cum quinque Regibus Pentapolitanis. Tertium Iosue cum Amalechitis, vel Gedeonis cum Madianitis. De primo dictum est Apocal. cap. 12. vers. 7. *Factum est prælium magnum in cœlo. Draco pugnabat cum Michaele, & Angelis eius.* De secundo dictum est in præsenti capitulo vers. 15. *Et diuisis socijs irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos vsquè Hoba.* Et Apostolus 1. ad Corinthios cap. 9. vers. 26. *Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans.* De Tertio dictum est Psal. 23. vers. 8. *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.*

Bellum triplex moraliter.

114 Primum bellum est aduersùs Ecclesiam, & in ea tres pugnant, Tyranni, Hæretici, & Schismatici. Tyranni pugnant molestia; Hæretici mundana scientia; Schismatici cordis malitia. Tyranni vtilitatem quærunt temporalium; Hæretici frangunt fidei veritatem; Schismatici dissipant fraternam vnitatem. De tribus omnibus

Bellum morale aduersùs Ecclesiam in quo tres pugnant, & qui-

bus dixit Ieremias de primo Thren. cap. 1. vers. 1. *Quomodò sedet sola ciuitas plena populo* (vers. 5.) *facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt.* De secundo Thren. cap. 2. vers. 1. *quomodò obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion.* De Tertio Thren. cap. 4. vers. 1. *Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus.*

115 Secundum Bellum est iusti cum vitijs; in hoc quædam vitia occurrunt violenter, quædam succumbunt molliter, & quædam se ingerunt fraudulenter. Prima sub specie prædonis, Secunda officio cauponis, Tertia sub forma latronis. Prima vulnerant iaculo; Secunda inebriant poculo; Tertia innectunt retiaculo. Iaculo malitiæ, poculo immunditiæ, retiaculo fallaciæ. De primis inquit Apostolus ad Ephesios cap. 6. vers. 16. *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* De secundis dixit Ieremias cap. 51. vers. 7. *Calix aureus Babylon: de vino eius biberunt gentes, & inebriati sunt.* De tertijs cecinit Dauid Psal. 140. vers. 10. *Cadent in retiaculo eius peccatores.*

Bellum iusti cum vitiis sub triplici obseruatione.

116 Prima vitia violenter pugnant, vt ira, odium, inuidia; Secunda molliter vincunt, vt gulositas, luxuria, vanagloria; Tertia fraudulenter superant, vt in fide erronea sententia, singularitas ex voluntate propria, præsumptio spei de venia. De primis scripsit S. Paulus ad Galatas cap. 5. vers. 20. *Hæc sunt, quæ militant aduersùs animam, ira, rixæ, disceptationes, inuidiæ, æmulationes, contentiones.* De secundis idem Apostolus ad Romanos cap. 13. vers. 13. dixit *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitijs.* De tertijs idem Doctor Gentium ad Corinthios 2. cap. 11. vers. 3. prædicauit dicens. *Timeo, ne sicut serpens seduxit Euam; ita cor seducat vos à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.*

117 In omnibus fortitudo necessaria est. Contrà prima vitia, necessaria sunt arma iustitiæ: contrà secunda, arma temperantiæ: contrà tertia, arma prudentiæ. Arma iustitiæ, ne Deus, vel proximus offendatur: arma temperantiæ, ne spiritus inquietetur: arma prudentiæ, ne ratio decipiatur.

118 Tertium bellum est Christi cum diabolo, & membris eius, & hoc bellum fuit primò onerosum, secundò artificiosum, tertiò gloriosum. Onerosum dum pugnauit; artificiosum dum vicit; Gloriosum dum triumphauit. In primo nostram temperauit hæreditatem; in secundo frustrauit calliditatem Sathanæ; in tertio captiuam duxit captiuitatem.

Bellum Christi cum Diabolo tripliciter meditatum.

119 Fuit onerosum, quia *languores nostros ipse portauit.* Fuit artificiosū, quia

Hoc opus nostræ salutis
Ordo depoposcerat,
Multiformis proditoris,
Ars vt artem falleret

Fuit gloriosum, quia acclamatus fuit Deus, & homo: Deus *Osanna in excelsis*, Homo

Israeles tu Rex, Dauidis inclyta proles.

Ecce ergo bellum onerosum, artificiosum, & gloriosum. Quasi esca exposita fuit infirmitas: quasi fumus latebat diuinitas: vita moriebatur, vt ita mors moreretur. Rapuit auarus; sed

Quam deuorarat improbus
Prædam refudat Tartarus.

Ecce artificiosum, ostendens

Qualiter Redemptor orbis
Immolatus vicerit:

Quia non est Sapientia, non est consilium contrà Dominum. Sequitur gloriosum bello in triumpho. Itaque

Pange lingua gloriosi
Prælium certaminis;
Et super Crucis trophæo
Dic triumphum nobilem.

120 Insuper moralem huius belli Abraæ inter quatuor reges externos, & quinque Pentapolitanos gesti expositionem, elegantem sanè, neque hic silentio inuoluendam tradit Abbas Tuitiensis lib. 5. in Genesim cap. 16. col. 2. pag. mihi 98. impress. Colon. Agrip. *Quatuor reges de quinque regibus victoriam facientes, quatuor sunt animi passiones, quinque corporis sensus captiuantes, quæ in gentilium quoque philosophorum libris memorantur frequenter, scilicet, gaudium, dolor, spes, timor, quas Poeta eximius vno versiculo expressit dicens*, idest Virgilius lib. 6. Æneid.

De Bello Abrahæ Moralitas.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque?

Vbi fides, quæ per dilectionem operatur, has animi passiones superauerit, & interiorem hominem ab illarum captiuatione liberauerit, planè exemplo patris Abrahæ laudabiliter triumphauit: & ideirco Sacerdos altissimi, idemque altissimus, scilicet, Christus Dominus, occurrit illi cum Sacrificio salutari; dignum enim illum iudicat, qui debeat cælestium eius Sacramentorum particeps fieri. Magnum namque, & victorio-

Gloriosum est, non gaudere de prosperis, nec dolere de aduersis huius mundi: non sperare prospera, nec timere mundi huius aduersa. Quam victoriam prædicans apud quendam Philosophia canit.

Boetius sub fine 1. libri de Consolatione Philosophiæ.

Gaudia pelle:
Pelle timorem;
Spemque fugato;
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Hac vbi regnant,

Quisquis ille est, contemnat à rege Sodomorum quicquam accipere, nec dicatur quòd ille eum ditauerit, idest, caneat facere coram hominibus iustitiam suam, vt videatur ab eis, & illam incurrat sententiam qua dictum est:(Matth.cap.6.)*Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*

DVBIA SACRA
IN CAPVT XIV. GENESIS.

Vers. 1. §. 1 QVare inter quinque reges, qui bellum inierunt contrà Sodomam, ac captiuum adduxerunt Sanctum Lot, eorum Princeps, & primus erat *Amraphel Rex Sennaar?* Quia docet Glossa in hoc Rege significabantur Hæretici; & rectè, quia Sennaar significat *fætorem*; nam hæreticus, qui cadit a veritate, & arma tendit contrà iustos, pessimum, ac malum exhalat odorem. Glossa: *Amraphel, interpretatur, dixit, vt caderet, & est Rex Sennaar, quæ excussio dentium, vel fætor eorum, signatur; hic signat hæreticos, qui ad casum tendunt, & verbis doloris fætidum sensum euomunt.*

Hereticus doctrinam male olentem habet.

Vers. 2. §. 2 Quare ipsa ciuitas, quæ priùs vocabatur *Bala*, postquam precibus Lot seruata est à communi Pentapoleos incendio dicta est *Segor*, vt habetur infrà cap. 19.? Verùm expensione dignissimum est, quòd vrbs *Bala*, quæ teste D. Hieronymo interpretatur *Absorta*, vel *Deuoratio*, aut *Vorago*; vel vt notat Anselmus Laud. Vrbs *Deuoratorum*; cùm esset eiusdem sodomitici sceleris rea, & sola precibus Lot seruata sit à communi totius regionis deflagratione; sola etiam, vrbs *Deuoratorum* nominetur. Eccur Bala, *absorpta*, & *deuorata*, & vrbs *deuoratorum* dicitur, quæ sola *absorpta*, & *deuorata* non est in Sodomorum incendio? Reliquæ Pentapolis vrbes re ipsa sulphurea voragine deflagrauerunt, & hæc vna, quæ nec semiustulata est, sed Loti oratione incolumis euasit (vtpotè eius effugium) vrbs deuoratorum dicitur? O mentitam nomenclaturam de fallacia appellatione suspectam! ò potiùs arcanum nominis Sacramentum! Scilicet Vrbs Bala, eiusdem flagitij rea, cui Loti prece vorago sulphurea pepercit, portet in nomine sceleris nepharij reatum. Reliquæ vrbes re patiantur ignitam voraginem, & vrbs Bala gestet in nomine ignominiam commeriti supplicij descriptam. Patiatur in Nomine voraginem, quam aliæ sorores vrbes in re passæ sunt. Vnde Vrbs illa, quæ sola exempta fuit à communi voragine, Bala, idest, *Absorta*, aut *Deuorata*, aut vrbs *Deuoratorum* meritò præ alijs nuncupatur; vt quod meretur in re, patiatur in nomine propudioso ad omnes ætates nefarij reatus charactere.

Non semel quod quis meretur in re, patitur in nomine propudioso.

§. 3 Quare tot molestiæ in miseros Pentapolitas insurgunt, anteà longa seruitus præcesserat, modò durissimum prælium eosdem concutit? Dubij solutionem habes in præcedenti capite vers. 13. audi: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores.* Nec miror, quòd peccatores tot, tot molestiæ affligant; nequit enim peccator sinè molestijs, pœnisuè diù agere vitam. Pulchrè enim S. Gregorius Nazianzenus homines peccatores vocat architectos, fabrosque peccati. *Quippè, ait orat. in Sanctum Baptisma. Crede nullam mali essentiam esse, nec principatum: sed nos pestiferumque spiritum fabros eius, & architectos esse.* Architecti, fabriuè, vt operam dent arti suæ, necesse habent ingentes trabes voluere, sub illis sæpè gemere. Sic peccatores dum se tradunt peccatis, fabri sunt, architecti sunt, ingentia mouentes pondera, & sub ponderibus gementes, sudantes. Vers. 2.

Peccator nequit sinè molestijs diù vitam agere.

§. 4 Quare relictis tot nominibus notissimis (nempè *Lacus Asphalti*, & Vers. 3.

mare mortuum) laci istius maluit textus noster illud vocare in præsenti. *Mare salis?* Diuinè author nostri textus recurrit ad nomen, quod lacum illustriorem constitueret; sapidissima enim sunt, & grauissima monimenta, quæ perduellium pænas ob oculos constituunt. Hinc cum Theodoricus Rex perduelles suos prælio fudisset, camposque, imò & fluuium Athæsim eorum cadaueribus impleffet, ait D. Ennodius in eius panegyrico: *Salue fluuiorum splendidissime, qui ex maiore parte sordes Italiæ eluisti, mundi fœcem suscipiens sine dispendio puritatis. Ecce ille tectus armatis campus enituit humanorum ossium candore nobilissimus, scænam pulcherrimam seruet terra sublimis; tamdiù maneat, quod passi sunt, quamdiù deleat obliuio quod fecerunt.* Exindè campus tot nitoribus fulget, quot cadaueribus. In tanta ossium humanorum congerie, non funestus tumulus, sed scæna pulcherrima apparebat, & sapidissima. Sic bonus scænarum sales in loco peccatorum punitorum gustat. Sapidissimum enim est spectantibus supplicium iunctum delictis.

Vers. 4. §. 5. Quare Pentapolitæ, qui seruitutem recusarant, debellati ab Assyrijs victi, & vincti remanserunt insuper, & Chodorlahomor eorum exercitum contriuit, vrbes spoliauit, fæminas, & paruulos in miserã redegit captiuitatem? Vt magis scelesti homines illi affligerẽtur; nam quem Dominum noluerunt, sustinuerunt violentissimum hostem. Dum seruiebant, erant sub Domino, fateor; exactiones durissimas persoluebant, non nego. At dum deficiunt à Domino, manent sub hoste, & quem refugiunt exactorem, patiuntur depredatorem, interfectorem. Herodes callidissimus Princeps hac ratione cohibebat Iudæos suos, ne seruitutẽ negarent Romanis iam pridem datam apud Ægesippum lib. 2. cap. 9. *Duo sunt itaque, quibus respondendum arbitror, quæ in maximo sunt querelarum pondere: quòd plerique vociferantur de iniurijs præsidum: & quòd plerique periisse sibi libertatem gemant. Consideremus ergo, ne in vtroque eorum non perfunctoria materia bellorum sit; quid enim ineptius quàm de iniurijs quæri, & bellum subtexere, ac periculis mutare contumelias? dum iudicem refugias, hostem inducas, cùm iudex iniquus plerumque iuris interpres sit, hostis autem etiam iustus semper sit appetitor salutis.* Hoc indubitatum est, quod vel iniquissimus Dominus, aut iudex non tam intolerabilis est subditis, quã hostis; Dominus enim quamuis durissimus tuam insectatur crumenam, dum hanc fugat, in cęteris potest esse proficuus: At factus hostis in totum damnosus est, & crumenam insectatur, & salutem.

Princeps etsi iniquissimus, non tàm intolerabilis quàm hostis.

§. 6. Quare in bello isto nominatur primus omnium Chodorlahomor (imò & omnes reges) & non milites describuntur? Quia auspicata est cõgressio in qua principes appareant primi. Pulchrè enim de Theodosio Imperatore dicit Orosius lib. 7. cap. 35. *Signo crucis se muniens, signum prælio dedit, ac se in prælium etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit.* Præmonstrabat iam bonus imperator futuram victoriam, ex eo quòd primus nullis expectatis comitibus se in prælium immiserit. De quo etiam S. Ambrosius orat. in eius obitu ait: *Cùm locorum angustijs, & impedimentis Calonum agmen paulò seriùs in aciem descenderet, desilijt equo Princeps, & antè aciem solus progrediens ait: Vbi est Theodosij Deus? quo audito excitauit omnes, & exemplo omnes armauit.* Crede mihi, nullis auspicatioribus armis munimur in periculis, quàm si videamur principes præeuntes. Vers. 5.

Quando Princeps primus est in bello, quasi certa victoria.

§. 7. Quare ponitur à Moyse *quatuor reges aduersùs quinque?* Vis scire? mysticam apprehende contemplationem. De quinque videlicet sensibus, tyrannicam in nobis exercentibus potestatem, quibus trucidandis, ne in corpore nostro pacifici dominentur, masculo marte, & virtutibus omnium præcipuis depugnandum; non secùs, ac quinque Reges à quatuor debellati perhibentur, probrosèque fugati. *Qui enim sunt quatuor reges, nisi quatuor virtutes, quas, principales scriptura vocat? Quid verò per quinque reges, nisi totidem sensus corporis, ac per eos scientia exterior designatur? Sicut autem illæ quatuor virtutes, veluti ex originali matris suæ, rationis scilicet fonte procedunt; sic isti in terrenæ sapientiæ vanitate, velut in conuallе salsuginis commorantur, ibique à suis hostibus prostrati, quia dignum est, vt in anima hominis, spiritualis sapientia vincat, & carnalis prudentiæ calliditas pereat.* Sic mysticè S. Damianus lib. in Gen. exp. myst. cap. 19. Ita victoriato de sensibus tuis, Christiane miles, & tibi hostiam victori Christus Dominus exhibebit. Vers. 9.

Ad reprimendos sensus mascula requiritur virtus.

§. 8. Quare obsecro, plures reges paucioribus succumbunt? Et cur ex illis pluribus primi omnium terga vertunt reges Sodomæ, & Gomorrhæ? Ratio planè est in promptu. Quia illi quinque reges delicati quidem erant, ac proindè effæminati; & ex illis quidem, Vers. 10.

dem, reges Sodomæ, & Gomorrhæ ſicut erant molliores, ita & timidiores. Nam vbi vigent prophanæ voluptates, ibi virtutes bellicæ marceſcunt. Ea cauſa fuit, cur olim Pœni Romanos, quibuſcum bellum gerebant, omnibus delicijs delibutos exoptarent; vt eos pariter haberent omnibus præſidijs militaribus deſtitutos.

Vbi vigent prophanæ voluptates ibi virtutes bellicæ marceſcunt.

Verſ. 10. §. 9. Quare rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ terga verterunt, & ceciderunt? Et quid aliud poſſet euenire vel in conſpectu periculi delicioſiſſimis, & prorsùs mali inexpertibus hominibus? Duodecim annis ſeruierant Pentapolitæ, & decimo tertio anno excuſſerant ſeruitutis iugum, interea nihil militare nouerant, nullum fecerant tentamentum virium, nullum certaminis meditamentum, tunc primùm cùm hoſtem vident, ſentiunt bellorum duritiem. Miror cùm in primo congreſſionis impetu non cecidiſſent! bellè ingentes Iudæorum exercitus deſpiciebat Titus ijs verbis apud Egeſippum lib. 3. cap. 24. *Nec vos numerus moueat plebis Iudaæ, cùm illos tot veſtræ virtutis inſignia non deterreant, quæ validiora ſunt. Nec enim vlla in Hebræis vel rei militaris ſcientia, vel præliandi peritia, vel moderandi gratia, nullus diſciplinæ vſus, nulla tolerandi patientia. Illi neſciunt arma niſi in bello, nos in pace armis exercemur, vt in bello caſus belli dubios non ſentiamus. Inſueti enim euentus dubij, veteranis ſolemnis triumphus. Quid enim aliud agimus quotidie, niſi vt nobis vana nunquam prælia ſint? Vnuſquiſque domi, quaſi in prælio exercetur, vt in prælio meditatio quædam certaminis ſit.* Audiſti lingua Egeſippi Titum? Deduc ergo quòd neceſſum eſt vt cadat, qui inexpertus ad pericula venit.

Inexpertus ad pericula cadit.

Verſ. 10. §. 10 Quare Pentapolim Reges coram hoſtibus cadunt? Quia (ò quam facilis ſolutio!) inimicos expectauerunt in valle ſylueſtri. Vocem ſylueſtrem Theodotion interpretatur *Amæna nemora*. Vt videas Pentapolitarum ignauiam, qua excepturi hoſtes crudeliſſimos in amænis hortis, & nemoribus ſuburbij ſui morantur, nec extrà delicias ſuas pedem mouent. Nonne vides igitur, quàm timenda ſit ruina, cùm inter delicias tuas te impetit hoſtis! Quis enim non timeat Regi exiſtenti in ludis, & feſtis, & amænitatibus, cùm hoſtes in illum irruunt? Et quis non timeat ſibi ab hoſtibus, ſi tunc impetant, cum ipſe ſit inter delicias? Ait Egeſippus lib. 3. cap. 5. de expugnatione Antiochiæ locutus: *Cùm ludi ſcænici in ea celebrarentur vrbe, ferunt quendam authorem minarum eleuatis oculis ad montem, Perſas vidiſſe aduenientes, & continuò dixiſſe: Aut ſomnium video, aut magnum periculum: Ecce Perſa.* Et meritò magnum periculum putauit, quòd hoſtes irruerent in populum agentem in ludis. Ægrè enim homo, dum in ludis, & delicijs eſt, impetum inimicorum ſuſtinet.

Infortunia expecta, ſi delicias inter viuis.

§. 11 Quare ſi milites in bituminis cecidere puteos, Moyſes ait Reges qui fugerant cecidiſſe? Certè quia militibus cadentibus Reges duces cecidiſſe quis dubitet? Nec enim Rex verè euadit incolumis milite pereunte. Quòd ſi, ex aliorum mente Reges Sodomæ & Gomorrhæ vertentes terga ceciderunt in puteos, è quibus poſteà viui ſueruut extracti: conſtat, plerumque homines incidere in foueam quam efficiunt. Elegerant quinque Reges planitiem illam, vt hoſtibus putei eſſent periculoſi, & ipſi recidunt in periculum. Hoc eſt, quod dixit Sapiens in Prouerbijs cap. 26. verſ. 27. *Qui fodit foueam, incidet in eam.* Verſ. 10.

Semper incidit homo in foueam quam facit.

§. 12 Quare (ſi Gens Sodomæ, & Gomorrhæ fœdiſſimis erat conſpurcata ſordibus delictorum) proximè ignibus conflagranda ab Aſſyrijs, igne, ferroque non abſumitur; (*Dum tulerunt omnem ſubſtantiam*) Sed aliàs atrociſſimo ſupplicij genere plectenda reſeruatur? Vt quid pro grauiſſimis ſceleribus, tàm leui pœna mulctatur, quam dira quæque tormenta manebant? *Peccata Sodomorum* (Referret Lippomanus) *eo bello Dominus clementer puniendo erudire voluit, vt non conuerſos ad meliora, poſtea grauiùs damnaret*; Videlicet addit D. Hilarius in cap. 26. S. Matthæi. *Longa Dei patientia, in profectum humanæ ſalutis extenditur.* Verſ. 11.

Longa Dei patientia grãde quidem ſupplicium peccatoribus parat.

§. 13 Quare Abram dictus fuit Hebræus: *Vnus, qui euaſerat nunciauit Abramo Hebræo?* Inde notanda eſt Dei Prouidentia, nepotes non Abrahamides, non Iacobitæ, dicti ſunt, ſed Hebræi, ideſt, tranſitores, vt ex ſuo nomine admonerentur, quòd tranſeundum erat ex hoc ſæculo ad aliud ſuperius, & cæleſte. Sic ait Euſebius lib. 11. de Præpar. cap. 4. *Ipſa gentis appellatione, tranſire à terrenis ad cæleſtia, & ad creatoris cognitionem migrare admonemur.* Verſ. 13.

Quiſque, tranſitorem ſe eſſe cogitet.

§. 14 Quare hìc primò vocatur Abram Hebræus? S. P. N. Auguſtinus in quæſt. ſuper Gen. citatus etiam ibi- Verſ. 13.

ibidem à Lippomano, ait, vocari Hebræum, vel transfluuialem, quia ex Mesopotamia, Deo præcipiente, ad terram Chanaan transmigrauit. Accipe eius verba. *Transfluuialem Abram appellatum etiam Græca exemplaria satis indicant; sed cur ita appellatus sit, hæc videtur causa, quòd ex Mesopotamia veniens, transito flumine Euphrate, sedes constituit in terra Chanaan.* Accedit etiam Lippomanus cuius verba lege; *Inter Hebræos summa est disceptatio, alijs Hebræos ab Huber dictos putantibus; alijs ab Abram; ipsum quoque Abram hîc Hebræum appellari vel ab Heber, vt velle videtur Hieronymus, vel, vt alij, ab Habar, hoc est transiuit, vt Abram traiector appelletur, quòd Euphratem, iussu diuino, relicta patris sui domo, transierit.* Meminit textus diuinum præceptum religiosè obseruatum, cùm retulit triumphos Abramum adeptum, vt singularis illa victoria veluti partus esset fluuij traiectionis, & Dominici adimpleti præcepti: cùm triumphat, appellatur Hebræus, & nomen accipit, dum fluuium traijcit Deo obtemperaturus, vt nobis insinuet scriptura obedientiā procusam fuisse victoriam: diuino iussu fluuium transmittit, laudabilis illa actio venerabile illi nomen procudit, & qui antè solùm Abram, iam appellatur Hebræus: huic ergo de obedientia Hebræo nepotis denunciatur captiuitas, & hic captiuorum soluit catenas. Lot fluuium etiam transiuit; sed potiùs vt sequeretur auunculum, quàm vt diuinum adimpleret præceptum, Abramus paternam reliquit domum, refutauit prosapiam, vt impleret obedientiam: hic ergo quia strictiùs diuinis illigabatur præceptis, & gloriosis micabat triumphis. Hebræus dicitur Abramus dum triumphat, quia triumphos illos vendicauit sibi obedientia: Lot non triumphator, quia nec Hebræus: vt discas diuinis iussionibus obedire, si gloriosè discupis de inimicis triumphare.

Obedientia omnia superat.

Vers. 13. §. 15 Quare vnus ille, qui euaserat, explicans Lothi captiuitatē, non similiter explicat captiuitatē Pentapolitarum? Quia in Lothi captiuitate sufficienter explicata est captiuitas eorum: quæ enim accidunt iustis, pijsque hominibus, respondere solent ijs, quæ accidunt populis eorum, quos ipsi colunt.

Vers. 13. §. 16 Quare à Moyse refertur simul Lothi clades nunciata Abramo; & simul annumerantur hi, cum quibus Abramus erat fæderatus, & viuebat in pace? Et quid necessum erat meminisse in Abramo pacis fædera, quando nuntium accipit de Lothi clade? Quia, vt notat S. Ioannes Chrysostomus, Loth hostibus traditus discordiæ pœnas subibat; benè notatur concordia Abraæ, dum illius cladem audit, vt sciatur differentia inter eos, qui concordiam vel oderunt, vel amant. Vt enim discordes in ipsis inueniuntur malis, sic concordes solo auditu solent noscere mala. Sic Dominus discipulis suis dicebat. Matth. cap. 24. vers. 6. *Audituri estis prælia, & opiniones præliorum. Videte ne turbemini.* Origenes legit: *Audietis prælia, & auditiones præliorum.* Eccè tibi non dicit, quia erunt in prælijs, nec quia præliorum strages videbunt, sed quòd audient præliorum rumores, non visu, sed auditione tantùm prælia percipient. Et quare auditione tantum? Filij pacis sunt, non miror quòd solo auditu prælia nouerint. Ait Origenes homil. 28. in S. Matth. *Ponamus audire quidem prælia esse, quando filij pacis à prælijs custodiunt oculos suos, vt non videant maligna, & quoniam non possunt respicere super labores, & dolores, audiunt de prælijs, qualis ciuitas pugnet aduersùs qualem ciuitatem, aut qualis gens à quali expugnetur gente.* Vt sunt filij pacis, & inter se concorditer, & pacificè viuunt, sic prælia, eorumque strages minimè vident, sed solùm de illis audiunt. Et quidquid bellici laboris est; quidquid sæui doloris, non visu, nec vsu, sed auditione sola percipiunt.

Pacis filij quidquid bellici laboris est, non visu, nec visu, sed auditione sola percipiunt.

§. 17. Quare tàm temerè paucā vernaculorum manu in quatuor reges, parta victoria insolentes, spolijs refertissimos, regijs conflatis copijs terrificos, irruere inconsultò prætendit Abram, vt non priùs discutiat, tutò ne queat cum decem millibus occurrere hosti, cū viginti millibus aduentanti? Cur non potiùs, & satiùs aliquot inducantur induciæ, vt robusta bellatorum conflata manu, res tutiùs bellica cunctanter disponatur, & indubio victorietur euentu? Non ita. Præcepit Abram vernaculis: quid plura? Rumpendæ moræ, ineunda profectio est, nec ad momentum quidem retardāda; *Fidelis enim obediens, nescit moras, frangit crastinum, ignorat tarditatem, præcipit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, vt imperantis intelligat voluntatem,* monet S. Ber- Vers. 14.

Verus obediens moras nescit.

Bernardus in serm. de virtute obedientiæ.

Vers. 14. §. 18. Quare Abram cum tàm parua manu contrà potentissimos hostes in prælium audet exire? Ità æstuabat amore, vt nihil dubitaret, omni se periculo illaqueare, vt dilectum consanguineum ab omni criperet discrimine vitæ: magis affligebatur illius angustia, quàm si in bello vitam profunderet. D. Ambrosius lib. 1. de Abramo cap. 3. *Sic, ait, amabat nepotem, vt pro eo ne belli declinaret periculum*. Et hæc fuit causa, ob quam Abramus pro victoria adepta à Sodomorum Rege nullam rem accipere voluit: *Non accipiam, ait, ex omnibus, quæ tua sunt, quasi diceret*, inquit Aureus Doctor ibidem, *neque enim mercedis gratia vindictam feci, sed ob amoris affectum, quem erga fratris mei filium gero*.

Amor veri pericula ignorat.

Vers. 14. §. 19. Quare Abramus dato belli signo, vt fieri solet, non confusam, ac indistinctam plebem conuocat, sed numeratis militibus ad certamen properat, quam quæstionem proponit S. Ioannes Chrysostomus apud Lippomanum dicens. *Quare numerauit trecentos decem, & octo vernaculos dicet quis; quare non simpliciter omnes accepit?* Poterat Abramus absque vllo sensu magnam seruorum multitudinem assumere, tamen maluit illis numeratis in bellum exire, vt cùm omnes essent custoditi, & salui, res ostenderetur fieri ex alto, & superno diuino dictamine, qui enim ex nutu Dei eliguntur, perire nequaquam possunt: Vndè Philo describit Melchisedech mirantem, quòd Abramus seruatis omnibus socijs redierit: *Abramum redeuntem, ait, conspicatus ille magnus Pontifex, reducentemque suos omnes ad vnum incolumes, & victores attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod verum erat cogitans, præsentem ei opem diuinam adfuisse*.

Deo aspiciente securitas omnis.

Vers. 14. §. 20. Quare si in tot Hostes triumphorum gloria alacriores Abramus audet, si exigua impetiti manu victoriam concedunt, Haienses pauci (vti legitur Iosue cap. 7. vers. 4. *Ascenderunt tria millia pugnatorum, qui statim terga vertentes percussi sunt à viris vrbis Hai*) & strage vicinorum perterriti de Iosue militibus reportauere victoriam? Aiebant paulò antè: *Quare omnis populus frustra vexabitur contra hostes paucissimos?* Iosue cap. 7. vers. 3. Et modò, quam reportarant victoriam, æterna fugæ innubilant ignominia? Si facilè erat paucos, & vicinæ stragis fauore ferè exanimatos à plurimis, & triumpho iam reportato audentibus vinci, & difficilè victores plurimos à paucis Abrami militibus subiugari: quomodò copiosus Iosue exercitus atteritur, & Abrami exiguus spolijs ditissimis ditatur? Profectò discriminis causam (vt sentio) textus innuit vtrobique. Tria millia dicit ascendisse pugnatorum: *Ascenderunt tria millia pugnatorum*; at dum sub quo, aut sub quibus ducibus non retulit, duces non fuisse celebres indicauit, dum verò trecentorum decem, & octo retulit triumphum, expressè retulit duxisse exercitum Abramum. Ergo sub optimo duce exigua etiam manus plurimos inimicos prostrauit; at sub ignotis, & nullius nominis ducibus numerosus exercitus in præsentia aduersariorum paucorum fuit. *Ipse*, (inquit Lyra) *Cum seruit suis intrauit bellum*. Consonat Strabus: *Pater fidei, & prima via credendi pro fratre suo Lot dimicauit, & vicit non in multitudine exercitus, sed in trecentis decem, & octo expeditis vernaculis*. Abramus animo constans, laudabili audacia intrepidus, & Domini auxilio fisus bellum intrat, & facilè triumphum de inimicis reportat; vt ex comparatione noueris, quantum intersit inter numerosum exercitum non celebri duce gubernatum, & exiguum duce celebri rectum. Ecce tria millia cadunt, trecenti vincunt.

Sub duce optimo exigua etiā manus plurimos hostes humiliat.

§. 21 Quare Abrami Vernaculi de tot Sodomorum regibus triumpharunt? Vide quam Regionem rex ille inhabitet, Sodomam, scilicet, paradiseis delicijs refertam, voluptatum, diuitiarumque copiosis veluti imbribus fæcundatam: (*Sicut Paradisus Domini*, iam dictum est cap. 13. vers. 10.) Vbi ergo blandè scaturiebant corpori voluptates, nil mirum contrà aduersarios imbecilles reddantur vires: solùm didicit Sodomorum Rex superari, solùm nouit terga vertisse; at Abramus asperrimos montes habitans, & laboriosas incolens valles sic robore viget, vt aduersarijs panicum incusserit metum, & partum iam è manibus abstulerit triumphum. *Considera* (aiebat S. Ioannes Chrysostomus apud Lippomanum ad Gen. 14.) *Magnanimitatem, & fortitudinem iusti, quomodo benè fisus misericordia Dei non perculsus est animo, cùm audisset virorum fortitudinem, & stragem, quam fecerant primùm in omnes gentes irruptione facta, debellatisque*

Vers. 14.

Delicias fuge, si crimina vincere cupis.

Ama-

Amalecitis, & cæteris omnibus: Deindè quòd irruerant in Sodomos, & in fugam ipsos verterant, omnemque illorum diripuerant substantiam. Sodomitæ impuris voluptatibus indulgentes peramæna regione vsi, diuitiarumque prouentibus affluentes armorum sunt dedecus; at Abram qui amæniores regiones respuit, triumphis gloriosis emicuit. *Nobis quoque* (non impropriè ad rem nostram aiebat Seneca epist. 52.) *militandum est, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur: debellandæ sunt in primis voluptates, quas vt vides sana quoque ad se ingenia rapuerunt*. Victus est Lot, fortè de regionis voluptuosa vbertate eneruis; Vicit Abram de solo austeriori fortis. De crimine vincere cupis? delicias fuge, mortificationes dilige.

Vers. 14. §. 22 Quare Abram cùm esset consultissimus vir non consultauit de auxilio ferendo consanguineis? Sic expromptus est sanguis ad fouendum, & liberandum consanguineum, vt alacre opis ferendæ propositum anteuertat consultationem, & præeat electionem? Sed ambigere posset quispiam, an prudenter Abramus re inconsulta, quatuor Reges illustri victoria insolentes hostiliter persequi intentarit? An non è re foret, aliqua etsi exigua mora ad deliberandum de periculoso negotio, facinus adornare? *Non cunctatur Abram, non consultat*, inquit Lippomanus ibidem profectò vbi non præcedit aliqua capessendi consilij mora, & cunctatio consilium præit, res est sinè substantia, negotium sinè persona; nam inconsulta imprudentia omnia citò tentat, omnia momento disturbat. Verùm S. Ambrosius Abramum egregiè vindicat ab inconsultæ imprudentiæ calumnia expendens ly *numerauit expeditos vernaculos suos, &c. Quid est* (inquit lib. 2. de Abram cap. 3.) *numerauit? hoc est elegit....... Numerauit autem trecentos decem, & octo, vt scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum*. Scilicet tametsi festinatione opus erat, vt hostes imparatos ad reluctandum, nec in finibus suis receptos subitò adoriretur: at attentiùs auxiliares numerat, hoc est, eligit, quo verbo Sacer Historicus meritum electionis expressit. Morosè non cunctatur, ne victor hostis elaberetur, sed propè cunctanter agit, dum pugnatorum merita eligit, quo habeat Abrami facinus, & felicitatem properantis, & prudentiam consulentis, & meritum eligentis. Non deliberat celeriter, sed celeriter deliberata exequitur; nam dum cunctantèr milites auxiliares eligit, & attentiùs numerat, vires consulit, & robur expendit, vt improuisum hostem, strenuè adoriatur, pugnaciter vincat, feliciter detriumphet.

Imprudentia inconsulta omnia tentat.

Qualitas potius, quàm quantitas, eligenda.

§. 23 Quare Abram aduersùs Assyrios Sodomæ expugnaturus irruit super eos nocte; & Gigas ille Philistæus, qui exprobrabat agminibus Israel prouocans singulos ad singulare certamen, *Procedebat verò manè, & vespere, & stabat quadraginta diebus*? Sic habetur in primo Regum cap. 17. vers. 16. Quare Abram similiter electos suos media die non producit in certamen aduersùs Assyrios? An fortitudo Abramidum minor, quàm fortitudo Spurij illius? Non minor, sed spiritualior, sed diuinior: in spurio carnalis fortitudo temeritatem gignebat, qua periret; in Abramo spiritualis fortitudo metuentis cautelam adsciscebat, quæ Dei æmulum triumphantem efficeret. Hinc S. Ennodius in Panegyrico commendabat valentiam Theodorici Regis, inquiens: *Nec viri fortis in te deest securitas, nec cautela metuentis. O geminam in vno principe virtutum plenitudinem, quæ Deum designat authorem! quia non habet inter homines à quo videatur sumpsisse, quòd exhibet*. Duæ virtutes sunt, quæ mortalem diuinæ valentiæ faciunt principem, si simul sint, nimirum, & fortitudinis securitas, & metuentis cautela. Fortia pectora res difficiles aggrediuntur, timida cauent sibi a periculis, diuinæ valentiæ hos duos affectus sic in se coniungat, & quasi fortis securè, & alacriter omnia aggrediatur difficilia, & quasi timidus caueat, vt suspecta quæuis pericula. Vers. 14.

Duæ virtutes si simul, felix quis habet eas, & quæ sint.

§. 24 Quare Abram nonnisi cum numeratis vernaculis iuit? Vt seruatis omnibus ostenderetur res esse Halitus diuini. De solo enim Deo venit, quòd de numeratis deficiat nullus. Hinc à Philone superiùs citato introducitur Melchisedech miratus saluis omnibus redeuntem, ait enim: *Abramum redeuntem conspicatus ille magnus Pontifex, reducentemque suos omnes ad vnum incolumes*. Solus enim Deus est, qui numeratos sic seruat, vt non pereat vnus de numero. Vers. 14.

§. 25. Vel dic: quos enim præstantes habebat in familia hos sibi adsciscit, & à turba selegit sibi socios, vt omni- Vers. 14.

bus

Digitized by Google

bus sibi pretiosis, & magis æstimabilibus adiunctis integro animo pergat,& fortiter certamen conficiat. Quo spectans aiebat Philo: *Itaque magna contentione properauit, nunquam remittens celeritatem, donec potitus occasione, noctu superuenit hostibus tam sumpta cæna ad somnum se componentibus, in quos irruens alios trucidauit in cubilibus, alios resistere conatos fugauit, atque ita omnes deuicit, non tàm armorum apparatu, quàm virtute animi*. Audisti? in eo est victrix fortitudo, quòd rem aggrediaris toto animi conatu.

Vers. 15. §. 26. Quare, & quomodo Abram exijt in certamen cum tám paucis hominibus, hostesque cum suis in fugam conuertit, ac tandem percussit, omnemque prædam ex eorum manibus liberauit? Reges Sodomorum, & Gomorrhæ cum suis militibus erant valdè impuri, & ideò multum inepti, ac ignaui ad bellum, vndè statim terga vertentes ceciderunt; at verò vernaculi Abrami erant puri, & casti. Rabbanus ibidem. *Expeditos ducis iuuenes ad bellum pramptos, qui non fuerant vxorati*. Et ideò tám fortes, ac generosi in bello, vt magnas Elamitarum copias deuastarent, casta enim paucorum castra de multis aduersarijs valent triumphare, ac victoriam reportare.

Casta paucorum castra de multis hostibus valent triumphare.

Vers. 16. §. 27. Quare Lot suos non protexit inimicis depulsis, cùm Abramus non solùm inimicos depulit, sed subegit? Quia Loth amauit florida, Abramus sectatus est saluberrima; Adest S. Ambrosius lib. 1. de Abram: *Diuersa hominum ingenia sunt, aliis vtilia, alios amæna delectant: Infirmior amæna eligit, vtiliora fastidit*. Ecce Lot, Abramusque diuini Verbi adumbrauere ministros; at Lot, dum amæna sequitur, hostiles non valet reprimere adsultus; imò ipse captiuorum adauget numerum; at Abramus dum amæna despicit, dum auersatur florentia, dum consultior amat vtilia, multiplici coronatur lauro, & celebratur æterno triumpho. Nouit Abramus homines à captiuitate redimere, nouit infamiæ notam depellere; quia non quæsiuit de amænitate euanidas, ac ineptas delicias, sed de vtilitate victorias.

Amæna despicis, de hoste triumphabis.

Vers. 16. §. 28. Quare sæpè Moyses Lothum Abrami fratrem, & non sobrinum appellarit? Crediderim, vt innueret pijssimum Abramum non se ad bellum expedijsse affectu propinqui liberandi, sed fratris, seu proximi eripiendi. Ideò non solùm Loth, sed cunctos ciues, eorumque opes eripuit ab hostium potestate. Laudabiliter defenditur propinquus Lot, sed commendabiliùs Frater egens eripitur. Profectò actio perfectissima quando, & sanguini, & proximo prouidetur egenti. Non igitur incusandus Abramus acceptionis personarum accurrens ad propinquum, cum innuat Moyses, ei, vt fratri, siuè proximo subuenisse.

Actio perfectissima, quãdo, & sanguini, & proximo prouidetur egenti.

§. 29 Quare Abram credentium pater Lotum cum sua substantia à captiuitate liberat? Audi Anselmi Laudunensis inibi mysticum responsum. *A captiuitate vitiorum liberat fides rationem, & intellectum, quasi fratrem, & substantiam fratris*. O' illustrem, & præcelsam cognationem! Fides suprà rationem est, suprà intellectum est; & intellectum, & rationem quasi fratres agnoscit? Fides intellectum, & rationem captiuat, & vtrumque dicitur in libertatem vindicare? Profectò quò ratio est magis captiua in obsequium fidei, eò magis libera, & ingenua est. Mundialis voluptas penè captiuat rationem, & raptat ad vitia. *A' captiuitate vitiorum liberat fides rationem, & intellectum*. Intellectus, & ratio, quæ est potissima hominis portio, sic circa veritatem titubat, sic caligat, & passim impingit, vt in aliena erroris castra infidè deflectat: Fidei autem strenua ope, libera fit, oculatior, & ingenua, dum à vitiorum captiuitate liberatur. Porrò tametsi fides, vt inquit Saluianus lib. 4. de Guber. sit *Fructus mentis*: mens enim gratiæ semine fæcunda, fidem parturit: at mens per sobolem, quam feliciter procreat, feliciùs in libertatem asseritur, & cognatæ fidei ope liberatur. Vers. 16.

Fides à captiuitate vitiorum liberat rationem, & intellectum.

§. 30 Quare Rex Sodomæ potentissimus Abramo obuiam venit, non verò Melchisedech? Ille Rex magnus, hic verò Sacerdos Deo consecratus: Rex Abramo in occursum exeat; ad Sacerdotem verò ob tantæ dignitatis reuerentiam Abramus viam instituat. Vers. 17.

§. 31 Quare Rex Sodomæ adeò se demittit priuato homini, vt illi procedat obuiam, quòd minimè Reges facere solent? Nouit in Abramo Dei adiutorium, & in quo vel vmbra Dei apparet, non miror quòd sibi seruat valentias orbis. Ait S. Ioannes Chrysostomus apud Lyppomanum ibidem, *Attende quanta sit virtus, aliquem diuino frui adiutorio. Rex peregrino, & seni in occursum egreditur, & omnem honorem impendit*. Vers. 18.

Vbi vmbra Dei apparet, ibi superbia confunditur.

Digitized by Google

pendit: Iam enim didicerat, quòd nihil potentius sit eo, qui manu Dei adiuuatur. Subduntur Reges, & prosternuntur superbissimi principes ei, in quo vel vmbram Dei esse prospiciunt. Nonnè Nabuchodonosor, & potentissimus, & superbissimus erat? Huic tamen diuinitùs imbutus Daniel ignotas regnorum vices reuelat. Quid tunc? Daniel, cap. 2. vers. 46. *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei.* Rem miratus Porphyrius negat id potuisse accidere, quòd Rex superbissimus sic se ad captiui Danielis pedes deijceret, & eum adoraret. Cui obtrudens S. Hieronymus ait: *Nabuchodonosor non tàm Danielem, quàm in Daniele adorat Deum, qui mysteria reuelauit.* Agnouit Rex in mysterijs à Daniele dictis Deum illi necessariò astitisse, & vbi apparuit vel vestigium Dei, non mirum est, quòd superbissimi reges se substernant, vel captiuo.

Vers. 18. §. 32. Quare Melchisedech obuiam factus victorianti Abramo protulit panem, & vinum, & benedixit ei? Quia hoc facto futuros voluit erudire Prælatos in Ecclesia, non se suo muneri sat fecisse, vbi credito sibi gregi, prodiga eleemosynarum dispensatione, vel corporalibus misericordiæ operibus, vel impigra Sacramentorum administratione, & Dominici corporis oblatione præstò fuerint & *panem, & vinum*, obtulerint; diuini porrò verbi alimoniam subtraxerint: *neque enim in solo pane viuit homo, sed de omni verbo*, & fraternæ correctionis vino, *vino compunctionis*, seu, cum S. P. N. Augustino, *vino stimulationis* roboratur; ideò enim Melchisedech, prolato pane, vinoque profuso, in quibus sacrosanctæ prædicationis typus adumbratur, *Benedixit ei, & ait*; obloquitur, erudit, prædicat, & de cruenta strenui bellatoris victoria, celebres elicit, domino exercituum, laudes; ab his subindè, quàm fidenti nobis, ad Deum voto, in tribulationibus, & passionibus miserrimæ huiusce vitæ plurimis confugiendum, deflectit *Benedictus Abram Deo excelso, & benedictus Deus excelsus*; En elogium: *quo protegente, hostes in manibus suis sunt*: En saluberrimum documentum.

Prælatus Gregem commissam eleemosynis, Sacramentis, & omni charitate gubernent

Vers. 18. §. 33 Quare altissimi Sacerdos Dei Melchisedech, (*qui erat figura Christi, sicut docuit Paulus*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus in coll. cap. 6. de Abramo) huic, à cæde Regum triumphali cum reuerteretur, post repudiatam pinguem deuictorum prædam, panem, & vinum protulit, in quibus Christi carnem, & sanguinem agnouere Patres; *Melchisedech Rex salem, proferens panem, & vinum benedixit ei?* Quia nullum acceperat spolium Abramus, vinum illud, & panes promeruit: vt cælesti eos agnoueris epulo dignos, qui bonorum exuere affectus cunctorum cum illo didicerint. Post Regum quinque victoriam, non ante præbentur oblata; quia, *Sicut illi, Abramo reuertenti à cæde Regum; ita & Christus hostiam obtulit victoribus*, habet Nicolaus Zezerus cap. 5. in epist. ad Hebræos.

Cælesti pabulo sit dignus, qui omnium bonorum mundi affectus exuit.

§. 34 Quare Victori Abramo à cæde quinque Regum obuius cùm fuisset Melchisedech dicitur de eo *erat Sacerdos Dei Altissimi?* Quia in Eucharistiæ Sacramento maximè ostenditur Dei fortitudo, quæ suos protegit atque defendit: Audi quàm acutè Loquitur Caietanus. *Nominatur Deus hic, EL, tertium est hoc nomen Dei* (sed aduerte hic, quòd communis opinio tenet ipsum nomen HEL אל primum esse, non tertium, sicut iam diximus in tomo primo nostri Geneseon titul. Dubia Sacra cap. 5. col. 1. §. 44. pag. 85.) *hactenus siquidem nominatus est à Moyse, vel Elohim, vel Iehouah: modò incipit nominari, EL, significans fortem, & appropriatur Deo, tanquam antonomastycè forti: in litera tamen adiungitur, excelso, ad explicandam celsitudinem diuinæ fortitudinis super omnium fortitudines.* Dum antea de creatione, ac diuinæ maiestatis ostensione erat sermo, dicebatur Elohim אלהים, idest Deus Iudex; vel Iehouah יהוה, hoc est Omnipotens; EL אל, idest, fortis appellatur, vbi primùm ad figuram deuentum est Eucharisticam, in hoc enim Sacramento totum relucet robur, & diuina in custodiendis protegendisque suis apparet fortitudo. Vers. 18.

In Eucharistiæ Sacramento tota Dei fortitudo elucet.

§. 35. Quare quando nominatur Deus in commemoratione Melchisedech, dicitur Altissimus: *Erat Sacerdos Dei Altissimi*, & de Abram dicitur excelsus: *Benedictus Abram Deo excelso?* Idem est Deus Melchisedech, ac Abrami; vndè ergo tanta differentia in modo proponendi; prout Deus Abrami, ac Melchisedech nominatur; nam Melchisedech nuncupatur superlatiuo *Deus Altissimus, Deus summus*, hoc est valdè magnus: at Abrami dicitur Vers. 18.

Deus

Deus excelsus, idest magnus *benedictus Deo excelso*. Quare ergo tanta differentia? Deus Abrami vocatur, prout significatur Deus factus homo, sicut promissum est Abrae: *Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham &c.* S. Luc. cap. 1. Prout est Deus, qui mortuus est in cruce, quod praefiguratum fuit in sacrificio Abrami. Prout Deus, qui se per fidem reuelat: *Pater fidei nostrae Abram*. Prout per gratiam communicatur: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. At verò nuncupatur Deus Melchisedech, prout denotatur Deus, qui sub sacramentalibus speciebus panis, & vini se nobis in cibum praebet, nam Melchisedech fuit primus, qui huius magni Sacramenti figuram obtulit. S.P.N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 22. *Ibi primùm*, ait, *apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur*. Cùm ergo dicitur Deus in ordine ad Incarnationem, Passionem, ac ad sui communicationem per fidem, & gratiam Deus excelsus, Deus magnus appellatur. At verò prout est Deus, qui sub Sacramentalibus speciebus se nobis in cibum praebet; Deus Altissimus, idest, valdè magnus nominatur. Et si in alijs mysterijs Deus excelsus, Deus magnus; at in Eucharistico Sacramento Deus Altissimus, Deus valde magnus, hoc enim arcanum infinita Omnipotentia super vniuersa opera sua ipse edidit, & fecit.

Melchisedech primus Sacramenti Eucharistiae figuram obtulit.

Deus quando magnus, quando altissimus obseruandus.

Vers. 18. §. 36 Quare Abramus tantum promeruit, vt tàm gloriosam victoriam, tàmque largam benedictionem obtineret, & vt ei primus occurreret Melchisedech cum pane, & vino Eucharistico typo? Erat illi cor vt deuictorum hostium gazas, aureaque spolia despiceret, nam cùm Rex Sodomorum omnia spolia ei offerret, *Da mihi animas, caetera tolle tibi*; Generosè respondit Abram, *Leuo manum meam* ad Deum excelsum, quòd à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caligae non accipiam ex omnibus, quae tua sunt. Qui tantorum contemptor erat, dignus est inuentus, vt Eucharistico pabulo reficeretur. Sic Sanctus Cyrillus Alexandrinorum Antistes elegantissimè scripsit in Collect. de Abra. cap. 6. *Ei quidem benedixit Melchisedech, qui erat figura Christi, sicut docuit Paulus; & cùm nullum accepisset spolium, pane, & vino eum aluit*.

Omnia contemnentes Eucharistia digni.

Vers. 18. §. 37 Quare haec benedictio, quae à Deo excelso imperatur super Abram, non explicatur? In Sacris paginis expressè videtur, quòd aliorum benedictiones, aliquibus combinationibus exprimantur: nam cum Isaac benedicit filium suum Iacob per fragrantiam agri exprimit. *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni* Gen. 27. vers. 27. Similiter Iacob benedicens filios suos multa bona eis praedicens Gen. cap. 49. vers. 9. Iudam confert cum Leone: *Catulus Leonis Iuda ad praedam fili mi ascendisti*. Issachar cum asino assimilat vers. 14. *Issachar asinus fortis*. Dan dicit colubrum repraesentare, vers. 18. *Fiat Dan Coluber in via*. Aser pane communiuit vers. 20. *Aser pinguis panis*. Nephtali cum ceruo proportionatur, vers. 21. *Nephtali ceruus emissus*. Ioseph adaequat vberibus, vers. 22. *Benedictione vberum, & vulua*. Beniamin lupo aequiparatur, *Beniamin lupus rapax*.] Si ergo hae omnes benedictiones tantis figuris significantur, ac denotantur; quare ista benedictio, quae modò confertur Abramo, aliquo signo, vel aliqua metaphora non declaratur? Praecipuè cùm illae benedictiones Patriarcharum largam gratiarum magnitudinem inuenirent; Nam cum Iacob dicitur *odor agri pleni*, De odore virtutum, ac gratiarum caelestium est sermo, vt exponunt ibi S. P. N. Augustinus lib. 12. de Ciu. Dei cap. 3. S. Gregorius homil. 6. in Ezechiel. & Rupertus. Cùm ad Iudam praedicitur: *Catulus leonis Iuda ad praedam fili mi ascendisti*: quae ibi dicuntur, denotatur largissima omnium gratiarum, ac donorum amplitudo, quae in nos ex Christi aduentu, ac morte defusa est, vt expendunt S. Ambrosius de benedictionibus Patriarcharum, Eucherius, & Alij: quae ad Zabulon, & Beniamin referuntur, de Apostolis intelligunt citatus Mediolanensium Romanus Pastor, & Interpretes communiter. Si ergo istae omnes benedictiones tot, tantisque figuris proferuntur, cur ergo quae datur Abramo à Deo excelso etiam aliquo typo non declaratur? Audi. Haec benedictio dabatur in pane, & vino in figura Christi sub speciebus Sacramentalibus, vt est communis Patrum vox. Aliae benedictiones, & si magnam gratiam, ac mysteria importent, possunt tamen signo, ac figura aliqua indicari. At verò cùm in benedictione Abrae contineretur panis, & vinum Eucharisticum, tot ac tanta bona spiritualia in illa includuntur, vt nulla figura, tropo, methodoque dicendi valeant exprimi,

Eucharistiae dulcedines inexplicabiles.

ac declarari (vide nostram Apocalypsim cap. 2. Lect. 3. §. 14. col. 2. pag. 18.) & quidem verè nec non mysteriosè aliæ exprimuntur benedictiones, Abrami ipsa tacetur. Nam vbertas gloriæ, & gratiæ inter beatitudinis thronos concessa, per figuras, ac metaphoras depingi valet; At verò spirituales fructus, dulcedines, ac suauitates à carne Christi, & sanguine emanantes, nec vllis verbis, ac tropis, seù exaggerationibus adumbrari possunt.

Vers. 18. §. 38 Quare in hoc pugnaci congressu, & felici triumpho viri sanctissimi, nulla resonet precum vox, quæ & illi animos ingereret, & opem Dei auxiliarem accerseret? Vndè est tanta Abrami virtus, quam preces non armarunt? Vnde lætus triumphi clamor; precibus surdus? Miror in viro iusto congressum vsquè adeò felicem sinè oratione inermem. At verò Melchisedech Rex Salem reduci Abramo benedixit, & ait; *Benedictus Abram Deo excelso, qui creauit cælum, & terram: benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt*. Sera alicui videbitur hæc oratio; sed quæ suo merito congressui præcucurrit, & victoriam præproperè anteuertit, ne victoria sinè precarijs armis reportetur. Appositè Philo præscripta Geneseos verba exponens. *Et oraculum*, inquit, *quod post victoriales preces scriptum est, quas ille à seipso consecratus Sacerdos Melchisedech precatur, &c.* An non audis in Abrami victoria victoriales preces? Eximium sanè precum epitheton, & aspectabile elogium! ò frequens resonet in bellatorum auribus hoc animosum verbum, *Victoriales preces*. Porrò preces victoriam negotiantur, & victoria precum otium, seù negotium est. Sibi victoriam inuidet, qui antè congressum victorialibus precibus suas non armat manus, & exarmat alienas. An non Moyses expansis manibus Amalechum debellat? An non Dauid oratione citiùs, quàm lapide Philisthæum detruncat? Taceo Iuditham, Estherem, Machabæos, & Sexcentos alios obuia eruditione notissimos.

Dum oratio armat manus nostras, exarmat alienas.

Vers. 18. §. 39. Quare tot pretiosis cibarijs homini pleno Melchisedechus occurrit proferens panem, & vinum? De Religiosa Iudith audio, quòd progrediens ad Assyriorum ducem Holophernem cap. 10. vers. 5. *Imposuit itaque Abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palanthas, & panes, & caseum*; Vt sibi bonæ Israelitæ frugi edere apud deliciosum principem liceret. An eò etiam respexit frugalissimus rex Melchisedech? Equidem qui rex iustus occurrebat priuato homini cibis Sodomiticis pleno, meritò suæ cauens frugalitati, sibi panem, & vinum reponebat, sciens lauta conuiuia, & splendida, fatalia esse regibus. Sic Dominus minitans Babylonis vastitatem, quam intulit Cyrus Baltasarem, & principes in conuiuio interficiens Dan. cap. 6. ait per Hieremiam cap. 51. vers. 39. *In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eas, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus.*

Lauta conuiuia, & splendida Regibus fatalia.

§. 40. Quare tanti epuli conuiua Melchisedech sinè patre, & sinè matre, & sinè Genealogia introducitur, dum dicit Moyses: *At verò Melchisedech rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi?* Clariùs hoc etiam colligitur ex D. Paulo, qui ad Hebræos cap. 7. supra iam à nobis citato, dicit sinè patre, sinè matre, sinè genealogia, &c. Itaque dum Melchisedech introducitur sinè patre, & sinè matre, filio Dei assimilatus, simul introducitur Sacerdos Dei offerens panem, & vinum. Et quare proferens panem, & vinum sanctificatum, sic sinè patre introducitur terreno, quasi esset filius Dei, nisi vt ostendatur qualiter per Eucharistiæ epulum cooptamur inter filios Dei? Sanè ex quo diuinis epulis Eucharistiæ vesceris, genealogiam abiuras terrenam, & te asseris filium Dei. Vers. 18.

Eucharistiæ pabulo filij Dei efficimur.

§. 41. Quare, & vndè (quando agni, & vituli Deo litabantur etiam à sanctis) habuit Melchisedech, quòd panem, & vinum offerret? Rationem insinuant illa verba. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*. Non colebat Deum vtcumque, sed altissima eius sola respiciebat, quo meruit tanti vmbram præsentire mysterij. Non enim qui infima hæc, sed qui altissima sapit, digna sub tanti epuli Eucharistici requiescit vmbra. Ait Stephanus Aduensis Episcopus lib. de Sacram. altaris cap. 27. *Melchisedech in sublimi cor suum posuit, & ideò prænoscere meruit, & in sacrificij figura panem, & vinum offerre*. Non infimis, non mediocribus, sed sublimibus, sed altissimis Dei bonis cor suum tradiderat, & famulatum Melchisedech, quo meruit in pane, & vino adumbrare Sacramenta Dominici sanguinis, & corporis. Sic qui de hac mensa Vers. 18.

Qui de Eucharistica mensa saturari cupit omnia caduca conculcet.

mensa saturari cupit, ad alta respiciat, caduca hæc & infima conculcet. Isaias cap.33.vers. 15. *Qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex salumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & slandit oculos suos ne videat malum.* (vers. 16.) *Iste in excelsis babitabit, munimensa saxorum sublimitas eius: PANIS ei datus est.* Iustinus in Thyphone, Cyrillus, & Procopius hic panem hunc meditantur esse Eucharistieum cibum, qui datus est fidelibus.

Vers. 18. §. 42. Quare Melchisedech sinè patre, & sinè matre introducitur proferens panem, & vinum? Iesus in viuifico Eucharistiæ pane carnem suam veram, & sanguinem dabat, qui vt erat verus sanguis, & caro vera, veniebat à vera matre MARIA, vt homines satiaret, & ditaret. Melchisedech non Christi substantiam, sed vmbram, sed figuram in suo pane dabat; in quo vt nihil erat, quod veniret ex matre, sic sinè illa introducitur Sacerdos tantus. Ad hæc S. Damascenus lib. 4. de fide cap. 14. ait: *Abraam ex alienigenarum stirpe redeuntem ille summi Dei Sacerdos Melchisedech, pane, ac vino exsepit. Mensa illa mysticam banc adumbrabas, quemadmadum & Sacerdos ille veri Pontificis Christi figuram, & imaginem præ se ferebat.* Ecce tibi Melchisedechi Sacerdotium, & panis figura erat, & imago Sacerdotij Christiani, & diuinissimi Eucharistici panis, & in figura exprimenda quid faceret Mater? Vbi ad veritatem ventum est, & mensa nobis proponitur cælestis panis, vt ibi non figuratè, sed verè filius hominis comedendus datur, iam ibi necessariò intelligenda est Mater, de cuius vtero nobis venit epulum salutare. Figura est, vmbra est, non requiritur Mater. Vbi enim præintelligenda est mater diuina, ibi non vmbris, non figuris, sed vera Christi carne saginamur. Hinc Damascenus qui supra: *Quia mos hominibus est panem manducare, & vinum bibere, coniunxit Dominus ijs ipsis suam diuinitatem, & fecit bas suum sorpus, & sanguinem. Corpus enim secundùm veritatem saniunctum est diuinitati, quod ex Sancta Virgine corpus est ...... non est figura panis, & vinum sorporis, & sanguinis Christi, quod absit, sed est ipsum corpus deificatum.* Sic ille iuxtà versionem Clichtouei.

De vtero Virginis Mariæ venit nobis Eucharisticum epulum.

Vers. 18. §. 43 Quare dicitur Rex Salem, quando Melchisedech panem vinumque Abramo protulit? Rex Salem quid sonat? Rex pacis, inquit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Genes. Ergo & meritò vel vmbra Eucharistiæ sinè memoria pacis exhiberi non quibit, quando ipsa perfectæ pacis inter Deum, & homines perfectissimum est signum. Vndè elegantissimè ad rem nostram scripsit Guitmundus Archiepiscopus Auersensis lib. 2. de veritate Eucharistiæ. *Christus denique inter homines, & Deum mediator, dum nobis semper velut arsus in nubibus, ex diuina consistens, & bumana substantia fulget, eumque pater pro nobis interpellantem semper aspicit, inter Deum, & homines signum est fæderis sempiterni, iuxtà id:* Ponam arcum meum in nubibus, & erit signum fæderis inter me, & inter terram. *Huius quoque diuini fæderis, buius tam Saluberrimæ pacis Sasrosancta altaris oblatio à nobis creditur signum.*

Vel vmbra Eucharistiæ sinè pacis memoria exhiberi non potest.

§. 44 Quare Abramo offertur Eucharistiæ Sacramentum in figura panis & vini à Melchisedech? Vt discamus quòd sanè panis ille cælestis, quem Sacerdos secundùm ordine Melchisedech offert illis datur, qui sciunt antea sæculi ornamenta contemnere, & spoliorum mundialium thesauros. Spue ergo mundi spolia, humanas & mundiales spue Gazas, aurea omnia ornamenta contemne, & panem, & vinum Eucharisticum gustare incipies. Vers. 1.

Spue diuitias, & Eucharistiam gustara incipies.

§. 45 Quare Abram benedictus à Melchisedech post Reges deuictos? quia exuit se spolijs acceptis docens, vt exuat humanos affectus, qui ad Eucharisticum accedere epulum concupiscit. Hunc delibabit calicem, & gaudens, ac lætabunda degustabit *Filia Edon*, quæ habitat in terra Hus: *Ad te peruenies calix*, quia, *inebriaberis, atque nudaberis*. Thren. cap. 4. vers. 21. Hoc est, quæ mente, & corde à terrenis aliena, & denudata, nec affectibus huius sæculi inquinata, quia: *Vident bæc Sacramenta pauperes spiritu, & boc vno rontenti ferculo, omnes buius mundi delicias aspernantur, & possidentes Christum, aliquam mundi buius possidere supellectilem dedignantur, ait S. Cyprianus Serm: de cæna Domini.* Vers. 19.

§. 46 Quare Melchisedech, vt Abramo benedicat, panem; & vinum profert? Equidem de vini panisque Sacramento viuifico vniuersæ in homines benedictiones deriuantur. Ait enim Vers. 19.

D. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Genesim iuxtà lectionem Turriani tract. 2. de Eucharistia cap. 15. *Benedicimur per Christum regem pacis, benedicimur, inquam, accipientes velut donum quoddam caleste, & viaticum terra sempiterna, ac calestis ipsa mysteria*. Felix, qui ad diuinissimæ mensæ accedit mysteria, cælesteque illud accipit viaticum, eo ipso benedictionem diuinam accipit, quæ non potest non prosilire ex diuinissimo dignè sumpto pabulo, & quænam benedictio ab hac mensa non dilabatur? Clamabat Isaias cap. 56. vers. 9. *Omnes bestiæ agri venite ad deuorandam:* Circa quæ verba D. Cyrillus Alexandrinus ait: *Si gentium vt ferarum meminit, dictum à Deo;* Venite comedite, *quo omnem Sacrosanctorum Charismatum affluentiam illis datam significat, & mensam esse appositam, quæ viuificat*. Nationes gentium vocat feras, & bestias agri, quæ dum dignè ad mensam accedant, ibique viuificum epulum comedant, omni diuinorum Charismatum affluentia implebuntur. Nulla est benedictionum cælestium gratia, quæ in diuino non contineatur epulo.

Ab eucharistia omnes benedictiones.

Vers. 20. §. 47 Quare Abram de bonis Regis Sodomorum voluit ipse dare decimas Sacerdoti? Quare non magis omnia ipse cessit integra regi, vt sic rex sua manu Sacerdoti daret suæ partis decimas, & sic magis honoraret Sacerdotem? Cur sic præuenit Regem, impediens quodammodo, ne Sacerdos Dei acciperet à rege honorem? Meritò prudens vir cauit fauores regios in Sacerdotem, sciens quàm plus illi obesse, quàm prodesse tantis Sacerdotibus soleant. Dicebat S. Ambrosius oratione in obitum Valentiniani. *Feliciùs Episcopos persequantur Imperatores quàm diligant. Quantò mihi beatiùs Maximus minabatur? In illius odio laus erat, in horum amore supplicij feralis hæreditas*. Hoc, inquam, D. Ambrosius dicebat, & quidem ipse in temporalibus expertus, at in spiritualibus, qui Episcopus inter Imperatorum fauores non experiebatur damna? Omnibus (ò audiret orbis!) est aula damnosa; Episcopis autem magnisque Sacerdotibus hæreditas est supplicij feralis.

Aula omnibus damnosa, sed prælatis, & Sacerdotibus hæreditas est supplicij feralis.

Vers. 21. §. 48. Quare modò Abramus lucet benedictus, qui nec tot aduersarijs victis plenè resplenduerat laudibus celebratus? Quia nunc, respondit Lippomanum apud, Interlinearis, Deo offertur sacrificium, & Abramus oblatis decimis religiosum testatur obsequiū. Ergo tunc resplendet benedictus, cùm apparet & gratus; *Benedictus Abram Deo excelso. Ac si planioribus verbis dicat: Hæc victoria Deo excelso est assignanda, & gratiarum actio pro beneficijs exhibenda*. Dum Abram offert decimas, dum debitas pro tanta victoria refert supremo Numini gratias, lucet plenè conclamatus, & plauditur benedictus: gratiarum actione asciuit sibi protectorem exinceps Deum, vt iam nullo exagitaretur periculo, qui emerat sibi securitatem obsequio, & digno gratitudinis testimonio. Offerenti decimas redditur triumphorum plausus, quia de gratiarum actione triumphus lucebat perfectus.

Qui gratus apparet omni honore, & benedictione dignus.

§. 49. Quare Sodomorum rex dum è celebratissima victoria redibat Abram dixit ei; *Da mihi animas, cætera tolle tibi?* Et quænam sunt, rogo illa cætera ab Abramo tollenda? Regiæ nimirùm diuitiæ, & regni omnis substantia ab hostibus ablata; & tamen rex ille barbarus subditos quætit non bona, thesauros, & diuitias, quasi documentum principibus Christianis dederit amandi subditos, non aliquid in regno aliud; debent enim subditorum salutem diuitijs omnibus, & voluptatibus anteferre. Quod notauit Oleaster: *Audiant, ait, hoc reges, scilicet, pluris esse faciendas animas subditorum, quàm substantiam suam: quod eos arguit, qui ad pecunias, & ad bona eorum inhiant*. Pluris enim facere subditorum bona, quàm ipsos, iniquissimi iudicis est, & iniquissimi principis argumentum. Vers. 22.

Tyrannus non Princeps, qui subditorum salutem non quærit.

§. 50. Quare Sodomorum ipse rex suis animabus minimè contentus, eas, quæ Abrami bellico iure fuerant, petulanter quæsiuit? Audi Ludouicum Granatensem: *Sicut auarus rebus suis minimè contentus est, sed ad aliena aspirat; magis enim aliorum honorum desiderio cruciatur, quàm suorum possessione lætatur; ita hostis noster, qui animarum tàm auidus est, vt ipsius nomine dictum sit, da mihi animas, cætera tolle tibi; nullo modo in his cequiescit, quos iam suos dudum fecit, sed ad ea, quæ alieni iuris, hoc est, Dei sunt, tota auiditate aspirat*. En quomodo diabolus corrupto vno per peccatum, spem siuè fiduciam habet corrumpendi alios! En quomodò Auarus rebus suis non contentus, semper quæ proximi sunt bona appetit. Totum hoc mysticè dictum est Iob cap. 40. vers. 18. *Eccè absorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd affluat Iordanis in os eius*. Vers. 21.

Vt Auarus qui suis diuitijs non contentus aliena quærit; ita Dæmon erga animas.

§. 51. Qua-

Verſ. 22. §. 51. Quare Abram iurauit propter Deum excelſum, quòd nihil acciperet de omnibus, quæ regis erant Sodomorum? Votum videlicet emiſerat, de hoſtium ſpolijs accepturum ſe nihil; & ideò *Leuo manum meam ad Deum*, ac ſi dixiſſet, illuſtrat Stephanus Episc. *Votum voui; ſi non reddidero quod voui; timeo ne ille, qui aufert ſpiritum Principum, auferat ſpiritum meum*. Tantus hic timor inceſſit hominem Deo charum, iuſtum, perfectum, & abſolutæ ſanctitatis idæam, ne vitæ ſupplicio plecteretur, vbi, quod Deo ſpoponderat, implere neglexiſſet; quid non artubus totis contremiſcas infide Peccator, ne te, ſemel, ac iterum, inſtanti ereptum periculo, repentinæ mortis horror inuadat; idonea pænitentiæ ſpatia inuoluat, ſpem ſalutis ſuccidat æternæ: ac gehennalibus deputet, momentaneo caſu ſupplicijs, quæ conſtanti ſalubrium promiſſionem impletione conſultiùs anteuertere, inito cum Deo contractu, neglexiſti?

Votum Deo promiſſum conſtantiſſimè obſeruandum.

Verſ. 22. §. 52. Quare Abram iurando ad iurandum facilis, & expromptus perhibetur? O' præclarum ſub ſpecie vitij, virtutis Sacramentum! Scilicèt (vt ibi notanter ſcribit S. Ioannes Chryſoſtomus) dum Abramus iurat per *Dominum Deum excelſum poſſeſſorem cæli, & terræ, pietatis doctor ei* (ideſt Regi) *fieri ſtudet, quaſi docens eum: illum tibi teſtem adhibeo, qui eſt omnium creator, vt ſcire poſſis Deum omnium, & ne credas eſſe Deos, ea quæ ab hominum manibus fabricantur*. Profundè quidem Aureus Doctor! Nempè quod in viris eximiè ſanctis, & aſpectabili pietate, conſpicuis, ſpecie tenus vitium apparet, ſæpè virtutis eruditio eſt. Vel ex apparentis vitij latebris, piè inſidiantur profectui ſpectatorum; & aliquando ſpecie improbitatis, clanculum pietatem ſpirant, affricant, allinunt: & quod putas de terræ contagio, de cæli ſchola venit. Ecce tibi Abram iurans *per Deum excelſum poſſeſſorem cæli, & terræ*: Verum Deum gentibus intimat, & idololatriæ inſaniam damnat ad gentium eruditionem.

Quod in iuſtis vitium apparet, ſæpe virtutis eſt eruditio.

Verſ. 22. §. 53 Quare dixit Abram *Leuo manum meam*? Nemo Interpretum non notat, quòd antiquus iurandi geſtus erat, manus leuare. Exindè dum dicit Abram, *Leuo manum*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, *Iuro*; manum enim leuare, iurare eſt. Eruditè autem notat inibi Lippomanus, *Quàm diuersè huius verbi* (leuo manum) *tempora versantur ab omnibus Interpretibus. Hebraicè eſt Leuaui; Chaldaicè eſt Leuo: Græcè, leuabo. Quamquam id ad ſententiam nihil referat*. Ad ſententiam literalem nihil ſanè refert; multum verò ad ſententiam moralem. Sic iurandi conſuetudo inoleſcit, ex facili imbibitur, altèque animitùs hæret, vt qui dudùm iurauit, & nunc iuret, & exinceps iurabit? O Synonyma in paucis moraliſſima! Heù nimis verè!

Conſuetudo inueterata difficilè tollitur.

Qui dudum iurauit, & nunc iurat, & exinceps iurabit.

Verſ. 22. §. 54 Quare Abram ſic ſe eximit à Regis Sodomorum muneribus? Cur nullius rei indigum ſeſe oſtendit tanto Regi, præcipuè cùm paulò antè ex Rege Melchiſedecho panem, & vinum accepiſſet? Cur magis placuit Melchiſedech, vt eius reciperentur dona, quàm Rex Sodomorum? Sanè, curabat Abramus Regem Sodomorum in fide, & Religione, & cultu veri Dei inſtruere, ad quod ſeſe inſtar Dei repræſentabat, tàm in eo, quòd de manu Sacerdotis acciperet oblata; erat enim Melchiſedech Sacerdos Dei Altiſſimi, quàm in eo, quòd Regis Sodomorum bonis egeret nullis. Et nemo mihi crede, aptior, & ſecurior regiæ vitæ inſtructor, quàm qui inſtar Dei, nullis apud Reges temporalibus indiget: Aiebat S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 35. in Geneſim. *Duo ſimul docere vult Regem Sodomorum: Nam, & vitæ honeſtæ formam indicauit, & pietatis doctor ei fieri ſtudet, quaſi docens eum. Illum tibi teſtem adhibeo, quòd nihil tuarum rerum accipiam; illum, qui omnium eſt Conditor, & ne credas eſſe Deos, qui ab hominum manibus fabricantur. Ille Cæli, & terræ Conditor, ille, & nobis in hoc bello victoriæ Auctor. Ne igitur expectes me permiſſurum, vt mihi des quicquam*. Ecce tibi, vt Abramus Doctor fieri Regi pietatis ſtuduit, illumque veri Dei cultu inſtruere; nil magis cauit, quàm aliquid ab illo percipere, nihil magis egit, quàm nulla humana facultate ſe oſtendere indigum.

Optimus inſtructor vitæ ſpiritualis, qui nulla re ſe indigere oſtendit.

Verſ. 22. §. 55 Quare Abram neceſſum fuit tàm obnixè Deum obteſtari, eiuſque abſolutiſſimæ poteſtatis in Cœlo, & in terra memoriam facere? Res erat de reddendis bonis Pentapolitæ Regi, quæ de Hoſte eius capta ſemel ſuis adiunxerat Abramus. At vt quis, quæ inter ſua poſuerat iam bona, vero Domino reſtituat, magna, & præſentiſſima ibi Dei intercedens potentia eſt neceſſaria. Ad hæc Prouerb. cap. 30. verſ. 1. *Verba congregantis filij vomentis. Viſio, quam locutus eſt vir, cum quo eſt*

Deus,

Digitized by Google

Deus, & qui Deo se cum morante confortatus ait, &c. Itaque idem est vir, cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatur, & filius congregantis, & vomentis. Sed quid cum tanta assistentia, & confortatione Dei habet commune, quòd quis, & congreget, & euomat? Sanè hoc magnum est in Spiritualibus, & prorsùs inuisum, nisi Deo præsente, & validè confortante. Quòd autem homo congreget bona multa, id passim cernitur; at quòd post semel congregata bona, quod ibi alienum est, iterum vomat, hoc nonnisi à Deo assistente, & confortante euenit.

Omnia mundi despicere magna Dei gratia.

Vers. 22. & 23. §. 56. Quare Abram nihil admittere voluit, quæ Pentapolitani Principis erant? Imò certè non iam præliando acquisita ad Regem Sodomorum spectabant, sed ad Abram, & Commilitones, quare excipit eam spoliorum portionem, quæ ad viros attinebat, qui sub illo dimicauerunt, iure enim Belli comprehensa in eorum transiere potestatem: atqui istiusmodi sudorum emolumenta sunt, quamobrem igitur præmia reiectat? Erat generosæ, & excelsæ mentis inclytus Patriarcha: Dei, & charitatis in proximum gratia, adortus est periculum ingens dubij martis; talibus stimulatus incitamentis, satis illi stipendiorum pro Deo laborasse: Scit benè facere pugnæ sodales, asportando vestem pretiosam, aurea, argentea vasa de hostium extracta manibus, sed nouo, & insolito victoribus more, ipso de labore coronam texit, nihil vltrà desideraturus: valeant gemmæ, aulæa, monilia Abraæ mercedis loco amplissimæ, quòd pro salute proximorum discrimini vitam supposuerit. Hinc Aureus Doctor homil. 35. in Genesim dixit: *Magna Patriarcha in contemnendis diuitijs virtus: Ne igitur* (ait Regi Sodomorum) *Expectes me permissurum, vt mihi des quidpiam, neque enim mercedis gratia vindictam feci; sed primùm, ob amoris affectum, quem erga fratris mei filium gero; Deindè, & propter ipsius iustitiæ officium; vt è barbarorum manibus eriperem iniustè abductos.* Abulensis verò inibi adiungit: *Nolebat ergo, quòd laus, quæ Deo attribui debebat de multiplicatione bonorum Abraæ, reduceretur ad Regem Sodomorum: & quantum ad hoc valdè bonus erat Zelans totis viribus honorem Dei.*

Magnum stipendium pro Deo laborare.

Vers. 18. §. 57. Quare hoc potissimùm tempore, his circumstantijs, & nequè antea vnquam hoc obsequij genus à Melchisedecho Abram præstitum? Insuper cur exceptis vino, & pane, alia non adiunxerit, nequè ex Oceano, neque ex syluis, montibusue petita? Verùm exploratum est, hoc hieroglyphico Christi præfiguratum sacerdotium; pane, atque vino indicatam Eucharistiam. Ergo ante hoc tempus non patebat quidem, Abramum Regem esse, nunc verò eius dominationis non obscura argumenta; quòd regia pollentem auctoritate iure coniectari possimus, qui tot debellaret Toparchas, & æqualis potentiæ cum ijs, quos subiugauerat. Regio igitur fulgentem splendore cùm Melchisedech animaduerteret, ratus hoc insignitum honore idoneum esse, cui Dominici Corporis committeretur alimonia, cùm Sacerdotes sub gratiæ lege ipse præferret, Abramo panem, & vinum obtulit: sed, cùm animo statuisset Melchisedech, panis, atque vini oblatione Abraæ triumphum cumulatiorem reddere, quamobrem non per seruorum, clientumuè aliquos donum misit victori; at ipse portitor fuit. Quare innuebat tota illa actio, vt debeant quidem reges esse, quotquot ad Eucharisticam mensam accedant; eius tamen, qui Minister, tantam esse oportere excellentiam, vt Regem dici non sufficiat, nisi Archiprinceps sit, & Regum rex, dominantium Dominus. Quòd Abram regia functus esset potestate, vide Bellarminum lib. 1. de Romano Pontifice cap. 2.

Ad Eucharistiam accedentes quasi Reges.

Abraham fuit Rex.

§. 58. Quare Abram contemnit quod iure belli victoria fecit suum? Vers. 23.
Præsertim quo tempore plus opibus indigebat Abramus ad repugnandum contrà aduersarios Reges, si fortè erubescentes, se ab alienigena propè inermi, & subigendæ glebæ, potiùs quam peritiæ militari adsueto, ignobiliter deuictos, vires reconcinnarent, & pugnam periculosiùs restaurarent. An eiusmodi opulento spoliorum repudio, exquisita largitate victis Pentapoleos regibus adulari voluit, & eorum gratiam diuitis spolij cessione suborâre? An potiùs quando se animaduertit quatuor deuictis Regibus hostiliter infusis, opes amicorum Regum contempsit, ne eorum opulentiæ indigus crederetur, & ex indigentia, eorum hostilitatem fœnoraret? Fallor, id non expressit S. Clemens Alexandrinus 3. strom. cap. 5. ità aliorsùm locus: *Sicut homo*, inquit, *componitur ex contrarijs, nempè ex calido, & frigido, humido, & sicco:*

Si qui dat contrarius fit ei, qui accipit.

Digitized by Google

ficco: ita etiam ex ijs, qui dant, & ex ijs qui accipiunt. Nimirum consultissimè Abramus cùm deuictorum Regum lacessiuit potentiam, vt bellum aduersùs se restaurarent; consultissimè inquam, confœderatorum Principum opes vltrò oblatas, constanter recusat, ne si putaretur eorum indigus, de indigentia ab ipsis subleuata, eorum hostilitatem contrà se armaret, quasi indigentia opitulantem se aduersùs armet; & dum quis quasi indigus opem accipit, datoris indignationi obnoxius sit, acceptionis titulo. *Sicut* enim *Homo componitur ex contrarijs nempè ex calido, & frigido, humido, & ficco: ità etiam ex ijs qui dant, & ex ijs qui accipiunt*, ac si is qui dat contrarius sit ei, qui accipit. Vndè Abramus opulentiora Regum donatiua recusat, ne eis vllatenùs indigere videatur, & indè indigentiæ consequentias subeat. Quid accommodatius?

Vers. 23. §. 59 Quare Abram recusat opima spolia, quæ ab ipso restaurata, illi vltrò offerebant Reges? Audi ex eodem versiculo responsionem: *Ne dicas: Ego ditaui Abram*. Vbi obseruat Lyramus explicans: *Hoc dixit, non ad iactantiam, sed ne eius ditatio aliquo modo alij tribueretur, quàm Deo*. Mauult Abramus opibus carere, quàm ab homine diuitari: Diuitiæ ab alio homine acceptæ, non tam opulentare videntur, quam infelicitare. Quod iactantia non est, sed ipsa natura beneficij acce-pti: nam quod ab alio homine habetur, quadammodò sui iniuria possidetur, cùm se prodat indigum ipsa acceptione; alium locupletem, & munificum ipsa largitione.

Diuitiæ ab homine accepta non tam opulentare quàm infelicitare videntur.

§. 60 Quare memorantur hìc Eschol, Aner, & Mambre? Audi quod Philosophatur Hebræus Philo in lib. de Migratione Abrami: *Ex comitibus meis Eschol, Aunam, Mambre portiones accipient* (loquitur in Persona Abram) *quod dicit de generosis moribus. Nam Eschol bonam indolem significat, ab igne ducens nomen: quoniam quod generosum, idem audax est, & calidum, inhærens omnibus, quæ attingit*. Strenuè ferocijt Eschol cum Abramo aduersùs scelerosos inuasores; ab igne enim nomen habet: quoniam quod generosum, idem audax ad iustitiæ vindictam, idem & calidum, ne moras nectat, & cunctatione pigra supplicij, infligendi elabatur occasio: ab igne etiam splendidum est, dum à flagitiosè scelerosis, per eorum strages victoriam gloriosè reportat, & sumptuosum exertæ malitiæ tropheum erigit. Sanè quod generosum est, idem & audax est ad iustitiæ tutelam, & iniustitiæ ruinam, profectò (scripsit Tertullianus lib. 2. aduersùs Marcionem cap. 13.) *tot illecebris mali expugnantibus bonum, quis illud appeteret, quod impunè contemneret?* Vers. 24.

Quod generosum idem, & gloriosè audax est ad iustitiæ rigores.

Eschol quid significet.



CAPVT XV.

GENESIS.

Vers. 1.  *Is itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

2. *Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absquè liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.*

3. *Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & eccè vernaculus meus hæres meus erit.*

4. *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.*

5. *Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.*

6. *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.*

7. *Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.*

8. *At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam?*

9. *Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.*

10. *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contrà se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit.*

11. *Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.*

12. *Cùmque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum.*

13. *Dictumque est ad eum: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.*

14. *Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & posthæc egredientur cum magna substantia.*

15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.*

16. *Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsquè ad præsens tempus.*

17. *Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.*

18. *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsquè ad fluuium magnum Euphratem.*

19. *Cinæos, & Cenecæos, Cedmonæos,*

20. *Hethæos, & Pherezæos; Raphaim quoque.*

21. *Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.*

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1.

Num. I. His *itaque transactis*: idest, iam debellatis quatuor regibus, pulcherrimoque parto triumpho, & liberato Loth, post honorificam illam gratulationem, qua victorem Abram accepit Melchisedech, qui panis, & vini sacrificium pro eius victoria Deo obtulit, decimasque ab ipso de omnibus accepit; post declaratam animi magnitudinem Abraæ ex opulentissima præda, quam ei Rex Sodomorum omnem concedebat, quicquam attingere recusantis, his ergo omnibus transactis, sequitur Moses Abraæ historiam, & quæ post hæc suprà enumerata acciderunt, describere, dicens.

2 *Factus est sermo Domini ad Abram per visionem*: Quamuis ex sacro Codice non constet, an ipsa visio Abraæ fuerit in somnis, an in vigilia, duo tamen ex coniectura demonstrant, quòd vigilando fuerit. Primum quòd inseritur hìc actus credendi ad iustitiam imputatus Abraæ *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*: dormientes ènim nec iusti, nec iniusti sunt. Secundum ex accuratione, qua describitur à Moyse; quia non solùm ipse visionem scribit, sed in visione sermonem; & quasi hoc non sufficeret, ad differentiam sermonis scripti monstrati in visione, actionem adiungit loquendi. Describitur itaque interna visio Dei sub specie alloquentis Abram, dicendo ipsi subiuncta. Describitur autèm visus, & auditus sub nomine Tetragrammaton, vt hæc quarta visio similis monstretur tribus prioribus: *vt ipse essendi fons* (inquit Caietanus ibidem pag. mihi 75.) *curam suscepisse videatur Abraæ, qui profitebatur Deum esse possessorem cælorum, & terræ.*

Dormientes nec iusti, nec iniusti sunt.

3 *Noli timere Abram*: iuxtà hebræam veritatem habetur: non timebis Abram.

4 *Ego protector tuus sum*: idest ego sum clypeus tuus, vel ego sum scutum tuum; nam hebraicè stat אנכי מגן לך *anochi magen lach*, à radice גנן *ganan* quod est protegere, defendere, & *magen*, quod est clypeus, scutum, quod se gestantes protegit.

5 Nota quòd Clypeos Proetus, & Acrisius inter se belligerantes repererunt, siuè Chalcus Athamantis filius: sic refert Laurentius Beierlinch in suo Theatro vitæ humanæ tom. 1. lit. A. col. 1. lit. B. pag. mihi 525. impress. Lugdun. Plutarcus in Instit. Lacon. refert, Spartæ matronam suo filio ad bellum procedenti clypeum porrexisse his verbis, aut vince cum ipso, aut super ipsum ad tumulum perge: cuius memorabilis dicti Ausonius prædicator factus, sic scripsit

Clypei quis inuentor.

Dictum mirabile matronæ Spartæ ad filium.

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc (inquit) aut in hoc redi.

6 *Et merces tua magna nimis*: Inquit S. Ioannes Chrysostomus homil. 36. in Genesim lit. A. pag. mihi 199. *Ego qui à Chaldæis te euocaui, ego qui te huc duxi, ego qui te à periculis Ægypti liberaui, ego qui semel atque iterum promisi tibi, atque semini tuo daturum me terram hanc, ego te protegam: ego qui in dies magis, & magis omnibus te clarum ostendo, ego protego te: hoc est, ego scuti vice tibi ero, ego pro te certo, ego propugnator fio, ego curam gero, ego omnia difficilia facilia tibi reddam, ego protego te; & quia noluisti mercedem accipere pro laboribus quos sustinuisti, tantis periculis teipsum obijciendo, sed contempsisti, & regem, & munera eius: Ego tibi mercedem dabo, multam, & valdè multam.* Vers. 2.

7 *Dixitque Abram: Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam absquè liberis*: idest Domine ego scio, quòd tu dabis mihi multa, sed quid mihi proderunt, quia filium non habeo, nec relinquam successorem: moriar ergo sinè liberis. *Videbat enim* (inquit Abulensis ibid. lit. K. impress. Venet. col. 2. pag. mihi 472.) *Abram, quòd vxor sua Sarai erat sterilis, & impossibile erat naturaliter filium suscipere ex ea: rursùs Abram, quia vir iustus erat, licèt sciret se posse gignere ex alia muliere, nolebat, quia magis eligebat sinè liberis mori, quàm eos inhonestè generare.*

8 *Et filius procuratoris domus meæ*: Hebraicè est בן משק *ben meseph*, quod vt variè vertitur, ità variè exponitur. Gennadius, & Diodorus legunt *Filius*

Mesech, quæ est ancilla, seù vernacula mea. Vatablus vertit *Filius derelictionis domus meæ*, idest, cui curam omnem rei familiaris meæ reliqui, & commisi. Oleaster, & Forstenus vertunt *Filius exiens*, siuè *discurrens*, idest Oeconomus, qui per domum discursat, vt omnibus prospiciat. Aquila vertit *Filius potum dantis domui meæ*; idest vt S. Hieronymus in quæst. Hebraicis vertit *Filius procuratoris domus meæ*: Procurator enim cibum, & potum procurat, & præbet familiæ.

9 *Iste Damascus Eliezer*: Damascus Hebraicè דמשק *Dammesec*, descendit à *Mesec*, quod præcessit; vt præfixa litera ד *dalet* sit articulus, quem Syri vsurpant pro ה *he* demonstratiuo Hebræorum. *Damascus* ergo vel *Dammesec*, idem est, quod iste *mesec*, puta iste procurator. Itaque ex officio quasi perpetuo, & hereditario procurationis, hic seruus vocatus Damascus, cùm eius proprium nomen esset Eliezer, quod interpretatur *Dei adiutorium*, siuè *Dei Atrium*, vel *Deus meus adiutor*, vt vult Interlinearis ibidem.

10 Ab hoc Damasco Abraæ procuratore cogitarunt nonnulli Vrbem Damascum conditam esse: pro hac sententia stant D. Hieronymus, Tostatus, & alij. Contrà quam facit primò, quòd Ioseph lib. 1. Antiquit. enarrans
De Conditore Damasci variæ opiniones. originem Gentium ex tribus filijs Noe, scriptam à Moyse suprà Gen. cap. 10. Conditorem vrbis Damasci facit Hus nepotem Sem, multò, scilicet, antiquiorem isto Damasco seruo Abraæ. Secundò; iam in præcedenti capitulo visum est, Abram insecutum esse quatuor illos reges vsquè Hoba, quæ est ad læuam Damasci: erat igitur ante Abram vrbs Damascus: quare seruus Abraæ Damascus conditor eius esse nō potuit. Tertiò habetur, quòd idem sensit, & scriptum reliquit super decimum Genesis caput S. Hieronymus in quæstionibus hebraicis in Genesim.

11 Damascus enim Syriæ vrbs est antiquissima, palmularum fertilissima, & prunorum, quæ indè Damascena vocantur. Lucanus lib. 3.

Et felix (sic fama) Ninos, ventosa Damascus.

Hanc veram Iouis vrbem, totiusq; orientis oculū vocat Iulianus in Epi. Sic autem dicta est ab Asco quodam gigante,
Damasci Ciuitas vbi. qui Dionysium vinctum illùc cum Licurgo in fluuium iniecit: Vel quòd Damascus Mercurij, & Halimedæ Nymphæ filius ex Arcadia in Syriam profectus, vrbem sui nominis condiderit: vel quòd Dionysium ibi persecutus sit, & excoriauerit Damascum quemdam, qui vineta securi exciderat: Vel potiùs à voce Hebræa *Dammesec* quæ Latinis est, *Similitudo incendij*, aut *osculi*, vel *populi*, siuè *facei*, aut *similis femori*, vel *tacitum osculum*, aut *poculum*. Cæterùm an ex Damasco Abraæ procuratore, an ex alijs vrbs Damascus condita fuerit, Lectoris arbitrio relinquo; Nam in re tùm propter vetustatem incerta, tùm quòd ea res nulla satis probabili, vel ratione, vel auctoritate, nixa ac fulta est: quicquid dixeris, nec certum nec firmum esse potest.

12 *Addiditque Abram: Mihi autem* Vers. 3.
non dedisti semen, idest, filium natum de semine meo: *benè enim* (inquit Abulensis) *habebat semen, quia coire poterat, & gignere, si Sarai sterilis non fuisset, vt patet, quia habuit sex filios de Cethura.*

13 *Et ecce vernaculus meus, hæres meus erit*, idest, quia non dedisti mihi hæredem, necessè est quòd adoptem alium extraneum. *Ingentem* (scribit S. Ioannes Chrysostomus vbi suprà Lit. B.) *dolorem animæ eius declarant hæc verba, quasi diceret Deo: Neque ea sum assequutus, quæ ancilla mea vernacula: sed ego quidem abibo sinè prole, & sinè filio: hic autem vernaculus meus hæreditatem accipiet, quæ à te mihi data, idque cùm semel atque iterum promissionem à te acceperim, dicente, Semini tuo dabo terram hanc.*

14 Hic nota quòd Hæreditas, est successio in vniuersum Ius, quod defunctus habuit; & dicitur iacens, do- *Hæreditas*
nec est sinè hærede, quia repræsentat *quid sit.*
defunctum, non futurum hæredem; *vt lib. 1: nihil de verb. signif.* dicitur ab hærendo, hoc est arctè insidendo. *Theat. Vit. hum. & de leg. Vide Tusc. concl. 16. Lit. H.*

15 Hæreditas addita, est illa, de *Hæredem*
qua hæres se intromisit auctoritate *instituere*
Prætoris, imò auctoritas Prætoris *quid sit.*
non est necessaria, sed voluntas sufficit. *Voc. Iur.*

16 Hæredem instituere, nihil aliud est, quàm relinquere aliquem Dominum bonorum suorum; cùm nihil aliud sit, nisi successio in vniuersum Ius, quod defunctus habuit tempore mortis. *Nicol. lib. 2. tit. 14. de hæredibus instituendis.*

17 Sex modis dicitur Hæres, 1. ab
Intestato. 2. Fidei commissarius. 3. Le- *Hæres quot*
gatarius, 4. Legitimus, 5. Substitu- *modis dici-*
tus, 6. Testamentarius. Primus est il- *tur.*

le,

le, qui succedit in ius defuncti, sinè omni testamento *Vocab. Iuris*. Secundus est ille, cui ex fideicommisso relicta est hæreditas, danda illi, cui testator disposuit; dicendo sic, Fidei tuæ committo, vt hoc des illi. *Ibidem*. Tertius est ille, qui legatum accepit, vel cui legatum factum est. Quartus est ille, qui ex lege duodecim tabularum, aut ex Iuris constitutione, etiam sinè testamento succedit defuncto, vt sunt agnati. *Voc. Iur.* Quintus est ille, qui alij hæredi instituto substituitur. Sextus est ille qui ex testamento hæres scriptus est. *ibidem*.

Vers. 4. 18 *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus.* Idest licèt tu intelligas istum Damascum adoptare in filium, quia filium non habes, tamen non erit sic, quia filium habebis hæredem.

19 *Qui egredietur de vtero tuo:* idest quem tu de Sarai vxore tua (tuo videri sterili) generabis. *Et dicitur de vtero*, scribit Abulensis vbi supra lit. E. col. 1. pag. 473. *Idest, de lumbis, quia semen non est in vtero, sed in quibusdam musculis in lumbis, vbi colligitur, quia omnia membra (permiscentur?), vt sit naturaliter virtus formatiua in semine diuersorum membrorum, cùm autem ibi collectum fuerit, motu quodam effunditur testiculis agentibus, ideò spadones licèt aliàs potentes sint, seminalem materiam effundere nequeunt.*

Vers. 5. 20 *Eduxitque eum foras.* Ex hoc colligitur, quòd Abram erat intrà tabernaculum suum tempore noctis solus orans, cum hanc sensibilem Dei visionem habuit; vndè eductus Abram extrà tabernaculum ab Angelo dixit illi:

21 *Suspice cælum, & numera stellas si potes: & dixit ei: sic erit semen tuum.* Horum verborum interpretationem legitimam nec non elegantissimam dat S. P. N Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 23. col. 1. pag. mihi 204. Sic scribens: *Promittitur Abrea semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stella cæli: vbi mihi magis videtur promissa posteritas, felicitate sublimis. Nam quantum ad multitudinem pertinet, quid sunt stellæ cæli ad arenam terræ? nisi quis, & istam comparationem in tantum esse similem dicat, in quantum etiam stellæ dinumerari non valent. Non enim eas omnes videri posse credendum est: cùm quantò quisque acutiùs intuetur, tantò plures videat. Vndè & acerrimè cernentibus, aliquas occultas esse meritò existimatur: exceptis ijs sideribus, quæ in alia parte orbis à nobis remotissima, oriri, & occidere perhibentur. Postremò quicunque vniuersum stellarum numerum comprehendisse, & conscripsisse iactantur, sicut Aratus, vel Eudoxius, vel si qui alij sunt; eos libri huius contemnit auctoritas.* Voluit igitur ostendere Deus Abraæ multitudinem filiorum ex semine Patriachæ descendentium futuram innumerabilem: colligitur hoc ex simili apertiori dicto Hieremiæ cap. 33. vers. 22. de Dauide. *Sicut* (ait Deus per Prophetam) *enumerari non possunt stellæ cæli, & metiri arena maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos.*

22 Hic nota quòd iubet Deus Abram numerare stellas, quia erat Astronomus: hinc Orpheus apud Clement. 5. Stromation Abramnm vocat Astrologum, dum canit: *Abraham Astronomus erat.*

Vnus præterquam, cui deriuatur origo
Chaldæum ex genere, is noscebat sidera cæli,
Illorumque vias, & quæ moueatur in orbe Sphæra.

23 Aduerte, quòd Astrologia, est Scientia astrorum, iuxtà etymon sui nominis, sic appellata, tanquam norma astrorum cognoscendorum. Ista duplex est, alia est naturalis, altera iudiciaria; Prima est illa per quam cognoscuntur effectus, & euentus, qui naturaliter accidere possunt, per inuestigationem causarum, & principiorum naturalium labore, & industria. *Astrologia quid sit, & quotuplex.* *Bord. Sac. Trib. cap.* 20. Secunda est illa quæ obseruato syderum aspectu, iudicat de futuris, aliquo modo à libero arbitrio dependentibus a lijsque humanis casibus, imò & de Rebus præsentibus, cuius vsus est malus, & prohibitus. Ipsam Secundam damnauerunt S. Epiphanius *disputans aduersùs Pharisæos, & Manichæos.* S. Basilius *Hexam. homil.* 1. & 6. S. Io: Chrysostomus *in Genesim homil.* 5. & 6. & *in S. Matth. hom.* 6. S. P. N. Augustinus *lib.* 4. *cap.* 3. *lib* 5. *cap.* 3. 7. & *lib.* 7. *cap.* 6. *Confession. Et in libris de Doctrina Christiana lib.* 2: *cap.* 21. 22. 23. & 24. *In lib. de Ciuit. Dei lib.* 5. *initio vsquè ad cap.* 8. *Contrà Academ. lib.* 1. *cap.* 7. Pontificum insuper Canonibus non semel est prohibita. Concilij Toletani *primi Can.* 21. Bracarensis 1. *cap.* 9. & 10. & 26. *quæst.* 2. 3. 4. Et infiniti alij, ac nouissimè Sixtus V. in motu proprio, qui incipit: *Cæli, & terræ.*

24 Astronomia propriè est scientia Physiomathematica de cælestium corporum

Astronomia quid sit. porum quantitate terminata, & eorum accidentia sensibilia terminante. *Ricciol. lib. 1. de sphæra lib. 1. cap. 1.*

25 Notandum etiam est, quòd Astrum differt à stella: hæc enim est singulare, & vnum seorsim corpus cæleste, splendidum, siuè sit Planeta, siuè non Planeta; cuiusmodi est Mercurius, Saturnus, &c. Astrum verò *Astrum differt a stella, & cur.* systema ex pluribus stellis est compositum, iisque inerrantibus, cui latinè cuidam putant conuenire nomen Syderis ab eo, quòd simul plures stellæ in eo videantur. Omnis enim stella, ait Tatius, est Astrum, non tamen astrum omne est stella *Ricciol. vbi suprà.* Et Astrum, nihil aliud est, quàm *Astrum quid sit.* densior pars sui orbis, lucem habens, & transmittens. Forma astrorum est Lux; materia est substantia cœli.

26 Seth nomina stellarum commentum esse, *Suidas* profert. Ego tamen ab Adam nomina, lingua sancta, vt cæteris rebus ex proprietate ipsarum naturali, vt in Genes. legimus, etiam stellis indita esse existimo, nam Hebræi Saturnum שבתאי appellant, idest, quietum, & tranquillum propter naturalem eorum inclinationem, quorum Horoscopum Saturnus *Planetarum magnitudines, & proprietates.* obtinet, vt ferè sunt Melancholici, tranquilli, & contemplationibus deditis: Aut quòd rebus nascentibus inimicus Saturnus, frigore suo calorem naturalem in his extinguat: Vnde pueros, quibus frigus maximè est inimicum, deuorare à plerisque pingitur, & שיבתא Chaldæi Spiritum malum suffocantem pueros appellant, non alium vt existimo, quàm quem nos Saturnum dicimus. Nam & apud Græcos, vt scribit *Diodorus*: μῦθος ἦν ἐκ παλαιᾶς φήμης παραδεδομένος, ὅτι Κρόνος ἠφάνιζε τοὺς ἰδίους παῖδας. Anni Saturni, cuius Signum est ♄, maximi sunt 465. Maiores 57. Medij 43. Minores vero 30. Magnitudo sui corporis terram continet 95. vicibus, & quantitas eius orbis gradus 9. antè, & retrò sunt.

27 Iouem צדק idest, iustum, quia iustitiæ ciuili studere videntur ij, quibus Iupiter Dominus est Horoscopi. Anni Iouis, cuius signum est ♃, maximi sunt 428. Maiores 79. medij 45. cum dimidio. Minores verò 12. Magnitudo corporis eius terram continet 91. vicibus: & quantitas eius orbis gradus 9. sunt.

28 Martem מאדים, idest robustum, quasi dicas, qui viriles faciat propter naturalem inclinationem, qua eos afficit, quorum præest horoscopo; vt eos quodammodo Martiales reddat, aptosque laboribus. Quamquam alij à rubedine, qua fulgens in cœlo conspicitur, nomen tractum esse volunt. Dicitur idem, vt nonnulli volunt, בר quæ vox turmam significat militarem, excurrentem, & populantem agros, talibus enim fauere Mars creditur, cuius signum est ♂, & anni maximi sunt 264. maiores 66. medij 40. cum dimidio. Minores verò sunt 15. magnitudo eius corporis terram continet duabus ferè vicibus. Radij eius orbis antè, & post sunt 8. gradus.

29 Sol dicitur שמש à ministerio, quòd lucem omnibus gratissimam administret חמה verò à calore suo, quo omnia viuificat. Solis signum est ☉, sed meliùs, & communiter ☉, Anni eius maximi sunt 1460. maiores 120. mediocres 69. cum dimidio. Minores verò 19. magnitudo corporis solis terram continet 66. vicibus, & paulò plus. Circuitque Zodiacum spatio 365. dierum, & sex ferè horas. Gradus sui luminis antè, & retrò sunt 15.

30 Venerem volunt dictam esse עשתרת *Astoreth*, cuius passim mentio fit in sacris paginis, vti superiùs vidimus. Fuit enim nomen Idoli Sidoniorum, cui preces adhibebantur, & thura incendebantur, quòd cultoribus opes promitteret. Videtur enim esse ab עשר, quod Hebræis est ditari. Quanquam alij ab oue, seù agno sic dictam putant, vel quòd præcipua diuitiarum pars in agnis esset, vel quòd in forma ouis coleretur, Eusebius lib. 1. præparationis Euang. scribit: τὴν ἑωσφόρον φοίνικες, τὴν ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι: Et notum est Veneris stellam inter fortunatas haberi ab Astrologis, cuius signum est ♀, & Anni maximi sunt 151. maiores 82. medij 45. minores sunt 8. magnitudo sui corporis vna est ex 37. partibus terræ. Gradus verò sui luminis antè, & post sunt 7.

31 כבי Hebræis est Mercurius, qui nomen inuenit à numeratione, seù rerum distributione. Magnam enim haberi vim in excitandis ingenijs, & augenda hominum industria existimatur. Vnde peculiaris illi cultus à negotiatoribus instituebatur, quem reprehendit Isaias cap. 65. & noti sunt *Prudentij* de Mercurio versus.

Artificem scelerum simplex mirata vetustas.
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri

Alige-

Aligeriſque leues pedibus tranſcurrere ventos.

Quæ omnia partim ad motum, partim verò ad naturam, & effectiones huius planetæ ſunt referenda. Mercurij autem ſignum eſt ♉, & anni eius maximi ſunt 460. maiores 76. medij 48. minores verò 20. magnitudo ſui corporis vna eſt ex 3143. partibus terræ ferè. Et eius orbis radij antè, & poſt ſunt 7.

32 Luna Hebræis ירח eſt dicta à ſpirando, ſeù reſpirando, quòd noctu reſpirationem, & refrigerium præbeat rebus interdiù ſolis ardore aduſtis. Dicitur eadem סיהרא à rotunditate globoſi corporis. Et לבנה à candore lucis. Signum Lunæ eſt)). Anni eius maximi ſunt 520. Maiores 108. medij 66. cum dimidio. Minores verò ſunt 25. Magnitudo eius corporis vna eſt ex 39. partibus terræ. Sui orbis radij antè, & retrò ſunt 12.

33 De rebus aſtronomicæ ſcientiæ multa occurrerent dicenda; *Sed non eſt* (inquit S. Ambroſius lib. ſuper Beati immaculati, litera 12. verſ.2. tom 4.) *Cura Sanctis* (intellige Religioſis, & vitam ſpiritualem ſectantibus) *axem cæli, & elementorum ſpatia Philoſophico more, numeroſque deſcribere. Quid enim hoc prodeſt ſaluti? Quia ſancti ſpiritualibus ſemper intendunt, & vitæ æternæ profutura, vel cognoſcere geſtiunt, vel docere.* Vndè cum eodem Sacro Eccleſiæ eximio Doctore dicam, quæ lib. 4. Hexam. cap. 5. ſcripſit: *Multa diximus, plura nolumus, ne quis ea quæ à nobis de eorum aſſertionibus vſurpantur ad refellendum, ad recognoſcendum aſſumpta arbitretur. Nam quæ pueri riſimus, ea ſenes commemorare qui poſſumus?*

Verſ. 6. 34 *Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam.* Iâ crediderat Abramus, ſe futurum parētem, cùm Deus è terræ puluere filios Abraæ promiſſione excitauerat; ſed velut impatiens præ deſiderio ſe ſinè liberis, moriturum, obijcit, vt promiſsio confirmaretur, & impleretur. Credidit ergo anteà, & nunc ardua promittenti, prolem ſcilicet accepturum, ex Sarai ſterili. Deus autem fidem *illam* (ſic Hebr.) ad maiorem iuſtitiam, ſeù meritum reputauit, vt in conſpectu eius Sanctior eſſet.

☞ 35 Hic nota, quòd Nouantes abutuntur hoc loco quaſi iuſtificatio ſit in ſola fide. Nempe non ſignificauit hic Abram tunc primùm accepiſſe iuſtitiam, vel peccatorum veniam, quando credidit Deo promittenti ſibi ſemen (ſiquidem iam antè per fidem, & obedientiam, qua, relicta patria exiuit in terram alienam, Deo placebat. Hebr. 11.) Sed eam fidem illi valuiſſe ad incrementum iuſtitiæ, quatenus opus erat ſingulariter Deo gratum, *Apoſtolus verò* ad Rom. 4. idem illud accommodat primæ noſtræ iuſtificationi; quam docet eſſe ex fide, tanquam fundamento totius renouationis, ac reparationis noſtræ per Chriſtum; & quia fides, vt ait S. P. N. Auguſtinus epiſt. 105. *prima datur, per quam cætera impetrentur*, non quòd ſola fides ſufficiat.

Error Nouatorum circa Iuſtificationem.

Sola fides non ſufficit ad iuſtificationem.

36 Contra quam Nouatorum hæreticalem ſententiam, & Lutheri dicentium, ſolam fidem iuſtificare Sacroſancta Oecumenica Tridentina Synodus ſeſs. 6. de Iuſtificatione Anathema dicit, in Can. 9. Impreſs. Venet. pag. mihi 46. his verbis *Si quis dixerit ſola fide impium iuſtificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iuſtificationis gratiam conſequendam cooperetur; & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari, atque diſponi: Anathema ſit.* Accedit etiam Eccleſiæ Lumen ad has fugandas errorum tenebras S. P. N. Auguſtinus, qui in lib. de natura, & gratia cap. 63. & vltimo, ſic profundiſſimè nec non eleganter dicit. *Caritas ipſa iuſtitia eſt, qua vna iuſti ſunt, quicunque iuſti ſunt. Namque inchoata caritas, inchoata iuſtitia eſt: prouecta caritas, prouecta iuſtitia eſt: magna caritas, magna iuſtitia eſt: perfecta caritas, perfecta iuſtitia.* Et apertiùs, imò & enucleatiùs hoc ipſum docet in Enchirid. cap. 117. ad hunc modum ſcribens: *Caritas, quam fide, & ſpe maiorem dixit Apoſtolus, quantò in quocumque maior eſt, tanto is melior eſt, in quo ipſa eſt, cùm enim quæritur, ſit ne quiſpiam bonus, non quæritur quid credat, aut ſperet, ſed quid amet; nam qui rectè amat, etiam rectè credit, & ſperat. Qui verò non rectè amat, inaniter credit, etiamſi ſunt vera, quæ credit; & inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem pertinere doceantur, quæ ſperat, niſi & hoc credat, & ſperet, quod ſibi petenti donari poſſit, vt amet.* Sic S. P. N. Auguſtinus.

37 *Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.* Verſ. 7.
Ideſt, non eduxi te de Vr Chaldæorum vt terram iſtam per Procuratoris tui Damaſci poſteros poſſideres, ſed per tuos, & ſicut eduxi te facta promiſſione, ſic & ad vnguem implebo.

38 *At ille ait: Domine Deus, vndè* Verſ. 8.

ſcire

Digitized by Google

scire possum, quòd possessurus sim eam? De Dei promissione non dubitat Abram; sed tantùm modum eius scire cupit, & eius quod crediderat Symbolum aliquod, & similitudinem sibi exhiberi exoptat: *Non enim ait* (inquit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. Lit. B. col. 2. pag. mihi 204.) *vndè sciam, quasi adhuc non crederet, sed ait, secundùm quod sciam? Vt ei quam crediderat aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus agnosceretur. Sicut non est Virginis MARIÆ diffidentia, quæ ait*; Luc. cap. 1. vers. 34. Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco? *Quod enim futurum esse certa erat, modum quo fieret inquirebat; & hoc cùm quæsisset audiuit* (vers. 35.) Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: *Deniquè & hic similitudo data est de tribus animalibus Iuuenca, capra, & ariete, & duabus volucribus turture, & columba; vt secundùm hæc futurum sciret, quod futurum esse iam non ambigeret.* Naturale est enim intellectui nostro, audito nuncio rei magnæ, & quasi impossibilis, statim quærere rei illius modum.

Vers. 9. 39 *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, &c.* O quàm Mysteriosa fuit hæc responsio! ad quam explanandam antequam accedam: Notandum est cum D. Thoma Aquinate 3. p. quæst. 31. artic. 2. Lit. K. impress. Venet. col. 4. pag. mihi 111. quòd Abram fuit Sacerdos, sic dicit S. Doctor; *Abram autem Sacerdos fuit, vt patet ex hoc, quòd Dominus dixit ad eum Genes. 15. Sume tibi Vaccam triennem, &c.*

Abraham fuit Sacerdos.



40 Notandum secundò, quòd Ly *Sume mihi* tria significare potest, Primò sume ista ad vsum Sacrificij mihi ex istis animalibus offerendi. Secundò *Sume mihi*, idest in vsum fæderis, quod tecum, more & ritu vestro, pacisci & firmare volo. Tertiò *Sume mihi*, idest vt per ista tibi adumbrem, & significem, quæ posteris tuis euentura sunt, partim læta, partim tristia; antè possessionem terræ Chanaan à me promissam.

Generationes, & captiuitates Hebræorum in animalibus Sacrificij Abraham figurata.

41 His suppositis per *Vaccam triennem* indomitam significatur prima generatio Hebræorum eorumque libertas in Ægypto tempore Ioseph: tunc enim liberè, & lautè instar iuuencæ pascebantur Hebræi opibus Ægypti.

42 Per *Capram trimam* secunda Hebræorum generatio demonstratur; quam post Ioseph instar capræ mulgere cæperunt Ægyptij, Hebræorum diuitijs, operibus, & seruitute se ditando.

43 Per *Arietem* durum, & cornutum significatur tertia generatio Hebræorum numerosissima, & fortissima, ac proindè durissima seruitute oppressa ab Ægyptijs, nascente Moyse.

44 *Duæ Aues* non diuisæ, sed integræ in Sacrificium oblatæ significant, quòd post 400. annos Hebræi liberi, & integri essent euolaturi ex Ægypto, vt Deum colerent tum in deserto, tum in Canaan.

45 Per *Turturem gemebundam* significantur 40. anni luctus, in peregrinatione per desertum: nam *turtur* Hebraicè dicitur תור *Tor* à תור *Tur*, idest, cogitare, meditari, eò quòd *Turtur* intùs loqui videatur instar eorum, qui meditabundi secum loquuntur.

46 Per *Columbam* verò socialem significatur Iosue tempus, quo Hebræi in promissionis terra lætè, ac placidè habitarunt. Pro ly *Columba* hebraicè est גוזל *Gosal*, idest, pullus columbæ, siue pipio, vt vertit Chaldæus: Hebræi enim recenter sub Iosue Chananæam ingressi, in ea fuerunt quasi pipiones. Hæc historica supradicta ratio (quam Cornelius à Lapide propriam sibi facit) est Theodoreti in Genesim quæst. 65. qui sic dicit: *Propterea ex quadrupedibus mundis tria iussit assumi, vt significaret tres generationes, quæ transigendæ erant in peregrinatione Hebræorum: nam ipse dixit*: vers. 16. Generatione autem quarta reuertentur hùc. *Turtur autem quartam illam generationem denotabat, quæ ex Ægypto egressa velut euolauit, & habitauit in deserto. Huiusmodi enim auis amans est solitudinis. Columba autem generationem aliam indicabat, quæ terram promissam accepit: mansuetum enim est hoc animal, ac domesticum.*

47 *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contrà se altrinsecùs posuit: aues autem non diuisit.* Vers. 10.
Ritu feriendi fęderis Abramus animalia fidit à capite ad caudam secando: opposuitque medietates relicto spatio intermedio ad transeundum. Ritus enim erat, vt paciscentes inter hostiæ frustra trãsirent. Sic ergo Abramus hinc indè apposuit quadrupedum medietates, vt Deus lambentis specie flammæ Abramo appareret, & cum ipso pacisceretur. Porrò volucres non diuisit, quia ad fędus non pertinebant,

sed

fed ad facrificium. Attamen licèt ad fœdus non facerent, apprimè offerri, fimul iubentur; quia vtiliùs tunc fædera feriuntur, cùm facrificij comitatur oblatio.

48 Notandum primò, quòd quadrupedum diffectio varias fignificat hebræorum afflictiones in Ægypto: Aues verò integræ harum calamitatum finem fignificant.

Ex fœdere Abrahami antiquus Hebræorum mos fœdera faciendi originem traxit.

49 Notandum fecundò, quòd mos antiquus Hebræorum fœdera faciendi hinc traxit originem ex eo fædere, quod Moyfes hoc loco narrat Deum pepigiffe cum Abramo. Nifi quòd Abram quinque animalium genera capere iuffus eft: cætera autem fœdera, vno tantùm animali ritè fecto fiebant. Atque hæc eft caufa, cur Hebræi fædus facere, dicant, diuidere, ac diffecare fædus; ficut Latini fuum etiam reprefentantes ritum ineundi fædera, dicebant percutere, & ferire fædus: nempè Fœcialis faxo, vel filice feriebat porcum, fiuè porcam, fimiliter à Deo feriri precatus eum, qui fœdus fregiffet, vndè illud apud Poetam Virgilium Æneid. 8. de Romulo, & Tatio:

Quid fit fædus percutere.

Armati Iouis ante aram, paterafque tenentes
Stabant, & cæfa iungebant fœdera porca.

Verf. 11. 50 *Defcenderuntque volucres fuper cadauera:* quia ifta cadauera pofita erant in patulo extrà tabernaculum; *Expectaue*, dicit Caietanus ibid. pag. mihi 77. *Abram tranfitum Dei inter partes quadrupedum antequam facrificaret, & fi Iofepho creditur antequam locarentur fuper aram, volucres folitæ vefci carnis cadauerum venerunt ad cadauera animalium.*

51 Nota quòd volatus volucrum ad cadauera fignificat Og, Seon, Amalec, aliofque inimicos Ifraelem peregrinantem inuadentes, & vellicantes.

52 *Et abigebat eos Abram.* Alij *exfufflabat, eas perturbabat: confedit cum eis.* Seuerè reprehendit Eugub. Septuaginta, quòd ità verterint, fed immeritò: verum equidem Septuaginta videntur legiffe וישב אתם *Vaijefcheb ittam*, alijs punctis; nofter autem Interp. vt modò legitur, וישב אתם *vaijefcheb ottam*, à radice נשב *nafchab*, quod eft exfufflare, abigere, expellere, fed fenfus amborum in idem redit, fedit enim cum eis, non cum auibus, fed cadaueribus, hoc eft iuxtà ea, obferuans fcilicet, vt explicat S. Ioannes Chryfoftomus homil. 37. lit. A. pag. mihi 103. ne aues aduolarent, & cadauera fœdarent aut laniarent, vel ne femel expulfæ à victimis, iterum redirent. *Et fedens* (funt verba doctoris) *obferuabat, vt ne poffint diuifas partes lædere aduolantes aues: & per totum diem hoc facere perfeuerabat.*

53 Nota, quòd Abram abigens has volucres fignificat Dei prouidentiam, Hebræos ob merita Abrami tuentem, & protegentem, fic Theodor. & Diodor. Tarfenfis.

54 *Cumque fol occumberet, fopor irruit fuper Abram:* Nondum occiderat Verf. 12.
Sol, fed occumbebat: Externa fiquidem diei pars defcribitur. A mane (vt rationabile eft credere) hora facrificandi vfquè ad ferum expectauit Abrã. Sole autem declinato, immifit Dominus Abraæ foporem, eo modo quo immiferat Adæ, de quo dicitur Gen. cap. 2. verf. 21. *Immifit ergo Dominus Deus foporem in Adam.* Vtrobique enim Hebræa veritas habet eamdem vocem, תרדמה *tardema* quam Septuaginta vertunt *Ecftafim*: Sopor verò, vt fcribit *Brul. dift. 18. quæft. 1. lib. 2.* eft quædam dulcedo immiffa maximè à Deo ipfi animæ, per quam totaliter abftrahitur ab actibus exteriorum fenfuum.

Sopor Abrahæ in Sacrificio fimilis fopori Adami in Paradifo.

55 *Et horror magnus, & tenebrofus inuafit eum.* Ifte *horror* fuit quædam paffio multum pauida: Vocatur *Tenebrofus*, quia venit in tenebris: dicitur *magnus*, quia res magis terribiles funt in nocte, quàm in die. *Et ideò*, inquit Aureus Doctor loco fupracitato, *horror magnus, & tenebrofus inuadit eum, vt per omnia quæ fiunt, fentiat fe videre Deum. Eum enim morem Deus vbique habet; nam & quando Moyfi in Monte Sinai daturus erat legem, & mandata: Tenebræ inquit, & caligo erat, & mons fumigabat, propter hoc & Scriptura inquit:* Qui tangit montes, & fumigant. *Enimverò incorporeum videre per fenfibiles hofce oculos non eft poffibile, ideò aliter fuam nobis operationem fignificare vult.*

56 *Dictumque eft ad eum: Scito prænofcens, quòd peregrinum futurum fit femen tuum in terra non fua;* Ideft quòd Verf. 13.
filij tui erunt peregrini. Loquitur hic de filijs defcendentibus per Ifaac, & Iacobi quia Efau non fuit peregrinus, fed habitauit in quiete in montibus Seir, & Ifmael cum fua pofteritate habitauit in pace in deferto Pharan, vt patet infrà 25. cap. ficuti gloffat Abulenfis.

57 Dicit *in terra non fua*, quia Abrami pofteri femper habuerunt tellurem alienam, quoufquè redierunt ad terram Chanaan, & poffederunt eam, interfectis habitatoribus eius.

58 *Et*

Digitized by Google

58 *Et Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*; Hìc describitur Hebræorum Ægyptia seruitus. Ad soluendam huius loci difficultatem, nempè, an Hebræi manserint in Ægypto, & seruierint per quadringentos annos, vti dicitur, *& affligent quadringentis annis*, duas rationes affert S. P. N. Augustinus: Prima est in libro 16. de ciuitate Dei col. 3. Lit. D. pag. 104. quam sic proponit: *De populo Israel, qui fuerat in Ægypto seruituras, aptissimè prophetatum est. Non quòd in eadem seruitute sub Ægyptijs affligentibus quadringentos annos populus ille fuerat peracturas, sed in ipsis quadringentis annis praenunciatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thare patre Abram.* Et fuerunt dies Thare in Charra quinque, & ducenti anni, *Non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt: ità & hîc, propterea interpositum est*, & in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, *Quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi vniuersus perfectus est. Quadringenti sanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamuis aliquantò amplius sint, &c.*

An Hebræi manserint in Ægypto, & seruierint per 400. annos.

59 Secundam rationem affert S. Parens, & Ecclesiæ Doctor eximius in lib. 2. quæst. super Exodum quæst. 47. col. 1. pag. mihi 106. tom. 8. sic scribens. *Quòd ergo dixit Deus ad Abram. Sciendo scias, quòd peregrinum erit semen tuum in terra non propria; & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentis annis; non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima seruitute quadringentos annos Dei populus fuerit; sed quia scriptum est.* In Isaac vocabitur tibi semen: *Ex anno natiuitatis Isaac vsquè ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta detraxeris vigintiquinque, qui sunt à promissione vsquè ad natam Isaac; non mirum est si quadringentos, & quinque annos summa solida quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ità nuncupare, vt quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit, aut infrà est, non computetur. Non itaque quod ait:* In seruitutem redigent eos, & nocebunt illis, *ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in seruitutem; sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est:* Peregrinum erit semen tuum in terra non propria; *Quia siuè in terra Chanaan, siuè in Ægypto peregrinum erat illud semen, antequam hæreditate sumeret terram ex promissione Dei: Quod factum est posteaquam ex Aegypto liberati sunt. Vt Hyperbaton hìc intelligatur, & ordo verborum sit.* Sciendo scias quòd peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis: *Illud autem interpositum intelligatur*, & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illi; *Ita vt ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ huius, hoc est post mortem Ioseph, factum est, vt in Ægypto populus Dei duram perageret seruitutem.*

60 *Veramtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo.* Idest tu abegisti volucres infestas animalibus. Plus faciam & ego, quam significatum fuerat; nam gentem illam *iudicabo*, idest grauissimè puniam decem plagarum iudicijs; vel vt dicit S. Ioannes Chrysostomus vbi suprà, *vltionem sanè eorum ego faciam.* Verſ. 14.

61 *Et post hæc egredientur cum magna substantia.* Legunt alij *Suppellectili, apparatu magno*, opibus scilicet partim industria acquisitis, partim ex Aegyptiorum spolijs. Vt accidit. In exitu enim Hebræorum, mandauit Deus, quòd vir peteret ab amico suo Aegyptio vasa aurea, vel argentea, & mulier à vicina sua etiam vestes pretiosas, & Deus dabat Aegytijs in mentem, quòd libenter accommodarent eis, & mandauit, quòd ea portarent, vt patet Exod. cap. 1. 4. & 5.

62 *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona.* Idest Annorum tu centum, & septuaginta quinque placida pacataque morte perges ad patres tuos scilicet sanctos, & iustos, qui in limbo manebant vsquè ad Christi passionem. Hoc loco S. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 9. scribit: *Nonnulli putauerunt patres esse elementa, ex quibus constat caro nostra, dum viuimus, & in qua resoluimur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Ierusalem, quæ sursum est, illos asserimus patres, qui vita merito, & ordine antecesserunt. Erat illic Abel pia victima, erat & pius, & Sanctus Enoch, erat Noe: ad eos promittitur Abram transitus.* Verſ. 15.

63 *Generatione autem quarta reuertentur huc*: Quia per os Ecclesiastici cap. 18. verſ. 8. dicitur *Numerus dierum hominum, vt multum centum anni*, Idest quod vna generatio sint centum anni ideò, si Posteri Abraæ reuertentur in terram Chanaan quarta generatione, erit hìc recessus post 400. annos. Et hoc patet computando à filijs Iacob, qui in Aegyptum ingressi sunt; nam Iacob genuit Verſ. 16.

Vna generatio quot anni sint.

Digitized by Google

genuit Iudam, & hæc est prima generatio; Iuda genuit Phares, & hæc est secunda generatio: Phares genuit Esron, & hæc est tertia generatio; Esron genuit Caleb, vt scriptum est primi Paralipomenon cap.2. vers. 18. *Caleb verò filius Hesron*. Caleb autem intrasse promissionis terram manifestum est ex cap. 14. Iosue.

64 *Needum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus*: Sensus est, mensura peccatorum, pro qua constitui punire Amorrhæos exterminatione, & internecione, nondum est impleta.

65 Hic notandum est primò, tria Chananæorum, & Amorrhæorum scelera fuisse. Primum promiscua matrimonia nullo habitu respectu cognationis, & affinitatis. Secundum Libido nefanda, & contrà naturam sordidissimum crimen, non solùm marium cum maribus, sed etiam cum bestijs. Tertium fuit Idololatria, & multiplex impietatis plenissima superstitio, qua etiam proprios filios igni comburendo, Dijs immolabant.

Amorrhæorum, & Chananæorum tria scelera, & quæ.

66 Notandum est etiam secundò, cùm sint tria quæ destruant ipsam humanam societatem, ideò tria sunt scelera, quæ maximè punit Deus in hac vita. Humana societas, & mortalium omnium communitas conseruatur primò Religione, & pietate in Deum; secundò æquitate, & iustitia; tertio recta viuendi disciplina, & bona morum compositione. Ad primum contrà est Atheismus, & Idololatria; ad secundum rapinæ, & innocentum oppressiones, ad tertium promiscua, & nefanda libido.

Tria destruunt humanam societatem, & quæ.

Tria scelera maximè punita à Deo in hac vita, & quæ.

67 Notandum tertio; quòd sex fuerunt valdè insignia, & horrenda exempla diuinæ vindictæ, quam Deus propter varia scelera, & contrà varias gentes, & populos diuersis temporibus exercuit. Prima fuit diluuium vniuersale propter enormem in omni libidinis genere intemperantiam. Secunda vindicta fuit, ignis & sulphuris pluuia propter nefandum Sodomorum scelus. Tertia fuit vindicta decem plagarum quibus perculsi fuerunt Ægyptij propter Hebræorum vexationem tyrannicam, & impiam aduersùs Deum peruicaciam. Quarta fuit ipsorum Hebræorum vindicta ob multiplicem idololatriam, ob innocentium, & Prophetarum cædes, & super omnia propter impijssimam Messiæ Redemptoris nostris necem. Quinta fuit Babyloniorum, & Chaldæorum vindicta propter fœdissimas omnis generis superstitiones, & nimiam contra Dei populum sæuitiam. Sexta fuit Græcorum vindicta vsquè nunc lachrymabilis, propter pullulantes subindè in ea gente gliscentesque hæreses, & schismata; propter Superbiam aduersùs Pontificem Romanum, vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, & Christi Domini Nostri Vicarium in terris, contumaciam, peruicaciam, atque inobedientiam; propter incredibilem perfidiam, & malignitatem, atque in Latinam gentem, & Ecclesiam implacabile odium.

Sex fuere diuinæ vindictæ horrenda exempla, & quæ.

68 Notandum quartò; quòd hic per figuram *Synecdochen* posita est pars pro toto, idest vna gens Amorrhæorum pro omnibus gentibus, quæ terram illam possidebant; insuper & ob hanc causam præcipuè nominati sunt Amorrhæi, quia isti, & amplitudine gentis, & proceritate corporis, ac robore, & crudelitatis atque impietatis immanitate, cæteris eius terræ habitatoribus insigniores, ac celebriores futuri essent: hoc totum colligitur ab Hyperbolica locutione Amos prophetæ cap. 2. vers. 9. dicentis per os Domini: *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & contriui fructum eius desuper, & radices eius subter.*

Amorrhæi Chananæorū seuiores.

69 *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa*. Quia in Hebræo habetur, non caligo tenebrosa, sed obscuritas; hinc de ista caligine incertum est, an sic facta fuerit, quia tempus valdè obscurum fuit ex aliquo accidenti; vel quia sic Abrahæ visum fuit imaginaria visione. Vers. 17.

70 Hic aduerte quòd Caligo est obscuritas proueniens ex nebulis, nubibus, aut puluere, radios luminosi corporis detinentibus, aut Luminis diffusionem impedientibus. *Apud Sandæum Theol. myst. fol.* 215. Accipitur etiam Caligo pro nebula, quæ est vapor copiosus, & densus, infimam aeris regionem obumbrans, qui vel est residuum præcedentis nubis, vel initium sequentis. Prima, propriè est nebula, altera verò Caligo quædam, quæ nisi à sole dissoluatur, est semen futuræ pluuiæ. Prima descendit per aerem, altera potiùs ascendit. Sic Picolom. lib. def. fol. 139.

Caligo quid sit.

71 Caligo mystica, siuè diuina, secundùm D. Dionysium epist.5. ad Do-

Digitized by Google

sothæum, est lux ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur. Quæ quidem nec cerni potest præ excellenti claritate, nec adiri eamdem propter singularem diuini luminis effusionem. Secundùm autem Angelicum Doctorem in primo lib. sent. distinct. 8. quæst. 2. artic. 1. ad 4. Caligo quam Deus inhabitat, est claritas Dei supereminens intellectui.

Caligo mystica quid.

72 *Et apparuit Clibanus fumans*. Per hunc fumantem clibanum designatur iuxtà literam Ægyptiaca hebræorum seruitus in luto, & latere, quem in suis fumantibus furnis coquebant hebræi. Vndè & benè iuxtà hebraicam veritatem pro ly *Clibanus fumans* habetur; *& ecce furnus fumi*; & in cap. 4. Deuteronomij vers. 20. vocatur hebræorum ista seruitus, fornax ferrea Ægypti. *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti*.

73 *Et lampas ignis transiens inter diuisiones illas*, alij legunt *Tetio, fax*, aut *teda ignis*. Dictio לפיד *Laphid*, facem significat. S.P.N. Augustinus lib. 2. retract. cap. 43. col. 3. pag. mihi 794. tom. 8. lit. B. scribit; *Non debuit pro miraculo poni, in Abraæ sacrificio flammam cælitus factam inter diuisas victimas cucurrisse: quoniam hoc illi in visione monstratum est*. Hæc fax, lampas, seu ignis index fuit Dei, qui frequenter in veteri testamento solitus est apparere in igne, imò & ipse vocatur ignis consumens, vti habetur Deuteronom. cap. 4. vers. 24. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est*.

74 Hic nota primò. In sacra scriptura passim Deus se per ignem exhibuit, & ostendit hominibus, vt meritò se vocet ignem consumentem. Ità Moysi apparuit Deus in rubo ardenti. Exod. cap. 3. vers. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur*. Apparuit Hebræis in columna ignis, & nubis. Exod. cap. 13. vers. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*. Danieli qui dixit cap. 7. vers. 9. *Thronus eius flamma ignis: rotæ eius ignis accensus* (vers. 10.) *Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius*. S. Ioanni etiam Apocal. cap. 1. vers. 14. *Oculi eius tamquam flamma ignis*. vers. 15. *Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti*. Sic Apostolis in die Pentecostes apparuit Spiritus Sanctus in linguis igneis cap. 2. vers. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis*. Sic in Sina Deus legem daturus hebræis per ignem se ostendit Deuteron. cap. 4. vers. 15. *Locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis*.

Deus per ignem se exhibuit passim in Sacra Scriptura.

Deus ignis appellatur.

75 Nota secundò, Gentiles etiam Deum per ignem repræsentarunt, & definiuerunt. Zoroastres, & Platonici ita Deum describunt: *Deus, inquiunt, est ignis primus, viuifer, siuè vitam cunctis afferens, ex quo ignes siderei, idest stellæ, & astra, omniaque alia sunt genita*. Quò alludens Horatius de Iulio Cæsare, quasi inter Deos relato, ita canit:

Micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Etiam Gentiles Deum ignem vocarunt.

Et Virgilius ita stellas tamquam ignes animatos, & diuinos, idest, tanquam Deos, inuocat, & contestatur.

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.

Apollo quoque rogatus, quis esset, & quid omninò esset Deus? respondit: *Per se natus, non doctus, sinè matre, immotus, neque in rationem, neque in sermonem cadens, in igne habitans, hic est Deus: parua verò Dei portio sumus Angeli nos*. Denique Persæ coluerunt Deum specie ignis, & igni templum erexerunt, vt habetur 2. Machabæorum cap. 1. vers. 34. *considerans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret, quod factum erat*.

76 Nota tertiò, quòd vsitatissimum etiam est ignem pro bellorum significato ponere. Hinc Hieremias ollam succensam videt ad Aquilonem (vti dixit ipse cap. 1. vers. 13. *Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis*, vndè scilicet tot in vniuersum terrarum orbem bellorum essent incendia motibus assiduis effundenda. Hinc tanti incendia belli legas apud Maronem; & Italiam ardere bello apud Ciceronem. Hercuba verò face prægnans, ignes enixa iugales est, in futuri belli, quo patria caperetur, concremareturque significatum. Aruspices enim ignem in huiusmodi sæpè portentum accepere. Cuius non ignarus disciplinæ Virgilius, de Lauinia, cuius causa bellum adeò funestum excitandum erat, ità cecinit:

Bella per ignem significantur.

Præterea castis adolet dum altaria flammis,
Et iuxtà genitorem adstat Lauinia Virgo,
Visa (nephas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,

Regas

Digitized by Google

Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum, ac visu mirabile ferri:
Nanque fore illustrem fama, fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

Vers. 18. 77 *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram dicens: semini tuo dabo terram hanc*. Licèt ista promissio fuerit facta Abrahæ quando venit de Aran (vt vidimus supra cap. 13.) tunc fuerat simplex, & nuda promissio: nunc autem inito fœdere inter Deum, & Abram omninò firmata est, factaque tanquam inuiolabilis, & immutabilis: Videlicet id facere Deus voluit ad ingenerandam animis posteriorũ Abrahæ certam eius terræ possidendæ atque obtinendæ fiduciam. *Nec caret mysterio* (inquit Caietanus ibidem pag. mihi 79. impres. Paris.) *quòd primum essendi principium descenderit sua cura vsquè ad hoc quod ad similitudinem paciscentis hominis se gesserit cum homine, vt etiam tanquam ex contractu obligatum exhibuerit se homini: vt obmutescant dicentes, supremo Deo fas non esse, vt curæ nostrarum singularum actionum incumbat.*

78 *A fluuio Aegypti vsquè ad fluuium magnum Euphratem*. Describit Deus his verbis magnitudinem terræ, quam Abramo promisit, & eius longitudinem explanans, dicit esse à meridie
Terræ promissæ Abrahæ quæ fuerit eius magnitudo. vsquè ad Septentrionem. Nam fluuius Aegypti erat terminus eius terræ ad meridiem, siuè à parte Australi, versùs tamen occasum. Euphrates verò; eiusdem terræ erat terminus ad Septentrionem, paululùm tamen vergendo, & declinando ad Orientem.

79 Notandum primò. Hunc fluuium Aegypti riuum esse deriuatum è Nilo per vastissimam solitudinem, & iuxtà Rhinocoluram vrbem profluentem, atque inter Pelusium, & Hazam siuè Palæstinam intrantem mare Mediterraneum: quique à parte australi
Fluuij Ægypti vnde origo. claudit Iudæam, eamque disterminat ab Aegypto. Hunc fluuium B. Hieronymus breuiter sic describit in cap. 6. Amos: *Est riuus Nili de eremo veniens, atque inter Rhinocoluram, & Ægyptum, in mare ingreditur mediterraneum.* De hoc autem fluuio, aut riuo Nili diffusè, ac eruditè scripserunt Andreas Masius in cap. 13. Iosue, Franciscus Ribera in cap. 6. Amos prophetæ, & Benedictus Pererius ibid. disp. 9. pag. mihi 114. impress. Venet.

80 Euphrates, Hebraicè dicitur *Parach* (vti iam declarauimus in primo tomo huius nostri Sacri Bibliorum Theatri cap. 2. Genesis vers. 14. num. 29. col. 2. pag. 16.) interpretatur. *Frugifer*, aut *crescens*, siuè *fructificans*,
Fluuius est Mesopotamię, quem Strabo *Euphrates fluuius vndè.* scribit ex Niphate monte Armeniæ, magnum, profundum, & celerem nasci: influere autem in mare rubrum, priùs tamen Babyloniam per medium diuidere, & Tygri coniunctum Mesopotamiam facere. Dictus autem putatur Euphrates (quod & Ambrosius annotauit) ἀπὸ τῦ εὐφραίνω, hoc est à lætificando; propterea quòd circumiacentem agrum stagnationibus suis adeò lætum fæcundumque reddat; vt sequente anno sponte crescat, & proueniat seges. Initio *Pyxiratus*, deindè per Taurum erumpens *Omira* nominatur, Plinio auctore. Plutarchus in libello de fluminibus, & montibus tradit eum quondam *Medum*, & *Zarandam* appellatum.

81 *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, &* Vers. 19.
Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoq; & 20. & 21.
Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos. Hic numerantur decem Gentes id temporis habitantes, & obtinentes terram, quàm promisit Deus Semini Abrahæ, quæ gentes posteà in pauciores euaserunt, & hinc habetur quòd temporis decursu sex solæ nominantur.

82 Notandum primò, quòd in hoc capite dicitur Abrahæ *Dabo semini tuo terram hanc*; & suprà in cap. 13. vers. 15. vt vidimus dicitur *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo*: Quibus in verbis oritur difficultas, si hic dixit Deus *Dabo semini tuo*, quare reliquit *Ly tibi*, sicut priùs dixerat? Vtrumque igitur si rectè intelligatur veram habet sententiam. Etenim ter- *Terra promissa quomodo Abrahæ data fuerit.* ram illam dedit Deus Abrahæ quantùm ad proprietatem, & ius eam possidendi; non dedit eam illi, sed tantùm eius semini, quantùm ad vsum plenæ, & pacificæ possessionis eius terræ. Vel cum dicitur: *dabo tibi, & semini tuo*, illa coniunctio, *Et*, vt sæpè aliàs, etiam hic habet vim causalem, & ponitur pro, *quia*, vel, *eò quòd*, vt sit sensus, dabo tibi, eo ipso quia dabo semini tuo: Nam cum filius sit aliquid patris, quod filio datur, etiam

Digitized by Google

etiam quodammodo confertur in patrem.

83 Notandum Secundò, quòd S. P. N. Augustinus tom. 8. lib. 6. quæst. super Iosue quæst. 21. col. 1. pag. mihi 157. duplicem terram distinguit promissam Hebræis; Vnam, quam reuersi ex Ægypto tenuerunt deletis eius habitatoribus: & in hac habitabant septem illæ gentes, quas alibi commemorat Scriptura. Altera verò fuit terra quam hic promisit Deus Semini Abraæ à fluuio Ægypti vsquè ad Euphratem: quam Hebræi nunquam tenuerunt, nisi regnantibus Dauide, ac Salomone: atque in hac terra fuerunt decem istæ gentes, quæ hoc loco recensentur. Hanc Sanctissimi Parentis Doctrinam compendiosè, & breuiter hic habes benigne Lector; cæterùm si diffusiorem diligis, vide Sanctum Doctorem loco supracitato; cuius verba (sed melius dixerim totum caput) breuitatis gratia relinquo.

Terra Hebræis promissa duplex, & quæ.

ANNOTATIO
MORALIS.

Vers. 1.

84 His itaque transactis factus est Sermo Domini ad Abram. Dum iustus à pugna vitiorum redit victor; tum in corde audit inspirationes diuinas: quod mysticè non solùm in Abramo designatum videtur, sed etiam in Elia propheta, tunc quando perrexit ad montem Dei Oreb, in quo post Spiritum grandem, & subuertentem montes, post commotionem, & ignem, auditus est sibilus auræ tenuis, & vox *ad eum dicens. Quid agis hic Elia?* 3. Regum c. 19. vers. 13.

De vitijs triumphans iustus in corde inspirationes audit diuinas.

85 Vel dic: apparet Abramo Dominus post transactam belli tribulationem vt intelligamus; *Quoniam* (scribit S. Ambrosius in tractatu super Psalmum quadragesimum tertium in fine) *Præsule Domino, & assistente nobis, omne certamen fortiter possumus sustinere*, ideò dicitur *noli timere Abram*, idest iustus, quia ego semper tecum sum; vti dixit Dominus Isaiæ cap. 43. vers. 5. *Noli timere, quia ego tecum sum*. Hinc cecinit Regius Vates Psal. 117. vers. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Sic Dominus amicos suos protegit.

86 *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Solus Deus omnium iustorum est merces, præmium, & beatitudo obiectiua. O' felices huius vitæ labores, si tàm, & tantam in futuro mercedem recipient! hinc Angelicus S. Doctor, & Magister Thomas de Aquino cùm Neapolim in Sacello D. Nicolai orans audiret à Christo domino Crucifixo: *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* respondit: *Non aliam domine, nisi te ipsum*; quibus in verbis doctissimus Pater Petrus l'Abbè Societatis Iesu calamo elogiaco sic scripsit

Solus Deus iustorum, merces, & præmium.

Diui Thomæ Aquinatis Elogium.

BENE' SCRIPSISTI DE ME THOMA
Probat scripturam hominis, qui character est Patris:
Silete lingua, vbi Deus Laudator est;
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines THOMAM ANGELVM *Theologia,*
Dicant Pontifices summam tot miraculis constare quot titulis;
Plus dicit vna vox BENE':
Christus est Verbum Patris, Thomas aduerbium Filij.
QVAM ERGO MERCEDEM ACCIPIES?
Quàm benè scripserit, collige ex testimonio;
Quàm benè vixerit, disce ex PRÆMIO:
Vt scias meritum virtutis, datur optio præmij;
Quid eligat nisi DEVM, *qui nouit pretium* DEI?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus:
Malè scripserat, si aliter elegisset.

Profun-

Digitized by Google

Profundè etiam, & Elegantissimè P. M. F. Franciscus à S. Augustino Macedo Minorita Lusitanus, Iubilatus Lector, Publicus Professor Patauinus, & Venetus Ciuis scripsit de Angelico Doctore in tom. 1. suarum Collationum Doctrinæ S. Thomæ, & Scoti hæc Elogiaca Verba.

Doctrina D. Thomæ Cœlestis à Diuina Sapientia,
Cùm sapit cœlestem Panem.
BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA
Audiuit à Diuino Pane
Eucharistico.
Christus BENE OMNIA FECIT.
Thomas
Benè omnia scripsit.
Facta per Verbum, vidit Deus QVOD ESSENT BONA:
Scripta per Thomam
Vidit Christus quòd essent bona.
IPSE DIXIT, ET FACTA SVNT,
Thomas scripsit, & rata sunt.
Eructauit Deus Verbum bonum. Hoc in Charta
Benè descripsit Thomas.
Lingua DEI SICVT CALAMVS SCRIBÆ,
Nimirum Thomæ.
Calamus Thomæ sicut lingua
Dei.
Dixit Christus; non scripsit.
Dictauit Thomæ quæ scriberet:
Si Christus scriberet,
Scriberet vti Thomas.
Sumpsit sibi linguam Christus;
Remisit calamum Thomæ.
Datus huic est Calamus similis Virgæ
Censoriæ.
Nempè scribit, vt Censor, correcta,
Et per quam
Corrigantur alia.
Penna Thomæ viua Censura.
Rectè scripsit, qui scientiam in Partibus
Habuit.
Rem miram! illæ Partes
Sunt tota.
Parum est; cùm omne totum sit maius sua Parte;
Hæ Partes
Sunt Maiores
Omni alieno Toto.

Vers. 2. 87 ***Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis***; ex hac Patriarchæ afflictione de non habenda prole; colligitur, quòd Prædicator, & verus Ecclesiæ Doctor multùm cruciatur, cùm non habet quos conuertat, desiderandi sunt enim filij spirituales, vt æternam cæli hæreditatem acquirant. Sic Abram, inquit S. Ambrosius lib. 2. de Abram col. 319. lit. B. ***Ecclesiæ sobolem desiderabat, eam successionem petebat, quæ non esset seruilis, sed libera; non secundùm carnem, sed secundùm gratiam.***

Filij spirituales à Prædicatoribus desiderandi.

88 ***Addidìtque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & Ecce vernaculus meus, hæres meus erit.*** O quoties Prælati propria incuria sinè virtutum semine morientes; vernaculos indè vident in alia vita hæreditatem gloriæ sibi ipsis promissam possidere; Ecce qui diues, & Dominus erat, purpura, & bysso indutus in epulis splendidè quotidie viuēs, dum moritur in inferno sepelitur. Vers. 3.

Men-

Atrocior pœna ipsa Gehenna Prælatis feccedentibus è vita absque meritis videre subditos gloria Dei frui.

Mendicus autem paurper, abiectus, & subditus Lazarus, dum è viuis fecedit, portatur ab Angelis in finum Abrahæ; Tunc Dominus ille diues, & superior *cùm esset in tormentis eleuans oculos suos.* (heù visio dolorosa!) *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius,* Luc. cap. 16. vers. 23. *Frequenter enim* (inquit Nicolaus de Lyra in hunc Diui Lucæ locum col. 922.) *contingit quòd simplices, & ignari saluantur; & homines astuti, & literati damnantur;* hoc est quod dixit S. P. N. Augustinus de Paulo simplice. *Simplices, & illiterati rapiunt cælum, & nos eum nostris doctrinis trahimur ad infernum.*

Vers. 4.

89 *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.* Semper homo quantumuis iustus, dum à Deo etiam cogitatione discedit, fallitur, & contrà id quod cogitat effectus euenire videt. Hinc repellendæ sunt *cogitationes,* quæ semper *malæ de corde exeunt,* dixit Veritas æterna per os S. Matthæi cap. 15. vers. 19. Nam cogitationes aliæ sunt iracundæ, aliæ superbæ, aliæ ambitiosæ, aliæ tumidæ, aliæ luxuriosæ, & aliæ vanæ. Primæ dissipant, Secundæ inflant, Tertiæ distendunt, Quartæ contrahunt, Quintæ inquinant, & Sextæ perturbant. De his omnibus prophetico ore dixit Isaias cap. 13. vers. 21. *Sed requiescent ibi* (intellige in corde) *Bestiæ, & replebunt domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.* (Vers. 22.) *Et respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* Bestiæ dissipant, Dracones inflant, struthiones distendunt, pilosi turbant, vlulæ contrahunt, Syrenes inquinant.

Cogitationes variæ repellendæ.

Cogitationum sex species, & quæ.

Vers. 5.

90 *Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: Sic erit semen tuum.* A Deo cuncta bona prouenient, ac etiam Proles; & illi qui ad solius gloriam Dei prædicant, vel instruunt innumeros conuertent, imò & ipsi quasi stellæ fulgebunt, vti dicitur Danielis cap. 12. vers. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

A Deo bona cuncta procedunt.

91 Vel dic: Ostenditur etiam, quòd tunc Religio conseruabitur, quando tàm Superior, quàm subditi habent Deum antè se, idest rectam intentionem.



92 Nota quòd moraliter tria sunt stellarum genera. Est enim stella vespertina, sunt stellæ nocturnæ, & est stella matutina. Prima est Eua. Secundæ; est antiquorum Patrum figura vitæ gloriosæ. Tertia est Beatissima Virgo MARIA. Prima fulsit in principio, sed extincta est cadens, & introducens noctem culpæ, & pœnæ; & hæc dicitur vesperus, quasi væ spirans; insuper & hæc est stella illa, quæ cap. 8. vers. 11. Apocalypsis dicitur Absynthium, *& nomen stellæ dicitur absynthium* propter amaritudinem illatæ miseriæ. Secundæ fulserunt in nocte aduersitatis, virtute patientiæ, indè dicitur Sapientiæ cap. 10. vers. 17. *Fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.* Tertia fulsit gratia in medio nebulæ legis Mosaicæ, quæ dicitur Lucifer, triplici ratione nominis. Ipsa enim tulit in se lucem, scilicet Dei Sapientiam incarnatam, indè dicitur benè Lucifer, quasi lucem ferens. Secundò Legis, & prophetarum nebulam cæcam illuminauit pariendo Christum quem obscurè prædixerunt, & qui de se ipso dixit Ioan. cap. 8. vers. 12. *Ego sum lux mundi.* Indè dicitur Lucifer, idest lucem cæcis ferens. Tertiò cùm esset gratia plena (sicut dixit *Angelus ad eam: Aue gratia plena* S. Luc. cap. 1. vers. 28.) posteris lucem tulit, idest, gratiæ abundantiam, indè dicitur Lucifer, quasi luce fertilis: cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo.

Stellarum tria genera, moraliter quæ.

93 Vel dic: *eduxitque eum foras, & ait illi suspice Cælum.* Audi pulchrum Diui Ambrosij loco supracit. Lit. D. Morale. *Foras educitur propheta, vt exeat foris corporis, & angustias carnis operientis, ac Spiritus Sancti infusionem, vt velut quandam descensionem, videat. Oportet* (audi quod sequitur) *nos quoque exire ex his diuersorij nostri angustijs, mundare animæ nostræ locum ab omni inquinamento, proijcere sordes malenolenciæ, si volumus spiritum recipere sapientiæ, quia in malenolam animam non introibit Sapientia.* Sap. cap. 1. vers. 4.

Sapientia in maleuolam non intrat animam.

94 *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Inter Christianas virtutes multùm est laudanda fides. *Et vbi sana fides non est, non potest esse iustitia; quia iustus ex fide viuit,* inquit S. P. N. Augustinus contrà Petilianum, & habetur 24. quæstione 1. *Vbi sana.* Vers. 6.

Inter virtutes laudabilior fides.

95 *Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam,* idest ego eduxi te (inquit Dominus ad iustum) de incendio vitiorum, vt darem tibi intuæ Vers. 7.

Vitia sunt gradus ad virtutem, & quomodo.

tuæ profectionis præmium terram viuentium. Hinc habes, quòd vitia sint gradus ad virtutem; & quomodò, audi. Inuestigat Eusebius Emissenus rationem, qua euehi possimus ad viuentium terram, nempe ad cœlum, & decernit facilè fieri posse, vt scelera ipsa nos à terrenis sordibus euehant, & syderibus inserant. *Sublimabunt nos* (sic loquitur Emissenus homil. de Ascensione Domini in fine) *si fuerint infrà nos: de nostris etiam vitijs scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* Considera obsecro nunc, quæ mentis elatio sit necessaria ei, qui inuicto pede hostium audacissimorum colla premere debeat. Premere inquam? imò perimere, ac penitùs conculcare. Est in promptu memorandum, nisi potiùs execrandum Tamerlani facinus; quod nostrum dictum non parum illustrat.

96 Leges apud Horatium Tursellinum lib. 9. epi. hist. in fine, Paiazetem Turcarum Regem anno à partu Virginis Millesimo quadringentisimo à Tamerlano Tartarorum Rege celeberrima illa Victoria, qua Tartarus quidquid terrarum est a Tanai flumine ad Nilum domuit, non modò victum, captumque, & in cauea ferrea ad ludibrium reseruatum, verùm etiam coactum fuisse, cænante Tamerlano, catena aurea collo inserta, inter canes cibum sub mensa capere. Insuper etiam insolentis, atque post hominum memoriam inauditæ Superbiæ edidit argumentum: etenim fama fert Tamerlano equum conscensuro tergum præbuisse Paiazetem hostis superbia elati, & fastu planè barbaro tumidi pedibus conculcandum.

Paiazeti summa Calamitas.

Tamerlani facinus execrandum.

97 Simillimum planè, & superbiæ execrandæ, & calamitatis miserrimæ monumentum prodit Tyrius Antistes lib. 2. de bello sacro scribens de Romano Diogene Græcorum Imperatore, cui, Constantino Duca extincto, Eudocia Augusta nupserat. Hic collatis in Asia cum Turcarum Sultano signis, non modò victus, verùm etiam in potestate hostis immanissimi redactus, fertur proculcatur ab eo pedibus, imò ascensuro, descensuroque Tyranno truculentissimo, Augustus pro scabello fuisse. Ex his percipies facilè sensum Emisseni, cui parùm videbitur si vitia debellaueris, parum si mille modis deluseris, parùm si in seruitutem adduxeris, animoque semper victore exultaueris. Vnum adhuc superest dignum regnantis animo superbiæ ostentum, scelera scilicet

Romani Diogenis infortunium.

quàm sæpissimè pede proterere, ac conculcare. Habes igitur, quo pacto te ipso maior fias, hoc est super te ipsum eas, vno verbo, qua ratione superbias; nil enim aliud est superbire, quàm super se ire. Habes insuper, quo pacto terra viuentium acquiritur. Deus de vitijs te longè eduxit: ad semitam virtutis te reduxit: quo fine? vt cælestium terram possideres. Ergo si vitia subiecisti, super vitia ad promissionis terram ascende.

98 *At ille ait: Domine Deus, vndè scire possum, quòd possessurus sim eam?* Si Deus ad promissionis terram possidendam nos prædestinauit sua gratia, non est inquirendum huius nostræ prædestinationis signum; verum enim signum est in bono perseuerantia: *Nam ipsa quoque cælestis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hanc electi ex labore perueniant*, scribit S. Gregorius lib. 1. dialogorum. Vers. 8.

99 *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.* Quid per vaccam, nisi humilitas: quid per capram, nisi pænitentia; quid per arietem, nisi fortitudo; quid per turturem, nisi castitas; quid per columbam, nisi simplicitas figuratur? *Vacca* igitur est *triennis*; quia humilis debet se subijcere maiori, æquali, & minori: *Capra trima*; quia vera pænitentia tribus partibus constat, scilicet, contritione, confessione, & satisfactione, *Aries annorum trium*; quia fortitudo, & constantia in triplici malorum genere perferendo, & superando versatur, nempè in contumelijs, iniuris, & verberibus; vti scripsit Apostolus ad Hebræos cap. 11. vers. 36. *Ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Turtur, & columba* adiungitur ijs; quia iustitia, & simplicitas dirigunt humilem, pænitentem, & constantem in viam Domini; iuxtà id quod dixit Sapiens in prouerbijs, Prouerb. cap. 11. vers. 5. *Iustitia simplicis diriget viam eius.* Vers. 9.

Humilis tribus se subijcere debet.

Pænitentia tribus partibus constat.

100 Vel dic cum S. P. N. Augustino lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 24. *Per iuuencam significata est plebs posita sub iugo legis: per capram, eadem plebs peccatrix futura: per arietem, eadem plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum sint tres insignes articuli temporum, ab Adam vsquè ad Noe; Et indè vsquè ad Abram: & indè vsquè ad Dauid: in hoc ordine tertio, qui tenditur ab Abram vsquè ad Dauid, tanquam tertium ata-*

Fortitudo in triplici re consideratur.

Astronomia quid sit.

porum quantitate terminata, & eorum accidentia sensibilia terminante. *Ricciol. lib. 1. de sphæra lib. 1. cap. 1.*

25 Notandum etiam est, quòd Astrum differt a stella: hæc enim est singulare, & vnum seorsim corpus cæleste, splendidum, siuè sit Planeta, siuè non Planeta; cuiusmodi est Mercurius, Saturnus, &c. Astrum verò systema ex pluribus stellis est compositum, ijsque inerrantibus, cui latinè cuidam putant conuenire nomen Syderis ab eo, quòd simul plures stellæ in eo videantur. Omnis enim stella, ait Tatius, est Astrum, non tamen astrum omne est stella *Ricciol. vbi suprà.* Et Astrum, nihil aliud est, quàm densior pars sui orbis, lucem habens, & transmittens. Forma astrorum est Lux; materia est substantia cœli.

Astrum differt a stella, & cur.

Astrum quid sit.

26 Seth nomina stellarum commentum esse, *Suidas* profert. Ego tamen ab Adam nomina, lingua sancta, vt cæteris rebus ex proprietate ipsarum naturali, vt in Genes. legimus, etiam stellis indita esse existimo, nam Hebræi Saturnum שבתאי appellant, idest, quietum, & tranquillum propter naturalem eorum inclinationem, quorum Horoscopum Saturnus obtinet, vt ferè sunt Melancholici, tranquilli, & contemplationibus deditì: Aut quòd rebus nascentibus inimicus Saturnus, frigore suo calorem naturalem in his extinguat: Vnde pueros, quibus frigus maximè est inimicum, deuorare à plerisque pingitur, & שיברא Chaldæi Spiritum malum suffocantem pueros appellant, non alium vt existimo, quàm quem nos Saturnum dicimus. Nam & apud Græcos, vt scribit *Diodorus*: μῦθος ἦν ἐκ παλαιᾶς φήμης παραδεδομένος, ὅτι Κρόνος ἠφάνιζε τοὺς ἰδίους παῖδας. Anni Saturni, cuius Signum est ♄, maximi sunt 465. Maiores 57. Medij 43. Minores vero 30. Magnitudo sui corporis terram continet 95. vicibus, & quantitas eius orbis gradus 9. antè, & retrò sunt.

Planetarum magnitudines, & proprietates.

27 Iouem צדק idest, iustum, quia iustitiæ ciuili studere videntur ij, quibus Iupiter Dominus est Horoscopi. Anni Iouis, cuius signum est ♃, maximi sunt 428. Maiores 79. medij 45. cum dimidio. Minores verò 12. Magnitudo corporis eius terram continet 91. vicibus: & quantitas eius orbis gradus 9. sunt.

28 Martem מאדים, idest robustum, quasi dicas, qui viriles faciat propter naturalem inclinationem, qua eos afficit, quorum præest horoscopo; vt eos quodammodo Martiales reddat, aptosque laboribus. Quamquam alij à rubedine, qua fulgens in cœlo conspicitur, nomen tractum esse volunt. Dicitur idem, vt nonnulli volunt, גד quæ vox turmam significat militarem, excurrentem, & populantem agros, talibus enim fauere Mars creditur, cuius signum est ♂, & anni maximi sunt 264. maiores 66. medij 40. cum dimidio. Minores verò sunt 15. magnitudo eius corporis terram continet duabus ferè vicibus. Radij eius orbis antè, & post sunt 8. gradus.

29 Sol dicitur שמש à ministerio, quòd lucem omnibus gratissimam administret חמה verò à calore suo, quo omnia viuificat. Solis signum est ☉, sed meliùs, & communiter ☉. Anni eius maximi sunt 1460. maiores 120. mediocres 69. cum dimidio. Minores verò 19. magnitudo corporis solis terram continet 66. vicibus, & paulò plus. Circuitque Zodiacum spatio 365. dierum, & sex ferè horas. Gradus sui luminis antè, & retrò sunt 15.

30 Venerem volunt dictam esse עשתרת *Astoreth*, cuius passim mentio fit in sacris paginis, vti superiùs vidimus. Fuit enim nomen Idoli Sidoniorum, cui preces adhibebantur, & thura incendebantur, quòd cultoribus opes promitteret. Videtur enim esse ab עשר, quod Hebræis est ditari. Quanquam alij ab oue, seù agno sic dictam putant, vel quòd præcipua diuitiarum pars in agnis esset, vel quòd in forma ouis coleretur, Eusebius lib. 1. præparationis Euang. scribit: τὴν ἑωσφόρον φοίνικες, τὴν ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι: Et notum est Veneris stellam inter fortunatas haberi ab Astrologis, cuius signum est ♀, & Anni maximi sunt 151. maiores 82. medij 45. minores sunt 8. magnitudo sui corporis vna est ex 37. partibus terræ. Gradus verò sui luminis antè, & post sunt 7.

31 כבי Hebræis est Mercurius, qui nomen inuenit à numeratione, seù rerum distributione. Magnam enim habere vim in excitandis ingenijs, & augenda hominum industria existimatur. Vnde peculiaris illi cultus à negotiatoribus instituebatur, quem reprehendit Isaias cap. 65. & noti sunt *Prudentij* de Mercurio versus.

Artificem scelerum simplex mirata vetustas.
Supra hominem coluit, simulans per nubila ferri

Alige-

Aligerisque leues pedibus transcurrere ventos.

Quæ omnia partim ad motum, partim verò ad naturam, & effectiones huius planetæ sunt referenda. Mercurij autem signum est ♉, & anni eius maximi sunt 460. maiores 76. medij 48. minores verò 20. magnitudo sui corporis vna est ex 3141. partibus terræ ferè. Et eius orbis radij antè, & post sunt 7.

32 Luna Hebræis ירח est dicta à spirando, seù respirando, quòd noctu respirationem, & refrigerium præbeat rebus interdiù solis ardore adustis. Dicitur eadem סירחא à rotunditate globosi corporis. Et לכבה à candore lucis. Signum Lunæ est)). Anni eius maximi sunt 520. Maiores 108. medij 66. cum dimidio. Minores verò sunt 25. Magnitudo eius corporis vna est ex 39. partibus terræ. Sui orbis radij antè, & retrò sunt 12.

33 De rebus astronomicæ scientiæ multa occurrerent dicenda; *Sed non est* (inquit S. Ambrosius lib. super Beati immaculati, litera 12. vers. 2. tom 4.) *Cura Sanctis* (intellige Religiosis, & vitam spiritualem sectantibus) *axem cæli, & elementorum spatia Philosophico more, numerosque describere. Quid enim hoc prodest saluti? Quia sancti spiritualibus semper intendant, & vita æterna profutura, vel cognoscere gestiunt, vel docere.* Vndè cum eodem Sacro Ecclesiæ eximio Doctore dicam, quæ lib. 4. Hexam. cap. 5. scripsit: *Multa diximus, plura volumus, ac quis ea quæ à nobis de eorum assertionibus vsurpantur ad refellendum, ad recognoscendum assumpta arbitretur? Nam quæ pueri risimus, ea senes commemorare qui possumus?*

Vers. 6. 34 *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Iā crediderat Abramus, se futurum parētem, cùm Deus è terræ puluere filios Abraæ promissione excitauerat; sed velut impatiens præ desiderio se sinè liberis, moriturum, obijcit, vt promissio confirmaretur, & impleretur. Credidit ergo anteà, & nunc ardua promittenti, prolem scilicet accepturum, ex Sarai sterili. Deus autem fidem *illam* (sic Hebr.) ad maiorem iustitiam, seù meritum reputauit, vt in conspectu eius Sanctior esset.

☞ 35 Hic nota, quòd Nouantes abutuntur hoc loco quasi iustificatio sit in sola fide. Nempe non significauit hic Abram tunc primùm accepisse iustitiam, vel peccatorum veniam, quando credidit Deo promittenti sibi semen (siquidem iam antè per fidem, & obedientiam, qua, relicta patria exiuit in terram alienam, Deo placebat. Hebr. 11.) Sed eam fidem illi valuisse ad incrementum iustitiæ, quatenus opus erat singulariter Deo gratum, *Apostolus verò* ad Rom. 4. idem illud accommodat primæ nostræ iustificationi; quam docet esse ex fide, tanquam fundamento totius renouationis, ac reparationis nostræ per Christum; & quia fides, vt ait S. P. N. Augustinus epist. 105. *prima datur, per quam cætera impetrentur*, non quòd sola fides sufficiat.

Error Nouatorum circa Iustificationem.

Sola fides non sufficit ad iustificationem.

36 Contra quam Nouatorum hæreticalem sententiam, & Lutheri dicentium, solam fidem iustificare Sacrosancta Oecumenica Tridentina Synodus sess. 6. de Iustificatione Anathema dicit, in Can. 9. Impress. Venet. pag. mihi 46. his verbis *Si quis dixerit sola fide impium iustificari, ita vt intelligat nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur; & nulla ex parte necesse esse eum suæ voluntatis motu præparari, atque disponi: Anathema sit.* Accedit etiam Ecclesiæ Lumen ad has fugandas errorum tenebras S. P. N. Augustinus, qui in lib. de natura, & gratia cap. 63. & vltimo, sic profundissimè nec non eleganter dicit. *Caritas ipsa iustitia est, qua vna iusti sunt, quicunque iusti sunt. Namque inchoata caritas, inchoata iustitia est: prouecta caritas, prouecta iustitia est: magna caritas, magna iustitia est: perfecta caritas, perfecta iustitia.* Et apertiùs, imò & enucleatiùs hoc ipsum docet in Enchirid. cap. 117. adhunc modum scribens: *Caritas, quam fide, & spe maiorem dixit Apostolus, quantò in quocumque maior est, tanto is melior est, in quo ipsa est, cùm enim quæritur, sit ne quispiam bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet; nam qui rectè amat, etiam rectè credit, & sperat. Qui verò non rectè amat, inaniter credit, etiamsi sunt vera, quæ credit; & inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem pertinere doceantur, quæ sperat, nisi & hoc credat, & speret, quod sibi petenti donari possit, vt amet.* Sic S. P. N. Augustinus.

37 *Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.* Vers. 7.
Idest, non eduxi te de Vr Chaldæorum vt terram istam per Procuratoris tui Damasci posteros possideres, sed per tuos, & sicut eduxi te facta promissione, sic & ad vnguem implebo.

38 *At ille ait: Domine Deus, vndè* Vers. 8.

scire

scire possum, quòd possessurus sim eam? De Dei promissione non dubitat Abram; sed tantùm modum eius scire cupit, & eius quod crediderat Symbolum aliquod, & similitudinem sibi exhiberi exoptat: *Non enim ait (* inquit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. Lit. B. col. 2. pag. mihi 204.*) vndè sciam, quasi adhuc non crederet, sed ait, secundùm quod sciam? Vt ei quam crediderat aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus agnosceretur. Sicut non est Virginis MARIÆ diffidentia, qua ait*; Luc. cap. 1. vers. 34. Quomodò fiet istud quoniam virum non cognosco? *Quod enim futurum esset certa erat, modum quo fieret inquirebat; & hoc cùm quæsisset audiuit (* vers. 35.*)* Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: *Denique & hic similitudo data est de tribus animalibus iuuenca, capra, & ariete, & duabus volucribus turture, & columba; vt secundùm hac futurum sciret, quod futurum esse iam non ambigeret.* Naturale est enim intellectui nostro, audito nuncio rei magnæ, & quasi impossibilis, statim quærere rei illius modum.

Vers. 9. 39 *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam, &c.* O quàm Mysteriosa fuit hæc responsio! ad quam explanandam antequam accedam: Notandum est cum D. Thoma Aquinate 3. p. quæst. 31. artic. 2. Lit. K. impress. Venet. col. 4. pag. mihi 111. quòd Abram fuit Sacerdos, sic dicit S. Doctor: *Abram autem Sacerdos fuit, vt patet ex hoc, quòd Dominus dixit ad eum Genes. 15. Sume tibi Vaccam triennem, &c.*

Abraham fuit Sacerdos.



40 Notandum secundò, quòd Ly *Sume mihi* tria significare potest, Primò sume ista ad vsum Sacrificij mihi ex istis animalibus offerendi. Secundò *Sume mihi*, ideſt in vsum fæderis, quod tecum, more & ritu vestro, pacisci & firmare volo. Tertiò *Sume mihi*, idest vt per ista tibi adumbrem, & significem, quæ posteris tuis euentura sunt, partim læta, partim tristia; antè possessionem terræ Chanaan à me promissam.

Generationes, & captiuitates Hebræorum in animalibus Sacrificij Abraham figurata.

41 His suppositis per *Vaccam triennem* indomitam significatur prima generatio Hebræorum eorumque libertas in Ægypto tempore Ioseph: tunc enim liberè, & lautè instar iuuencæ pascebantur Hebræi opibus Ægypti.

42 Per *Capram trimam* secunda Hebræorum generatio demonstratur; quam post Ioseph instar capræ mulgere cæperunt Ægyptij, Hebræorum diuitijs, operibus, & seruitute se ditando.

43 Per *Arietem* durum, & cornutum significatur tertia generatio Hebræorum numerosissima, & fortissima, ac proindè durissima seruitute oppressa ab Ægyptijs, nascente Moyse.

44 *Duæ Aues* non diuisæ, sed integræ in Sacrificium oblatæ significant, quòd post 400. annos Hebræi liberi, & integri essent euolaturi ex Ægypto, vt Deum colerent tum in deserto, tum in Canaan.

45 Per *Turturem gemebundam* significantur 40. anni luctus, in peregrinatione per desertum: nam *turtur* Hebraicè dicitur תור *Tor* à תור *Tur*, idest, cogitare, meditari, eò quòd *Turtur* intus loqui videatur instar eorum, qui meditabundi secum loquuntur.

46 Per *Columbam* verò socialem significatur Iosue tempus, quo Hebræi in promissionis terra lætè, ac placidè habitarunt. Pro ly *Columba* hebraicè est גוזל *Gosal*, ideſt, pullus columbæ, siue pipio, vt vertit Chaldæus: Hebræi enim recenter sub Iosue Chananæam ingressi, in ea fuerunt quasi pipiones. Hæc historica trita supradicta ratio (quam Cornelius à Lapide propriam sibi facit) est Theodoreti in Genesim quæst. 65. qui sic dicit: *Propterea ex quadrupedibus mundis tria iussit assumi, vt significaret tres generationes, quæ transigendæ erant in peregrinatione Hebræorum: nam ipse dixit:* vers. 16. Generatione autem quarta reuertentur hùc. *Turtur autem quartam illam generationem denotabat, quæ ex Ægypto egressa velut euolauit, & habitauit in deserto. Huiusmodi enim auis amans est solitudinis. Columba autem generationem aliam indicabat, quæ terram promissam accepit: mansuetum enim est hoc animal, ac domesticum.*

47 *Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contrà se altrinsecùs posuit: aues autem non diuisit.* Vers. 10.
Ritu feriendi fœderis Abramus animalia sidit à capite ad caudam secando: opposuitque medietates relicto spatio intermedio ad transeundum. Ritus enim erat, vt paciscentes inter hostiæ frustra trāsirent. Sic ergo Abramus hinc indè apposuit quadrupedum medietates, vt Deus lambentis specie flammæ Abramo appareret, & cum ipso pacisceretur. Porrò volucres non diuisit, quia ad fœdus non pertinebant, sed

Digitized by Google

sed ad sacrificium. Attamen licèt ad fœdus non facerent, apprimè offerri, simul iubentur; quia vtiliùs tunc fœdera feriuntur, cùm sacrificij comitatur oblatio.

48 Notandum primò, quòd quadrupedum dissectio varias significat hebræorum afflictiones in Ægypto: Aues verò integræ harum calamitatum finem significant.

49 Notandum secundò, quòd mos antiquus Hebræorum fœdera faciendi hinc traxit originem ex eo fœdere, quod Moyses hoc loco narrat Deum pepigisse cum Abramo. Nisi quòd Abram quinque animalium genera capere iussus est: cætera autem fœdera, vno tantùm animali ritè secto fiebant. Atque hæc est causa, cur Hebræi fœdus facere, dicant, diuidere, ac dissecare fœdus; sicut Latini suum etiam repræsentantes ritum ineundi fœdera, dicebant percutere, & ferire fœdus: nempè Fœcialis saxo, vel silice feriebat porcum, siuè porcam, similiter à Deo feriri precatus eum, qui fœdus fregisset, vndè illud apud Poetam Virgilium Æneid. 8. de Romulo, & Tatio:

Ex fœdere Abrahami antiquus Hebræorum mos fœdera faciendi originem traxit.

Quid sit fœdus percutere.

Armati Iouis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Vers. 11. 50 *Descenderuntque volucres super cadauera:* quia ista cadauera posita erant in patulo extrà tabernaculum; *Expectante*, dicit Caietanus ibid. pag. mihi 77. *Abram transitum Dei inter partes quadrupedum antequam sacrificaret, & si Iosepho creditur antequam locarentur super aram, volucres solita vesci carnis cadauerum venerunt ad cadauera animalium.*

51 Nota quòd volatus volucrum ad cadauera significat Og, Seon, Amalec, aliosque inimicos Israelem peregrinantem inuadentes, & vellicantes.

52 *Et abigebat eos Abram.* Alij *exsufflabat, eas perturbabat: consedit cum eis.* Seuerè reprehendit Eugub. Septuaginta, quòd ità verterint, sed immeritò: verum equidem Septuaginta videntur legisse וישב אתם *Vaijescheb ittam*, alijs punctis; noster autem Interp. vt modò legitur, וישב אתם *vaijescheb ottam*, à radice נשב *nascbab*, quod est exsufflare, abigere, expellere, sed sensus amborum in idem redit, sedit enim cum eis, non cum auibus, sed cadaueribus, hoc est iuxtà ea, obseruans scilicet, vt explicat S. Ioannes Chrysostomus homil. 37. lit. A. pag. mihi 203. ne aues aduolarent, & cadauera fœdarent aut laniarent, vel ne semel expulsæ à victimis, iterum redirent. *Et sedens* (sunt verba doctoris) *obseruabat, vt ne possint diuisas partes lædere aduolantes aues: & per totum diem hoc facere perseuerabat.*

53 Nota, quòd Abram abigens has volucres significat Dei prouidentiam, Hebræos ob merita Abrami tuentem, & protegentem, sic Theodor. & Diodor. Tarsensis.

54 *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram:* Nondum occiderat Sol, sed occumbebat: Externa siquidem diei pars describitur. A mane (vt rationabile est credere) hora sacrificandi vsquè ad serum expectauit Abrã. Sole autem declinato, immisit Dominus Abraæ soporem, eo modo quo immiserat Adæ, de quo dicitur Gen. cap. 2. vers. 21. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam.* Vtrobique enim Hebræa veritas habet eamdem vocem הרדמה *tardema* quam Septuaginta vertunt *Ecstasim*: Sopor verò, vt scribit *Brul. dist. 18. quæst. 1. lib. 2.* est quædam dulcedo immissa maximè à Deo ipsi animæ, per quam totaliter abstrahitur ab actibus exteriorum sensuum. Vers. 12.

Sopor Abrahæ in Sacrificio similis sopori Adami in Paradiso.

55 *Et horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Iste *horror* fuit quædam passio multum pauida: Vocatur *Tenebrosus*, quia venit in tenebris: dicitur *magnus*, quia res magis terribiles sunt in nocte, quàm in die. *Et ideò*, inquit Aureus Doctor loco supracitato, *horror magnus, & tenebrosus inuadit eum, vt per omnia quæ fiunt, sentiat se videre Deum. Eum enim morem Deus vbique habet; nam & quando Moysi in Monte Sinai daturus erat legem, & mandata: Tenebræ inquit, & caligo erat, & mons fumigabat, propter hoc & Scriptura inquit:* Qui tangit montes, & fumigant. *Enimuerò incorporeum videre per sensibiles hosce oculos non est possibile, ideò aliter suam nobis operationem significare vult.*

56 *Dictumque est ad eum: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua;* Idest quòd filij tui erunt peregrini. Loquitur hic de filijs descendentibus per Isaac, & Iacobi quia Esau non fuit peregrinus, sed habitauit in quiete in montibus Seir, & Ismael cum sua posteritate habitauit in pace in deserto Pharan, vt patet infrà 25. cap. sicuti glossat Abulensis. Vers. 13.

57 Dicit *In terra non sua*, quia Abrami posteri semper habuerunt tellurem alienam, quousquè redierunt ad terram Chanaan, & possederunt eam, interfectis habitatoribus eius.

58 Et

58 *Et Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*; Hic describitur Hebræorum Ægyptia seruitus. Ad soluendam huius loci difficultatem, nempè, an Hebræi manserint in Ægypto, & seruierint per quadringentos annos, vti dicitur, *& affligent quadringentis annis*, duas rationes affert S. P. N. Augustinus: Prima est in libro 16. de ciuitate Dei col. 3. Lit. D. pag. 204. quam sic proponit: *De populo Israel, qui fuerat in Ægypto seruiturus, aptissimè prophetatum est. Non quòd in eadem seruitute sub Ægyptijs affligentibus quadringentos annos populus ille fuerat peracturus, sed in ipsis quadringentis annis pranunciatum est hoc futurum. Quemadmodum enim scriptum est de Thare patre Abraæ.* Et fuerunt dies Thare in Charra quinque, & ducenti anni, *Non quia ibi omnes acti sunt, sed quia ibi completi sunt: ità & hic, propterea interpositum est*, & in seruitutem redigent eos, & affligent eos quadringentis annis, *Quoniam iste numerus in eadem afflictione completus est, non quia ibi vniuersus perfectus est. Quadringenti sanè dicuntur anni propter numeri plenitudinem, quamuis aliquantò ampliùs sint, &c.*

An Hebræi manserint in Ægypto, & seruierint per 400. annos.

59 Secundam rationem affert S. Parens, & Ecclesiæ Doctor eximius in lib. 2. quæst. super Exodum quæst. 47. col. 1. pag. mihi 106. tom. 8. sic scribens. *Quòd ergo dixit Deus ad Abram. Sciendo scias, quòd peregrinum erit semen tuum in terra non propria; & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illis quadringentis annis; non sic accipiendum est, tanquam in illa durissima seruitute quadringentos annos Dei populus fuerit; sed quia scriptum est*. In Isaac vocabitur tibi semen: *Ex anno natiuitatis Isaac vsquè ad annum egressionis ex Ægypto computantur anni quadringenti quinque. Cùm ergo de quadringentis triginta detraxeris viginti-quinque, qui sunt à promissione vsquè ad natum Isaac; non mirum est si quadringentos, & quinque annos summa solida quadringentos voluit appellare Scriptura, quæ solet tempora ità nuncupare, vt quod de summa perfectioris numeri paululum excrescit, aut infrà est, non computetur. Non itaque quod ait:* In seruitutem redigent eos, & nocebunt illis, *ad quadringentos annos referendum est, tanquam per tot annos eos habuerint in seruitutem; sed referendi sunt quadringenti anni ad id quod dictum est:* Peregrinum erit semen tuum in terra non propria; *Quia siuè in terra Chanaan, siuè in Ægypto peregrinum erat illud semen, antequam hæreditate sumeret terram ex promissione Dei: Quod factum est posteaquam ex Aegypto liberati sunt. Vt Hyperbaton hic intelligatur, & ordo verborum sit*. Sciendo scias quòd peregrinum erit semen tuum in terra non propria quadringentis annis: *Illud autem interpositum intelligatur*; & in seruitutem redigent eos, & nocebunt illi; *Ita vt ad quadringentos annos ista interpositio non pertineat. In extrema enim parte annorum summæ huius, hoc est post mortem Ioseph, factum est, vt in Ægypto populus Dei duram perageret seruitutem.*

60 *Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo*. Idest tu abegisti volucres infestas animalibus. Plus faciam & ego, quam significatum fuerat; nam gentem illam *iudicabo*, idest grauissimè puniam decem plagarum iudicijs; vel vt dicit S. Ioannes Chrysostomus vbi suprà, *vltionem sanè eorum ego faciam*. Vers. 14.

61 *Et post hæc egredientur cum magna substantia*. Legunt alij *Suppellectili, apparatu magno*, opibus scilicet partim industria acquisitis, partim ex Aegyptiorum spolijs. Vt accidit. In exitu enim Hebræorum, mandauit Deus, quòd vir peteret ab amico suo Aegyptio vasa aurea, vel argentea, & mulier à vicina sua etiam vestes pretiosas, & Deus dabat Aegytijs in mentem, quòd libenter accommodarent eis, & mandauit, quòd ea portarent, vt patet Exod. cap. 1. 4. & 5.

62 *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona*. Idest Annorum tu centum, & septuaginta quinque placida pacataque morte perges ad patres tuos scilicet sanctos, & iustos, qui in limbo manebant vsquè ad Christi passionem. Hoc loco S. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 9. scribit: *Nonnulli putauerunt patres esse elementa, ex quibus constat caro nostra, dum viuimus, & in quæ resoluimur. Sed nos qui meminimus matrem nobis esse Ierusalem, quæ sursum est, illos asserimus patres, qui vitæ merito, & ordine antecesserunt. Erat illic Abel pia victima, erat & pius, & Sanctos Enoch, erat Noe: ad eos promittitur Abram transitus.* Vers. 15.

63 *Generatione autem quarta reuertentur huc*: Quia per os Ecclesiastici cap. 18. vers. 8. dicitur *Numerus dierum hominum, vt multum centum anni*, Idest quod vna generatio sint centum anni ideò, si Posteri Abraæ reuertentur in terram Chanaan quarta generatione, erit hic recessus post 400. annos. Et hoc patet computando à filijs Iacob, qui in Aegyptum ingressi sunt; nam Iacob Vers. 16.

Vna generatio quot anni sint.

genuit

genuit Iudam, & hæc est prima generatio; Iuda genuit Phares, & hæc est secunda generatio: Phares genuit Esron, & hæc est tertia generatio; Esron genuit Caleb, vt scriptum est primi Paralipomenon cap. 2. vers. 18. *Caleb verò filius Hesron*. Caleb autem intrasse promissionis terram manifestum est ex cap. 14. Iosue.

64 *Necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus*: Sensus est, mensura peccatorum, pro qua constitui punire Amorrhæos exterminatione, & internecione, nondum est impleta.

65 Hic notandum est primò, tria Chananæorum, & Amorrhæorum scelera fuisse. Primum promiscua matrimonia nullo habitu respectu cognationis, & affinitatis. Secundum Libido nefanda, & contrà naturam fordidissimum crimen, non solùm marium cum maribus, sed etiam cum bestijs. Tertium fuit Idololatria, & multiplex impietatis plenissima superstitio, qua etiam proprios filios igni comburendo, Dijs immolabant.

Amorrhæorum, & Chananæorum tria scelera, & quæ.

66 Notandum est etiam secundò, cùm sint tria quæ destruant ipsam humanam societatem, ideò tria sunt scelera, quæ maximè punit Deus in hac vita. Humana societas, & mortalium omnium communitas conseruatur primò Religione, & pietate in Deum; secundò æquitate, & iustitia; tertio recta viuendi disciplina, & bona morum compositione. Ad primum contrà est Atheismus, & Idololatria; ad secundum rapinæ, & innocentum oppressiones, ad tertium promiscua, & nefanda libido.

Tria destruunt humanam societatem, & quæ.

Tria scelera maxime punita a Deo in hac vita, & quæ.

67 Notandum tertio; quòd sex fuerunt valdè insignia, & horrenda exempla diuinæ vindictæ, quam Deus propter varia scelera, & contrà varias gentes, & populos diuersis temporibus exercuit. Prima fuit diluuium vniuersale propter enormem in omni libidinis genere intemperantiam. Secunda vindicta fuit, ignis & sulphuris pluuia propter nefandum Sodomorum scelus. Tertia fuit vindicta decem plagarum quibus percussi fuerunt Ægyptij propter Hebræorum vexationem tyrannicam, & impiam aduersùs Deum peruicaciam. Quarta fuit ipsorum Hebræorum vindicta ob multiplicem idololatriam, ob innocentium, & Prophetarum cædes, & super omnia propter impijssimam Messiæ Redemptoris nostri necem. Quinta fuit Babyloniorum, & Chaldæorum vindicta propter fœdissimas omnis generis superstitiones, & nimiam contra Dei populum sæuitiam. Sexta fuit Græcorum vindicta vsque nunc lachrymabilis, propter pullulantes subinde in ea gente glisentesque hæreses, & schismata; propter Superbiam aduersùs Pontificem Romanum, vniuersalem Ecclesiæ Pastorem, & Christi Domini Nostri Vicarium in terris, contumaciam, peruicaciam, atque inobedientiam; propter incredibilem perfidiam, & malignitatem, atque in Latinam gentem, & Ecclesiam implacabile odium.

Sex fuere diuinæ vindictæ horrendæ exempla, & quæ.

68 Notandum quartò; quòd hic per figuram *Synecdochen* posita est pars pro toto, idest vna gens Amorrhæorum pro omnibus gentibus, quæ terram illam possidebant; insuper & ob hanc causam præcipuè nominati sunt Amorrhæi, quia isti, & amplitudine gentis, & proceritate corporis, ac robore, & crudelitatis atque impietatis immanitate, cæteris eius terræ habitatoribus insigniores, ac celebriores futuri essent: hoc totum colligitur ab Hyperbolica locutione Amos prophetæ cap. 2. vers. 9. dicentis per os Domini: *Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & contriui fructum eius desuper, & radices eius subter.*

Amorrhæi Chananæorũ [Chananæorum] seuiores.

69 *Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa*. Quia in Hebræo habetur, non caligo tenebrosa, sed obscuritas; hinc de ista caligine incertum est, an sic facta fuerit, quia tempus valdè obscurum fuit ex aliquo accidenti; vel quia sic Abrahæ visum fuit imaginaria visione. Vers. 17.

70 Hic aduerte quòd Caligo est obscuritas proueniens ex nebulis, nubibus, aut puluere, radios luminosi corporis detinentibus, aut Luminis diffusionem impedientibus. *Apud Sandeum Theol. myst. fol.* 215. Accipitur etiam Caligo pro nebula, quæ est vapor copiosus, & densus, infimam aeris regionem obumbrans, qui vel est residuum præcedentis nubis, vel initium sequentis. Prima, propriè est nebula, altera verò Caligo quædam, quæ nisi à sole dissoluatur, est semen futuræ pluuiæ. Prima descendit per acrem, altera potiùs ascendit. Sic Picolom. lib. def. fol. 139.

Caligo quid sit.

71 Caligo mystica, siuè diuina, secundùm D. Dionysium epist. 5. ad Do-

rothæum, est lux ad quam aditus non patet, in qua Deus habitare dicitur. Quæ quidem nec cerni potest præ excellenti claritate, nec adiri eamdem propter singularem diuini luminis effusionem. Secundùm autem Angelicum Doctorem in primo lib. sent. distinct. 8. quæst. 1. artic. 1. ad 4. Caligo quam Deus inhabitat, est claritas Dei supereminens intellectui.

Caligo mystica quid.

72 *Et apparuit Clibanus fumans.* Per hunc fumantem clibanum designatur iuxtà literam Ægyptiaca hebræorum seruitus in luto, & latere, quem in suis fumantibus furnis coquebant hebræi. Vndè & benè iuxtà hebraicam veritatem pro ly *Clibanus fumans* habetur; *& ecce furnus fumi*; & in cap. 4. Deuteronomij vers. 20. vocatur hebræorum ista seruitus, fornax ferrea Ægypti. *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti.*

73 *Et lampas ignis transiens inter diuisiones illas*, alij legunt *Tsio, fax*, aut *teda ignis*. Dictio לפיד *Laphid*, facem significat. S.P.N. Augustinus lib. 2. retract. cap. 43. col. 3. pag. mihi 794. tom. 8. lit. B. scribit; *Non debuit pro miraculo poni, in Abrahæ sacrificio flammam caelitùs factam inter diuisas victimas cucurrisse: quoniam hoc illi in visione monstratum est.* Hæc fax, lampas, seu ignis index fuit Dei, qui frequenter in veteri testamento solitus est apparere in igne, imò & ipse vocatur ignis consumens, vti habetur Deuteronom. cap. 4. vers. 24. *Quia Dominus Deus tuus ignis consumens est.*

74 Hic nota primò. In sacra scriptura passim Deus se per ignem exhibuit, & ostendit hominibus, vt meritò se vocet ignem consumentem. Ità Moysi apparuit Deus in rubo ardenti. Exod. cap. 3. vers. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.* Apparuit Hebræis in columna ignis, & nubis. Exod. cap. 13. vers. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* Danieli qui dixit cap. 7. vers. 9. *Thronus eius flamma ignis: rotæ eius ignis accensus* (vers. 10.) *Fluuius igneus, rapidusque egrediebatur à facie eius.* S. Ioanni etiam Apocal. cap. 1. vers. 14. *Oculi eius tamquam flamma ignis.* vers. 15. *Et pedes eius similes aurichalco, sicut in camino ardenti.* Sic Apostolis in die Pentecostes apparuit Spiritus Sanctus in linguis igneis cap. 2. vers. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis.* Sic in Sina Deus legem daturus hebræis per ignem se ostendit Deuteron. cap. 4. vers. 15. *Locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis.*

* *Deus per ignem se exhibuit passim in Sacra Sriptura.*

Deus ignis appellatus.

75 Nota secundò. Gentiles etiam Deum per ignem repræsentarunt, & definiuerunt. Zoroastres, & Platonici ita Deum describunt: *Deus*, inquiunt, *est ignis primus, vitifer, siuè vitam cunctis afferens, ex quo ignes siderei, idest stellæ, & astra, omniaque alia sunt genita.* Quò alludens Horatius de Iulio Cæsare, quasi inter Deos relato, ita canit:

Micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Etiam Gentiles Deum ignem vocarunt.

Et Virgilius ita stellas tamquam ignes animatos, & diuinos, idest, tanquam Deos, inuocat, & contestatur.

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.

Apollo quoque rogatus, quis esset, & quid omninò esset Deus? respondit: *Per se natus, non doctus, sine matre, immotus, neque in rationem, neque in sermonem cadens, in igne habitans, hic est Deus: parua verò Dei portio sumus Angeli nos.* Denique Persæ coluerunt Deum specie ignis, & igni templum erexerunt, vt habetur 2. Machabæorum cap. 1. vers. 34. *considerans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum, vt probaret, quod factum erat.*

76 Nota tertiò, quòd vsitatissimum etiam est ignem pro bellorum significato ponere. Hinc Hieremias ollam succensam videt ad Aquilonem (vti dixit ipse cap. 1. vers. 13. *Ollam succensam egò video, & faciem eius à facie Aquilonis*, vndè scilicet tot in vniuersum terrarum orbem bellorum essent incendia motibus assiduis effundenda. Hinc tanti incendia belli legas apud Maronem; & Italiam ardere bello apud Ciceronem. Hercuba verò face prægnans, ignes enixa iugales est, in futuri belli, quo patria caperetur, concremareturque significa.um. Aruspices enim ignem in huiusmodi sæpè portentum accepere. Cuius non ignarus disciplinæ Virgilius, de Lauinia, cuius causa bellum adeò funestum excitandum erat, ità cecinit:

Bella per ignem significantur.

Præterea castis adolet dum altaria flammis,
Et iuxtà genitorem adstat Lauinia Virgo,
Visa (nephas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari,

Regas-

Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis, tum fumida lumine fuluo
Inuolui, ac totis Vulcanum spargere tectis.
Id verò horrendum, ac visu mirabile ferri:
Nanque fore illustrem fama, fatisque canebant
Ipsam, sed populo magnum portendere bellum.

Vers. 18. 77 *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram dicens: semini tuo dabo terram hanc.* Licèt ista promissio fuerit facta Abrææ quando venit de Aran (vt vidimus suprà cap. 13.) tunc fuerat simplex, & nuda promissio: nunc autem inito fœdere inter Deum, & Abram omninò firmata est, factaque tanquam inuiolabilis, & immutabilis: Videlicet id facere Deus voluit ad ingenerandam animis posteriorũ Abrææ certam eius terræ possidendæ atque obtinendæ fiduciam. *Nec caret mysterio* (inquit Caietanus ibidem pag. mihi 79. impres. Paris.) *quòd primum essendi principium descenderit sua cura vsquè ad hoc quod ad similitudinem paciscentis hominis se gesserit cum homine, vt etiam tanquam ex contractu obligatum exhibuerit se homini: vt obmutescant dicentes, supremo Deo fas non esse, vt curæ nostrarum singularum actionum incumbat.*

78 *A fluuio Aegypti vsquè ad fluuium magnum Euphratem.* Describit Deus his verbis magnitudinem terræ, quam Abramo promisit, & eius longitudinem explanans, dicit esse à meridie vsquè ad Septentrionem. Nam fluuius Aegypti erat terminus eius terræ ad meridiem, siuè à parte Australi, versùs tamen occasum. Euphrates verò eiusdem terræ erat terminus ad Septentrionem, paululùm tamen vergendo, & declinando ad Orientem.

Terræ promissæ Abrahæ quæ fuerit eius magnitudo.

79 Notandum primò. Hunc fluuium Aegypti riuum esse deriuatum è Nilo per vastissimam solitudinem, & iuxtà Rhinocoluram vrbem profluentem, atque inter Pelusium, & Hazam siuè Palæstinam intrantem mare Mediterraneum: quique à parte australi claudit Iudæam, eamque disterminat ab Aegypto. Hunc fluuium B. Hieronymus breuiter sic describit in cap. 6. Amos: *Est riuus Nili de eremo veniens, atque inter Rhinocoluram, & Ægyptum, in mare ingreditur mediterraneum.* De hoc autem fluuio, aut riuo Nili diffusè, ac eruditè scripserunt Andreas Masius in cap. 13. Iosue, Franciscus Ribera in cap. 6. Amos prophetæ, & Benedictus Pererius ibid. disp. 9. pag. mihi 114. impress. Venet.

Fluuij Ægypti vnde origo.

80 Euphrates, Hebraicè dicitur *Parach* (vti iam declarauimus in primo tomo huius nostri Sacri Bibliorum Theatri cap. 2. Genesis vers. 14. num. 29. col. 2. pag. 16.) interpretatur. *Frugifer*, aut *crescens*, siuè *fructificans*, Fluuius est Mesopotamię, quem Strabo scribit ex Niphate monte Armeniæ, magnum, profundum, & celerem nasci: influere autem in mare rubrum, priùs tamen Babyloniam per medium diuidere, & Tygri coniunctum Mesopotamiam facere. Dictus autem putatur Euphrates (quod & Ambrosius annotauit) ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν, hoc est à lætificando: propterea quòd circumiacentem agrum stagnationibus suis adeò lætum fæcundumque reddat; vt sequente anno sponte crescat, & proueniat seges. Initio *Pyxiratus*, deindè per Taurum erumpens *Omira* nominatur, Plinio auctore. Plutarchus in libello de fluminibus, & montibus tradit eum quondam *Medum*, & *Zarandam* appellatum.

Euphrates fluuius vndè.

81 *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoq; & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos.* Hic numerantur decem Gentes id temporis habitantes, & obtinentes terram, quàm promisit Deus Semini Abrææ, quæ gentes postcà in pauciores euaserunt, & hinc habetur quòd temporis decursu sex solæ nominantur. Vers. 19. 20. & 21.

82 Notandum primò, quòd in hoc capite dicitur Abrææ *Dabo semini tuo terram hanc*; & suprà in cap. 13. vers. 15. vt vidimus dicitur *Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo*: Quibus in verbis oritur difficultas, si hic dixit Deus *Dabo semini tuo*, quare reliquit *Ly tibi*, sicut priùs dixerat? Vtrumque igitur si rectè intelligatur veram habet sententiam. Etenim terram illam dedit Deus Abrææ quantùm ad proprietatem, & ius eam possidendi; non dedit eam illi, sed tantùm eius semini, quantùm ad vsum plenæ, & pacificæ possessionis eius terræ. Vel cum dicitur: *dabo tibi, & semini tuo*, illa coniunctio, *Et*, vt sæpè aliàs, etiam hic habet vim causalem, & ponitur pro, *quia*, vel, *eò quòd*, vt sit sensus, dabo tibi, eo ipso quia dabo semini tuo: Nam cum filius sit aliquid patris, quod filio datur, etiam

Terra promissa quomodo Abrahæ data fuerit.

etiam quodammodo confertur in patrem.

85 Notandum Secundò, quòd S. P. N. Augustinus tom. 8. lib. 6. quæst. super Iosue quæst. 21. col. 1. pag. mihi 157. duplicem terram distinguit promissam Hebræis; Vnam, quam reuersi ex Ægypto tenuerunt deletis eius habitatoribus: & in hac habitabant septem illæ gentes, quas alibi commemorat Scriptura. Altera verò fuit terra quam hic promisit Deus Semini Abrææ à fluuio Ægypti vsquè ad Euphratem: quam Hebræi nunquam tenuerunt, nisi regnantibus Dauide, ac Salomone: atque in hac terra fuerunt decem istæ gentes, quæ hoc loco recensentur. Hanc Sanctissimi Parentis Doctrinam compendiosè, & breuiter hic habes benigne Lector; cæterùm si diffusiorem diligis, vide Sanctum Doctorem loco supracitato; cuius verba (sed melius dixerim totum caput) breuitatis gratia relinquo.

Terra Hebræis promissa duplex, & quæ.

ANNOTATIO MORALIS.

Verf. 1. 84 His itaque transactis factus est Sermo Domini ad Abram. Dum iustus à pugna vitiorum redit victor; tum in corde audit inspirationes diuinas: quod mysticè non solùm in Abramo designatum videtur, sed etiam in Elia propheta, tunc quando perrexit ad montem Dei Oreb, in quo post Spiritum grandem, & subuertentem montes, post commotionem, & ignem, auditus est sibilus auræ tenuis, & vox *ad eum dicens. Quid agis hic Elia?* 3. Regum c. 19. verf. 13.

De vitiis triumphans iustus in corde inspirationes audit diuinas.

85 Vel dic; apparet Abramo Dominus post transactam belli tribulationem vt intelligamus; *Quoniam* (scribit S. Ambrosius in tractatu super Psalmum quadragesimum tertium in fine) *Præsule Domino, & assistente nobis, omne certamen fortiter possumus sustinere*, ideò dicitur *noli timere Abram*, idest iustus, quia ego semper tecum sum; vti dixit Dominus Isaiæ cap. 43. verf. 5. *Noli timere, quia ego tecum sum.* Hinc cecinit Regius Vates Psal. 117. verf. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Sic Dominus amicos suos protegit.

86 *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Solus Deus omnium iustorum est merces, præmium, & beatitudo obiectiua. O' felices huius vitæ labores, si tàm, & tantam in futuro mercedem recipient! hinc Angelicus S. Doctor, & Magister Thomas de Aquino cùm Neapolim in Sacello D. Nicolai orans audiret à Christo domino Crucifixo: *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* respondit: *Non aliam domine, nisi te ipsum*; quibus in verbis doctissimus Pater Petrus l'Abbè Societatis Iesu calamo elogiaco sic scripsit

Solus Deus iustorum, merces, & præmium.

BENE' SCRIPSISTI DE ME THOMA
Probat scripturam hominis, qui character est Patris:
Silete lingua, vbi Deus Laudator est;
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines THOMAM ANGELVM Theologia,
Dicant Pontifices summam tot miraculis constare quot titulis:
Plus dicit vna vox BENE':
Christus est Verbum Patris, Thomas aduerbium Filij.
QVAM ERGO MERCEDEM ACCIPIES?
Quàm benè scripserit, collige ex testimonio;
Quàm benè vixerit, disce ex PRÆMIO:
Vt scias meritum virtutis, datur optio præmij;
Quid eligat nisi DEVM, qui nouit pretium DEI?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus:
Malè scripserat, si aliter elegisset.

Diui Thomæ Aquinatis Elogium.

Profun-

Profundè etiam, & Elegantissimè P. M. F. Franciscus à S. Augustino Macedo Minorita Lusitanus, Iubilatus Lector, Publicus Professor Patauinus, & Venetus Ciuis scripsit de Angelico Doctore in tom. I. suarum Collationum Doctrinæ S. Thomæ, & Scoti hæc Elogiaca Verba.

Doctrina D. Thomæ Cælestis à Diuina Sapientia,
Cùm sapit cælestem Panem.
BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA
Audiuit à Diuino Pane
Eucharistico.
Christus BENE OMNIA FECIT:
Thomas
Benè omnia scripsit.
Facta per Verbum, vidit Deus QVOD ESSENT BONA:
Scripta per Thomam
Vidit Christus quòd essent bona;
IPSE DIXIT, ET FACTA SVNT.
Thomas scripsit, & rata sunt.
Eructauit Deus Verbum bonum. Hoc in Charta
Benè descripsit Thomas.
Lingua DEI SICVT CALAMVS SCRIBÆ,
Nimirum Thomæ.
Calamus Thomæ sicut lingua
Dei.
Dixit Christus: non scripsit.
Dictauit Thomæ quæ scriberet:
Si Christus scriberet,
Scriberet vti Thomas.
Sumpsit sibi linguam Christus;
Remisit calamum Thomæ.
Datus huic est Calamus similis Virgæ
Censoria.
Nempè scribit, vt Censor, correcta,
Et per quam
Corrigantur alia.
Penna Thomæ viua Censura.
Rectè scripsit, qui scientiam in Partibus
Habuit.
Rem miram? illæ Partes
Sunt tota.
Parum est; cùm omne totum sit maius sua Parte;
Hæ Partes
Sunt Maiores
Omni alieno Toto.

Vers. 2.

27 ***Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis***; ex hac Patriarchæ afflictione de non habenda prole; colligitur, quòd Prædicator, & verus Ecclesiæ Doctor multùm cruciatur, cùm non habet quos conuertat, desiderandi sunt enim filij spirituales, vt æternam cæli hæreditatem acquirant. Sic Abram, inquit S. Ambrosius lib. 2. de Abram col. 389. lit. B. *Ecclesia sobolem desiderabat, eam successionem petebat, quæ non esset seruilis, sed libera; non secundùm carnem; sed secundùm gratiam.*

Filij spirituales à Prædicatoribus desiderandi.

Vers. 3.

28 ***Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & Ecce vernaculus meus, hæres meus erit.*** O quoties Prælati propria incuria sinè virtutum semine morientes; vernaculos indè vident in alia vita hæreditatem gloriæ sibi ipsis promissam possidere; Ecce qui diues, & Dominus erat, purpura, & bysso indutus in epulis splendidè quotidie viuēs, dum moritur in inferno sepelitur.

Men-

Mendicus autem paurper, abiectus, & subditus Lazarus, dum è viuis fecedit, portatur ab Angelis in finum Abrahæ; Tunc Dominus ille diues, & superior *cùm esset in tormentis eleuans oculos suos*. (heù visio dolorosa!) *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius*, Luc. cap. 16. vers. 23. *Frequenter enim* (inquit Nicolaus de Lyra in hunc Diui Lucæ locum col. 922.) *contingit quòd simplices, & ignari saluantur; & homines astuti, & literati damnantur*; hoc est quod dixit S. P. N. Augustinus de Paulo simplice. *Simplices, & illiterati rapiunt cœlum, & nos cum nostris doctrinis trahimur ad infernum*.

Atrocior pœna ipsa Gehenna Prælatis fecedentibus è vita absque meritis videre subditos gloria Dei frui.

Vers. 4.

89 *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem*. Semper homo quantumuis iustus, dum à Deo etiam cogitatione discedit, fallitur, & contrà id quod cogitat effectus euenire videt. Hinc repellendæ sunt *cogitationes*, quæ semper *mala de corde exeunt*, dixit Veritas æterna per os S. Matthæi cap. 15. vers. 19. Nam cogitationes aliæ sunt iracundæ, aliæ superbæ, aliæ ambitiosæ, aliæ tumidæ, aliæ luxuriosæ, & aliæ vanæ. Primæ dissipant, Secundæ inflant, Tertiæ distendunt, Quartæ contrahunt, Quintæ inquinant, & Sextæ perturbant. De his omnibus prophetico ore dixit Isaias cap. 13. vers. 21. *Sed requiescent ibi* (intellige in corde) *Bestiæ, & replebunt domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi*. (Vers. 22.) *Et respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis*. Bestiæ dissipant, Dracones inflant, struthiones distendunt, pilosi turbant, vlulæ contrahunt, Syrenes inquinant.

Cogitationes variæ repellendæ.

Cogitationum sex species, & quæ.

Vers. 5.

90 *Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: Sic erit semen tuum*. A Deo cuncta bona proueniunt, ac etiam Proles; & illi qui ad solius gloriam Dei prædicant, vel instruunt innumeros conuertent, imò & ipsi quasi stellæ fulgebunt, vti dicitur Danielis cap. 12. vers. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*.

A Deo bona cuncta procedunt.

91 Vel dic: Ostenditur etiam, quòd tunc Religio conseruabitur, quando tàm Superior, quàm subditi habent Deum antè se, idest rectam intentionem.

☞ 92 Nota quòd moraliter tria sunt stellarum genera. Est enim stella vespertina, sunt stellæ nocturnæ, & est stella matutina. Prima est Eua. Secundæ; est antiquorum Patrum, figura vitæ gloriosæ. Tertia est Beatissima Virgo MARIA. Prima fulsit in principio, sed extincta est cadens, & introducens noctem culpæ, & pœnæ; & hæc dicitur vesperus, quasi væ spirans; insuper & hæc est stella illa, quæ cap. 8. vers. 11. Apocalypsis dicitur Absynthium, *& nomen stellæ dicitur absynthium* propter amaritudinem illatæ miseriæ. Secundæ fulserunt in nocte aduersitatis, virtute patientiæ, indè dicitur Sapientiæ cap. 10. vers. 17. *Fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte*. Tertia fulsit gratia in medio nebulæ legis Mosaicæ, quæ dicitur Lucifer, triplici ratione nominis. Ipsa enim tulit in se lucem, scilicèt Dei Sapientiam incarnatam, indè dicitur benè Lucifer, quasi lucem ferens. Secundò Legis, & prophetarum nebulam cæcam illuminauit pariendo Christum quem obscurè prædixerunt, & qui de se ipso dixit Ioan. cap. 8. vers. 12. *Ego sum lux mundi*. Indè dicitur Lucifer, idest lucem cæcis ferens. Tertiò cùm esset gratia plena (sicut *dixit Angelus ad eam: Aue gratia plena* S. Luc. cap. 1. vers. 28.) posteris lucem tulit, idest, gratiæ abundantiam, indè dicitur Lucifer, quasi luce fertilis: cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo.

Stellarum tria genera, moraliter quæ.

93 Vel dic: *eduxitque eum foras, & ait illi suspice Cælum*. Audi pulchrum Diui Ambrosij loco supracit. Lit. D. Morale. *Foras educitur propheta, vt exeat fores corporis, & angustias carnis operientis, ac Spiritus Sancti infusionem, vt velut quandam descensionem, videat. Oportet* (audi quod sequitur) *nos quoque exire ex his diuersorij nostri angustijs, mundare animæ nostræ locum ab omni inquinamento, proijcere sordes maleuolentiæ, si volumus spiritum recipere sapientiæ, quia in maleuolam animam non introibit Sapientia*. Sap. cap. 1. vers. 4.

Sapientia in maleuolam non intrat animam.

Vers. 6.

94 *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*. Inter Christianas virtutes multùm est laudanda fides. *Et vbi sana fides non est, non potest esse iustitia; quia iustus ex fide viuit*, inquit S. P. N. Augustinus contrà Petilianum, & habetur 24. quæstione 1. *Vbi sana*.

Inter virtutes laudabilior fides.

Vers. 7.

95 *Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam*, idest ego eduxi te (inquit Dominus ad iustum) de incendio vitiorum, vt darem tibi in-

ruæ

ruæ profectionis præmium terram viuentium. Hinc habes, quòd vitia sint gradus ad virtutem; & quomodò, audi. Inuestigat Eusebius Emissenus rationem, qua euehi possimus ad viuentium terram, nempe ad cœlum, & decernit facilè fieri posse, vt scelera ipsa nos à terrenis sordibus euehant, & syderibus inferant. *Sublimabunt nos* (sic loquitur Emissenus homil. de Ascensione Domini in fine) *si fuerint infrà nos: de nostris etiam vitijs scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus*. Considera obsecro nunc, quæ mentis elatio sit necessaria ei, qui inuicto pede hostium audacissimorum colla premere debeat. Premere inquam? imò perimere, ac penitùs conculcare. Est in promptu memorandum, nisi potiùs execrandum Tamerlani facinus; quod nostrum dictum non parum illustrat.

Vitia sunt gradus ad virtutem, & quomodo.

96 Leges apud Horatium Tursellinum lib. 9. epi. hist. in fine, Paiazetem Turcarum Regem anno à partu Virginis Millesimo quadringentisimo à Tamerlano Tartarorum Rege celeberrima illa Victoria, qua Tartarus quidquid terrarum est a Tanai flumine ad Nilum domuit, non modò victum, captumque, & in cauea ferrea ad ludibrium reseruatum, verùm etiam coactum fuisse, cænante Tamerlano, catena aurea collo inserta, inter canes cibum sub mensa capere. Insuper etiam insolentis, atque post hominum memoriam inauditæ Superbiæ edidit argumentum: etenim fama fert Tamerlano equum conscensuro tergum præbuisse Paiazetem hostis superbia elati, & fastu planè barbaro tumidi pedibus conculcandum.

Paiazeti summa Calamitas.

Tamerlani facinus execrandum.

97 Simillimum planè, & superbiæ execrandæ, & calamitatis miserrimæ monumentum prodit Tyrius Antistes lib. 1. de bello sacro scribens de Romano Diogene Græcorum Imperatore, cui, Constantino Duca extincto, Eudocia Augusta nupserat. Hic collatis in Asia cum Turcarum Sultano signis, non modò victus, verùm etiam in potestate hostis immanissimi redactus, fertur proculcatus ab eo pedibus, imò ascensuro, descensuroque Tyranno truculentissimo, Augustus pro scabello fuisse. Ex his percipies facilè sensum Emisseni, cui parùm videbitur si vitia debellaueris, parum si mille modis deluseris, parùm si in seruitutem adduxeris, animoque semper victore exultaueris. Vnum adhuc superest dignum regnantis animo superbiæ ostentum, scelera scilicet quàm sæpissimè pede proterere, ac conculcare. Habes igitur, quo pacto te ipso maior fias, hoc est super te ipsum eas, vno verbo, qua ratione superbias; nil enim aliud est superbire, quàm super se ire. Habes insuper, quo pacto terra viuentium acquiritur. Deus de vitijs te longè eduxit: ad semitam virtutis te reduxit: quo fine? vt cælestium terram possideres. Ergo si vitia subiecisti, super vitia ad promissionis terram ascende.

Romani Diogenis infortunium.

98 *At ille ait: Domine Deus, vndè scire possum, quòd possessurus sim eam?* Si Verf. 8.
Deus ad promissionis terram possidendam nos prædestinauit sua gratia, non est inquirendum huius nostræ prædestinationis signum; verum enim signum est in bono perseuerantia: *Nam ipsa quoque cælestis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hanc electi ex labore perueniant*, scribit S. Gregorius lib. 1. dialogorum.

99 *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram* Verf. 9.
trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. Quid per vaccam, nisi humilitas: quid per capram, nisi pænitentia; quid per arietem, nisi fortitudo; quid per turturem, nisi castitas; quid per columbam, nisi simplicitas figuratur? *Vacca* igitur est *triennis*; quia humilis debet se subijcere maiori, æquali, & minori: *Capra trima*; quia vera pænitentia tribus partibus constat, scilicèt, contritione, confessione, & satisfactione, *Aries annorum trium*; quia fortitudo, & constantia in triplici malorum genere perferendo, & superando versatur, nempè in contumelijs, iniuris, & verberibus; vti scripsit Apostolus ad Hebræos cap. 11. verf. 36. *Ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Turtur, & columba* adiungitur ijs; quia iustitia, & simplicitas dirigunt humilem, pænitentem, & constantem in viam Domini; iuxtà id quod dixit Sapiens in prouerbijs, Prouerb. cap. 11. verf. 5. *Iustitia simplicis diriget viam eius.*

Humilis tribus se subijcere debet.

Pænitentia tribus partibus constat.

100 Vel dic cum S. P. N. Augustino lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 24. *Per iuuencam significata est plebs posita sub iugo legis: per capram, eadem plebs peccatrix futura: per arietem, eadem plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum sint tres insignes articuli temporum, ab Adam vsque ad Noe; Et indè vsque ad Abram: & indè vsque ad David: in hoc ordine tertio, qui tenditur ab Abram vsque ad David, tanquam tertiam*

Fortitudo intriplici re consideratur.

ætu-

Digitized by Google

ætatem gerens ille populus adoleuit. Nec vllo modo dubitauerim; spirituales viros in eo populo præfiguratos additamento Turturis, & Columbæ.

101 Vel dic cum S. Ambrosio lib. 2. de Abram col. 330. lit. C. *In omnibus enim hominibus caro, sensus, & verbum est. Caro nostra vitula est: Laborat, vt serat: laborat, vt colligat: laborat, vt pariat, innumeris fatigatur laboribus. Vndè & Græci* δάμαλιν ἀπὸ τοῦ δαμᾶσθαι λίαν, *eò quòd dometur nimis..... Sensus autem nostri caprarum modo, velut saltu quodam alijs exiliunt..... Ad omnem occasionem præstò sunt; vel occursu fæmineæ pulchritudinis, vel odore suauitatis alicuius. Auditu pariter, & tactu mouentur velociter, quibus etiam animæ inflectunt constantiam..... In Ariete verò verbi, ac sermonis nostri habetur similitudo, quòd sit vehemens, sicut, & sermo noster efficax operationis, & quadam ornatus nostri, & tegminis causa sit*. Sic ergo, & Vitula Caro, & Capra sensus; & Aries verbum, hæc tria sunt Deo litanda.

Vers. 10. 102 *Qui tollens vniuersa hæc; diuisit, & per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit*. Vide quomodo diuiduntur animalia, non autem aues: diuiduntur animalia, vt humilitas exhibeatur Superiori, & Prælato, in his, quæ ad Deum, non in his quæ contrà Deum sunt. In pænitentia, ne quid nimis, vel ne quid minùs fiat. Fortitudo, seù constantia, non sit effrænata, sed discreta. Turtur, & columba non diuiduntur, quia castitas mentis, & corporis vtraque exigitur.

103 Vel dic cum S. P. N. Augustino vbi suprà. Aues non diuisit: *Quoniam carnales inter se diuiduntur; spirituales autem nullo modo, siuè à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant, sicut turtur: siuè inter illos degant, sicut columbæ. Vtraque tamen auis est simplex, & innoxia, significans & in illo populo futuros indiuiduos filios promissionis, & hæredes Regni in æterna felicitate mansuros.*

104 Vel dic cum S. Ambrosio vbi supra cap. 8. col. 333. Lit. B. *Non sunt enim diuisi iusti, quibus dicitur vt sint*. Simplices sicut Columbæ ..... *Mens enim directa ad Christi gratiam, videbat hunc mundum plenum esse iniquitatis ...... Pudicitiam autem, fidem, sinceritatem, nullis esse obnoxias passionibus: auaritiam verò, & solicitudines sæculi, quibus suffocantur, qui habent voluptates diuitiarum, dilacerari, ac diuidi. Vndè, & diuitiæ dictæ sunt, quòd mentem diuidant, atque in diuersum scindant, & in partes trahant, ne sinant incorruptam esse, & integram.*

105 Notandum est moraliter, quòd propter trinam diuisionem per primos parentes in paradiso factam, istæ tres animalium species offerebantur. Triplex diuisio per primos parentes in paradiso. Prima fuit à Iustitia, peccando, à gratia, qua poterat proficere in bono; & à gloria, qua erat immunis à mortis aculeo. Prima, homo desijt esse pulcher, tegens pudenda sua. Secunda, factus est pauper, abscondens se, ne videretur à Deo nudatus virtutibus. Tertia, miser, quando in hac valle lacrymarum deiectus est de paradiso. Hoc triplex incommodum deplanxit Ieremias dicens. Thren. cap. 4. vers. 1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus*. Eccè de amissa pulchritudine, *Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum*. Eccè de paupertate (vers. 2.) *Filij Sion inclyti, & amicti auro primò: quomodò reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Sicut enim vas figuli fragile est, sic humana natura per miseriam. Ad repræsentationem ergo harum trium diuisionum, cùm immolaret Abram capram triennem, & vaccam, & arietem diuisit carnes altrinsecùs. Capra fætidum animal est: huius carnes diuidûntur, ad exprimendam diuisionem, quæ est à iustitia: & immolantur, vt sic satisfaciant pro ea. Vacca ad arandum apta est, & lucrandum Domino suo; quæ ad exprimendam diuisionem secundam, diuiditur, ad satisfactionem immolatur. Aries rex est ouium, & protectione sua gregem reddit securum: eius carnes ad designandam tertiam diuisionem, diuiduntur, & propter recuperationem immolatur. Itaque primi parentes, primò peccauerunt; secundò, à paradiso diuisi sunt; tertiò, per hanc iuncturam reconciliati sunt. Sicut cecinit Regius Vates Psal. 54. vers. 22. *Contaminauerunt testamentum eius*. Eccè primum. *Diuisi sunt ab ira vultus eius.* Eccè secundum. *Et appropinquauit cor illius*: Eccè tertium.

Triplex diuisio Adami, & Euæ in Paradiso figurata per tres species animalium Sacrificij Abrahæ, & quæ.

106 *Descenderuntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram*: volucres sunt malæ cogitationes, & prauæ, quæ in orationis sacrificio importune se ingerentes, expellendæ sunt. Sic affirmat S. Gregorius lib. 16. Moralium super extremis verbis cap. 23. Iob *Sæpè in ipso orationis Sacrificio, importuna se* Vers. 11.

cogi-

cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valent, quod in nobis à Deo flentes immolamus. Vndè & Abram, cùm Sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic ergo nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat.

107 Vel dic, quòd volucres sint maligni spiritus qui appetunt possidere animas, & vt hoc desiderium suum assequantur circumuolitant tentando homines, dum aliquod virtutis opus eliciunt. *Aues descendentes*, Scribit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei vbi suprà, *super corpora, quæ diuisa erant, non boni aliquid, sed spiritus indicant aeris huius, pastum quendam suum de carnalium diuisione quærentes. Quòd autem illis consedit Abram, significat etiam inter illas carnalium diuisiones, veros vsquè in finem sæculi perseueraturos fideles.*

Dæmones volucribus similes.

108 Vel dic cum Lippomano. Et Abigebat eas Abram: *In quo significatur, quòd nisi merita Sanctorum Patrum intercessissent, consumendi forent carnales à dæmonibus.*

109 Vel dic cum S. Hieronymo. Et abigebat eas Abram, *Ad Significandum quòd Abraæ merito sæpè de angustijs liberatus est Israel.*

Vers. 12. 110 *Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Iste horror significat tribulationes, quas generaliter patiuntur omnes beati, quamdiù sunt viatores: quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Actus Apostol. cap. 14. vers. 21. Et hoc æternum, perenne, & immortale beatorum domicilium mundus ipse impellit nos quærere: *Hoc iam fratres carissimi:* (scribit S. Gregorius homil. 4. in Euangel. paulò ante medium.) *Etsi Euangelium taceat, Mundus clamat. Ipse iam & à quibus amatur, amarus est; nobis regnum aliud, quod sequitur ostendit. Ipsæ ruinæ eius prædicant, quod amandus non est.* Excidia, bella, Calamitates mundi, quibus continuò affligamur, nobis, si sensu penitùs careamus, facilè persuadent, aliam inuestigandum esse felicitatem, quam sententiam, vtpote veritati vnicè respondentem, quasi verò minimè sibi adhuc fecisset satis, luculentiùs idem S. Pontifex homil. 28. in Euangel. in fine prosequitur inquiens. *Eccè iam mundus in se ipso aruit: adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors; vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos iam mundus mittat ad Deum.* Et quousquè tandem mundum sequemur, qui ab ipso mundo tot ærumnarum fœditatibus tàm immundo reijcimur?

Mundus suis calamitatibus eijcit nos à se, & remittit ad Deum.

111 Vel dic cum S. P. N. Augustino vbi suprà: *Quòd circà Solis occasum pauor irruit in Abram, & timor tenebrosus, significat circa huius sæculi finem magnam perturbationem, ac tribulationem futuram fidelium: de qua Dominus dixit in Euangelio.* (S. Matth. cap. 24. vers. 21.) *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.* Et S. Bruno scripsit: *Solis occasus, qui finis est diei huius sæculi finem significat, caligo tenebrosa ipsa, de qua dicitur* (Matth. cap. 24. vers. 29.) *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. Siuè etiam tenebræ, quas in inferno patientur iniqui.*

112 *Dictumque est ad eum: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Fortitudo patiens, seù patientia fortis necessaria est in aduersitatibus. Tribulatis datur hìc Abram in exemplum, de quo scribit Aureus doctor homil. 37. in Genesim pag. 203. Litera A. *Nisi generosum, & fortem animum, & optimis moribus præditum habuisset Patriarcha, tanta erat hæc, vt perturbare potuissent.* Disce ergo aduersùs frangi, non deprimi; disce calamitatibus quati, non concuti; disce ærumnis vexari, non prosterni; genus hoc est victoriæ illustre adeò, vt cum hac nequè ipsa quidem bellatorum, ac triumphantium gloria conferenda esse videatur. *Victoria nostra*, inquit S. P. N. Augustinus tom. 8. serm. 44. in fine, *gloria nostra intùs est, non foris est, foris despecti, intùs dilecti. Hinc est, quòd Ecclesia in pressuris posita infirmiora membra sua confortat dicens; in mundo pressuram habetis: sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici mundum. Sed quomodò vicit mundum? factus est obediens Patri vsquè ad mortem. Quomodò vicit Christus, vincere appetat Christianus.* O' præclarum victoriæ genus subdere sese, non imperare, mortem sufferre patienter, non inferre. Hoc eum decet, qui Christi militiæ adscriptus tanti ducis Imperio gubernatur. Neque enim nos alia ratione victoriam reportare debemus, quàm Chri-

Vers. 13.

Tribulationes tribulatione superandæ, & mundum mũdo.

Christum Imperatorem nostrum vicisse sciamus. Vicit autem mortem morte, aduersa aduersùs patiens, mundum à mundo delusus, vt hinc percipiamus nostrum esse, hostes, ac delusores cum ab illis profligari videmur, diuino quodam vincendi genere debellare. Vndè apud S. P. N. Augustinum leges in enarratione in psal.123. circa medium: *Manifestum est, quia non vicisti tu, sed vicit ille, qui est in te. Imperatorem talem portas, & vinceris? nonne prior moriens vicit diabolum: quare vicit, nisi vt te doceret cum diabolo dimicare?*

Victoria Christi nostrum exemplum.

113 *Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*. Audi Lippomani morale documentum. *Afflictiones quæ Patriarchæ prædicuntur hoc in loco, fidelibus indicant, quòd quicumque piè viuere volunt in Christo, exponuntur varijs tentationibus, quas tamen fides firma, & syncera abigit, & vincit iuxtà dictum* S. Ioannis epist.1.cap.5.vers.4 *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

Vers. 14.

114 *Verumtamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & posthac egredientur cum magna substantia*. En vides quomodò Deus iudicem inibi se demonstrat Ægyptijs seuerus, nam *ego iudicabo*; populo electo placidus, etiam *egredientur cum magna substantia*. Hinc habes quòd Iudicij dies erit iustis læta, impijs mæsta. Sic Sanctus Cyprianus tract.1. contra Demetrianum paulò antè finem dicebat: *Cùm iudicij dies aduenerit, quæ lætitia credentium, quæ mæstitia perfidorum*. Et si nescis quid potissimum horrescere debeas, impie, dum dicitur ab ipso amantissimo, & Patre, & Sponso, & amico Christo Domino æternæ mortis ferenda sententia, audi Eusebium Emissenum homil. 4. ad Monachos, ipso fine dicentem: *Quàm lugubre erit homini Deum videre, & perdere, & antè pratij sui perire conspectum*. Amantissimo seruatore præmia iustis largiente nihil fingi potest benignius, sed quò benignior est, eò magis terrificus impijs; vt maneat, futurum Christi Iudicis benignum terrorem, terrificam benignitatem.

Iudicij dies iustis læta, iniustis mæsta.

Vers 15.

115 *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona*. Crebra mortis meditatio, homines & bonos, & in senectute bona perseuerare facit: hæc est vera nostri finis Philosophia: hinc S. Bernardus in fine speculi monachorum dixit: *Summa est philosophia meditatio mortis*. Cui consentit Rauennas Eloquentia, dum Serm. 54. Zachæum alloquens circa medium ait: *Festinans descende, vt expeditiùs intres Philosophiam mortis*. Ægyptij profectò eximiæ commendatione sapientiæ celeberrimi in conuiuia inferre solebant scheletrum, idest exiccata hominis, atque inter se compacta ossa, & monere conuiuas, vt voluerent animo, se breui tales fore, vt scribit Plutarchus in conuiuio septem sapientium non longè ab init: cuius moris vtpotè singularis petenti rationem respondere possem ex eodem Plutarcho, qui opusculo de educandis liberis inquit, *sola Philosophia medetur animi motibus, atque ægritudinibus*. Meritò sapientes ad homines in officio continendos, ne delicijs epularum frangerentur, obiecto mortis spectaculo animi motibus medebantur. Neque verò aberrasse dicar à veritate asserens philosophiam mortis esse meditationem, cùm Platonis effatum sit. In quam sententiam scribebat Seneca epist. 26. *Egregia res est mortem condiscere: superuacaneum forsitan putas id discere, quo semel vtendum est? Hoc est ipsum quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus. Qui mori didicit seruire dedidicit*. Perpende quàm sæpè reputat discendam esse mortem. Vulgò de facultatibus ac liberalibus disciplinis verba facimus, cùm eas asserimus perdiscendas. Facultas vtique sapientissima mors est, quæ temperantiam rerum omnium, ac benè agendi docet rationem, quæ mores probè instituit, affectiones animi moderatur; vno verbo; quæ germana philosophia est, vt norma viuendi.

Crebra mortis meditatio homines sanctos facit.

Ægyptij in mensa scheletrum ponebant, & cur.

116 *In senectute bona*. Vera, & bona senectus, non ab antiquitate, sed à probitate censenda est. Hinc Sapientiæ cap.4.vers.8. dicitur: *senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis* (vers. 9.) *& ætas senectutis vita immaculata*. Sic Mediolanensium Pastor Ecclesiæ Doctor Ambrosius serm. 90. de S. Agnete, inquit: *Computabatur in annis infantia, sed erat senectus mentis immensa*. Sic S. Ignatius epist. ad Magnesianos. *Daniel*, inquit, *sapientissimus duodecim annorum effectus, Spiritu Sancto repletus est, & illos seniores canitiem vanam habentes, calumniatores, & alienæ pulchritudinis appetitores esse manifestauit. Samuel etiam cùm esset pusillus nonagenarium Heli sacerdotem per increpationem redarguit, quòd filios suos honorificaret suprà Deum. Similiter & Ieremias audit à domino, Noli dicere, quia puer ego sum.*

Senectus vera non in ætate, sed in probitate.

Digitized by Google

sum. Salomon duodecimo ætatis anno regnare incipiens, meretricum pro paruulis quæstionem dissoluit. Iosias verò octo annorum erat, & monumenta subuertere cæpit, lucos excidere, templa deijcere, quæ dæmonibus fuerant consecrata.

Vers. 16. 117 *Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* Deus cùm sit misericors non solùm non induit pænas peccatis grauiores, sed & valdè minores: Theodoretus enim hunc Genesis locum explicans dicit: *Declaratur per hoc, Deum non priùs vltorem esse, quàm homo sit peccator.* Sequitur ergo quòd peccatori ipsa culpa sit pœna. Brasidæ memorabile factum lego apud Plutarchum, cùm enim ab hoste iaculo transuerberatus fuisset, extracta è vulnere hasta, illa ipsa hostem vulneratum interemit. Ita Plutarchus in apoph. reg. & imp. circà medium. Impius, sceleribus dum se commaculat audacter insurgit in Deum, sed Deus non alio transadigit spiculo impium, quàm eo, quo armabatur in auctorem suum, vndè S. Gregorius lib. 15. in Iob cap. 12. in fine scribit. *Plerumque peruersæ menti ipsa sua culpa fit pœna.* Hinc S. P. N. Augustinus rationem reddit ingeniosam, qua de causa Christus Dominus negotiatores è templo exturbaturus, flagellum fecerit de funiculis (vt habetur Ioannis cap. 2. vers. 15. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo.*) Sic autem in Psal. 57. aliquantò post initium habet: *Quia vnusquisque peccatis suis cæditur, Dominus malè versantes in templo flagello de resticulis facto exclusit.* Percipe tandem; qua ratione peccatum funis sit qui te ligat, & flagellum, quod te punit, & verberat: & quoniam Sanctissimi Parentis, & Luminis Ecclesiæ Augustini auctoritas ea est, vt vel confirmatione non egeat, vel à nemine confirmari aptiùs queat, quàm à se ipso, eiusdem subijcio lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 3. initium, quod antequam proferam, sine fuco profitebor, non raro me audientem scelestos homines, passim non modò sermonibus hominum, sed frequenter Dei summi auctoritate nuncupari inimicos Dei, hæsisse attonito similē. Quid enim vilis homuncio inimicū in præpotentem bonorum auctorē animum gerere, aut vires exercere queat? Homine quid imbecillius? Quid fortius omnipotente? Quo igitur pacto dicitur inimicus an tui inimicum dices potentissimi Imperatoris, terræ filium vilissimum caput? audi iam S. P. N Augustinum loco citato: *Dicuntur in scripturis inimici Dei, qui non natura, sed vitijs aduersantur eius imperio, nihil ei valentes nocere, sed sibi: Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi, vitium quo resistunt, non est Deo, sed ipsis malum.*

Peccatori ipsa culpa est pœna.

Brasidæ memorabile factum.

Quisque suis cæditur peccatis.

118 *Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, &c.* S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. ait: *Quòd in occasu solis visa sit Abraæ fornax fumibunda, & lampas ignis transiens per medium diuisorum animalium, significatum esse, in fine sæculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio Ciuitatis Dei qualis anteà nunquam fuit, quæ sub Antichristo futura creditur, significatur tenebrosa timore Abraæ circà solis occasum, idest, propinquante iam fine Sæculi: sic ad solis occasum, idest, ad ipsum iam mundi finem significatur isto igne dies iudicij dirimens carnales per ignem saluandos, & igne damnandos.* Vers. 17.

Ignis carnalium iudex in sæculi fine

119 *Facta est caligo tenebrosa.* Nota quòd quadruplex caligo moralis, & est caligo Ignorantiæ, caligo culpæ, caligo præsentis penæ, & caligo futuræ miseriæ. Prima veritatem ignoramus. Secunda Deum nescimus. Tertia bonis priuamur. Quarta in tenebris sempiternè sepelimur.

Quadruplex caligo moralis, & quæ.

120 *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis.* Quàm opportunè post tenebras, post fumum cælestis emicat coruscatio; sic enim post laborum tenebras lux æternæ claritatis sequitur; hinc Patientissimus ille Hus Princeps dixit Iob cap. 17. vers. 12. *Post tenebras spero lucem.* O si hæc meditarentur verba, quàm dulcis esset omnis huiusce vitæ amaror! Matthæi cap. 16. vers. 24. Seruator humani generis, vt asperam vitæ suadeat rationem hominibus iucundam dixit. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quem in locum eleganter Sanctùs Leo serm. de Transfiguratione Domini paulò post initium, *Exhortatio*, inquit, *Saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum, leuissimum ducerent temporalium detrimentum.* Vt vides, sola spes æternorum leuamen est, quo Dei amici non modò recreari debeant, verùm etiam quiduis cæteròqui graue nimis, veluti leuissimum arbitrari. Quòd si qui fortè minimè se percipere posse profiteantur, audiant

Post tenebras laborum lux claritatis æternæ sequitur.

Spes æternorum leuamentum laborum.

simile nescio quid ab homine Ethnico fuisse indicatum. Sanè Marcus Tullius, cùm in Rullum verba faceret ad Quirites ait: *Ità iucundum est otium, vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate*. Quod si rectæ rationi consonum iudicatur, & veritati respondens, quid nos sentire debemus edocti diuinæ institutione Sapientiæ? quid inquam nobiscum animo reputabimus, cum res quæuis proponitur ardua. Turpis Dei amore subeunda egestas, amicorum rescindendus amor diuinæ legi repugnans, vel quid simile, quod humana refugit imbecillitas, ad virtutis fastigium contendentem ne retardent, ne ardua videantur, atque perpessu aspera, voluamus animo otium beatæ patriæ, immò non otium modò, sed imperium, ac dignitatem: siquidem electis dicitur Imperatoris summi decreto, Matthæi cap. 25. vers. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*.

Pro otio multi suscipiunt labores.

121 Et apparuit clibanus fumans. *Cuius similitudine*, Scribit S. Ambrosius lib. 2. de Abram impress. Paris. col. 337. Lit. D. *exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi istius atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritudinem, & splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut quodam fumo obtexitur, ne videat veritatis faciem. Obumbratur itaque, & obducitur quadam caligine oculus animæ, vt confundatur globo quodam fumigantis nebulæ mentis aspectus, ne pura possit spectare negotia, donec cælestes lampades dirigat Dominus Iesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ*.

Vita humana quam misera.

Vers. 18. 122 *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem*, Fœdus veræ amicitiæ cum Deo faciendum est; nam *Non habet mundus* (Audi magnum Leonem Vaticano è folio declamantem in serm. 6. de Natiuit. Domini circa finem) *amicitias veras, & multos facit peruerso amore concordes. Sunt enim in vitijs pares animi, & similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum*. Notatu dignum, quòd licèt videantur concordes licèt pares animo, non tamen amici censendi sunt. Cuius rei ratio aptissima mihi videtur, quæ affertur à S. Cypriano lib. 1. Epistol. epist. 3. non multò post initium; *Amici enim habendi, qui, vt ipse loquitur, copulati Sacramento vnanimitatis fuerint*; vt insinuet, coniunctionem animarum amicitiam nequaquam esse, nisi sacro vinculo colligentur. Olim sic vinculo amoris colligati erant amici, & vno occumbente, occumberet & alter; quales fuerunt Nisus, & Euryalus apud Virgilium 9. Æneid. vbi capto Euryalo inclamat Nisus;

Mundus caret veris amicis.

Amicitia Sacramentum vnanimitatis.

Me, me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli; mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit,
Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus, placidàque ibi demùm morte quieuit.

Quales etiam in bellis fuerunt illi, quos Galli soldurios vocant, Cæsar deuotos interpretatur lib. 3. de Bello Gallico. Talis quoque erat apud Thebanos ἱερὸς λόχος, sacra cohors, cuius meminit Plutarchus in Pelopida, quale amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mæcenate. Vndè dicti sunt συναποθνήσκοντες, *commorientes*. Sic etiamnum in Perù, & Mexico vxores, & famuli chariores, marito, vel domino defuncto in rogum, vel sepulcrum viui se cum domini cadauere inijciunt. Et apud Iapones, nobiles morte damnati, sibi cum intimis suis ventrem dissecando mortem consciscunt.

Societas Solduriorũ, & συναποθνησκόντων in similitanea more.

123 Cæterùm notandum veram amicitiam in animis amicorum quatuor affectus gignere. Primus affectus est fiduciæ, secundus est gloriationis. tertius est consolationis, quartus est exuberantis gaudij. De his quatuor Gentium doctor in secunda ad Corinth. cap. 7. vers. 4. scripsit. De prima, *multa mihi fiducia est apud vos*. De secunda, *multa mihi gloriatio pro vobis*. De tertia, *repletus sum consolatione*. De quarta, *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*.

Quatuor affectus amicitiæ.

124 *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos* Vers. 19. *& Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quo-* 20. & 21. *que, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos*. Si conditiones pacti cum Deo initi non seruantur, promissis homines non potiuntur. Prima enim conditio cælestis fœderis iustitia est. Si Deum fœderis impletorem tot criminibus irritas, quomodò eum propitium poteris experiri?

D E

Digitized by Google

DE ABRAM VISIONE MORALITAS.

125 Confortat Deus hominem ad benè operandum, promittendo præmium, & certificando de eo. Cuius exemplum apparet in ista visione Abrami, in qua primò promittitur præmium, quia dicit vers. 1. *Quòd factus est sermo Domini ad Abram per visionem, &c.* Ecce prima promissio. vers. 4. *Non erit hic hæres tuus, &c.* Ecce secunda promissio. vers. 5. *Eduxitque eum foras, & ait illi: suspice cælum, & numera stellas, si potes & dixit ei: sic erit semen tuum.* Ecce tertia promissio vers. 7. *Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.* Ecce quarta promissio. Quatuor igitur promissiones Abramo fecit Dominus ad confortandum eum: de quibus Apostolus ad Galatas cap. 3. vers. 16. ait *Abrahæ dictæ sunt promissiones.* Prima fuit de mercede operis, cùm dixit *noli timere*, &c. primò eum confortat, excludendo timorem. Secundò eum securat promittendo protectionem, ego protector tuus sum. Tertiò eum lætificat proponendo mercedem.

De Abrahami Visione descripta cap. 15. diffusa, & enucleata moralitas.

126 Sed attende qualem mercedem promittit benè operanti in persona Abrahæ; mercedem certam: quia ego scilicèt, qui decipere vel fallere non possum. Item mercedem propriam, quia *merces tua*. Sic enim est omnium generaliter, vt sit etiam cuiuslibet singulariter. Item mercedem copiosam, quia *magna nimis*: nam inquit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 2. vers. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.*

127 Secunda promissio fuit de successione hæredis: quia dixit ei Dominus: *Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem*; in quo signatur, quòd datur vnicuique illa hæreditas ex proprijs meritis, non ex alienis. Nam meritum hominis est ei sicut filius cui, debetur hæreditas. Vnde S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 3. vers. 8. scribit: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: & loquitur de adultis, secùs est de paruulis.

128 Tertia promissio fuit de multiplicatione seminis. Dixit enim: *suspice cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Per stellas cæli possunt intelligi Angeli, qui sunt in cœlo. Per semen verò meritum vitæ, ex quo scilicet recolliguntur fructus mercedis Ecclesiæ. Tunc enim semen hominis ad modum stellarum cæli multiplicatur, quando homo per vitæ meritum in cælo angelis coæquatur.

129 Vel quia stellæ cæli sunt incorruptæ, lucidæ, magnæ, & tamen in apparentia paruæ. Tunc enim semen hominis ad modum stellarum cæli multiplicatur, quando meritum operum eius est incorruptum per intentionem, lucidum per discretionem, magnum per dilectionem, sed apparentiæ paruæ per humilitatem.

130 Quarta promissio fuit de terra promissionis: Vndè dixit: *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, & dabo tibi terram istam.* Terra ista est corpus, quod tunc pacificè possidet vir iustus, quando per diuinam gratiam est de Vr Chaldæorum eductus, idest de incendio carnis. Chaldæi enim sunt motus carnis, quorum Vr, idest, incendium est concupiscentiæ inflammatio; à qua nisi homo diuina gratia eruatur, non potest terram corporis sui pacificè possidere.

131 Secundò Abram certificatus est per Sacrificium, scilicèt, de promissione implenda. Petiuit enim signum non ex diffidentia promissionis, sed scire volens modum impletionis, dicens: *Vndè scire possum, quòd possessurus sim eam.* Et tunc iussit vt offerret Sacrificium, vt in ipso Sacrificio signum acciperet. Vndè præcepit ei, vt immolaret vaccam, & capram, & arietem, & omnia trima; insuper & turturem, & columbam, qui sequenti manè accepit omnia hæc, & diuisit per medium, & vtrasque partes contrà se altrinsecùs posuit, aues autem non diuisit: descenderuntque volucres cæli super cadauera, & abigebat eas Abram. Cùmque Sol occubuisset, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum, & istud fuit

ali-

aliqua pars signi dati.

132 Hoc ergo est Sacrificium iustitiæ, quod Deo offerri debet. Nam in Vacca significatur obedientia, & hæc debet esse trima, siue triennis scilicèt, (vt superiùs diximus) per subiectionem triplicis humilitatis, videlicet Superiori, pari, & inferiori. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. In capra verò significatur pænitentia, quæ etiam debet esse triennis secundùm tria, in quibus consistit pænitentia, scilicet in dolore contritionis, in pudore confessionis, & in labore satisfactionis. In arietè verò intelligitur simplicitas, quæ etiam debet esse trima, quia est triplex genus simplicitatis, contrà triplex duplicitatis genus, scilicèt hæresis, & hypocrisis, & ambitionis. Duplicitas hæresis immiscet falsa veris. Duplicitas hypocrisis bona malis, honesta inhonestis. Duplicitas Ambitionis tendit ad duplicem finem, scilicet lucri temporalis, & præmij cælestis, volens duobus Dominis seruire; sed diuisit Abram ea per mediùm; Nam obedientia diuidenda est vt fiat in his, scilicet, quæ sunt secundùm Deum, non contrà Deum. Similiter pænitentia est diuidenda; vt fiat cum discretione, ita vt sit rationabile obsequium nostrum, & occidatur, Hædom in valle saliuarum, vt sic occidatur concupiscentia, quòd nutriatur natura; nam omnis victima est sale salienda; quia in omni opere est discretio adhibenda.

133 Item simplicitas diuidenda est, vt non sit fatua, sed religiosa, vt sit sanctitas, non fatuitas, vt sit simplicitas columbæ cum astutia serpentis, ne fit *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Psal. 31. vers. 9. Sicut enim mulus cui insidebat Absalon, ipsum detulit in suspendium: Sic fatua simplicitas multos præcipitat in infernum.

134 In columba autem designatur charitas: quia columba felle caret, & gregatim volat. In turture verò designatur castitas. Sed has aues Abram non diuisit, quia charitati, & castitati ab omnibus, & omni tempore est insistendum; Nam castitas competit non solùm Virginibus, & viduis, sed etiam suo modo coniugatis. Vel ideò sit diuisio animalium, & non auium: quia per animalia intelliguntur actiui, quorum solicitudo diuiditur ad multa: sed per aues intelliguntur contemplatiui, quorum tota intentio fertur in vnum: *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Psal. 26. vers. 4. Vndè Dominus dixit Marthæ (Matth. cap. 10. vers. 41.) *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima*. Et hoc quantùm ad actiuam. (vers. 42.) *Porrò vnum est necessarium*. Et hoc quantùm ad contemplatiuam.

135 Vel in turture significatur vita solitaria, quia turtur soliuaga in solitudine gemit, sic solitarius debet gemere luctu pænitentiæ: Ieremiæ cap. 15. vers. 17. *Non sedi in concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam comminatione replesti me*: Habens enim pretiosum balsami liquorem in vase fragili, non debet se ponere in pressura hominum. Seneca dicebat enim: *Vbi plus est populi, ibi plus est periculi: cum inter homines fui, minor homo redij*, hæc ad suum Lucillum scribens. Hinc per Oseam Dominus dixit animæ cap. 2. vers. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Moysi locutus est Deus non in Palatio, sed in deserto. Cæcus à Domino extrà turbam illuminatur. Puella mortua in thalamo eiecta turba resuscitatur. Non enim in commotione dominus; Clausæ erant oues in arca, quia opera spiritualia debent claudi in conscientia. In Columba verò, quæ gregatim volat, significatur religio in congregatione viuentium; qui debent ad modum columbæ carere felle inuidiæ.

136 Item non rostro detractionis percutere, nec veneno infamationis, siuè litis in ore, sed ramum oliuæ, idest verbum pacis portare ad chorum, refectorium, & alia communia gregatim simul incedere iuxtà riuos aquarum, idest Scripturarum residere, & ibi vmbram accipitris, idest tentationem Diaboli præuidendo declinare. Hæc columbina simplicitas tantùm Deo placet, vt Spiritus Sanctus in specie alterius animalis noluerit apparere. In hac autem duplici aue, idest vita, consistit omnis perfecta Religio. Vndè cuidam quærenti quam Religionem intrare deberet. Respondit quidam: Nescio, an esse velis turtur, an columba.

137 Sed in vtraque vita cauendum est ne diuidatur, & dispergatur per vanam gloriam, scilicèt ne opus volet ad Deum, & intentio sit ad mundum. Vndè in Leuitico præcipitur, si offeratur turtur, vel columba, quòd confinga-

fingatur ascella ne possit euolare; quia si qua sunt in Religionis opera virtutum occultanda sunt, non ad fauorem hominum propalanda. Vndè si ex operibus bonis supercrescit inanis gloria, opera illa, quasi alas sumunt ad euolandum, & fugiunt, vt nobis non proficiant, sed eas confringere debemus dicentes nobis. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. vers. 7.

138 Super hoc autem sacrificium dicit, quòd descenderunt volucres, sed *abigebat eas Abram*. Sic tu ad auferendum impedimenta spiritus sacrificij, scilicet orationis deuotæ, abige aues idest importunas cogitationes; Vndè iam dixit S. Gregorius in hoc loco supracitatus: *Sæpè in ipso nostræ orationis sacrificio importunæ cogitationes se ingerunt, quæ hoc, quod Deo placentes offerimus, maculare contendunt.* Vndè Abram dum sacrificium obtulit, insidiantes aues pertulit, quas studiosè abegit, cuius nos exemplo, dum voti holocaustum Deo offerimus, ab immundis cogitationibus hoc custodiamus.

139 Sed attendendum est quod sequitur, quia *dum occubuisset sol, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum*. Sæpè enim post sacrificium boni operis, vel deuotæ, & feruentis orationis (ne per elationem mens eleuetur) occidit sol, idest, extinguitur feruor deuotionis, & irruit in animam sopor corporis, ita, vt anima quasi seipsam magno stupore horrescat, & quasi quædam tenebra timoris, & dubitationis eam inuadat. Et hoc facit Deus, vt ipsam in humilitate conseruet, ne fructum sacrificij, idest boni operis meritum, per elationem perdat.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XV. GENESIS.

Vers. 1. §. 1. QVare modò tàm accuratè, à corde Abrææ expellitur timor, ac diuina protectio, vt scutum, ac clypeus ei promittatur? Legit enim pro ly *ego protector tuus* sanctes. Pagninus *ego scutum ero tibi*, cui concordat Vatablus *Ego tibi vice clypei*. Quid erat in Abramo, cur sic in hoc euentu à Deo munitur, ac corroboratur? Immediatè anteà refertur quomodò Abramus gloriosè deuicerit quinque Reges, ac Lot, regesque Sodomorum captiuos, eorumque bona liberauerit, ac magnificentissimè eis dederit, & tunc dicitur. *His transactis factus est sermo Domini ad Abram, noli timere:* Si ipse captiuus esset, tunc videbatur consequens, quòd illi diceretur: *noli timere*. At si ipse magno triumpho est victor, ad quid ei dicitur, quòd non timeat, & insuper ei Deus pollicetur, quòd erit eius scutum, & clypeus? Abramus optima philosophia instructus benè agnoscebat temporales felicitates pro sua consequentia habere lapsus, & ruinas, ac proindè ex prosperitate tàm illustris victoriæ aliquem casum prætimuit, & ideò adest Deus timorem expellens, multàque protectione tanquam scuto, & clypeo eius animum corroborans, & muniens. *Putatis fratres* (ait ad rem opportunus S. P. N. Augustinus in Psal. 82.) *infelicitatem sæculi metuendam esse, & felicitatem non metuendam, imò verò felicitas frangit, quem infelicitas nulla corrumpit.* Hinc *mundus ipse*, inquit S. Gregorius homil. 4. in Euangel. paulò ante medium, *Nobis regnum aliud, quod sequitur ostendit. Ipsa ruina eius prædicant, quòd amandus non est*. Ipsæ eius infelicitates, addiderim, facilè persuadent aliam inuestigandam esse felicitatem; nam felicitas ipsa maximè est metuenda; ideò considerans supracitatus S. Pontifex mortem filiorum Heli vna die contigisse, *Vna ergo die* (inquit lib. 2. in primo Regum cap. 3. paulò ante finem) *Ambo moriuntur, quia in appetitu mundanæ felicitatis intereunt. Gloria sæcularis, honoris reuerentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæcularium amata dies est; sed quæ interficit. Ad mortem itaque properant quoties vana de temporali felicitate gratulantur.*

Felicitas maximè metuenda.

Ad mortem properant, qui de mundana gratulantur felicitate.

§. 2 Quare tam ampliùs promissionibus Vers. 1.

Digitized by Google

etiam quodammodo confertur in patrem.

83 Notandum Secundò, quòd S. P. N. Augustinus tom. 8. lib. 6. quæst. super Iosue quæst. 21. col. 1. pag. mihi 157. duplicem terram distinguit promissam Hebræis; Vnam, quam reuersi ex Ægypto tenuerunt deletis eius habitatoribus; & in hac habitabant septem illæ gentes, quas alibi commemorat Scriptura. Altera verò fuit terra quam hic promisit Deus Semini Abrææ à fluuio Ægypti vsquè ad Euphratem: quam Hebræi nunquam tenuerunt, nisi regnantibus Dauide, ac Salomone: atque in hac terra fuerunt decem istæ gentes, quæ hoc loco recensentur. Hanc Sanctissimi Parentis Doctrinam compendiosè, & breuiter hic habes benigne Lector; cæterùm si diffusiorem diligis, vide Sanctum Doctorem loco supracitato; cuius verba (sed melius dixerim totum caput) breuitatis gratia relinquo.

Terra Hebræis promissa duplex, & quæ.

ANNOTATIO
MORALIS.

Vers. 1.

84 His itaque transactis factus est Sermo Domini ad Abram. Dum iustus à pugna vitiorum redit victor; tum in corde audit inspirationes diuinas: quod mystiè non solùm in Abramo designatum videtur, sed etiam in Elia propheta, tunc quando perrexit ad montem Dei Oreb, in quo post Spiritum grandem, & subuertentem montes, post commotionem, & ignem, auditus est sibilus auræ tenuis, & vox *ad eum dicens. Quid agis hic Elia?* 3. Regum c. 19. vers. 13.

De vitijs triumphans iustus in corde inspirationes audit diuinas.

85 Vel dic: apparet Abramo Dominus post transactam belli tribulationem vt intelligamus; *Quoniam* (scribit S. Ambrosius in tractatu super Psalmum quadragesimum tertium in fine) *Præsule Domino, & assistente nobis, omne certamen fortiter possumus sustinere*, ideò dicitur *noli timere Abram*, idest iustus, quia ego semper tecum sum; vti dixit Dominus Isaiæ cap. 43. vers. 5. *Noli timere, quia ego tecum sum*. Hinc cecinit Regius Vates Psal. 117. vers. 6. *Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo*. Sic Dominus amicos suos protegit.

86 *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*. Solus Deus omnium iustorum est merces, præmium, & beatitudo obiectiua. O felices huius vitæ labores, si tàm, & tantam in futuro mercedem recipient! hinc Angelicus S. Doctor, & Magister Thomas de Aquino cùm Neapolim in Sacello D. Nicolai orans audiret à Christo domino Crucifixo: *Benè scripsisti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* respondit: *Non aliam domine, nisi te ipsum*; quibus in verbis doctissimus Pater Petrus l'Abbè Societatis Iesu calamo elogiaco sic scripsit

Solus Deus iustorum merces, & præmium.

BENE' SCRIPSISTI DE ME THOMA
Probat scripturam hominis, qui character est Patris:
Silere lingua, vbi Deus Laudator est;
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent homines THOMAM ANGELVM Theologiæ,
Dicant Pontifices summam tot miraculis constare quot titulis:
Plus dicit vna vox BENE':
Christus est Verbum Patris, Thomas aduerbium Filij.
QVAM ERGO MERCEDEM ACCIPIES?
Quàm benè scripserit, collige ex testimonio;
Quàm benè vixerit, disce ex PRÆMIO:
Vt scias meritum virtutis, datur optio præmij;
Quid eligat nisi DEVM, qui nouit pretium DEI?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus:
Malè scripserat, si aliter elegisset.

Diui Thomæ Aquinatis Elogium.

Profun-

Profundè etiam, & Elegantissimè P. M. F. Franciscus à S. Augustino Macedo Minorita Lusitanus, Iubilatus Lector, Publicus Professor Patauinus, & Venetus Ciuis scripsit de Angelico Doctore in tom. 1. suarum Collationum Doctrinæ S. Thomæ, & Scoti hæc Elogiaca Verba.

Doctrina D. Thomæ Cœlestis à Diuina Sapientia,
Cùm sapit cœlestem Panem.
BENE SCRIPSISTI DE ME THOMA
Audiuit à Diuino Pane
Eucharistico.
Christus BENE OMNIA FECIT;
Thomas
Benè omnia scripsit.
Facta per Verbum, vidit Deus QVOD ESSENT BONA:
Scripta per Thomam
Vidit Christus quòd essent bona;
IPSE DIXIT, ET FACTA SVNT.
Thomas scripsit, & rata sunt.
Eructauit Deus Verbum bonum. Hoc in Charta
Benè descripsit Thomas.
Lingua DEI SICVT CALAMVS SCRIBÆ,
Nimirum Thomæ.
Calamus Thomæ sicut lingua
Dei.
Dixit Christus; non scripsit.
Dictauit Thomæ quæ scriberet:
Si Christus scriberet,
Scriberet vti Thomas.
Sumpsit sibi linguam Christus;
Remisit calamum Thomæ.
Datus huic est Calamus similis Virgæ
Censoriæ.
Nempè scribit, vt Censor, correcta,
Et per quam
Corrigantur alia.
Penna Thomæ viua Censura.
Rectè scripsit, qui scientiam in Partibus
Habuit.
Rem miram! illæ Partes
Sunt tota.
Parum est; cùm omne totum sit maius sua Parte;
Hæ Partes
Sunt Maiores
Omni alieno Toto.

Vers. 2. 87 ***Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis***: ex hac Patriarchæ afflictione de non habenda prole, colligitur, quòd Prædicator, & verus Ecclesiæ Doctor multùm cruciatur, cùm non habet quos conuertat, desiderandi sunt enim filij spirituales, vt æternam cæli hæreditatem acquirant. Sic Abram, inquit S. Ambrosius lib. 2. de Abram col. 319. lit. B. ***Ecclesiæ sobolem desiderabat, eam successionem petebat, quæ non esset seruilis, sed libera; non secundùm carnem; sed secundùm gratiam.***

Filij spirituales à Prædicatoribus desiderandi.

88 ***Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & Ecce vernaculus meus, hæres meus erit***. O quoties Prælati propria incuria sinè virtutum semine morientes; vernaculos indè vident in alia vita hæreditatem gloriæ sibi ipsis promissam possidere; Ecce qui diues, & Dominus erat, purpura, & bysso indutus in epulis splendidè quotidie viuẽs, dum moritur in inferno sepelitur, Vers. 3.

Men-

Mendicus autem paurper, abiectus, & subditus Lazarus, dum è viuis secedit, portatur ab Angelis in sinum Abrahæ; Tunc Dominus ille diues, & superior *cùm esset in tormentis elenans oculos suos.* (heù visio dolorosa!) *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius*, Luc. cap. 16. vers. 23. *Freqnenter enim* (inquit Nicolaus de Lyra in hunc Diui Lucæ locum col. 922.) *contingit quòd simplices, & ignari saluantur; & homines astuti, & literati damnantur*; hoc est quod dixit S. P. N. Augustinus de Paulo simplice. *Simplices, & illiterati rapiunt cælum, & nos cum nostris doctrinis trahimur ad infernum.*

Atrocior pœna ipsa Gehenna Prælatis secedentibus è vita absque meritis videre subditos gloria Dei frui.

Vers. 4.

89 *Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.* Semper homo quantumuis iustus, dum à Deo etiam cogitatione discedit, fallitur, & contrà id quod cogitat effectus euenire videt. Hinc repellendæ sunt *cogitationes*, quæ semper *malæ de corde exeunt*, dixit Veritas æterna per os S. Matthæi cap. 15. vers. 19. Nam cogitationes aliæ sunt iracundæ, aliæ superbæ, aliæ ambitiosæ, aliæ tumidæ, aliæ luxuriosæ, & aliæ vanæ. Primæ dissipant, Secundæ inflant, Tertiæ distendunt, Quartæ contrahunt, Quintæ inquinant, & Sextæ perturbant. De his omnibus prophetico ore dixit Isaias cap. 13. vers. 21. *Sed requiescent ibi* (intellige in corde) *Bestiæ, & replebunt domus eorum draconibus: & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.* (Vers. 22.) *Et respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Syrenes in delubris voluptatis.* Bestiæ dissipant, Dracones inflant, struthiones distendunt, pilosi turbant, vlulæ contrahunt, Syrenes inquinant.

Cogitationes variæ repellendæ.

Cogitationum sex species, & quæ.

Vers. 5.

90 *Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: Sic erit semen tuum.* A Deo cuncta bona proueniunt, ac etiam Proles; & illi qui ad solius gloriam Dei prædicant, vel instruunt innumeros conuertent, imò & ipsi quasi stellæ fulgebunt, vti dicitur Danielis cap. 12. vers. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

A Deo bona cuncta procedunt.

91 Vel dic: Ostenditur etiam, quòd tunc Religio conseruabitur, quando tàm Superior, quàm subditi habent Deum antè se, idest rectam intentionem.

92 Nota quòd moraliter tria sunt stellarum genera. Est enim stella vespertina, sunt stellæ nocturnæ, & est stella matutina. Prima est Eua. Secundæ; est antiquorum Patrum figura vitæ gloriosæ. Tertia est Beatissima Virgo MARIA. Prima fulsit in principio, sed extincta est cadens, & introducens noctem culpæ, & pœnæ; & hæc dicitur vesperus, quasi væ spirans; insuper & hæc est stella illa, quæ cap. 8. vers. 11. Apocalypsis dicitur Absynthium, *& nomen stellæ dicitur absynthium* propter amaritudinem illatæ miseriæ. Secundæ fulserunt in nocte aduersitatis, virtute patientiæ, indè dicitur Sapientiæ cap. 10. vers. 17. *Fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum nocte.* Tertia fulsit gratia in medio nebulæ legis Mosaicæ, quæ dicitur Lucifer, triplici ratione nominis. Ipsa enim tulit in se lucem, scilicèt Dei Sapientiam incarnatam, indè dicitur benè Lucifer, quasi lucem ferens. Secundò Legis, & prophetarum nebulam cæcam illuminauit pariendo Christum quem obscurè prædixerunt, & qui de se ipso dixit Ioan. cap. 8. vers. 12. *Ego sum lux mundi.* Indè dicitur Lucifer, idest lucem cæcis ferens. Tertiò cùm esset gratia plena (sicut *dixit Angelus ad eam: Aue gratia plena* S. Luc. cap. 1. vers. 28.) posteris lucem tulit, idest, gratiæ abundantiam, indè dicitur Lucifer, quasi luce fertilis: cuius vita gloriosa lucem dedit sæculo.

Stellarum tria genera, moraliter quæ.

93 Vel dic: *eduxitque eum foras, & ait illi suspice Cælum.* Audi pulchrum Diui Ambrosij loco supracit. Lit. D. Morale. *Foras educitur propheta, vt exeat fores corporis, & angustias carnis operientis, ac Spiritus Sancti infusionem, vt velut quandam descensionem, videat. Oportet* (audi quod sequitur) *nos quoque exire ex his diuersorij nostri angustijs, mundare animæ nostræ locum ab omni inquinamento, proijcere sordes maleuolentiæ, si volumus spiritum recipere sapientiæ, quia in maleuolam animam non introibit Sapientia.* Sap. cap. 1. vers. 4.

Sapientia in maleuolam non intrat animam.

94 *Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Inter Christianas virtutes multùm est laudanda fides. *Et vbi sana fides non est, non potest esse iustitia; quia iustus ex fide viuit*, inquit S. P. N. Augustinus contrà Petilianum, & habetur 24. quæstione 1. *Vbi sana.* Vers. 6.

Inter virtutes laudabilior fides.

95 *Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam*, idest ego eduxi te (inquit Dominus ad iustum) de incendio vitiorum, vt darem tibi in- Vers. 7.

Digitized by Google

tuæ profectionis præmium terram viuentium. Hinc habes, quòd vitia sint gradus ad virtutem; & quomodò, audi. Inuestigat Eusebius Emissenus rationem, qua euehi possimus ad viuentium terram, nempe ad cœlum, & decernit facilè fieri posse, vt scelera ipsa nos à terrenis sordibus euehant, & syderibus inferant. *Sublimabunt nos* (sic loquitur Emissenus homil. de Ascensione Domini in fine) *si fuerint infrà nos: de nostris etiam vitijs scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus*. Considera, obsecro nunc, quæ mentis elatio sit necessaria ei, qui inuicto pede hostium audacissimorum colla premere debeat. Premere inquam? imò perimere, ac penitùs conculcare. Est in promptu memorandum, nisi potiùs execrandum Tamerlani facinus; quod nostrum dictum non parum illustrat.

Vitia sunt gradus ad virtutem, & quomodo.

96 Leges apud Horatium Tursellinum lib. 9. epi. hist. in fine, Paiazetem Turcarum Regem anno à partu Virginis Millesimo quadringentisimo à Tamerlano Tartarorum Rege celeberrima illa Victoria, qua Tartarus quidquid terrarum est a Tanai flumine ad Nilum domuit, non modò victum, captumque, & in cauea ferrea ad ludibrium reseruatum, verùm etiam coactum fuisse, cœnante Tamerlano, catena aurea collo inserta, inter canes cibum sub mensa capere. Insuper etiam insolentis, atque post hominum memoriam inauditæ Superbiæ edidit argumentum: etenim fama fert Tamerlano equum conscensuro tergum præbuisse Paiazetem hostis superbia elati, & fastu planè barbaro tumidi pedibus conculcandum.

Paiazeti summa Calamitas.

Tamerlani facinus execrandum.

97 Simillimum planè, & superbiæ execrandæ, & calamitatis miserrimæ monumentum prodit Tyrius Antistes lib. 1. de bello sacro scribens de Romano Diogene Græcorum Imperatore, cui, Constantino Duca extincto, Eudocia Augusta nupserat. Hic collatis in Asia cum Turcarum Sultano signis, non modò victus, verùm etiam in potestatẽ hostis immanissimi redactus, fertur proculcatus ab eo pedibus, imò ascensuro, descensuroque Tyranno truculentissimo, Augustus pro scabello fuisse. Ex his percipies facilè sensum Emisseni, cui parùm videbitur si vitia debellaueris, parum si mille modis deluseris, parùm si in seruitutem adduxeris, animoque semper victore exultaueris. Vnum adhuc superest dignum regnantis animo superbiæ ostentum, scelera scilicet quàm sæpissimè pede protererc, ac conculcare. Habes igitur, quo pacto teipso maior fias, hoc est super te ipsum eas, vno verbo, qua ratione superbias, nil enim aliud est superbire, quàm super se ire. Habes insuper, quo pacto terra viuentium acquiritur. Deus de vitijs te longè eduxit: ad semitam virtutis te reduxit: quo fine? vt cælestium terram possideres. Ergo si vitia subiecisti, super vitia ad promissionis terram ascende.

Romani Diogenis infortunium.

98 *At ille ait: Domine Deus, vndè scire possum, quòd possessurus sim eam?* Si Deus ad promissionis terram possidendam nos prædestinauit sua gratia, non est inquirendum huius nostræ prædestinationis signum; verùm enim signum est in bono perseuerantia: *Nam ipsa quoque cælestis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, vt ad hanc electi ex labore perueniant*, scribit S. Gregorius lib. 1. dialogorum. Vers. 8.

99 *Et respondens Dominus: sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam*. Quid per vaccam, nisi humilitas: quid per capram, nisi pænitentia; quid per arietem, nisi fortitudo; quid per turturem, nisi castitas; quid per columbam, nisi simplicitas figuratur? *Vacca* igitur est *triennis*; quia humilis debet se subijcere maiori, æquali, & minori: *Capra trima*; quia vera pænitentia tribus partibus constat, scilicèt, contritione, confessione, & satisfactione, *Aries annorum trium*; quia fortitudo, & constantia in triplici malorum genere perferendo, & superando versatur, nempè in contumelijs, iniuris, & verberibus; vti scripsit Apostolus ad Hebræos cap. 11. vers. 36. *Ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres. Turtur, & columba* adiungitur ijs; quia iustitia, & simplicitas dirigunt humilem, pænitentem, & constantem in viam Domini; iuxtà id quod dixit Sapiens in prouerbijs, Prouerb. cap. 11. vers. 5. *Iustitia simplicis diriget viam eius.* Vers. 9.

Humilis tribus se subijcere debet.

Pænitentia tribus partibus constat.

100 Vel dic cum S. P. N. Augustino lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 24. *Per iuuencam significata est plebs posita sub iugo legis: per capram, eadem plebs peccatrix futura: per arietem, eadem plebs regnatura. Quæ animalia propterea trima dicuntur, quia cum sint tres insignes articuli temporum, ab Adam vsquè ad Noe; Et indè vsquè ad Abram: & indè vsquè ad Dauid: in hoc ordine tertio, qui tenditur ab Abram vsquè ad Dauid, tanquam tertium ata-*

Fortitudo in triplici re consideratur.

Digitized by Google

ætatem gerens ille populus adoleuit . Nec vllo modo dubitauerim ; spirituales viros in eo populo præfiguratos additamento Turturis , & Columbæ .

101 Vel dic cum S. Ambrosio lib. 2. de Abram col. 330. lit. C. *In omnibus enim hominibus caro, sensus , & verbum est. Caro nostra vitula est : Laborat , vt serat: laborat , vt colligat : laborat , vt pariat, innumeris fatigatur laboribus . Vndè & Græci δάμαλιν ἀπὸ τοῦ δαμάζεσθαι λίαν , eò quòd dometur nimis ..... Sensus autem nostri caprarum modo, velut saltu quodam alijs exiliunt..... Ad omnem occasionem præstò sunt ; vel occursu fœmineæ pulchritudinis, vel odore suauitatis alicuius . Auditu pariter , & tactu mouentur velociter, quibus etiam animæ inflectunt constantiam..... In Ariete verò verbi , ac sermonis nostri habetur similitudo , quòd sit vehemens , sicut , & sermo noster efficax operationis , & quadam ornatus nostri , & tegminis causa sit* . Sic ergo , & Vitula Caro , & Capra sensus; & Aries verbum, hæc tria sunt Deo litanda .

Vers. 10. 102 *Qui tollens vniuersa hæc ; diuisit , & per medium , & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit : aues autem non diuisit* . Vide quomodo diuiduntur animalia , non autem aues : diuiduntur animalia , vt humilitas exhibeatur Superiori , & Prælato ; in his , quæ ad Deum , non in his quæ contrà Deum sunt , In pænitentia , ne quid nimis , vel ne quid minùs fiat . Fortitudo , seù constantia , non sit effrænata , sed discreta . Turtur , & columba non diuiduntur , quia castitas mentis , & corporis vtraque exigitur .

103 Vel dic cum S. P. N. Augustino vbi suprà . Aues non diuisit : *Quoniam carnales inter se diuiduntur ; spirituales autem nullo modo , siuè à negotiosis conuersationibus hominum se remoueant , sicut turtur : siuè inter illos degant , sicut columbæ . Vtraque tamen auis est simplex , & innoxia , significans & in illo populo futuros indiuiduos filios promissionis , & hæredes Regni in æterna felicitate mansuros .*

104 Vel dic cum S. Ambrosio vbi supra cap. 8. col. 333. Lit. B. *Non sunt enim diuisi iusti , quibus dicitur vt sint* . Simplices sicut Columbæ ..... *Mens enim directa ad Christi gratiam , videbat hunc mundum plenum esse iniquitatis ...... Pudicitiam autem , fidem , sinceritatem , nullis esse obnoxios passionibus : auaritiam verò , & solicitudines sæculi , quibus suffocantur, qui habent voluptates diuitiarum , dilacerari , ac diuidi . Vndè , & diuitiæ dictæ sunt , quòd mentem diuidant , atque in diuersum scindant , & in partes trahant , ne sinant incorruptam esse , & integram .*

105 Notandum est moraliter , quòd propter trinam diuisionem per primos parentes in paradiso factam , istæ tres animalium species offerebantur . Triplex diuisio per primos parentes in paradiso . Prima fuit à Iustitia, peccando , à gratia , qua poterat proficere in bono ; & à gloria , qua erat immunis à mortis aculeo . Prima , homo desijt esse pulcher , tegens pudenda sua . Secunda , factus est pauper , abscondens se, ne videretur à Deo nudatus virtutibus . Tertia , miser , quando in hac valle lacrymarum deiectus est de paradiso . Hoc triplex incommodum deplanxit Ieremias dicens. Thren. cap. 4. vers. 1. *Quomodo obscuratum est aurum , mutatus est color optimus* . Eccè de amissa pulchritudine , *Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum*. Eccè de paupertate (vers. 2.) *Filij Sion inclyti , & amicti auro primò: quomodò reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli ?* Sicut enim vas figuli fragile est , sic humana natura per miseriam . Ad repræsentationem ergo harum trium diuisionum, cùm immolaret Abram capram triennem , & vaccam, & arietem diuisit carnes altrinsecùs . Capra fœtidum animal est : huius carnes diuiduntur , ad exprimendam diuisionem, quæ est à iustitia : & immolantur , vt sic satisfaciant pro ea . Vacca ad arandum apta est , & lucrandum Domino suo ; quæ ad exprimendam diuisionem secundam , diuiditur , ad satisfactionem immolatur . Aries rex est ouium , & protectione sua gregem reddit securum : eius carnes ad designandam tertiam diuisionem , diuiduntur , & propter recuperationem immolatur . Itaque primi parentes , primò peccauerunt ; secundò , à paradiso diuisi sunt ; tertiò , per hanc iuncturam reconciliati sunt . Sicut cecinit Regius Vates Psal. 54. vers. 22. *Contaminauerunt testamentum eius* . Eccè primum . *Diuisi sunt ab ira vultus eius*. Eccè secundum. *Et appropinquauit cor illius* : Eccè tertium .

Triplex diuisio Adami , & Euæ in Paradiso figurata per tres species animalium Sacrificij Abrahæ , & quæ .

106 *Descenderuntque volucres super cadauera , & abigebat eas Abram* : volucres sunt malæ cogitationes , & prauæ, quæ in orationis sacrificio importunè se ingerentes, expellendæ sunt . Sic affirmat S. Gregorius lib. 16. Moralium super extremis verbis cap. 23. Iob *Sæpè in ipso orationis Sacrificio , importunæ se cogi-* Vers. 11.

Digitized by Google

cògitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare volent, quod in nobis à Deo flentes immolamus. Vndè & Abram, cùm Sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quas studiosè, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic ergo nos cùm in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat.

107 Vel dic, quòd volueres sint maligni spiritus qui appetunt possidere animas, & vt hoc desiderium suum assequantur circumuolitant tentando homines, dum aliquod virtutis opus eliciunt. *Aues descendentes*, Scribit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei vbi supra, *super corpora, quæ diuisa erant, non boni aliquid, sed spiritus indicant aeris huius, pastum quendam suum de carnalium diuisione quærentes. Quòd autem illis consedit Abram, significat etiam inter illas carnalium diuisiones, veros vsquè in finem sæculi perseueraturos fideles.*

Dæmones volucribus similes.

108 Vel dic cum Lippomano. Et Abigebat eas Abram: *In quo significatur, quòd nisi merita Sanctorum Patrum intercessissent, consumendi forent carnales à dæmonibus.*

109 Vel dic cum S. Hieronymo. Et abigebat eas Abram, *Ad Significandum quòd Abrahæ merito sæpè de angustijs liberatus est Israel.*

Vers. 12.

110 *Cumque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.* Iste horror significat tribulationes, quas generaliter patiuntur omnes beati, quamdiù sunt viatores: quia *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Actus Apostol. cap.14. vers.21. Et hoc æternum, perenne, & immortale beatorum domicilium mundus ipse impellit nos quærere: *Hoc iam fratres carissimi*: (scribit S. Gregorius homil. 4. in Euangel. paulò ante medium.) *Etsi Euangelium taceat, Mundus clamat. Ipse iam & à quibus amatur, amarus est; nobis regnum aliud, quod sequitur ostendit. Ipsæ ruinæ eius prædicant, quod amandus non est.* Excidia, bella, Calamitates mundi, quibus continuò affligamur, nobis, si sensu penitùs careamus, facilè persuadent, aliam inuestigandum esse felicitatem, quam sententiam, vtpote veritati vnicè respondentem, quasi verò minimè sibi adhuc fecisset satis, luculentiùs idem S. Pontifex homil.28. in Euangel. in fine prosequitur inquiens. *Eccè iam mundus in se ipso aruit: adhuc in cordibus nostris floret. Vbique mors; vbique luctus, vbique desolatio, vndique percutimur, vndique amaritudinibus replemur. Aliquando nos mundus delectatione retraxit à Deo, nunc tantis plagis plenus est, vt ipse nos iam mundus mittat ad Deum.* Et quousquè tandem mundum sequemur, qui ab ipso mundo tot ærumnarum fœditatibus tàm immundo reijcimur?

Mundus suis calamitatibus eijcit nos a se, & remittit ad Deum.

111 Vel dic cum S. P. N. Augustino vbi suprà: *Quòd circà Solis occasum pauor irruit in Abram, & timor tenebrosus, significat circa huius sæculi finem magnam perturbationem, ac tribulationem futuram fidelium: de qua Dominus dixit in Euangelio.* (S.Matth. cap. 24.vers. 21.) *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio.* Et S. Bruno scripsit: *Solis occasus, qui finis est diei huius sæculi finem significat, caligo tenebrosa ipsa, de qua dicitur* (Matth. cap. 24. vers. 29.) *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum. Sinè etiam tenebræ, quas in inferno patientur iniqui.*

112 *Dictumque est ad eum: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Fortitudo patiens, seù patientia fortis necessaria est in aduersitatibus. Tribulatis datur hîc Abram in exemplum, de quo scribit Aureus doctor homil. 37. in Genesim pag. 203. Litera A. *Nisi generosum, & fortem animum, & optimis moribus præditum habuisset Patriarcha, tanta erat hæc, vt perturbare potuissent.* Disce ergo aduersùs frangi, non deprimi; disce calamitatibus quati, non concuti; disce ærumnis vexari, non prosterni; genus hoc est victoriæ illustre adeò, vt cum hac neque ipsa quidem bellatorum, ac triumphantium gloria conferenda esse videatur. *Victoria nostra*, inquit S. P.N. Augustinus tom.8.serm.44. in fine, *gloria nostra intùs est, non foris est, foris despecti, intùs dilecti. Hinc est, quòd Ecclesia in pressuris posita infirmiora membra sua confortat dicens; in mundo pressuram habetis: sed nolite timere pusillus grex, quia ego vici mundum. Sed quomodò vicit mundum? factus est obediens Patri vsquè ad mortem. Quomodò vicit Christus, vincere appetat Christianus.* O'præclarum victoriæ genus subdere sese, non imperare, mortem sufferre patienter, non inferre. Hoc eum decet, qui Christi militiæ adscriptus tanti ducis Imperio gubernatur. Neque enim nos alia ratione victoriam reportare debemus, quàm Chri-

Vers. 13.

Tribulationes tribulatione superandæ, & mundum mũdo.

Christum Imperatorem nostrum vicisse sciamus. Vicit autem mortem morte, aduersa aduersùs patiens, mundum à mundo delusus, vt hinc percipiamus nostrum esse, hostes, ac delusores cum ab illis profligari videmur, diuino quodam vincendi genere debellare. Vndè apud S. P. N. Augustinum leges in enarratione in psal. 123. circa medium: *Manifestum est, quia non vicisti tu, sed vicit ille, qui est in te. Imperatorem talem portas, & vinceris? nonne prior moriens vicit diabolum: quare vicit, nisi vt te doceret cum diabolo dimicare?*

Victoria Christi nostrum exemplum.

113 *Subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.* Audi Lippomani morale documentum. *Afflictiones quæ Patriarchæ prædicuntur hoc in loco, fidelibus indicant, quòd quicumque piè viuere volunt in Christo, exponuntur varijs tentationibus, quas tamen fides firma, & syncera abigit, & vincit iuxtà dictum* S. Ioannis epist. 1. cap. 5. vers. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.*

Vers. 14. 114 *Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo, & posthac egredientur cum magna substantia.* En vides quomodò Deus iudicem inibi se demonstrat Ægyptijs seuerus, nam *ego iudicabo*; populo electo placidus, etiam *egredientur cum magna substantia*. Hinc habes quid Iudicij dies erit iustis læta, impijs mæsta. Sic Sanctus Cyprianus tract. 1. contra Demetrianum paulò antè finem dicebat: *Cùm iudicij dies aduenerit, quæ lætitia credentium, quæ mæstitia perfidorum.* Et si nescis quid potissimum horrescere debeas, impie, dum dicitur ab ipso amantissimo, & Patre, & Sponso, & amico Christo Domino æternæ mortis ferenda sententia, audi Eusebium Emissenum homil. 4. ad Monachos, ipso fine dicentem: *Quàm lugubre erit homini Deum videre, & perdere, & antè pretij sui perire conspectum.* Amantissimo seruatore præmia iustis largiente nihil fingi potest benignius, sed quò benignior est, eò magis terrificus impijs; vt maneat, futurum Christi Iudicis benignum terrorem, terrificam benignitatem.

Iudicij dies iustis læta, iniustis mæsta.

Vers. 15. 115 *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Crebra mortis meditatio, homines & bonos, & in senectute bona perseuerare facit: hæc est vera nostri finis Philosophia: hinc S. Bernardus in fine speculi monachorum dixit: *Summa est philosophia meditatio mortis.* Cui consentit Rauennas Eloquentia, dum Serm. 54. Zacchæum alloquens circa medium ait: *Festinans descende, vt expeditiùs intres Philosophiam mortis.* Ægyptij profectò eximiæ commendatione sapientiæ celeberrimi in conuiuia inferre solebant scheletrum, idest exiccata hominis, atque inter se compacta ossa, & monere conuiuas, vt voluerent animo, se breui tales fore, vt scribit Plutarchus in conuiuio septem sapientium non longè ab init: cuius moris vtpotè singularis petenti rationem respondere possem ex eodem Plutarcho, qui opusculo de educandis liberis inquit, *sola Philosophia medetur animi motibus, atque ægritudinibus.* Meritò sapientes ad homines in officio continendos, ne delicijs epularum frangerentur, obiecto mortis spectaculo animi motibus medebantur. Neque verò aberrasse dicar à veritate asserens philosophiam mortis esse meditationem, cùm Platonis effatum sit. In quam sententiam scribebat Seneca epist. 26. *Egregia res est mortem condiscere: superuacaneum forsitan putas id discere, quo semel vtendum est? Hoc est ipsum quare meditari debeamus. Semper discendum est, quod an sciamus experiri non possumus. Qui mori didicit seruire dedidicit.* Perpende quàm sæpè reputat discendam esse mortem. Vulgò de facultatibus ac liberalibus disciplinis verba facimus, cùm eas asserimus perdiscendas. Facultas vtique sapientissima mors est, quæ temperantiam rerum omnium, ac benè agendi docet rationem, quæ mores probè instituit, affectiones animi moderatur; vno verbo; quæ germana philosophia est, vt norma viuendi.

Crebra mortis meditatio homines sanctos facit.

Ægyptij in mensa scheletrum ponebant, & cur.

116 *In senectute bona.* Vera, & bona senectus, non ab antiquitate, sed a probitate censenda est. Hinc Sapientiæ cap. 4. vers. 8. dicitur: *senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis* (vers. 9.) *& ætas senectutis vita immaculata.* Sic Mediolanensium Pastor Ecclesiæ Doctor Ambrosius serm. 90. de S. Agnete, inquit: *Computabatur in annis infantia, sed erat senectus mentis immensa.* Sic S. Ignatius epist. ad Magnesianos. *Daniel,* inquit, *sapientissimus duodecim annorum effectus, Spiritu Sancto repletus est, & illos seniores canitiem vanam habentes, calumniatores, & alienæ pulchritudinis appetitores esse manifestauit. Samuel etiam cùm esset pusillus nonagenarium Heli sacerdotem per increpationem redarguit, quòd filios suos honorificaret suprà Deum. Similiter & Ieremias audit à domino, Noli dicere, quia puer ego sum.*

Senectus vera non in ætate, sed in probitate.

Google

sum. Salomon duodecimo ætatis anno regnare incipiens, meretricum pro paruulis quæstionem dissoluit. Iosias verò octo annorum erat, & monumenta subuertere cæpit, lucos excidere, templa deijcere, quæ dæmonibus fuerant consecrata.

Vers. 16. 117 *Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.* Deus cùm sit misericors non solùm non induit pænas peccatis grauiores, sed & valdè minores: Theodoretus enim hunc Genesis locum explicans dicit: *Declaratur per hoc, Deum non priùs vltorem esse, quàm homo sit peccator.* Sequitur ergo quòd peccatori ipsa culpa sit pœna. Brasidæ memorabile factum lego apud Plutarchum, cùm enim ab hoste iaculo transuerberatus fuisset, extracta è vulnere hasta, illa ipsa hostem vulneratum interemit. Ita Plutarchus in apoph. reg. & imp. circà medium. Impius, sceleribus dum se commaculat audacter insurgit in Deum, sed Deus non alio transadigit spiculo impium, quàm eo, quo armabatur in auctorem suum, vndè S. Gregorius lib. 15. in Iob cap. 12. in fine scribit. *Plerumque peruersa menti ipsa sua culpa fit pœna.* Hinc S. P. N. Augustinus rationem reddit ingeniosam, qua de causa Christus Dominus negotiatores è templo exturbaturus, flagellum fecerit de funiculis (vt habetur Ioannis cap. 2. vers. 15. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis omnes eiecit de templo.*) Sic autem in Psal. 57. aliquantò post initium habet: *Quia vnusquisque peccatis suis cæditur, Dominus malè versantes in templo flagello de resticulis facto exclusit.* Percipe tandem; qua ratione peccatum funis sit qui te ligat, & flagellum, quod te punit, & verberat: & quoniam Sanctissimi Parentis, & Luminis Ecclesiæ Augustini auctoritas ea est, vt vel confirmatione non egeat, vel à nemine confirmari aptiùs queat, quàm à se ipso, eiusdem subijcio lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 3. initium, quod antequam proferam, sine fuco profitebor, non raro me audientem scelestos homines, passim non modò sermonibus hominum, sed frequenter Dei summi auctoritate nuncupari inimicos Dei, hæsisse attonito similē. Quid enim vilis homuncio inimicū in præpotentem bonorum auctorē animum gerere, aut vires exercere queat? Homine quid imbecillius? Quid fortius omnipotente? Quo igitur pacto dicitur inimicus an tui inimicum dices potentissimi Imperatoris, terræ filium vilissimum caput? audi iam S. P. N Augustinum loco citato: *Dicuntur in scripturis inimici Dei, qui non natura, sed vitijs aduersantur eius imperio, nihil ei valentes nocere, sed sibi: Inimici enim sunt resistendi voluntate, non potestate lædendi, vitium quo resistunt, non est Deo, sed ipsis malum.*

Peccatori ipsa culpa est pœna.

Brasidæ memorabile factum.

Quisque suis cæditur peccatis.

118 *Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, &c.* S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 24. ait: *Quòd in occasu solis visa sit Abraæ fornax fumibunda, & lampas ignis transiens per medium diuisorum animalium, significatum esse, in fine sæculi per ignem iudicandos esse carnales. Sicut enim afflictio Ciuitatis Dei qualis antcà nunquam fuit, quæ sub Antichristo futura creditur, significatur tenebroso timore Abraæ circà solis occasum, idest, propinquante iam fine Sæculi: sic ad solis occasum, idest, ad ipsum iam mundi finem significatur isto igne dies iudicij dirimens carnales per ignem saluandos, & igne damnandos.* Vers. 17.

Ignis carnalium iudex in sæculi fine

119 *Facta est caligo tenebrosa.* Nota quòd quadruplex caligo moralis, & est caligo Ignorantiæ, caligo culpæ, caligo præsentis penæ, & caligo futuræ miseriæ. Prima veritatem ignoramus. Secunda Deum nescimus. Tertia bonis priuamur. Quarta in tenebris sempiternè sepelimur.

Quadruplex caligo moralis, & quæ.

120 *Facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis.* Quàm opportunè post tenebras, post fumum cælestis emicat coruscatio; sic enim post laborum tenebras lux æternæ claritatis sequitur; hinc Patientissimus ille Hus Princeps dixit Iob cap. 17. vers. 12. *Post tenebras spero lucem.* O si hæc meditarentur verba, quàm dulcis esset omnis huiusce vitæ amaror! Matthæi cap. 16. vers. 24. Seruator humani generis, vt asperam vitæ suadeat rationem hominibus iucundam dixit. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quem in locum eleganter Sanctùs Leo serm. de Transfiguratione Domini paulò post initium, *Exhortatio*, inquit, *Saluatoris hoc inspirauit, hoc docuit, vt volentes eum sequi, negarent se sibi, & pro spe æternorum, leuissimum ducerent temporalium detrimentum.* Vt vides, sola spes æternorum leuamen est, quo Dei amici non modò recreari debeant, verùm etiam quiduis cæteròqui graue nimis, veluti leuissimum arbitrari. Quòd si qui fortè minimè se percipere posse profiteantur, audiant

Post tenebras laborum lux claritatis æternæ sequitur.

Spes æternorum leuamentum laborum.

simile nescio quid ab homine Ethnico fuisse indicatum. Sanè Marcus Tullius, cùm in Rullum verba faceret ad Quirites ait: *Ità iucundum est otium, vt & vos, & maiores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, vt aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate*. Quod si rectæ rationi consonum iudicatur, & veritati respondens, quid nos sentire debemus edocti diuinæ institutione Sapientiæ? quid inquam nobiscum animo reputabimus, cum res quæuis proponitur ardua. Turpis Dei amore subeunda egestas, amicorum rescindendus amor diuinæ legi repugnans, vel quid simile, quod humana refugit imbecillitas, ad virtutis fastigium contendentem ne retardent, ne ardua videantur, atque perpessu aspera, voluamus animo otium beatæ patriæ, immò non otium modò, sed imperium, ac dignitatem: siquidem electis dicitur Imperatoris summi decreto, Matthæi cap. 25. vers. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*.

Pro pila multi suscipiuntur labores.

121 Et apparuit clibanus fumans. *Cuius similitudine*, Scribit S. Ambrosius lib. 2. de Abram impress. Paris. col. 337. Lit. D. *exprimi videtur vita humana, quæ implicata iniquitatibus sæculi istius atque inuoluta, non habens veri fulgoris claritudinem, & splendorem sinceri luminis, intus quasi fornax æstuat diuersis cupiditatibus, & quibusdam desideriorum anhelat ignibus: foris velut quodam fumo obtexitur, ne videat veritatis faciem. Obumbratur itaque, & obducitur quadam caligine oculus animæ, vt confundatur globo quodam fumigantis nebulæ mentis aspectus, ne pura possit spectare negotia, donec cælestes lampades dirigat Dominus Iesus, hoc est fulgorem gloriæ suæ*.

Vita humana quam misera.

Vers. 18. 122 *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti vsquè ad fluuium magnum Euphratem*. Fœdus veræ amicitiæ cum Deo faciendum est; nam *Non habet mundus* (Audi magnum Leonem Vaticano è folio declamantem in serm. 6. de Natiuit. Domini circa finem) *amicitias veras, & multos facit peruerso amore concordes. Sunt enim in vitijs pares animi, & similitudo desideriorum æqualitatem gignit affectuum*. Notatu dignum, quòd licèt videantur concordes licèt pares animo, non tamen amici censendi sunt. Cuius rei ratio aptissima mihi videtur, quæ affertur à S. Cypriano lib. 1. Epistol. epist. 3. non multò post initium; *Amici enim habendi, qui, vt ipse loquitur, copulati Sacramento vnanimitatis fuerint*; vt insinuet, coniunctionem animarum amicitiam nequaquam esse, nisi sacro vinculo colligentur. Olim sic vinculo amoris colligati erant amici, & vno occumbente, occumberet & alter; quales fuerunt Nisus, & Euryalus apud Virgilium 9. Æneid. vbi capto Euryalo inclamat Nisus;

Mundus caret veris amicis.

Amicitia Sacramentum vnanimitatis.

Me, me, adsum qui feci, in me conuertite ferrum,
O Rutuli; mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit,
Tum super exanimem sese proiecit amicum
Confossus, placidàque ibi demùm morte quieuit.

Quales etiam in bellis fuerunt illi, quos Galli soldurios vocant, Cæsar deuotos interpretatur lib. 3. de Bello Gallico. Talis quoque erat apud Thebanos ἱερὸς λόχος, sacra cohors, cuius meminit Plutarchus in Pelopida, quale amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mæcenate. Vndè dicti sunt συναποθνήσκοντες, *commorientes*. Sic etiamnum in Perù, & Mexico vxores, & famuli chariores, marito, vel domino defuncto in rogum, vel sepulcrum viui se cum domini cadauere injiciunt. Et apud Iapones, nobiles morte damnati, sibi cum intimis suis ventrem dissecando mortem consciscunt.

Societas Soldurioru, & συναποθνήσκοντων in similitudine m. r. e.

123 Cæterùm notandum veram amicitiam in animis amicorum quatuor affectus gignere. Primus affectus est fiduciæ, secundus est gloriationis, tertius est consolationis, quartus est exuberantis gaudij. De his quatuor Gentium doctor in secunda ad Corinth. cap. 7. vers. 4. scripsit. De prima, *multa mihi fiducia est apud vos*. De secunda, *multa mihi gloriatio pro vobis*. De tertia, *repletus sum consolatione*. De quarta, *superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*.

Quatuor affectus amicitiæ.

124 *Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos* Vers. 19. 20. & 21.
& Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Iebusæos. Si conditiones pacti cum Deo initi non seruantur, promissis homines non potiuntur. Prima enim conditio cælestis fœderis iustitia est. Si Deum fœderis impletorem tot criminibus irritas, quomodò eum propitium poteris experiri?

Digitized by Google

DE ABRAM VISIONE MORALITAS.

De Abrahami Visione descripta cap. 15. diffusa, & enucleata moralitas.

125 Confortat Deus hominem ad benè operandum, promittendo præmium, & certificando de eo. Cuius exemplum apparet in ista visione Abrami, in qua primò promittitur præmium, quia dicit vers. 1. *Quòd factus est sermo Domini ad Abram per visionem, &c.* Ecce prima promissio. vers. 4. *Non erit hic hæres tuus, &c.* Eccè secunda promissio. vers. 5. *Eduxitque eum foras, & ait illi: suspice cælum, & numera stellas, si potes & dixit ei: sic erit semen tuum.* Ecce tertia promissio vers. 7. *Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.* Eccè quarta promissio. Quatuor igitur promissiones Abramo fecit Dominus ad confortandum eum: de quibus Apostolus ad Galatas cap. 3. vers. 16. ait *Abrahæ dictæ sunt promissiones.* Prima fuit de mercede operis, cùm dixit *noli timere*, &c. primò eum confortat, excludendo timorem. Secundò eum securat promittendo protectionem, ego protector tuus sum. Tertiò eum lætificat proponendo mercedem.

126 Sed attende qualem mercedem promittit benè operanti in persona Abrahæ; mercedem certam: quia ego scilicèt, qui decipere vel fallere non possum. Item mercedem propriam, quia *merces tua.* Sic enim est omnium generaliter, vt sit etiam cuiuslibet singulariter. Item mercedem copiosam, quia *magna nimis*: nam inquit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 2. vers. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.*

127 Secunda promissio fuit de successione hæredis: quia dixit ei Dominus: *Qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem*; in quo signatur, quòd datur vnicuique illa hæreditas ex proprijs meritis, non ex alienis. Nam meritum hominis est ei sicut filius cui, debetur hæreditas. Vnde S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 3. vers. 8. scribit: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem*: & loquitur de adultis, secùs est de paruulis.

128 Tertia promissio fuit de multiplicatione seminis. Dixit enim: *suspice cælum, & numera stellas, si potes, sic erit semen tuum.* Per stellas cæli possunt intelligi Angeli, qui sunt in cœlo. Per semen verò meritum vitæ, ex quo scilicet recolliguntur fructus mercedis Ecclesiæ. Tunc enim semen hominis ad modum stellarum cæli multiplicatur, quando homo per vitæ meritum in cælo angelis coæquatur.

129 Vel quia stellæ cæli sunt incorruptæ, lucidæ, magnæ, & tamen in apparentia paruæ. Tunc enim semen hominis ad modum stellarum cæli multiplicatur, quando meritum operum eius est incorruptum per intentionem, lucidum per discretionem, magnum per dilectionem, sed apparentiæ paruæ per humilitatem.

130 Quarta promissio fuit de terra promissionis: Vndè dixit: *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, & dabo tibi terram istam.* Terra ista est corpus, quod tunc pacificè possidet vir iustus, quando per diuinam gratiam est de Vr Chaldæorum eductus, idest de incendio carnis. Chaldæi enim sunt motus carnis, quorum Vr, idest, incendium est concupiscentiæ inflammatio; à qua nisi homo diuina gratia eruatur, non potest terram corporis sui pacificè possidere.

131 Secundò Abram certificatus est per Sacrificium, scilicèt, de promissione implenda. Petiuit enim signum non ex diffidentia promissionis, sed scire volens modum impletionis, dicens: *Vndè scire possum, quòd possessurus sim eam.* Et tunc iussit vt offerret Sacrificium, vt in ipso Sacrificio signum acciperet. Vndè præcepit ei, vt immolaret vaccam, & capram, & arietem, & omnia trima; insuper & turturem, & columbam, qui sequenti manè accepit omnia hæc, & diuisit per medium, & vtrasque partes contrà se altrinsecùs posuit, aues autem non diuisit: descenderuntque volucres cæli super cadauera, & abigebat eas Abram. Cùmque Sol occubuisset, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum, & istud fuit

ali-

aliqua pars signi dati.

132 Hoc ergo est Sacrificium iustitiæ, quod Deo offerri debet. Nam in Vacca significatur obedientia, & hæc debet esse trima, siue triennis scilicèt, (vt superiùs diximus) per subiectionem triplicis humilitatis, videlicet Superiori, pari, & inferiori. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. In capra verò significatur pænitentia, quæ etiam debet esse triennis secundùm tria, in quibus consistit pænitentia, scilicet in dolore contritionis, in pudore confessionis, & in labore satisfactionis. In arietè verò intelligitur simplicitas, quæ etiam debet esse trima, quia est triplex genus simplicitatis, contrà triplex duplicitatis genus, scilicèt hæresis, & hypocrisis, & ambitionis. Duplicitas hæresis immiscet falsa veris. Duplicitas hypocrisis bona malis, honesta inhonestis. Duplicitas Ambitionis tendit ad duplicem finem, scilicet lucri temporalis, & præmij cælestis, volens duobus Dominis seruire; sed diuisit Abram ea per medium; Nam obedientia diuidenda est vt fiat in his, scilicet, quæ sunt secundùm Deum, non contrà Deum. Similiter pænitentia est diuidenda, vt fiat cum discretione, ita vt sit rationabile obsequium nostrum, & occidatur, Hædum in valle saliuarum, vt sic occidatur concupiscentia, quòd nutriatur natura; nam omnis victima est sale salienda; quia in omni opere est discretio adhibenda.

133 Item simplicitas diuidenda est, vt non sit fatua, sed religiosa, vt sit sanctitas, non fatuitas, vt sit simplicitas columbæ cum astutia serpentis, ne fit *sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Psal. 31. vers. 9. Sicut enim mulus cui insidebat Absalon, ipsum detulit in suspendium: Sic fatua simplicitas multos præcipitat in infernum.

134 In columba autem designatur charitas: quia columba felle caret, & gregatim volat. In turture verò designatur castitas. Sed has aues Abram non diuisit, quia charitati, & castitati ab omnibus, & omni tempore est insistendum; Nam castitas competit non solùm Virginibus, & viduis, sed etiam suo modo coniugatis. Vel ideò fit diuisio animalium, & non auium: quia per animalia intelliguntur actiui, quorum solicitudo diuiditur ad multa: sed per aues intelliguntur contemplatiui, quorum tota intentio fertur in vnum: *Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Psal. 26. vers. 4. Vndè Dominus dixit Marthæ (Matth. cap. 10. vers. 41.) *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima*. Et hoc quantùm ad actiuam. (vers. 42.) *Porrò vnum est necessarium*. Et hoc quantùm ad contemplatiuam.

135 Vel in turture significatur vita solitaria, quia turtur soliuaga in solitudine gemit; sic solitarius debet gemere luctu pænitentiæ: Ieremiæ cap. 15. vers. 17. *Non sedi in concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam comminatione replesti me*: Habens enim pretiosum balsami liquorem in vase fragili, non debet se ponere in pressura hominum. Seneca dicebat enim: *Vbi plus est populi, ibi plus est periculi: cum inter homines fui, minor homo redij*, hæc ad suum Lucillum scribens. Hinc per Oseam Dominus dixit animæ cap. 2. vers. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*. Moysi locutus est Deus non in Palatio, sed in deserto. Cæcus à Domino extrà turbam illuminatur. Puella mortua in thalamo eiecta turba resuscitatur. Non enim in commotione dominus; Clausæ erant oues in arca, quia opera spiritualia debent claudi in conscientia. In Columba verò, quæ gregatim volat, significatur religio in congregatione viuentium; qui debent ad modum columbæ carere felle inuidiæ.

136 Item non rostro detractionis percutere, nec venenum infamationis, siuè litis in ore, sed ramum oliuæ, idest verbum pacis portare ad chorum, refectorium, & alia communia gregatim simul incedere iuxtà riuos aquarum, idest Scripturarum residere, & ibi vmbram accipitris, idest tentationem Diaboli præuidendo declinare. Hæc columbina simplicitas tantùm Deo placet, vt Spiritus Sanctus in specie alterius animalis noluerit apparere. In hac autem duplici aue, idest vita, consistit omnis perfecta Religio. Vndè cuidam quærenti quam Religionem intrare deberet. Respondit quidam: Nescio, an esse velis turtur, an columba.

137 Sed in vtraque vita cauendum est ne diuidatur, & dispergatur per vanam gloriam, scilicèt ne opus volet ad Deum, & intentio sit ad mundum. Vndè in Leuitico præcipitur, si offeratur turtur, vel columba, quòd confinga-

stringatur ascella ne possit euolare; quia si qua sunt in Religionis opera virtutum occultanda sunt, non ad fauorem hominum propalanda. Vndè si ex operibus bonis supercrescit inanis gloria, opera illa, quasi alas sumunt ad euolandum, & fugiunt, vt nobis non proficiant, sed eas confringere debemus dicentes nobis. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* S. Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. vers. 7.

138 Super hoc autem sacrificium dicit, quòd descenderunt volucres, sed *abigebat eas Abram*. Sic tu ad auferendum impedimenta spiritus sacrificij, scilicet orationis deuotæ, abige aues idest importunas cogitationes; Vndè iam dixit S. Gregorius in hoc loco supracitatus: *Sæpè in ipso nostræ orationis sacrificio importunæ cogitationes se ingerunt, quæ hoc, quod Deo placentes offerimus, maculare contendunt.* Vndè Abram dum sacrificium obtulit, insidiantes aues pertulit, quas studiosè abegit, cuius nos exemplo, dum voti holocaustum Deo offerimus, ab immundis cogitationibus hoc custodiamus.

139 Sed attendendum est quod sequitur, quia *dum occubuisset sol, sopor irruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum*. Sæpè enim post sacrificium boni operis, vel deuotæ, & feruentis orationis (ne per elationem mens eleuetur) occidit sol, idest, extinguitur feruor deuotionis, & irruit in animam sopor corporis, ita, vt anima quasi seipsam magno stupore horrescat, & quasi quædam tenebræ timoris, & dubitationis eam inuadat. Et hoc facit Deus, vt ipsam in humilitate conseruet, ne fructum sacrificij, idest boni operis meritum, per elationem perdat.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XV. GENESIS.

Vers. 1. §. 1. QVare modò tàm accuratè, à corde Abrahæ expellitur timor, ac diuina protectio, vt scutum, ac clypeus ei promittatur? Legit enim pro ly *ego protector tuus* sanctes Pagninus *ego scutum ero tibi*, cui concordat Vatablus *Ego tibi vice clypei*. Quid erat in Abramo, cur sic in hoc euentu à Deo munitur, ac corroboratur? Immediatè anteà refertur quomodò Abramus gloriosè deuicerit quinque Reges, ac Lot, regesque Sodomorum captiuos, eorumque bona liberauerit, ac magnificentissimè eis dederit, & tunc dicitur. *His transactis factus est sermo Domini ad Abram, noli timere*: Si ipse captiuus esset, tunc videbatur consequens, quòd illi diceretur: *noli timere*. At si ipse magno triumpho est victor, ad quid ei dicitur, quòd non timeat, & insuper ei Deus pollicetur, quòd erit eius scutum, & clypeus? Abramus optima philosophia instructus benè agnoscebat temporales felicitates pro sua consequentia habere lapsus, & ruinas, ac proindè ex prosperitate tàm illustris victoriæ aliquem casum prætimuit, & ideò adest Deus timorem expellens, multàque protectione tanquam scuto, & clypeo eius animum corroborans, & muniens. *Putatis fratres* (ait ad rem opportunus S. P. N. Augustinus in Psal. 82.) *infelicitatem sæculi metuendam esse, & felicitatem non metuendam, imò verò felicitas frangit, quem infelicitas nulla corrumpit*.

Felicitas maximè metuenda.

Hinc *mundus ipse*, inquit S. Gregorius homil. 4. in Euangel. paulò ante medium, *Nobis regnum aliud, quod sequitur ostendit. Ipsa ruina eius prædicant, quòd amandus non est*. Ipsæ eius infelicitates, addiderim, facilè persuadent aliam inuestigandam esse felicitatem; nam felicitas ipsa maximè est metuenda; ideò considerans supracitatus S. Pontifex mortem filiorum Heli vna die contigisse, *Vna ergo die* (inquit lib. 2. in primo Regum cap. 3. paulò ante finem) *Ambo moriuntur, quia in appetitu mundanæ felicitatis intereunt. Gloria sæcularis, honoris reuerentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæcularium amata dies est; sed quæ interficit. Ad mortem itaque properant quoties vanè de temporali felicitate gratulantur.*

Ad mortem properant, qui de mundana gratulantur felicitate.

§. 2 Quare tam ampliùs promissionibus Vers. 1.

nibus adimpletur Abramus, dum ei dicitur à Domino *ego protector tuus sum, & merces magna nimis?* Cùm ipse obtulisset Deo primitias, indè in ipsum tanquam à fonte, ac origine omnia bona defluunt, ac dimanant. Sic S. Ioannes Chrysostomus apud Lippomanum ait: *Postquàm decimas Melchisedech obtulit, quando omnia, quæ ex se erant, impleuit, tunc his transactis factus est sermo Domini ad Abram. Ego sum merces tua magna nimis.* Ex donis Deo impensis cuncta bona in nos deriuantur. Hic ergo satis accommodè venit, quod dicit Aureus doctor in Psal. 38. exponens vers. 7. *Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustrà conturbatur, nempè: Qui dat egenti Deo fœneratur. O verbum prudentissimum! Cur non dixit dat Deo, sed fœneratur? Vt auarus, & lucri cupidus audito vsuræ nomine, se ipse misericordiæ dederet. Qui misericordia cum paupere vtitur, Deo dat fœnori: si Deus à nobis fœnori accipit, ergo noster est debitor. Vtrùm ergo eum habere vis iudicem an debitorem?* Hinc habes quòd nihil Dei sermo dignius esse, quàm sinè vlla spe lucri, sicut Abram, rerum Imperatori maximo præbere dona, & obsequia: *Noli ergo*, sunt verba S. Ioannis Chrysostomi in homil. 3. cap. 1. S. Matthæi, *mercedem reposcere, vt se ille tibi debitorem fateatur.*

Ex donis Deo datis omnia bona in nos defluunt.

Iustus habet Deum debitorem.

Vers. 1. §. 3 Quare absoluto certamine Deus defensionem spondet Abramo dicens *Ego protector tuus sum?* Cùm immineret capiti discrimen ancipitis belli fortunæ, tum auxilij tutelæque pollicitatione cohortandus erat, non autem metu sublato: Equidem post adeptam victoriam qua, deuicti hostes prædam Regi Sodomorum variæ supellectilis ademerant, vindicatam eam ab inimicis, vt sibi Patriarcha reseruaret, Rex volebat; abnuit ille generosè respònditque: *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli, & terræ, quòd à filo subtegminis vsquè ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas: ego ditaui Abram.* Gen. cap. 14. vers. 22. At quam ob rationem nihil à rege accipere velit? Sanè, si quidquam admisisset, locupletior indè cùm fieret, suspicio esset lucri gratia susceptam ab illo pugnam: modò autem cùm recompensationem spernat, docet palam, quæsitum ab eo in certamine alienæ protectionis honorem tantùm; itaque pro aliorum commodis neglexit propriam securitatem, & contra se durus fuit, vitam periculis obiectans, vt alij saluarentur: præclarè igitur subditum est: quàm primùm ista patrata sunt, numen apparuisse, & promisisse scutum futurum se illi deinceps; non esse proindè quod timeret, si quidem talis esset, qui otium contemneret, & bellum amplexaretur ob proximorum charitatem, in dubijs quibusque casibus propitios habiturum superos: Rupertus Abbas lib. 5. in Genes. cap. 15. *Spiritualiter*, inquit, *hic locus Euangelicum virum ædificat: quisquis Crucis vexillum erigit, & nomen Christi prædicat, sicque legitimè certans, errores, & vitia expugnat, & exrudè non quæ sua sunt quærit, sed quæ Iesu Christi, ipse quodammodo est Abram, qui quatuor Reges deuicit, & eos qui expoliauerunt, expoliauit, atque propinquum liberauit, & hoc facto, ab homine, siuè per hominem ditari noluit.* Quicumque ad hunc gradum peruenerunt, vt ob animarum Zelum, non solùm quæ corpori dura sunt perpeti velint, qualia Apostolus enumerat, in itineribus multis, in frigore, & nuditate, periculis fluminum, periculis latronum, & similibus alijs, sed etiam contemplationis priuari ad tempus dulcedine sustineant; sciunt, quàm sibi humanum Numen experiantur; Neque enim tantùm custodit eos in omnibus vijs eorum; sed internis quoque replet delectationibus: Caietanus exponens ly *Ego protector tuus, &c. in Hebræo habetur*, ait, *ego scutum tibi scilicèt contrà omnes hostes tuos; ego protector tuus, ego clypeus tibi ero, ego sagittas excipiam inimicorum, & propellam.*

Qui pro animarum Zelo incommoda sustinent, & labores, Numen æternum in omnibus propitium habent.

§. 4. Quare timere prohibetur Abrã, qui fræna immodicæ potiùs adhibere debuerat letitiæ cohibendæ? Superbos, & victorijs alioquin insolentes, graui telo sauciatos, prostratos, & de fastu superbè inflatos, depressos paulò ante viderat Abram. Hinc religiosè non minùs, quàm prudenter ratiocinatus secum ipse fuerat, sibi quoque, vel inter gloriosos de hoste prostrato triumphos fore timendum, ne fortè medius inter reportatos generosi certaminis plausus, vindicem arcanè vlciscentis Dei manum experiretur. *Ex alienis* (consultissimè S. Ioannes Damascenus in lib. 3. Paralipp. cap. 62.) *enim calamitatibus, hoc commodi capiendum est, vt nostris rebus rectè prospiciamus. Pœna, eos, qui peccant, meliores reddit; sin minùs eos, qui ad ipsos accedunt; etenim, aliorum cruciatus, multos ad meliorem frugem conuertunt, timentes, ne eadem* Vers. 1.

Timor in iustis nunquã frustrà neus.

dem patiantur. Vulgò etiam circumfertur, cæditur canis, vt paueſcat Leo. Non abſimile eſt quod de Ioſue, ſubrogato Iſraelis duce, expendit Lyranus, in illo enim animando multùm fuiſſe Deum animaduertit, cùm in vno, eodemque capite, geminata, ne timeret, adhortatio inculcetur. *Confortare, & eſto robuſtus, & ecce præcipio tibi: confortare, & eſto robuſtus: noli timere, & noli timere:* Ioſue cap. 1. verſ. 9. Strenuo nè duci, in Moyſi locum cælitùs ſubrogato martiales deerant ſpiritus, & fæmineo more pauendum fuerat, vbi ſeſe in cruento miſcere certamine debuiſſet, vt erigendus in ſpem foret victoriæ, & à pauido pectore imbellis abigendus timor? Quis hoc de generoſo ſuſpicetur bellatore? *Viderat Ioſue* (inibi Lyranus) *quòd Moyſes ſanctiſſimus, malitia perturbatus peccauerat in aquis contradictionis, propter quod priuatus fuerat ingreſſu terræ promiſſionis: & ideò meritò timebat, ne ſimile aliquid accideret.*

Verſ. 1. §. 5 Quare timet Abram, vt Deus dicat illi, Noli timere? Vides Abrami timorem? Accipe & cauſam timoris pulchrè excogitatam a Dionyſio Carthuſiano. *Indiguit Abràm protectione diuina quoniam in medio idololatrarum, ac peſſimorum tunc morabatur, ne cum peruerſis illis peruerteretur*. Fugiebat in Solitudinem, ſi alia via ſubmouendi ſe ab impijs non apparebat. Modò autem, etſi gladio hoſtes Dei vicerit, degit tamen inter illos, & quorum arma non timet, pauet mores, ſcelera, conuerſationem, & vicinum contubernium. Indiget ergo Dei ſingulariſſima protectione, indiget ſpe è cœlo miſſa, quò fiducialiter agat columba inter accipitres, agnus inter lupos: quid enim timeret plenus promiſſionibus Dei, diuina propediù familiaritate potitus, ciuis cœli, fidei pater, niſi ſolùm peccatorum conſortium, malorum omnium maximum ſeminarium? Nam vt notat Aureus Doctor homil. 12. ex varijs in Matth. tom. 2. quiduis ex rerum natura ſic ſe habet, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus melioretur, ſed ex malo bonus contaminetur. Vt enim paria ſui ſemper æqualitate iunguntur, ita contraria copulari non poſſunt, amaritudo numquam dulcedinem patitur; vt enim huiuſmodi diſparata naturam ſui conſeruant, ita coniuncta amittunt quòd fuerant. O vtinam timuiſſet Abel etiam fratris peſſimi ſodalitium! Proculdubio terra innocenti ſanguine non maduiſſet: nec ſerò aduerſus fratrem clamaſſet. *Egrediamur foras*, dixerat Cain ad Abel fratrem ſuum Gen. cap. 4. verſ. 8. *Cùmque eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſùs fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*. Egreditur, & progreditur Caini malignitate ſociata Abelis innocentia; & proh nefas! Abel iuſtus ad quem Deus benigno fauore reſpexerat, cuius ſacrificij munera, & dona gratiſſima receperat, accumbit execrabili fratricidio, & occumbit in agro. Et ſanè in agro debuerat mors prima graſſari: In campo prima mortis eximitur machæra. In agro potuit occidi iuſtitia? Vbi enim frater debebat occidi, niſi vbi fructus deeſſet, aiebat S. Ambroſius lib. 2. de Abel, & Cain cap. 8. *Tanquam præſagiens natura, tanti ſceleris loco germina denegauerat*. Qua ſuper de re vide tom. 1. noſtri Sacri Bibliorum Theatri Gen. cap. 4. tit. Dubia Sacra §. 18. 19. & 20. pag. 64.

Multùm timenda impiorum Societas.

§. 6 Quare, ſi Deus tàm beneuolus extabat Abramo, tantùm illi ſuum exponit deſiderium de liberis, & clarè, & apertè ſobolem non poſtulat? Multa Abramus fuerat à Domino impetratus; ne nimis in precibus videatur, abſtinet ſe, ne vltrà expoſcat, ſolùmque ſuum exprimit affectū. Sic inibi eleganter adludere videtur Lippomanus dicens: *Mihi ſemen non dediſti: Quaſi hærens inter poſtulandum ex nimio deſiderio; & quaſi non audens fatigare amicum precando, iterum incipit loqui, ecce nondum mihi dediſti ſemen.* Verſ. 2.

Amicus precationibus non fatigandus.

§. 7 Quare Abram dixit: *ego vadam abſquè liberis*, cùm terra illa eſſet ei promiſſa in poſſeſſionem filij eius? Numquid Abramus dubitauit, vel diſcredidit de Dei promiſſione? Minimè. Quorsùm ergo ait, *Quid dabis mihi, ego vadam abſquè liberis?* Carthuſianus præſtò eſt: *Admirando, & piè conquerendo, non diſcredendo locutus eſt*. Benè agnoſcebat Abramus multitudinem beneficiorum diuinorum in ſe collatam, certòque credebat ſe filium habiturum, vt ei promiſſum erat à Deo, tamen ait *Quid dabis mihi, ego abſquè liberis vadam*. Vt audiens iterum in ſe diuina beneficia impenſa, iterùmque filij promiſſionem, indè magis, ac magis excitetur ad diuinam beneficentiam recognoſcendam, ad magnaſque gratiarum actiones perſoluendas. Philo Hebræus lib. quis diuinarum rerum hæres, *Hoc Verbum, ait, non tàm dubitantis eſt, quàm gratiàs agentis pro acceptis* Verſ. 2.

Dum augentur beneficia, & gratitudo augeatur.

ceptorum beneficiorum magnitudine. Quid mihi, &c.

Verſ. 2. §. 8. Quare cùm Abramus tot, & tanta à domino haberet, ait *quid dabis mihi?* Quasi illa obtenta in parùm, aut nihilum, haberet. Sed vnde? Vide quid ſubiecit: *Ego vadam abſque liberis.*

Parentibus magnus dolor abſque ſucceſſione viuere. Moraliſſimè dicam. Quamuis in magno principatu, ac dominatione ſe eminere agnoſceret; cùm tamen à quadam paternitatis ratione ſe expoliatum videret, omnia illa ei non valdè magna, ac perfecta apparebant. Carthuſianus ad rem noſtram eleganter ait: *Ac ſi dicat parum valebunt iſta, ex quo filium non habeo.*

Verſ. 2. §. 9. Vel dic: Abramus ex reuelatione diuina acceperat, mundi Saluatorem ex ſuo ſemine naſciturum, ſinè cuius aduentu ſciebat genus humanum noneſſe redimendum, nec æternam vitam conſecuturum. Rectè ergo Abramus Deo ſibi promittenti mercedem æternæ vitæ, ait *Quid dabis mihi?* Ego vadam ſinè liberis, ſinè nempè Christo ex meo ſemine naſcituro,

Sine Chiſto non datur via ad cœlum. quomodò poſſum tantum præmium conſequi, cùm nullus ſit alius, qui mihi viam in cœlum oſtendat, & ad ipſum me adducere valeat. *Admirando*, ait ſupracitatus Carthuſianus, *& piè conquerendo, non diſcredendo locutus eſt, Domine Deus quid dabis mihi? quaſi diceret, æternam illam beatitudinem qualiter poſſum ſperare? Ego enim vado abſque liberis, & ita Saluator mundi non orietur ex Semine meo, nec per eum adepturus ſum maximum præmium illud.*

Verſ. 1. §. 10 Quare Dominus ſtatim ac Abram è bello reuertitur, dicit ei *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna, noli timere?* Quia Dominus optimi regiminis norma, vt Principes inſtruat, militi non differt mercedem, ſed ſtatim remunerauit, litantem ſe remuneraturum promiſit: *Quoniam debellauerat Reges*, ſcribit Oleaſter ad Literam, *fortè timebat, ne illi congregato exercitu eum delerent: ideò cum ſecurum reddit Dominus.* Addit Oleaſter: *Per mercedem videtur intelligere copiam, tùm filiorum, tùm omnium rerum vltrà beatitudinem, & in his duobus omnia complecti videtur.*

Principes non debent militibus laborum mercedes differre. Non eſt paſſus Dominus poſt triumphum anxium pendere, nec mercedem expectare, ſed à bello regredienti occurrit, vt puluerem, timoremque oblato præmio deterſerit, & ſedarit: Addit Rupertus lib. 5. in Gen. cap. 17. *Merces tua magna nimis, vt peregrinus factus propter me vtrobique gaudeas, ſcilicet, & in præſenti de protectione mea, qua tibi tolerabilis ſit ipſa peregrinatio tua, & in futuro de mercede nimis magna.* Vt præſenti miles frueretur gaudio, præſenti muneratus eſt præmio, ne ſi merces differretur victori, inuratur nota celebrandæ ſæculis fortitudini. Profectò magna fecit, dum in hoſtes irruit, ſe ſuaque omnia diſcrimini expoſuit, & bellicæ virtuti ſacrauit: ſi hoſtili namque mucrone occubuiſſet occiſus, familia, diuitijs, vxore, filiorum ſpe, temporis momento inueniretur nudatus. Ergo merces cum hoſtibus congreſſo non differtur ad præmiantis laudem, & ad præmiati exaggerandam virtutem.

§. 11 Quare, ſi habet Abram multos conſanguineos nempè Lot filium fratris ſui Aran, & etiam filios Nachor fratris ſui, non obſecrat, vt ſua hæreditas tantarum rerum ad ſuos fratres tranſeat; ſed ad ſeruum familiæ ſuæ? Ille Eliezer multùm erat fidelis Abramo, vt patet Geneſ. cap. 24. Et ibi notant S. Ioannes Chryſoſtomus, Procopius, Carthuſianus, & omnes communiter. Prudentiſſimè vir magnus Abramus, eùm ſe iam filiorum expertem exiſtimaret, ad quos ex naturali iure eius ſpectabat hæreditas, ſuorum bonorum poſſeſſionem optat, & diſponit potiùs vni fideli ſeruo deuenturam, quàm omnibus alijs ſuis fratribus, ac cognatis; vt ſicut ſeruus in amore, ac fidelitate erga ipſum Abramum, ita & in muneribus, ac donis cæteros præcelleret, ac anteponeretur. Multùm ſanè per omnem modum fidelis ſeruus eſt pretioſus, & æſtimandus. Vnius fidelitatem ſerui narrant Hector Pinto Dialog. 1. de tranquillitate vitæ cap. 20. Fulgoſ. lib. 3. cap. 8. quam pro exemplo refero. Remoaldus Grimoaldi Longobardorum Regis Filius Beneuentum Italiæ vrbem incolebat, cum Conſtantinus II. Imperator, hæreticus, & Chriſtiano nomini ſupra modum infenſus eam oppugnaret. Remoaldus Dux periculoſa preſſus obſidione Geſualdum ſeruum ſuum ad parentem cum literis mittit, quibus opem ſubſidiumque efflagitat. Remiſſus ergo ſeruus eum reſponſorijs ad Remoaldum, quibus nunciabat ſe breui auxiliares copias ad ſoluendam obſidionem miſſurum; & interim bono animo eſſe, in manus exploratorum Imperatoris incidit. Imperator, lectis Grimoaldi, ad filium literis, eius præ- Verſ. 3.

Fideli ſeruo omnibus fratribus, ac cognatis anteponitur.

Geſualdi Serui Remoaldi ducis ad miranda fidelitas.

præstolari aduentum noluit, de vrbe expugnanda (nisi dolo) prorsùs diffidens, priusquàm aducotarent hostes: Captiuo itaque nuncio mandat, vt ea nocte ad muros vrbis accedat, Principem Remoaldum ad colloquendum euocet, suadeatque, vt Imperatori vltrò se dedat, quod parens omninò opitulari oon possét: ni faceret, mortem sibi paratam intelligeret. Eius rei gratia, milites armatos, qui eum comitareotur, ac ad mœnia vsquè deducerent, tradit. Quo eùm accessissent, Remoaldus aceitur. Tùm seruus; me nè, inquit, agnoscis ò Princeps seruum tuum? Hæc à parente tuo accipe. Is te bono iubet esse aoimo, certamque tibi opem spondet, iamque ad Satricum fluuium peruenit eum maximo exercitu. Pluribus tecum agere non licet, quod hostium manibus detineat, à quibus præsentibus mihi mors imminet: quod superest vxorem liberosque commendo. Atque hæc proferens interficitur. O boni serui numquam satis laudata fidelitas! Hine de fidelitate Silius Italieus lib. 13. bel. Pun. eecinit.

Vox (scilicet fidei) occulta subit, passim diffusa per aures:

Fœdera mortales ne sæuo rumpite ferro,
Sed castam seruate fidem, fulgentibus ostro
Hac potiur regnis.

Verſ. 3. §. 12. Quare dixit Abram, mihi non dedisti semen, & ecce vernaeulus meus Hæres meus erit? Expende Abramum hic non recensere sibi concessa; sed procuratori data: habeot enim homines de more non tàm expendere ad gratitudinem, quæ ipsi magna acceperunt, quàm alijs collata ad querelam referre, & magnificare. *Quasi proprij seminis definitionem efflagitans*, inquit Abbas Tuitiensis lib. 5. in Genesim cap. 17. *Cùm dixisset: ego vadam absque liberis, & filius procuratoris domus mea, iste Damascus Eliezer erit, hæres meus. Addidit adhuc vigilanter pulsando: mihi quoque non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit.* Ineuleat alijs coocessa, sibi non retulit data. Mores nostros dominus hac pia Abrami querela depinxit, & quàm facilius penseot homines alijs datum, quàm sibi concessum, ostendit. Ea Abramus obtinuerat beneficia, quæ nec numerus capere, nec quiret lingua referre, & tamen procuratoris fæcunditatem exaggerat arcanè querulus, sibi concessa modò non expendit gratus. O quàm verùm, esse videlicet plures, qui alijs collata recogitant ad querelas, & sibi dilargita prætereunt, oc debitas retulerint gratias.

Beneficia, quæ alijs collata videntur ad querelas, quæ nobis data non videntur ad gratitudinem.

Verſ. 3. §. 13. Quare Abrã tot felicitatibus plenus, & diuitijs carebat hærede, seruus autem carebat diuitijs, & exundabat hæredibus? Qui hæredem habet, premitur seruitute, ingeouus, & opulentus quare caret hærede? Quia pro humanarum rerum conditiooe nil inuenitur anxietate aliqua non intextum, ac dolore immixtum. De Epaminonda Polymoidis filio posterorum consignauit memoriæ Ælianus lib. 11. cap. 9. Cùm io Peloponesum profectus esset, nunciatum ei fuit eius armigerum ingentem pecuniæ vim, & pretiosa dooaria à quodam captiuo accepisse. Ecce tibi Epamioondæ armiger, voti compos sorte fruitur perbeata. At id vbi primùm cogoouit Epaminondas, dimisit armigerum, eùmque ei abstulisset seutum, dixit, sit tuæ summa felicitatis, & meo patrocinio, & famulatu intimo spoliari: id planè contingere mihi videtur ijs, qui vt ea bonorum summa, quam appellant felicitatem, frui possint, à Dei famulatu, & domicilio dimittuntur, hoc est amandantur longissimè ab vberrima vena felicitatis. De his locutus est S. P. N. Augustinus enarrat: in Psal. 85. aliquantò aote finem, inquieos, *hic, idest, in hoc mundo falsi felices, veri infelices: quia falsa felicitas, vera miseria est.* Quod superiùs enarrat. 2. in psal. 26. copiosiùs explicauerat, dicens; *habemus hic felicitates diuersas generis humani, & miser quisque dicitur, quando illi subtrahitur, quod amat. Amant ergo homines diuersas res, & quando quisque, quod amat habere videtur, felix vocatur. Verè autem felix, est, non si id habet, quod amat: sed si amet, quod amandum est: multi enim miseri sunt magis habendo, quod amant, quàm carendo. Amando enim res noxias miseri habendi sunt miseriores.* Sinè dubio miserrimum infortunij genus est delectari felicitate; quæ miserum faciat, ea sibi blandiri sorte, qua, quemadmodum Epaminondæ armiger, & scutum ad retundenda aduersarij tela factum detrahat, & tanto Duci reddat inuisum, & amantissimi domioi beneuolentiam auferat, & tutelam. Caligulæ Romanorum Imperatoris inuentum eò magis barbarum, quòd liberalitatis, ac beneficentiæ obductum erat specie, enodabit, quòd fortasse non nemioi videtur difficile: quo pacto scilicet calamitosissimum haberi debeat in-

Felicitates licèt satis, nunquam satis homini.

Epaminonda erga suũ militem considerabile factum.

In hoc Mundo falsi felices, veri infelices.

infortunium, maxima nostrarum felicitatum. Scribit Suetonius in vita Caligulæ circa medium num. 37. fuisse ab eo Romanos proceres exceptos convinio insueta quadam, & inaudita magnificentia obsoniorum. Apposuit enim conuiuis, vt Cæsare dignam ostentaret liberalitatem, panes, & obsonia ex solido auro confecta. Detur facultas insolens inuentum interpretandi; quid hominibus auro gratius? Quid calamitosius, quam fame, atque inedia laborare? Quod cùm ita fit, in Caligulæ portentoso conuiuio, quasi digito commonstro, quod primo aspectu percipi non posse perhibetur. Felicitates sæculi huius aurum Cæsareæ mensæ mihi ponit ob oculos: sed ex alio capite, cùm perspicio non modò derisos conuiuas, sed eosdem fame pasci, atque inedia saginari; non possum me continere, quin dicam. O ficta felicitatis nomine verissimum infortunium. Quod penè ad verbum mutuatus sum à sanctissimi Parentis Augustini ingeniosissimo acumine, qui lib. 4. de Ciuitate Dei concludit cap. 23. his verbis: *Carere non potest infelicitate, qui tanquam deam felicitatem colit; & Deum datorem felicitatis relinquit: sicut carere non potest fame, qui panem lingit, & ab homine, qui verum habet, non petit.* Prospicitis vestræ symbolum felicitatis, veræ exemplar esse miseriæ, & infortunij simulacrum. Blanditur color auri, sed panis, quem lambere quidem potestis, at non comedere, nequit exsaturare. Restat igitur, & vt vnusquisque humanam felicitatem nunquam cumulatè plenam cognoscat, quia semper aliquibus est perturbata anxietatibus, sicut in Abram, & eius vernaculo vidimus; & debeat necessariò missam facere fictitiam huiusmodi felicitatem. *Nullus autem* (verba sunt S. P. N. Augustini circa medium cit. cap.) *mentitur, qui se nolit esse felicem*: & paulò post: *non enim quispiam resisteret felicitati, nisi quod fieri non potest, qui esse velit infelix*.

Caligula in conuiuio præbet panes aureos.

Vers. 4. §. 14. Quare in prima promissione Deus Abramo tantum locutus est, & in secunda manibus suis ipsum foras eduxit, vt audiat firmitatem promissi? In prima promissione manebat Abramus adhuc dubius, an dilatandum esset semen eius per naturalem propagationem, an per adoptionem, & sic adhuc luctabatur cum affectu habendi naturalem filium, & varijs iactabatur cogitationum fluctibus, vt ostendunt illa verba: *Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis, & filius procuratoris Domus mea iste, &c.* Ab his ergo fluctibus cogitationum, vt Abramum liberaret Dominus in hac secunda promissione illi manum extendit suam, qua hominem ad videndas stellas eduxit; in diuina enim manu extensa nihil iam non firmum apparebat, & securum. En exemplum. Matthæi cap. 14. vers. 29. *Descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum* (vers. 30.) *Videns verò ventum validum, timuit: & cùm cæpisset mergi, clamauit dicens, Domine, saluum me fac* (vers. 31.) *Et continuò Iesus extendens manum apprehendit eum.* Dubio Apostolorum Principi inter fluctus extendit manus Dominus. Et quare, diceres, manum extendit, qui vel nutu hominem ad se traxisset? Extendit manum, vt in manu diuina experiretur Petrus, etiam agens in fluctibus tranquillum. Eleganter enim cecinit Sedulius lib. 3. Pasch.

In Dei manibus verasecuritas, & tranquillitas.

Cui portus fuit illa manus, pelagique viator,
Libera per vitreos mouit vestigia campos.

Etenim vbi accessit manus diuina, fluctuum omne incertum abiuit, & tota apparuit securitas, & tranquillitas, ne Petrus amplius maneret dubius; sic pariter quando manus diuina Abramum educit, tûc promissionis securitas dubietatem omnem abigit, dubius non ampliùs Patriarcha firmatur; nam in Dei manibus vera securitas, & tranquillitas habetur.

§. 15 Quare filij Abram appellantur à Domino multæ luces, & multæ stellæ: *Numera stellas*, & Christus Dominus Apostolos suos (cùm multi essent) vocat singulariter lux *Vos estis lux mundi.* Matth. c. 5. v. 14. Quare veritas diuina in his comparationibus non obseruat eundem modum? Si Hraclitæ dicuntur plures stellæ, Apostoli etiam cur nô dicuntur multæ luces? Etsi Apostoli vna lux vocantur, quare etiam Abrami filij vna stella, vna lux non nuncupantur? Vt dubium soluamus, supponendum, cum S. P. N. Augustino lib. contrà Faustum Manichæum cap. 2. quòd *Temporalium quidem rerum promissiones veteri Testamento contineri, nemo ambigit; quòd æterna vita promissio, regnumque cælorum ad nouum pertinet Testamentum.* Hoc supposito, Respondetur, Abrami filij comparantur, non stellæ, sed stellis; non luci, sed lucibus; quia in illis pro- Vers. 5.

Cur filij Abraham stellæ multæ Apostoli verò vna lux?

promissio dirigebatur ad bona temporalia, in quibus interuenit diuisio, separatio, ac multitudo. At verò Christus Dominus suos discipulos comparat, non luminibus, sed luci: loquebatur enim Dominus de gratia, de charitate, cæterisque spiritualibus donis, in quibus debebant resplendescere; & quamuis Apostoli in se multi essent, ipsa tamen gratia, ac charitate ita vniendi, aduinculandique erant, ac si vnus in eis spiritus, vnaque voluntas esset, & ideò omnes, non luces, sed vna lux dicuntur. Vbi bona temporalia apparent statim diuisio, ac multitudo sequitur; ac si gratia cælestis fulget, intima coniunctione conglutinantur omnia.

Vers. 5. §. 16 Quare gloria seminis Abrami exprimitur cum stellis, & non cum sole? Decreuit Dominus, vt potiùs in domo Abraæ plures essent nitentes, vt stellæ, quarum lux est minor, quàm quòd esset vnus solus maiori, ac excellentiori solis splendore effulgens. Vnde stellę tanquam pares nuncupantur, in hunc locum meditatur S. Ioannes Chrysostomus dicens: *Promissione ac doni magnitudine mentem eius erigit, ostendendo stellarum multitudinem, & promittendo ex eo illis* (scilicèt stellis) *pares futuros*.

Deus vult non vt vnus; sed vt multi resplendeant.

Vers. 5. §. 17 Quare Deus semen Abraæ sic multiplicandum promittit, vt cœli stellas æquet? Non sat erat, promissum concedere filium, ad quid tanta multitudo filiorum? Sic beneficus est Deus, vt non solùm postulata concedat, sed semper maiora largiatur, beneficijs beneficia accumulet, semper ampliora donans, sic ad rem Aureus doctor ibid. *Magnum promissum*, ait, *varia promissionis magnitudo. Vidisti Domini liberalitatem cùm certet beneficijs*. En exemplum. Dilecta in Canticis cap. 1. vers. 1. exhibet carissimo sponso suo, quem vnicè diligit, desiderium, nempè, quo flagrat, fruendi osculo eiusdem dilecti sui, *Osculetur me osculo oris sui*; sed statim subiungitur, *Meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis* (vers. 2.) Cogor in loco subsistere, & perpendere diligentiùs, quò spectet illa vberum commendatio, & commemoratio. Si osculum expetit, cur vbera laudantur? Congruentiùs fortasse os, & labia commendanda fuisse, quis dicat, sed, qui Sanctum Mellifluum Doctorem audiat, plena sale sententiam confitebitur: Sancta quippè anima, illa nimirùm, quæ anhelat perueniendi cupiditate ad oris osculum, identidem repetens, osculetur me osculo oris sui; digna propterea est, cui sodales, vt in eandem respondeant sententiam, subiungere debeant, Meliora sunt vbera tua vino. Quasi dicant acquiesce tandem, & omnem omninò cupiditatis sollicitudinem depone, quæ etenim quærebas osculum, nuptiali iam thalamo excepta es, *Habes sponsa* (Verba sunt S. Bernardi serm. 9. in Cantic. circà med.) *quod petisti, & hoc tibi signum, quia meliora facta sunt vbera tua vino. Hinc te scilicet noueris osculum accepisse, quod te concepisse sentis. Vnde & vbera tibi intumuerunt*. Sed adhuc parùm dixit: disertiùs concludit sermone cit. circà finem his verbis. *Plus valet, quod iam ille dedit, quàm quod tu petis. Vbero, quibus paruulos alis, quos & paris*. O' dignum diuinæ beneficentiæ ingenium! Pro suspirio, mille oscula. Felix sanè conditio illius, quæ vnius osculi oblato desiderio, consequuta est vbera lacte manantia, pulchra iam prole patens nunquam effæta gaudeat fœcunditate.

Dei beneficentia supplicum vota excedit.

§. 18. Quare modò progenies Abrami comparatur stellis, si anteà comparata fuit pulueri? Priùs aiebat faciam semen tuum sicut puluerem terræ: hic verò claritate nobilitat, & syderibus cæli exæquat. Ecqua huius discriminis causa est? Ea se mihi offert, terrena scilicèt anteà præmia non respuisse; modò verò generosiùs repudiasse? ergo dum pater acceptat præmium, eius semen pulueri comparatur, dum verò repudiat, non sine ingenti lucro, iam posteris redditur. O' quam vtilis fuit Abrami filijs nobilis ille præmiorum despectus, quandoquidem, qui anteà puluis, lux iam extitere cælestis. Innuit Rupertus Abbas lib. 5. in Genesim cap. 18. col. 2. pag. 99. impress. Col. Agrip. *Superiùs cùm dixisset: Leua oculos, & vide à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem, omnem terram, quam conspicis, dabo tibi, & semini tuo, non dixit: sic erit semen tuum sicut stellæ cæli: sed faciam*, inquit, *semen tuum sicut puluerem terræ*. Vbi pro se posterisque terram acceptauit, nihil de stellis audiuit; at dum oblata præmia respuit, stellas pro filijs habere auxit namque Deus filiorum splendorem splendore illo à patre generosè abiecto, & humiliter repudiato: *Cùm dixisset: terram, quam conspicis, dabo tibi, & semini tuo; non dixit sic erit semen tuum sicut* Vers. 5.

Quando Abraham pro suis posteris terram acceptat, de stellis nihil audiuit, sed quando oblata præmia respuit, stellas pro filijs habet.

sicut stella cæli; dixit verò cùm Abramus humana præmia fastidiuit, & ac posterorum augmenta respuit.

Vers. 5. §. 19. Quare Deus foras educens Abramum iam posteros eius de luce cum astris contendentes ostendit? Qui ea opes Sodomorum regis de bello reportatas generosè recusauerat. Eccè posteri nobilissimis emicant radijs, dum pater hostiiibus renuntiat manubijs. O quàm lucrosa prosapiæ fuit renuntiatio parentis, & eximia progenitoris virtus! Quas ille non accepit diuitias, adierunt filij vti hæreditarias. Generosus diuitiarum Abrami despectus grandis fuit diuitiarum posteris cumulus. Huc voco, quod aiebat Faust. homil. de sancto Maximo Episcopo Lirinensi: *Vobis iste athleta Christi in illo agone sudauit, vobis dum se excolit, fructificauit, sibi illic serens, vobis colligebat; sibi quærens, vobis nesciens acquirebat, sibi paraturus præconia, vobis soluturus vsuram*. Quæ parentes egregia repudiauere modestia, grandi illorum fati adire solent vsura. Multiplicant filijs præmia: quia virtutibus debita, & quia despectu generosissimo repudiata.

Diuitiarum despectus diuitiaru est incrementu.

Vers. 5. §. 20. Quare inquit Deus: *suspice cælum, & numera stellas*, & non magis iubet vt stellas suspiciat, & numeret? Nonnè in stellis signum ponebat clarissimi, & sublimissimi seminis futuri? Quid ad hoc conducebat, quòd cœlum conspiceretur priùs? Est cœlum stellarum origo, & solum patrium, & vt ad stellarum commendatione illud facit plurimum, quòd non solùm ipsæ luceant, sed & quòd habeant lucidissimam è cœlis originem, dicturus de stellarum lumine originem ante laudauit. Sic in filijs Abraæ commendabatur id præcipuum, quòd cum claritate originis haberent etiam actiones vitæ lucidissimas, in quibus illud erat notandum, quòd generis claritas virtutum meritis addebatur. Hinc oculatissimus rerum indagator Aristoteles lib. Polit 4. cap. 3. & 4. lib. 1. Rhet. ad Theodecten cap. 5. docuit, nuncupari nobiles meritò posse eos tantummodò, qui virtutibus, bonis præclarè gestis, & factorum excellentia non vulgari, cæteris antecellant. De his in præsenti meus est sermo: attende igitur, & perspice fore vt nequeas esse Deo charus, nisi hoc nobilitatis decore glorieris, quam consequeris, si vulgarium conditionem hominum præstanti virtute, & eximia factorum commendatione anteiueris Deo natus, pastus Deo, pro Deo, & in Deo mortuus. Habes etiam apud Aristotelem ipsum lib. Polit. 3. cap. 3. lege apud Thebanos sancitum fuisse; vt nemo idoneus esset ad honores nobilitatis, nisi per decennium vilibus ministerijs abstinuisset: quod etiam cauerat præstantissimus legum lator Lycurgus, quamuis artem sordidam interdicens honesto loco natis. Qui turpi fædantur contagione criminum, qui vilissimis inquinantur sordibus flagitiorum, vix abluti aqua penitentiæ putant se nobiles, quia filij Dei. Aberrant à veritate quam longissimè. Diuturno temporis spatio abiecta peccatorum seruitute fruaris libertate filiorum Dei necesse est: si hunc, de quo loquimur, nobilitatis honorem affectas. Multò ad extremum diligentiùs cauendum est; ne qui hoc nobilitatis decore à Deo semel donati sunt, vilescant inter sordes iniquitatis obliti sui. Certè apud Romanos lex Claudia à Quinto Claudio lata, quemadmodum scribit Liuius lib. 1. secundi belli Punici in fine, prohibeat, ne quis nobilis quicquam abiectum, aut humile, aut seruile opus exercere posset. Præcurrit sinè dubio meum animi sensum quicumque sapit. Nobilis est amicus Dei. Sibi igitur intelligat interdictum opus omne seruile, atque abiectum, hoc est quodcumque peccatum, quo nulla seruitus vilior, abiectior, aut indignior nulla. Non possum vltimam huic argumento manum imponere nisi subiungam, quod notat S. Ioannes Chrysostomus; quo interprete, Natus Virgine inter homines Deus non aliam ob causam plures ex atauis improbos habere voluisse credendus est, nisi vt nobilitatis comparandæ rationem suis fidelibus traderet: ait autem Aureus Doctor homil. 3. in Matthæum cap. 1. aliquantò post initium; *Tales progenitores habere dignatus est nihil de nostris vitiatibus erubescens: per ista procul dubio docens, vt nos quoque nunquam erubescamus de vitijs parentum; sed vnum quæramus illud, atque omnibus studijs assequamur, nobilitari propriarum honore virtutum*. En tu videris quæ Deo probetur nobilitas, qua ingenuitate præcellere possis, imò debeas: ni Deo velis esse inuisus, iam tenes. Denique si laudantur homines ex auita nobilitate, quantò magis ex proprijs virtutibus laudari debent? Hoc ergo rarum, hoc præstantius, hoc miraculosum, quòd

Cum claritate originis splendor virtutum habendus.

Lex de honoribus habendis apud Thebanos.

Lex Claudia prohibet nobilibus opus seruile exercere.

Verus nobilis verus Dei amicus.

Cur Christus plures ex atauis improbos habere voluit?

Nobilitas sine virtute ignobilitas.

virtus,

virtus, & nobilitas in eodem sint simul: quando autem hæc duo vni accidunt, non miror, si cum lucidissimis astris valet certare.

Vers. 5. 6. 7. & 8.

§. 21. Quare refert Moyses tàm accuratè, quòd Deus eduxerit Abram foras ad videndum cælum, numerandas stellas, & quod euenit Abramo vsquè ad vers. 8. inclusiue? Multa hoc in loco expendenda nobis occurrunt: si Abram signum non petiuit, vt posteros syderum instar micaturos crediderit, quare terrenæ possessionis argumentum, & pignus quodammodo postulauerit? Fuitne apud ipsum pluris tellus, quàm sydus? si credidit filios cælo sinè difficultate inserendos, quare timuit terrenis possessionibus fore ditandos? An quia nouerat homines rebus cælestibus ardenter non inhiare, & terrenas viribus totis expetere: ergo facilè credidit cælestia nulla contradictione obtinenda, at quia magnas in terrenæ hæreditatis possessione lites extimuit, signa quibus fides roboraretur, poposcit. Profectò si alius Abram esset, non esset audax suspicio, existimare plus terram, quàm cælum ambisse, ob idque studiosiùs telluris, quàm cæli possessionem signis firmatam optasse. Benè, sed studiosiùs attende quid infrà iubeat oraculum: *sume*, inquit, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam*. Profectò hæc accipiendi beneficij non videntur testimonia; possent tamen ob acceptum aris dicari holocausta: Quare ergo ad promissorum securitatem postulauerit holocausta, qui exorabatur signis confirmare promissa? Profectò sacrificijs illis gratias Numini referat, vtque noueris gratum animum beneficia sibi firmare, & benefactorem, quantumuis ex se generosum nouis igniculis ad benefaciendum accendere, gratias agere persuasit, vt iam de beneficij certitudine non hæreret. Adde post gratiarum actionem, non solùm iam posteros illa tellure donatos; sed ingenti auri argentique copia onustos: *Egredietur*, inquit oraculum, *cum magna substantia, tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona; generatione autem quarta reuertentur hùc*. Ecce eùm ante Sacrificium solùm illa fuerit tellus promissa, post sacrificium, diuitiarum ingens, auctarij ad instar additur copia: nec enim poterat gratitudo beneficium non fulcire, & nouis incrementis augere: *Hac erant illorum ænigmata*, scribit Theodoretus quæst. 65. *quæ familiæ erant obuentura: siquidem Sacrificio peracto subiunxit: Cognoscens cognosces*. Actio gratiarum erat beneficij ænigma: nam sicut in ænigmate, rerumque imagine, etsi tantisper obscurè, oculis hauriuntur prototypa; sic in gratiarum actione futura iam videbantur beneficia, & lucebant incrementata. Adde gratum animum adaugendi beneficij esse certissimum testimonium, signumque quodammodò indubium.

Ænigma beneficij est gratiarum actio.

Gratitudo adaugendi beneficij, certissimum testimonium.

Vers. 8.

§. 22 Quare Abramus promissionis signum petens, nulla graui pœna afficitur; & Zacharias de promissa prole signum volens statim ab Angelo supplicio punitur? Abram de hæreditate terræ Chanaam à Domino promissa, respondit: *Domine Deus vndè scire possum, quòd possessurus sum eam?* Et non punitur; Zacharias verò cum Sacerdotali vice fungeretur, astitit ei Angelus Baptistę Præcursoris natiuitatem annuncians; respondit, Lucæ cap. 1. vers. 18. *Vndè hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*: Et statim punitur dicente ei Angelos (vers. 20.) *Eccè eris tacens, & non poteris loqui, vsquè in diem, quo hæc fiant*. Quare Abramo in simili petitione nulla infligitur pœna; nam vt Zacharias prolem haberet, repugnabat natura, contradicebat sterilitas; At Abramo pro obtinenda possessione nil repugnans sic apparebat. Vndè ergo tanta diuersitas? Ex diuersa nempè personarum dignitate. Nam Abramus vir magnus, & potentissimus, at Zacharias Sacerdos, & Pontifex, & si ignorantia in Abramo fuit toleranda, cum quærit; *vnde hoc sciam?* In Pontifice fuit graue delictum, & minimè dissimulandum, cùm ex vi sui muneris debeat intelligere diuina ad suas functiones peragendas, & vt populum doceat, cunctisque sit documentum. Sic Rauennas Eloquentia serm. 90. pag. 319. impress. Venet confirmat elegantissimè dicens. *Egit ergo Angelus, vt tali documento Pontifex eruditus non dicat amplius, vndè hoc sciam?*

Rigidè punitur ignorantia in Sacerdote.

Vers. 9.

§. 23 Quare Abram signum efficax petens, quo suis filijs diuinæ promissionis persuadeat fidem; Deus pro tali signo trium animalium hostiam mandat constitui? Et cur illa animalium mactatio conducebat ad persuadendam fidem? In animalium iugulatione præfigurabatur Christi passio (vt auctor est ibid. Abulensis) cuius diuino sanguine firmata sunt omnia fædera à

De vulneribus Christi omnia vitalia bona habemus.

Deo

Deo hominibus exhibita, de cuius vulneribus omnia vitalia bona habemus; ab eisque æternæ vitæ fontes manabant. D. Ambrosius in Psal. 37. ad rem nostram opportunè scribit. *Non tabes mortis de vulnere eius*, scilicet Christi, *sed fons vita scatuinit æterna*.

Vers. 9. §. 24 Quare ad fidem faciendam promissionis Abraæ, addidit Deus turturē? Nonnè diuina promissio firmior? Si ergo post diuinam promissionem signum Senex cordatus exposcit, cur turture vadimonium præstanto quiescit? Quia turtur vti expressum orantis, gementisque Symbolum vadimonium præstat sacris promissis, & qui signum arcanè postulauit Deo felicitatem testante, iam omnem inimicorum rabiem detriumphandam, & promissionis terram adeundam non dubitat turture ingemiscente. *Turtur*, scribit Gilibertus in cant. serm. 25. *Auis solitaria est, auis gemebunda: talem vult Paulus virginem esse, vt solicita sit quomodò placeat Deo: quæ dicere solet: sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini? An non tibi videtur vox hæc esse gementis?* Vbi turtur orationis ænigma in depellendæ calamitatis profertur signum, præstat, si fas est dicere, ipsi Numinis promissioni securissimum vadimoniū: & Abramus, qui orationem non intuitus, ad nostram eruditionem signum deposcit; iam turturem, orationem videlicet aspiciens ferro intactam, rostris illæsam, igne liberam, sibi de felicitate plaudit, & de illatis hosti stragibus ridet.

Turtur orantis Symbolum, & ænigma.

Vers. 9. §. 25 Quare vt Abram futuræ signum accipiat promissionis, iubetur sacrificium inferre Numinis aris? Quia nihil sic hominis applicabatur commodis, ac quod Numinis expenditur Sacrificijs: Aues Deo oblatæ libertatis extitere securæ tesseræ, quasi dubitari non possint humana incrementa, vbi præuidentur & Religiosa holocausta: Columba scribit Theodoretus quæst. 65. *Generationem aliam innuebat, quæ terram promissam accepit*. Oblatum Domino Sacrificium indubium erat felicitatis præsagium: idemque fuit animalia Domino consecrare, & terrenam possessionem adire: Semper namque accrescit hominum incrementis, quod offertur Numinis oculis: oblata columba iam erat veluti promissæ telluris possessio, & cùm fuerit, quod offerebatur, exiguum, fuit quod accipiebatur peramplum, intentioni poscentis congruit maximè iussio imperantis: nec enim aliud securius signum humanæ potuit felicitatis exhiberi, quàm ad honorem Numinis mundam, & decentem hostiam litari.

Non possunt dubitari humana incrementa, vbi præuidentur Religiosa holocausta.

§. 26. Quare refert Moyses, quòd per ænigmata animalium, futura prænunciauit Dominus Abramo? Ex Theodoreti acumine quæst. 65. in Gen. solutum restat præsens dubium, inquit ille. *Hæc erant illorum ænigmata, quæ familiæ erant obuentura. Propterea ex quadrupedibus mundis tria, & vnumquodque eorum sacrificari præcepit ad significandas tres generationes, quæ in incolatu permansura erant.* Itaque Taurus, Capra, & Aries exilium, & hostile iugum manere Abrahæ posteros declarabant, vt Turtur, & Columba lætiora tempora, promittebant; verùm ni fallor, aptius felicitatis ænigma taurus videbatur, & tamen turtur assumitur. Ecqua huius discriminis ratio est? Animo expende, quæ textus refert, nempè tria hæc, scilicèt, Taurum, Capram, & Arietem fuisse diuisa, & contrà se altrinsecùs posita; columbam verò, & turturem fuisse prorsùs diuisionis ignaras: ergo etsi taurus sit fortitudinis miraculum; tamen dum diuisus, erat index captiuitatis, & præsagium seruitutis: Capra inuenitur altipeta, & in montem audax; verùm etsi luporum rabidos non expauescat adsultus, dum confragoso vertice degit, dissecta tamen seruitutem etiam innuit. Aries opimus, quamuis velleris diuitijs fruens, adhuc subiectus iacet, dum sentit diuisionis discrimen. Itaque tria hæc animalia dissecta fuerunt infelicitatis imagines; verum Deus, vt perculsi tenebroso horrore animum deliniret, turturem, & columbam auspicia felicitatis subiunxit. *Turtur*, addit Theodoretus, *Generationem illam denotabat, quæ ex Ægypto egressa velut auolauit, & habitauit in deserto; columba generationem aliam innuebat, & quæ terram promissam accepit*. Itaque vbi diuisio non legitur, & felicitas prænuntiatur. Adde in ipsis indiuisis auibus profundum adhuc latere mysterium: turture namque anxia depingitur Hebræorum fuga; ac Columba pacatissima triumphorum gloria. Inquiramus, si placet, cur turtur, etsi libertatem innuat, animi anxietatem non pellat, cùm candida columba non solùm anxias depellat curas; sed innuat nobiles triumphis victorias? Quia turtur, nec innuit societatem,

Vbi vnio ibi subsidium: vbi diuisio, ibi naufragia.

tàtem, nec diuiſionem, vbi ergo non refertur diuiſio, iugi infamis referri non potuit oppreſſio; at nec depingi potuit cumulatior fortuna, quia turture non depingebatur concordia; columba verò, quæ nec diuiſionis patitur detrimentum, & vnionis refert ſuffragium, non ſolùm denuntiat ſeruitutem abactam; ſed felicitatem obtentam. *Columba* (inquit Venerabilis Beda ad cap. 2. Lucæ) *gregatim volat: turtur ſingularitate gaudet*. Non potuit ſinè vnione adumbrari felicitas, nec cum ea vrgere valuit calamitas. Profectò columba longè latèque tauro imbecillior; ſed quas negabat natura, vires ſuppeditauit concordia. Vacca diuiſa cedit hoſtibus in ſpolium, columba vnitè, & gregatim volans reportat de hoſtibus triumphum: vt noueris quantum ſit ab vnione ſubſidium, quantum minitetur à diuiſione naufragium.

Verſ. 9. §. 27. Quare Turtur præ alijs auibus fuit electus? Reſpondebit Abulenſis quia *Turtur ſignat caſtitatem*: & quidem coniugalem: Turtur coniugi viuenti inuenitur fideliſsimus, & poſt eius mortem omnino caſtus: itaque in turturibus deſignantur pudica, caſtaque coniugia. *Sola contenta eſt compari*, ſcribit Delrius ad cap. 1. Cant. in tropolog. *Cui ſe vni viro Virginem caſtam conatur exhibere*. Itaque Turtur caſtorum coniugum exemplum eſt: ergo ad deſignandum triumphum aſsumitur, vti ſtatum hunc radiare poſſe triumphis noſcatur. Hinc Tertullianus de Turture ſcripſit: *Soli vxori ſuæ maſculus naſcitur: & cupiditate procreandi*, adiungit Minutius Felix, *aut vnam ſcit; aut nullam*. Et S. Baſilius lib. 10. Hexamer. dixit: *Turturem aſſerunt ſeiugatam à coniuge nunquam ſocietatem inire cum alio, ſed ſinè coniuge vitam cælibem degere, recordatione amiſſi conſortis coniugium alterius abnuentem. Audiant ipſæ mulieres, vt etiam apud animalia ratione non prædita viduitatis honeſtas indecoro iterati coniugij anteponatur*. Ab hoc ergo D. Baſilij conſilio diſcant etiam Epiſcopi, Eccleſias, quarum ſponſi electi fuerunt, in alias ditioris fructus non permutare, memores epiſtolæ Euariſti ad Epiſcopos Ægypti ſcriptæ epiſt. 1. in qua ſic loquitur: *Sicut vir non debet adulterare vxorem ſuam: ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam; ideſt vt illam dimittat ad quam ſacratus eſt abſquè ineuitabili neceſſitate, aut Apoſtolica, aut regulari mutatione, neq; alteri ſe ambitus cauſa coniungat.*

Amor, & fides coniugalis.

Viduitatis Caſtitas.

Epiſcopatus non permutandi.

§. 28. Quare primò, ferentem iugum offerri ſibi *vaccam*, & hanc *triennem* mandauit? Cur non duorum, vel quatuor potiùs annorum? An triennis, ferendoque idonea iugo, quòd religioſum adumbret virum per tria vota ſeſe Deo ſacrantem, ſeſeque ita immolando, Creatori ſuo placentem? Sic D. Bernard. cap. 11. Tropol. in Geneſim: *Subditi enim debent eſſe triennes, videlicet, per tria vota Religionis, obedientiam ſcilicèt, paupertatem, & caſtitatem, quæ debent firmiter obſeruare*: Debet eſſe triennis, per humilitatem in omnibus, & per omnia, & omnibus obedientiam, *Vacca triennis, quia humilis, maiori, æquali, & minori ſe ſubijcit*. Hugo Cardinalis ibid. debet eſſe obediens, & iugum ferens obedientiæ, ſed non bos, ſed vacca, & lactis dulcedinem, & iugum ferens, ideſt cum dulcedine cordis obedientiam exercens: *O quale enim ſacrificium, & obedientiæ iugum portare humiliter, & inter qualibet obedientiæ ardua, cordis dulcedinem ſeruare, & nihil aliud, quàm lacteum dulcorem per verba diſtillare?* Reflexit Ricardus à S. Victore tract. de differ. Sacrific. Dauid, & Abram. Vacca triennis, cui non eſt adhuc impoſitum religionis iugum, Chriſti ſequela portandum, *Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue*, Matth. cap. 11. verſ. 29. Vacca fæta, quæ ſanum in corde ſuo concepit de ineundo perfectionis vitę inſtituto conſilium, *A timore tuo Domine concepimus ſpiritum ſalutis*, Iſaiæ cap. 26. verſ. 18. quęque plauſtro ad Arcam Dei vectandam iungenda, non declinet ad dexteram, vel ad ſiniſtram, ſed in directum recta procedat, abſoluta vitæ periodo in holocauſtum Domino conſecranda (1. reg. cap. 26. verſ. 18.) & ei contingat cum fænore lucrum, de quo Apoſtolus ad Philipp. cap. 1. verſ. 21. *Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*, vt condigna operoſi laboris mercede lætetur. Sic enim Bethſamitæ, depoſita, grandi ſuper lapide, Arca, *conciderunt* (1. Reg. cap. 6. v. 14.) *Ligna plauſtri, vacaſque impoſuerunt ſuper ea, holocauſtum Domino*, vt per tergemina, intelligat Religioſus, vota, ad apicem perfectæ in Deum conſcendere charitatis, cuius nulla teſſera verior, *quàm, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*.

Verſ. 9.

Obedientia Religioſa cū dulcedine cordis præſtanda, & humilitate.

Foueant Religioſi feruens de perfectione propoſitum.

Religioſi iugum Chriſti ferant ad ſimilitudinem vaccarū arcam Dei trahentium.

§. 29. Quare vt credatur Deus in veritate daturus ea, quæ promiſit ſi- Verſ. 9.

V lijs

lijs Abram magis eliguntur mansueta, & mitia, quàm alia animalia? Crediderim mansuetudini annexam esse veracitatem, & ideò Deus se ostendit amicum mansuetorum, & mitium, vt cum ipse indè mitis, & mansuetus appareat, simul & verax in promissis absquè vllo dubio credatur. Ionæ cap. 3. vers. 4. dicitur: *Et cæpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur* (vers. 5.) *Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsquè ad minorem*. Si tu quæris quare hæc faciant? Respondet eorum Rex (vers. 9.) *Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Compone modò hoc cum illis: in primis dicuntur, credidisse Deum in Propheta loquentem, & annunciantem, quòd Niniue erat subuertenda, nunc per pœnitentiæ opera sperant fore, vt non pereant, sed quod Deus mansuescat. Et qui credunt verum esse, qui nuntiat mala, vndè præsumunt posse illa non inferri? Ex eo præcisè, quòd veracem Deum credunt, putant etiam esse mansuetum, & lenem, qui offensus mitescat. Semper enim mansuetudo, & veracitas simul esse consueuerunt. Ex quo ait S. Zeno Veronensis Antistes lib. 2. serm. 38. *Vt est Niniuitis nunciatus interitus, credunt, & timent. Et quantum sciunt Dominum non esse mendacem, tantò propensius eius de pietate præsumunt*. Quem minimè mendacem norunt, sed veracem, meritò fore mitem mansuetumque præsagiunt, à quo possint misericordiam sperare. Vndè dicerem, Sociæ sunt hæ duæ virtutes, & se mutuò comitantur. Vt canat Regius Vates Psal. 85. vers. 14. *Tu Domine Deus misericors, & miserator, patiens, & multæ misericordiæ, & verax*. Et Psal. 44. vers. 5. *Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam intende, prosperè procede, & regna*. Raró in psalmis, & veracitas, & misericordia non coniunguntur. Item Psal. 84. v. 11. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi*, vbi Hugo Cardinalis ait. *Misericordia in dimittendo peccata, veritas in adimplendo promissa*.

Mansuetudini, & humanitati adiuncta est veracitas.

Vers. 9. §. 30 Quare in animalibus tempus notatur, & non in auibus? Ideò sanè tempus in auibus minimè notatur, vt sciamus quòd merita, quibus perfecti super omnes valent euolare, non à tempore, sed à corde suum pretium, & æstimationem trahunt. Hinc Mediolanensium Pastor l. 3. de velandis Virginibus scripsit, quod Adolescentia, & Senectus, non in annis, sed in morum, vel leuitate, vel maturitate consistat. *Non ergo*, inquit, *ætas reiectur florentior vbi morum est Senecta, Theclam non Senectus, sed virtus probauit. Ex ore infantium perfecisti laudem*.

D. Theclā non senectus, sed virtus probauit.

§. 31 Quare in Abramo non cauetur quòd hostia non sit immunda, fœtida, scabiosa, quod in populo Israelitico cauetur? Doctissime Pater Pereira respondet ibidem, minimè necessariam fuisse in perfectissimo viro Abramo talem cautionem; perfectis namque viris non omnia notanda præcepto, sed multa committenda, & credenda eorum perfecto arbitrio, vt qui nihil indecorum committent. Patet ex hoc quod antiqui Patriarchæ maximè cauebant ne filij sui alienigenas vxores acciperent: habetur enim Genes. cap. 24. vers. 2. de Abramo quòd dixit seruo domus Seniori; *Pone manum tuam super femur meum* (Vers. 3.) *vt adiurem te per Dominum Deum cæli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum inter quos habito*. Sed, & Moyses, & Ioseph legimus quòd accipere alienigenas vxores permissi sunt, Quare ergo quod in alijs prohibetur, In Moyse, & Ioseph sinè cautione permittitur? Antiqui Patres cauebant ne filij sui aliquam ex alienigenarum coniugio contraherent maculam, & ideò monent illos de ipsis non accipiendis. Moyses verò, & Ioseph, vt viri perfectissimi erant, nihil de illis timetur à coniugio; Sed eorum arbitrio permittitur, quod facere debent, quasi nihil indecorum facient; Sic ad rem nostram eleganter confirmat S. Iustinus Martyr in quæst. 60. dicens; *Patriarchæ veriti, ne à religione exciderent sui filij, permiserunt eis ex gentibus vxores ducere. At Ioseph, & Moyses expertes erant huius metus. Nihil ergo contrà scopum patrum fecisse videntur, vel Moyses, vel Ioseph ducendo vxores gentiles. Nam tantum abfuit, vt ipsi ab vxoribus suis abstraherentur à Religione, vt etiam suas vxores ad Religionem suam transtulerint?* Hinc habes, quòd à perfectis viris non omnia præceptis extorquenda, sed multa sunt illis, & credenda, & committenda. Vers. 9.

A perfectis viris non omnia præceptis extorquenda, sed multa sunt illis, & credenda, & committenda

§. 32 Quare terrena animalia in varias partes secantur, non verò volatilia? Terrestria, vt docent Glossa, Interlinearis, D. Isidorus in Glossa, Rupertus Abbas lib. 5. in Genesim cap. 21. Vers. 10.

&

& alij, denotabant homines carnales, qui in varias partes in Deum, ac mundum partiuntur; At verò volatilia significabant viros spirituales, qui in altum, ac sublime Deo adhærentes ad ipsum volant, ita Deo obsequentes, & integrum Deo non consecrent. Theodoretus quæst. 1. Leuiticum: *Quemadmodum*, ait, *Patriarcha volatilia non diuisit, ita nec Legislator ea iubet diuidi, nam qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum collocantes illum, tum in terrenis, tum in cælestibus, sed totum sursum ferunt.*

Perfecti non diuiduntur.

Vers. 10. §. 33 Vel dic: Animalia terrestria Terrenos bonisque temporalibus deditos adumbrant; & ideò consequens erat, vt in eis in multas partes diuisio esset, ac separatio. Cælestia verò spirituales denotant; & ideo intacta manent, in vnaque intima vnione conseruantur. Prestò est ad confirmandam dubij solutionem S. P. N. Augustinus qui in serm. de quinquagesima sic dicit: *In Ecclesia carnales diuiduntur, spirituales non diuiduntur, quia amatores mundi contrà se inuicem diuisiones, & scandala habere non desinunt. Aues autem, idest, Spirituales, non diuiduntur, quia est illis cor vnum, & anima vna in Deum*. Insuper qui bruta moribus imitati, sibi etiam ipsis inueniuntur oppositi; Volunt namque in promissam terram deuenire, & verentur simul ab Ægyptijs carnium ollis auelli: timent si in Ægypto immorentur, promissa terra priuari, verentur, si tetenderint Ægyptijs delicijs non frui: ergo timore studioque veluti diuisi præmuntur, & sibi ipsis non sinè anxijs solicitudinibus aduersantur; ast aligeræ aues, dum cælestia solùm suspirant, dum confusis harum passionum vorticibus varias in partes non distrahuntur, pace, & tranquillitate donantur. Accipe glossam Interlinearem: *Vtrasque partes contrà se altrinsecùs posuit: quia carnales ab inuicem diuiduntur; aues autem non diuisit, quia spirituales seruant vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Idem quod S. P. N. Augustinus, modica verborum mutatione. O quàm pacatè degebant Aues nec violentia cultri diuisæ; nec flammis ardentibus vstulatæ, dum terrena non exambiebant, & cælestia suspirabant: quo carebant, fallax gaudium otio pacis compensauere tranquillo; animalia verò solicitis timoribus agitata, & varijs desiderijs diuisa sibi ipsis distorquebantur opposita. O quàm est solicitum cupiditatibus allici, & timoribus simul concuti! Non possunt homines, quantumuis brutorum ad instar viuant, conscientiæ morsum non sentire, & timoris cruciatibus non vrgeri: ergo dum nequeunt acrem sopire conscientiam, & nolunt caram cupiditatum reliquisse fallaciam, dissecantur, diuiduntur, & tormentis durissimis diuexantur.

In temporalibus diuisio, in spiritualibus hominibus vnio.

§. 34 Quare aues non diuisit Abram? Vers. 10.
Quia hæ duæ pennatæ aues sunt amoris hieroglyphicæ; tùm, quòd Veneri Sacræ, tùm, quòd ad concubitum ardent, tùm, quòd fidem sibi maximam seruant, & turtur amisso compare viduos annos transit: nam de turture idem quod de columba, cùm esse columbarum speciem multi arbitrentur, de quo Sanchez ad cap. 2. vers. 10. Cantic. *Surge, propera, amica mea, columba mea, &c.* vbi auem esse amoris symbolum docet; ibidem, & Delrius, Pineda lib. 5. de rebus Salomonis cap. 5. vers. 17. Psal. 44. vers. 1. & in primis Pierius Valerianus Hieroglyphicorum lib. 22. pag. 157. impress. Basileæ an. 1556. qui duo Propertiana illa adducunt ex lib. 2. Elegiarum, vbi de volnptatibus suis iactitat sese Propertius canens.

Columba amoris sacri, & profani Symbolum.

Exemplo iuncta tibi sint in amore columba,
Masculus, & totum fæmina coniugium.

Quod dixerat Tertullianus lib. de Monogam. circa medium. *Columba est auis non tantum innocua, verùm & pudica, quam vnam vnus masculus nouit.* Sed his quæ satis vulgata videntur, aliquid Christianæ eruditionis iungendum necesse est. Fuit igitur antiquus fidelium mos, vt crucibus Seruatoris columbas insidentes adpingerent. Meminit prisci vsus Sanctus Paulinus Nolanus Epist. 12. ad Seuerum post medium aliquantò.

Super crucem quare antiquitùs Columbæ depictæ.

Ardua florifera Crux cingitur orbe corona,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quæque super signum resident cæleste columba,
Simplicibus produnt regna patere Dei.

Video sanè D. Paulini carmina indicare adiunctam columbam simplicitatis, atque innocentiæ fuisse emblema: sed æstimo & significasse amorem Christi erga genus humanum, quem tàm acerba morte excellentissimè testatus, certè S. Ioannes cap. 3. vers. 16. cùm Numinis sempiterni erga mortales inexaustam dilectionem innueret: *Sic enim Deus dilexit mundum* (inquit) *vt filium suum*

vnigenitum daret. Quæ in verba Aureus Doctor homil. 26. *Etenim singula verba magnam vim habent: nam illud: sic dilexit, & illud: Deus mundum: immensam amoris significat vehementiam*. Et sanè, quandoque coronam Crucis circumdabant columbæ, quandoque ipsas corona ambiebat, vti probat Rosuueidus Notis ad citatam D. Paulini epist. in illa verba: *Quorum figura est, &c.* siuè, quia vehiculi huius superiorem locum charitas triumphans occupat, seu quòd eadem charitas genitrix fuerit, quæ Pacificum nostrum in die desponsationis, & lætitiæ cordis sui diademate tanto honoris cinxit, cùm Ecclesiam sibi coniunxit. Sed mouet me vetus Longobardorum ritus, de quo Paulus Diaconus lib. 5. eorum historiæ cap. 34. ad perticas autem locus ipse dicitur: quia ibi olim, perticæ, idest, trabes erectæ erant, quæ ob hanc causam iuxtà morem Longobardorum poni solebant: *Si quis enim in aliquam partem, aut in bello, aut quomodocunque extinctus fuisset, consanguinei eius intra sepulchra sua perticam figebant, in cuius summitate columbam ex ligno factam ponebant, vbi eorum dilectus obijsset; scilicet, vt sciri possit, in quam partem is, qui defunctus fuerat, quiesceret*. Scitissimè illud: *Vbi eorum dilectus obijsset*. Nam ideò sanè speciatim inter volucres omnes columba suspendebatur, vt dilecti esse tumulum innueret, eò quòd sit amoris index ales, alioquin ad demonstrandum busti sedem, quæcunque alia sufficeret auis. Fortasse & in peregrinorum monumentis ponebatur. Nota subinnuens defuncti cineres: at non columba; quoniam hæc volucris destinata ad amantium tumbam indicandam non eorum, quibuscum neque amicitia, neque necessitas. Denique hoc etiam; quod Spiritus Sanctus sub columbæ specie à Christianis repræsentabatur, qua de re idem supracitatus Rosuueidus in eandem Epistolam ad illa, *& per Columbam* &c. nempè, quia amor sit cælestis spiritus. Sed iam tandem in viam reuertamur, vndè digressi sumus, constansque maneat columbam, atque turturibus amorem figuratum: quòd si illis amor præmonstratus, pulchrè sanè, quòd non diuidantur: namque vti disserit S. Ambrosius serm. 11. in Psal. 118. ad illa: *Defecit in salutari tuo, &c. Sanctus, & timens Deum, nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus IESVS: illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis intendit viribus, illum gremio mentis fouet, illi se aperit, & effundit; & hoc solùm veretur, ne illum possit amittere*. Quòd si igitur omnis amantis timor est, ne à dilecto separetur, ne eius suauissimam careat præsentia, vt quid diuideret Abram amoris aues turturem, atque columbam? Tostatus ibid. ad contemplatiuam refert vitam: *Alia*, inquit *ratio est mystica, quia animalia quadrupedia designant vitam actiuam, quia in plura necessariò diuiditur, iuxta sententiam Saluatoris*. Luc. cap. 10. vers. 41. & 42. *Martha, Martha, sollicita es; & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium. Vita autem contemplatiua quæ per aues designatur, non diuiditur; quia in se collecta, in Deum tota mente consurgit*. Verum hæc à nostro scopo non dissentiunt; vita enim contemplatiua, est vita ardenter Sanctè amantium, qui in conspectu Domini dilecti iugiter ambulant, omnisque eorum conatus est, ne quando elabatur. Venustè igitur, quòd aues, quæ hanc, quæ in amore est, vitam innuunt, non diuiduntur: quia diuelli à suo dilecto contemplatio, quoad fieri valeat, non patitur: & in patria, vbi perfectissima summi boni contemplatio est, nunquam erit diuisio aliqua.

Columba perticæ suspensa super defunctorum sepulcris suspensa.

§. 35 Quare descenderunt volucres statim, ac diuisa fuerunt animalia? Si vis solutionem dubij habere, per animalia, discordes homines intellige, per volucres verò Dæmones. Quid ergo mirum, vt ad diuisa animalia euolent rapinarum alites? nam vbi diuisio, ibi prædam inueniunt furiæ rapaces. Quò respexit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 14. inquiens. *Aues descendentes super corpora, quæ diuisa erant, non boni aliquid, sed Spiritus indicant aeris huius pastum quendam suum de carnalium hominum diuisione quærentes*. Nec deficit pastus hostibus malignis, quando inter homines aliqua apparet diuisio. Meritò enim de Israelitis dicebat Oseas cap. 10. v. 2. *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt*, sed vt Græcè: *Diuiserunt corda sua, nunc disperibunt*, quasi nunc certior ruina emineat, cùm præcedit diuisio. Ex quo monet S. Cyrillus Alexandrinus ibi: *Oportet igitur nos in amplitudine rerum secundarum offendentes ad aliquid Deo displicens abripi: quin potiùs ad ea promptissimè præstanda incumbere, quæ ex virtute gloriam concilient, non diuisos in affectiones mundanas. Verum est enim illud Christi, nemo potest* Vers. 11.

Ex diuisione certior ruina sequitur.

poteſt duobus Dominis ſeruire, Quòd ſi diuidimur etiam iuxtà vocem Pſalmiſtæ, partes vulpium erimus. Semper de diuiſione naſcitur, quòd voracibus feriſque hoſtibus exponamur.

Verſ. 11. §. 36. Quare quando ex diuino mandato obtulit Abram diuinæ Maieſtati ſacrificium, tunc volucres deſcenderunt ſuper cadauera, & ipſas eiecit Abram? Theodoretus quæſt. 65. in Geneſim, Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 21. Procopius, & alij autumant, quòd volucres illæ ſignificabant Ægyptios, Babylonicos, & alios Iſraelitarum hoſtes, qui eos conſumere cogitabant. S. Iſidorus, Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, & Hugo, per volucres malignos ſpiritus intelligi volunt, qui ſæpè deſcendentes paſtum in Hebræis ſumere volebant; ſed cùm Abramus eſſet iam demortuus, quando huiuſmodi mala per Ægyptios, ac Babylonicos ſunt illata Iſraeliticis, quomodo ait, quòd ipſe à ſuis huiuſmodi damna abigebat? Abramus coram Deo rogans, ac aſſiſtens, tanquam ſcutum ſuis erat, ab illiſque ſuis precibus omnem afflictionem, ac calamitatem repellebat, eoſque magna protectione ſeruabat D. Iſidorus Hiſpalenſis: *Quòd illas abigebat Abram, ſignificat multos carnales meritò ſanctorum ab anguſtijs liberandos*. Et Lippomanus, *Quòd abegit eas Abram fide promiſſionis, & oratione pro fidelibus ad gloriam Dei*.

Merita iuſtorum ſuos defendunt.

Verſ. 11. §. 37. Quare anteà Abramum aues importunæ inquietaſſe non referuntur; & modò veluti facta manu irruiſſe dicantur? *Deſcenderunt*, inquit, *volucres*. O quanta in abigendis ſolicitudo! Quantum in ſeruando ſacrificio illibato ſtudium! S. Gregorius lib. 16. moralium cap. 19. Auibus his autumat cogitationum explicari tumultum, & internum ſignari ſtrepitum. *Abram cùm ad occaſum ſolis ſacrificium offerret, inſiſtentes aues perculit, quas ſtudioſè, nè oblatum ſacrificium raperent, abegit; ſic nos cum in ara cordis holocauſtum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus cuſtodiamus, ne maligni ſpiritus, & peruerſæ cogitationes rapiant, quod mens noſtra offerre ſe Domino vtiliter ſperat*. Dum Abramus Sacrificium non offert, pertinaces aues non ſuſtinet; verùm cùm vniuerſa Deo dicat, dæmones immiſſarum cogitationum roſtris decerpere aliquid ambitioſè feſtinant, & neceſſum eſt manus Sanctæ diſcretionis abigat, dum manus vniuerſa aris impoſita litat. Affligunt ſæpiſſimè deuota corda volucrum importuni volatus, verùm ad felicitatis pertinet incrementum, ſi abactæ non fædauerint Sacrificium. Profectò Abrami hoſtia minùs commendabilis eſſet, ni irruentes aues viciſſet; verùm gemina lauro redimitur, dum & auium ſolicitus abegit adſultum, & illibatum dicauit Numinis ſacrificium. Satius eſt, dum offeratur victima, importunis auium diuexari moleſtijs, quàm volucrum carere moleſtijs, quia cordis ara nudatur victimis. Tunc Abramus obortas patitur cogitationes obſcuras, cùm ſacrificijs religioſus coronat aras; ſæpè namque, dum ſe quis puriùs Deo conſecrare ſtuduit, & immunda volucris quid diſcerpere feſtinauit.

A Dæmone male immiſſæ cogitationes abigendæ, quæ frequentiores ſunt, quantò attentiores Deo ſumus.

§. 38 Quare ſacrificium dum offert Abramus, iam irrepens ſopor manus, & oculos blandis ac gratis vinculis ligat, & vigilantiam quodammodo exarmat, qua abigebat volucres? Vnicus Abram fugat, turmatim aues deſcendunt. Audi: in auibus ſacrificium impetentibus obſcæuitatis aſſeclas intelligit Hugo Cardinalis: *Volucres deſcendentes ſunt Dæmones*: Adnectit: *Per vaccam humilitatis ſubiectio, per capram pænitentia, per arietem fortitudo, per turturem caſtitas, per columbam charitas*. En caſtitas vnicum defenſorem ſortitur, aduerſarios plurimos patitur; Abram abigit, multitudo impetit: ſuſtinet vigilantiſſimos aduerſarios, Lynceos, & pēnatos; pro ſe habet patronum, ſed quem ſopor inuadit, & aliquomodo impedit. O nimis verum! Caſtitatis propugnatores, defenſoreſque inueniuntur paucìſſimi, oppugnatores frequentes; & rarò patroni non tepeſcunt, cùm inimici inardeſcant fædiſſimis appetitus flammis, & inuolent ocyſſimis pennis. Adde ſi corruptos eſſe mores, vt vitium libera fronte, & palàm pro ſe militès ſortiatur, cùm virtus, ni cœleſtem defenſorem nanciſcatur, tectè & ignauè ab hominibus addiuuetur. Verſ. 11.

Caſtitatis defenſores pauci, oppugnatores quàm plurimi.

§. 39 Quare & Abram abigebat aues rapaces, & iuxtà animalia conſedit, vt Septuaginta legunt? Ibi dicitur abegiſſe rapaces alites ſuperuenientes, hic dicitur conſediſſe Abram animalibus in ara poſitis. Et fortè idem, conſidere Abramum animalibus occiſis, & hoſtiles volucres abigere; de conſortio enim tanti iuſti non dubito quin hoſtiæ maneant integræ, & ab hoſtibus liberæ. Vtinam vniuerſi carnales homines, dum peccati mortem incurrunt, habeant ſibi confidentes iuſtos, Verſ. 11.

iustos, seruarentur equidem ad vitam. Quarto Regum cap. 13. vers. 21. dicitur: *Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in Sepulchro Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, & stetit super pedes suos*. Quid plura? ibi exprimitur quid valeat iusti attactus ad viuificandos in peccatis mortuos, quos habet propinquos. Ex quo monet Bachiarius epistol. ad Ianuarium de recipiendis lapsis: *Et tu ergo, si mortuum dicis, vel iuxtà Elisæi illum ossa constitue. Nolo vt eum longè segreges à Christi membris, quia ipse consortio meliorum erubescet, & resurget ad vitam. Nonnè emendationes paruum putas esse tormentum, si peccator adsciscitur in consortium beatorum, quia illorum præmia sua sentit esse tormenta? si quis laudatur, & erubescit, si quis vituperatur agnoscit. Inter hæc flagella verborum constitutus, satisfactioni, emendationique approximat*. Sic iusti homines cuncti peccatoribus illos calefaciunt in vitam, & faciunt vel exemplorum stimulis, vel virtutum communione, vt malos abigant mores, & induant bonos.

Iusti vicinitas ò quantum valet ad malos abigendos mores!

Vers. 12. §. 40 Quare descenderunt volucres, cùm sol occumberet? Et quid erat, quòd rapinæ volucres ad solis occasum infestarent Sacrificium Abrami? Quia cùm deuenitur ad solis occasum, ad tempus nempè mortis, tunc maximè maligni spiritus volant, & instant, vt perdant opera nostra bona, vt miserè naufragium salutis faciamus. Hugo Victorinus Miscellan. 2. titul. 2. *Abram*, ait, *cùm ad occasum solis sacrificium offerret, instantes aues pertulit, quia sacrificium vitæ, quòd in ara crucis offerimus, immundi spiritus conantur magis maculare ad occasum solis, seu vitæ*.

Diabolus in mortis articulo maximè se armat contrà nos.

Vers. 12. § 41 Quare Horror magnus, & tenebrosus inuasit Abramum, cùm sol occumberet? quia ostendebatur ei captiuitas filiorum in Ægypto, regressus cum magna substantia, & multa alia bona ei promittebantur. Sed ad quid tribulatur, & anxiatur spiritus Prophetæ? Vt indè gaudium superueniens esset maius; delectatio quæ succedit tristitiæ, maximè iucunda. Idiota doctissimus ad rem lib. 2. de vera patientia scripsit: *Nequaquam igitur contemnenda est tribulatio, quæ cordis est sanitas, & via recta ad vitam, tanquam si hoc felicitati ipsius status accrescat*. Ille igitur, qui necessitate opprimitur, de remedio sibi dato scit maximè gaudere, & exultare. Post afflictionem, & laborem valdè iucundum est gaudium, quod dicit S. P. N. Augustinus lib. 8. Confessionum cap. 3. *Plus gaudet homo de salute desperatæ animæ, & maiori periculo liberatæ, quàm si semper ei affuisset: quantò maius periculum fert in prælio, tantò maius est gaudium in triumpho*: Iactat tempestas nauigantes, omnes futura morte pallescunt, tranquilletur mare, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis, vbique maius gaudium, molestia maior præcedit.

Vbi maior molestia, & tristitia, ibi maius gaudium.

§. 42 Quare tanta Senem caligo, horror tantus, tàm cæca obscuritas peregrinantem excepit, vt diuina Prophetæ oracula tàm dura, tàmq; infesta deferrentur? Vtiquè arbitror peculiari solatio abscribendum, quod in futuris tribulationibus prænunciandis diuinum pectus mirificè recreabat, in quarum partem venire Deus cum tribulatis congaudet: atque adeò suauibus somniorum, & ecstaticorum soporum inuentis, animum adijcit quibus chariores, & delectabiliores successus, impensè dilectis præsagire consueuit. Quia igitur nihil tribulatione Deo acceptius, gratius nihil, nihil felicius contingere poterat; hinc fuit, vt quemadmodum cætera omnia fausta, & fortunata per somnium præmonstrauit; ita & immisso in Abramum sopore, futuram in suo semine peregrinationem, aduersamq; in Ægypto fortunam illi præsagiret: *Sopor irruit super Abram: Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum*. Nec hæsitandum, quin & inter præcipua beneficia computandum fuerit quod futurum isthanc tribulationem per somniorum terroris, & tenebras reuelauerit. *Quantos*, enim, *in Religione progressus*, inquit Procopius, *fecerit Abram, hic locus insinuat. Præsentis cùm vitæ, tùm conditionis tempus ei præterijt. Nouus enim manet progressus Religionis, quem dabit præueniens eum benedictio*. In Vberiora quotidie se virtutem augmenta fundebat Abram, & ideò peculiare beneficium in eo sopore, & futuræ tribulationis aperitione promeruit. *Tribulationem*, pergit Procopius, *Abrami nepotibus inferri patitur, vt tandem tribulationum procellis erepti efficaciùs cognoscant redemptorem: cognoscantur quoque, & in vniuerso orbe propter signa, quorum interuentu ex Ægyptiaca seruitute dimisit Hebræos semen Abrahæ*. Vide quot Abraæ bona in ea visione repromiserit, quæ ideò in somnis prædicenda dilecto Seni fuerant, vt fausta nunciatu-

Vers. 12.

Nihil tribulato Deo acceptius.

citurus Deus, diuinum morem seruaret, somnum assumeret, quieta, & tranquilla tempora designaret, quo cælestia pacatius oracula tenerentur; id obseruat Eusebius Emissenus homil. in Vigilia Natiuitatis, qui de apparitione Angeli Iosepho in somnis sic ait: *Si enim Ioseph non dormisset, si extra se non fuisset, si mentis oculos apertos habuisset, si solem, qui iam in MARIA oriebatur, Spiritu Sancto reuelante cognouisset; procul dubio nihil tale cogitare potuisset.* Si Deus Abramum ad sui famulatum aduocat; si prædestinatorum numero adscribit; si credentium Patrem, & fidei caput constituit; si vniuersæ benedictionis seminarium vocat; si totius Palæstinæ Principem decernit; beneficia multò quidem æstimanda; sublimia, singularia; hæc omnia contulit cum eo ambulans; cum eo colloquens. Atqui tribulationes, & seminis sui afflictiones prænunciaturus, ab omni colloquio, ambulatione, & vigilia abstinet, sed soporem immittit; *irruit sopor super eum*; quia videlicet nil Deo tribulatione præclarius, nil sublimius, nil antiquius; atque adeò, vt notam Abrææ illam faceret; excelso, & præ cæteris altius æstimando, somni ministerio mente adijcit; *irruit sopor super eum*.

Vers. 15. §. 43. Quare Abram iussus à Deo, vt terrestria, & volatilia immolaret animalia; illa quidem diuisit, Aues autem non diuisit? Bellè quidem consultòque actum scribit S. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 8. In diuisis illis, diuisibile corpus, in indiuisis istis, indiuiduam expendens animam: *Caro*, inquit, *nostra, Dei ordinatione, diuisa habet membra: mentem autem nostram, quæ modo auium virtutum diuersarum, & vigoris sui vecta remigijs supra cælum euolet, non diuisit, quia Trinitati adhæret diuidenti omnia, soli indiuisa.* Quid Theodoretus quæst. 1. in Leuit. *Qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum collocantes illum, tùm in terrenis, tùm in cælestibus, sed totum sursum ferunt.* Quid ni? *Integer spiritus, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Pauli monitum est in 1. ad Thessalon. cap. 5. vers. 23.

Vers. 12. §. 44. Quare nunc apparens Dominus, horrorem adeò tenebrosum immittit viro, quod minimè in alijs apparitionibus fecerat? Reuelabatur modò Abramo filiorum calamitas duraque apud Ægyptios captiuitas, quę non possunt parenti optimo non esse horrori, & discrimini. Et quis pater sinè horrore audiat filios conficiendos ærumnis? Patientissimus Princeps Hus perditionem facultatum immotus excipiens, ad famam interfectorum filiorum vestimenta discidit, Sic enim cap. 1. Iob, vers. 18. *Ecce alius intrauit, & dixit, filijs tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris tui primogeniti* (vers. 19.) *Repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt; & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi* (vers. 20.) *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua*, &c. Non in substantia perdita, sed in mortuis filijs immutatus Iob; quod prænoscens satanas frequentem illi mentionem liberorum facit, vt vehementiùs patrem exulceraret. De quo Olympiodorus in Cat. Græca fatur. *Germanæ prolis præcipuè meminit, vt iusti naturam exulceraret. Nec enim dixit supra omnes, qui intùs erant, cecidit, sed magis propriè memoriam ei naturæ afferens, ac luculentas ei plagas insigens dixit. Cecidit super filios tuos......vt ad stuporem mentis, & desperationem animum solicitaret.* Expende illa: *Ad stuporem mentis*, &c. Fama enim calamitatum filiorum eum solet stuporem parentibus inijcere, vt vix maneat aliud, quod sensu percipiant. Imò tanto indè horrore afficiuntur, vt propria mors iam non illis horrenda videatur, sed prorsùs appetibilis.

Filiorum mors Parentibus ipsa propria morte sæuior.

§. 45. Quare dicit Deus, quòd Abram filij erunt afflicti, & in seruitute in terra non sua quadringentis annis, cùm constet, quod Hebræi paulò post ducentis annis, & quindecim in Ægypto promorati fuerint? Quomodo ergo dicuntur quadringenti? Ita sanè futurum erat; sed Deus Hebræorum afflictione, clamoreque commotus, eos à seruitute liberare citiùs decreuit, quàm aliàs ab illa eximerentur, nisi eorum clamores interuenissent. Sic eleganter affirmat S. Ioannes Chrysostomus homil. 37. in Genesim. *Cùm Deus sit misericors*, inquit, *& imbecillitati nostræ respondentes fatiat pœnas, quia vidit eas ita labore pressos, & Ægyptios magnam in eos crudelitatem exercere; ante definitum tempus ad libertatem eas reduxit.* Vers. 13.

Deus suorum orationibus, ac afflictionibus maximè commouetur.

§. 46. Quare dicitur veruntamen, gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo? Quia opportunè respondet S. Basilius in cap. 3. Isaiæ ad illud: *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet*

fiet ei. Quod est vers. 11. cap. 3. *Consilia aduersùs iustos inita, in caput malignè consultantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ, si semel incidunt in corpus solidum, in suos iaculatores resiliunt*.

In caput maligne retorquentur persecutiones iustorum, & in bonum istorum cedunt.

Quid non pro viribus egit Pharao, vt duris operibus luti, & lateris, electam à Deo gentem opprimeret? quo fructu? *Quantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant*. Exodi cap. 1. vers. 12. Ità enim arcana de cœlo dispensatione factum est, vt impius, ipso illatæ persecutionis iaculo feriretur, & iusti homines, rabidæ persecutionis emolumentum, & quidem grande præsentirent. Scitè aliquando Philo lib. 2. de Cherub. miseras eorum, qui iustos persequuntur, vices, animo versans; *nescis*, inquit, *fatue, quòd quisquis nactus putat se persecutorem, alium persecutorem habet*? licèt enim Deus ipse, iustus iudex, & vindex deesset; non ipsa tamen persecutio, quæ persecutoris, & condigna, & iusta pœna est.

Ipsa impij persecutio pœna est persecutoris.

Quàm seuerè ferales armaret Holophernes, in virum ingenuum Achiorem, ac Israelitas, indignationis iras, habes in Iudith cap. 6. vers. 17. ad quem, tædio crudelis persecutionis victi Bethulienses; *Deus Patrum nostrorum, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, vt eorum magis tu interitum videas*. Ita enim permittit Deus, vt Achior ipse videat, post tot, ac tanta discrimina rerum, eodem referiri persecutionis telo Holophernem, quo se miserè sauciare innoxium populum reputauit. Eò verius, quò tristius præsagium: re ipsa enim factum est, vt idem ipse tyrannus, cruentum subiret supplicium, quod alijs inferre crudelis moliebatur; nam, *quisquis nactus putat se persecutorem, alium persecutorem habet*.

Holophernes eodem persecutionis telo referitur; quo Israelitas sauciare prætendit.

Vers. 15. §. 47. Quare dum tanto terrore, ac horrore conturbatur Abram dicitur ei: Tu autem ibis ad patres tuos in pace? Hoc est morieris in pace; vt est communis vox Interpretum. Quid est dum ille visis tot laboribus, ac pressuris suorum nepotum maximè anxiatur, ac affligitur, mors futura ei obijcitur, mors non minuit labores, ac horrores huius vitæ, sed potiùs maximè auget: quid horribilius ipsa morte? Vide quod dicitur, *ibis in pace*? Hoc est ibis cum Deo eiusque gratia: spes mortis cùm Deo, eiusque gratia omnes horrores, ac labores mundi mitigat, leuitat, ac suaues reddit. Congerie omnium laborum premebatur Iob, & pro magno solatio dicebat cap. 19. vers. 25. *Scio quòd Redemptor meus viuit: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius, reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Quasi hac vna spe de Christo videndo, omnis de malis præsentibus tristitia penitùs tolleretur.

Spes de Deo videndo leuitat omnes horrores sæculi.

Et nota cum doctissimo Pineda, hanc spem in sinu repositam habuisse, quo in loco laborum præmia, & mercedes reponuntur iuxtà illud Christi Domini Lucæ cap. 6. vers. 38. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*. Hinc S. Bernardus serm. 37. in Cant. de Dauide lætato, quia in Domum Domini intrare sperabat: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus* Psal. 121. vers. 1. elegantissimè scripsit. *Dauid non lætaturum, sed lætatum se dixit, quòd in Domum Domini se speraret iturum; nondum vitam tenebat, sed spem vitæ messuerat; atque in semetipso experiebatur veritatem scripturæ perhibentis, quia non modo remuneratio, sed ipsa quoque expectatio iustorum lætitia est*. Expende verbum: *Spem vitæ messuerat*. Ex qua tanta erat illi lætitia.

Spes Vitæ æternæ ab omni molestia liberat animum.

§. 84 Quare Abram dictum fuit ibis ad patres tuos sepultus in senectute bona? Quia mortuus, & sepultus debet esse in hoc mundo adhuc viuens Dei seruus. Et quidem non solùm erat tunc Abramus mundo mortuus, sed etiam sepultus: alioquin dixisset Dominus, ibis ad patres tuos mortuus. Ex quo constitutus intelligitur in omnimoda sua mortificatione, vti contemplatur Richardus Victor. serm. de differ. Sacrif. Mar. & Abram. *Priùs*, ait, *Homo moritur, vt postmodum sepeliatur. Mortuus quidem desinit videre, sed non statim desinit videri. Qui vult ergo huic mundo mortuus esse, oportet illum oculos illos claudere, quos in primis parentibus legimus apertos fuisse, & oblectamenta sensuum non attendere. Sed tunc, qui eiusmodi est, quasi post mortem sepulturam inuenit, quando per sapientiæ studiam æternitatisque desiderium, à mundanis insuper mundana transiens, in huiusmodi statum proficit, qualis carnalis quilibet non dicam scire, sed nec suspicari possit*. Hæc ille. In hac eadem sententia quidem credo Apostolum fuisse, dum dixit ad Galat. cap. 6. vers. 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Quæ verba pulchrè versat Aureus doctor tom. 4. *Talem*, inquit, *oportet esse Christianum*, Vers. 15.

Mortuus, & sepultus debet esse in hoc mundo adhuc viuens Dei seruus.

Iustis mundus est mortuus, & ipsi mundo.

stianum, & hanc vocem semper habere in ore, Considera & hinc huius beati erga Deum charitatem: non contentus est priori mortificationis modo, sed & alterum intulit dicens, & ego mundo? duplicem innuens mortificationem, ac dicens: & illa mihi mortua sunt, ac ego illis: nec illa me capere possunt, neque manibus iniectis captiuum ducere; quippè semel mihi mortua, neque ego illorum cupidine teneri, quippe mortuus illis. Nihil hac mortificatione felicius Et vndè hæc tàm insignis, & præclara Pauli crucifixio? Acutè Lyra: *Per quem mihi, idest,* ait, *concupiscentia mundi est mihi mortua, nullam virtutem habens in me.* Erat enim sub eius potestate, & dominatione ipsius appetitus, quem iam in se ipso conspiciebat mortuum, ac per consequens sinè vi, & operatione aduersùs ipsum. Pulchrè ergo se mundo crucifixum, & mundum ipsi confitetur, quatenus maneat ex omni parte securus. Audiendus est S. P. N. Augustinus in Glossa citatus. *Contingit plerumque, vt homo mundum mente non teneat; sed tamen mundus eum in suis operationibus adstringit: & mortuus est homo mundo, & mundus quasi viuus eum conspicit, dum alio intentum, in suis actibus rapere contendit. Sed nec Paulus mundum cupit, nec mundus eum, vt in duobus mortuis neuter neutrum videt.* Hæc S. Pater. Nihil potuit in rem præsentem dici sublimius. Non enim solùm mortuus esset debet Dei seruus, sed & haberi, ne à viuo mundo trahatur captiuus.

Verè mortuus mundo quis?

Vers. 15. §. 49 Quare Abramo dum dicitur ibis ad patres tuos in pace, præmisit textus; horror tenebrosus, & magnus inuasit eum? Et cur quando illi promittitur mors pacifica in senectute bona, qua ad patres proficiscatur, horret Abram? Horret equidem, quia in morte iturus erat ad patres, non ad Christum pro tunc. Si enim moribundo non pater proponeretur, sed Christus statim amplexandus, non horror in morte esset, sed maximè appetibilis suauitas. Legitur in Act. Apostol. cap. 7. vers. 55. quòd Stephanus dum rapiebatur ad mortem imperterritus ait: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Quare ò Ecclesiæ Protomartyr non aspicis modò mortem impendentem, hostes frementes, lapides patratos, sed magis visionibus attendis? Videt Iesum expectantem, ad quem, vt perueniat, nihil in morte horroris sentit, sed omnia illi videntur appetenda suauitas.

Vnus Iesus omnes mortis horrores aufert.

Bellè S. P. N. Augustinus ait homil. 95. de diuersis: *Ad Christum flagrantissimo amore suspensus carnem quamtocius relinquere desiderebat, & ad ipsum cupiebat euolare, nec mortem carnis timebat, quia Christum, quem pro se occisum sciebat, viuentem videbat, ac per hoc festinabat etiam ipse mori pro illo, vt viueret cum illo.* Mortem ridet, vbi Christum videt & dum illius pedibus aduolatur, dum eius possit assistere lateri, festinat mori, nullasque mortis expauet difficultates. Et cur timeat mori, qui festinat ad Christum?

§. 50 Quare non dicitur solùm in senectute, sed additur bona: *Sepultus in senectute bona?* Nimirum in senectute, quæ nullum faciat dispendium bonitatis, sed magis illam augeat, ab animique se tueatur malorum procella. Hinc habes quòd mores in pueritia nati plerumque ad senectutem propagantur. Abram in pueritia bonus, in senecta optimus, ideò *Sepultus,* dicitur, *in senectute bona.* Quod S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagog. cap. 5. grauiter, licèt subobscurè significauit. *Est,* inquit, *in nobis vber ætatis, ipsa iuuentus.* Quasi diceret, sicut ex materno vbere sugitur lac, quo omnia infantis membra nutriuntur: ita ex iuuentute hauriuntur mores, quibus reliquæ ætates informantur. Clariùs id expressit S. Hieronymus in epistol. 7. ad Lætam. *Difficulter,* inquit, *eraditur quòd rudes anni perbiberunt: lanarum conchylia, quis in pristinum candorem reuocat? Recens testa diù, & saporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta est.* Quæ verba planè colludunt, & cum notissimo carmine Horatiano 1. epist. ad Lolium. Vers. 15.

Vel mali, vel boni adolescentiæ mores ad senectutem diffunduntur.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem,
Testa diù, &c.

Et cum celebratissimis verbis Quintiliani 1. instit. 1. *Natura,* inquit, *tenacissimi sumus eorum, quæ rudibus annis percepimus: vt sapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* Ac denique cum illa sententia Philonis lib. quòd omnis probus sit liber. *Sicut vasa,* inquit, *odorem, quo primùm fuerint imbuta referunt: sic iuuenum animi, quas primùm formas imaginatione conceperint, nunquam aboleri sinunt.* Sed omnium grauissimè Salomon. *Prouerbium,* inquit, *est adolescens iuxtà viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. cap. 22. vers. 6. Quod

Praui mores semel imbibiti difficilè abolentur.

Prouerbium in publicas scholas videtur fluxisse, vt ex D. Hieronymo in epist. 7. ad Lætam, & 12. ad Gaudentium desumitur; In vtraque enim, ita habet; *Legi*, inquit, *in scholis puer Ægrè reprehendas, quod simis consuescere*. Quasi prouerbij veritati publica gymnasia adderent celebritatem. Rem confirmat Sophar, vnus ex Iobi amicis de impio loquutus, *Ossa, inquit, eius implebuntur vitijs adolescentia eius, & cum eo in puluere dormient*. Iob. cap. 20. vers. 11. Cur quæso non dicit Caro, sed *ossa eius*? Planè, quia sicut, quæ ossibus insident, cum ipsis durescunt, ac durant: ita planè vitia iuuentutis (vt ibi notat S. Gregorius lib. 15. moral. cap. 5.) quotidie duriora existunt, adeoque inolescunt, vt etiam in senectute solidentur, & quod deterius est, non imminuta, sed plerumque multiplicata: vt idem S. Pontifex citat. aduertit.

Iuuentutis vitia in senectute solidantur.

Vers. 16. §. 51 Quare exprimitur Neque enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsquè ad præsens tempus? Et quomodo non completæ iniquitates ad excidium, si quodlibet peccatum ignem meretur æternum? *Tunc erit tempus* ait Aureus Doctor homil. 37. *vt hi pœnas luentes pro multitudine peccatorum è terra expellantur, & tunc fiet in tempore opportuno eorum exsidium. Non enim completa sunt iniquitates eorum*. Quasi dicat aliquis, nondum in tanto numero peccata fecerunt, vt talem ferant pœnam; Deus enim cùm misericors sit, non solùm non inducit pœnas peccatis grauiores, sed & valdè minores, atque propter hoc tantam ostendit longanimitatem, vt cùm sibi ipsis pœnarum sint authores, nullam posthac excusationem habeant. Itaque duo asserit S. Ioannes Chrysostomus. Primum peccata eorum si in se considerentur, quolibet fuisse digna supplicio: si verò Dei misericordiæ respectu, expectandum esse tempus opportunum, illud scilicèt, in quo ad eum peccata peruenerint numerum, qui sit vltimus, & completus. Secundum, tunc fore peccata in eo statu, quando suarum sint peccatores pœnarum authores, & nullam excusationem habere possint de peccato suo. Hæc autem expectabantur futura, & ideo eorum peccata nullatenus erant completa. Completa verò sunt postmodum, quia facta strage de cœlo super ciuitates Sodomorum, quæ latè peruagata fuit, vt in eorum damno edocerentur omnes: ipsi facti sunt nihilo meliores; Eccè peccatorum summum. Eccè tempus puniendi opportunum. Eccè sinè vlla excusatione peccatum. Audi Thomam Anglum: *Ne Deus videretur iniustè disperdere Chananæos Sodomitis intimos, quorum promittebas terram Abraæ, idcircò enim terribile iudicium circà vicinos eorum exersuit, vt per hoc quasi impellerentur redire ad dominum, quod si nollent iustiùs suo tempore delerentur & ipsi*. Ita factum fuit, vt appareret illorum summè peccans peccatum, quando viso de cœlo igne, & sulphure in vicinos immisso, ipsi postmodum à pænitentia abstinuerunt: tunc iniquitates complentur: tunc erit sinè venia delictum.

Qui castigatione alterius non corrigitur peccata complet, vt puniatur.

Peccatorum summum non corrigi in alterius damno.

§. 52. Quare tanta dicuntur, & tot verba multiplicantur Abramo? Nonnè sufficiebat dicere semel reuertentur ab ipsa captiuitate? Sed bis dicitur, *Reuertentur cum magna substantia, reuertentur quarta generatione*. Quando promissa est Abramo Verbi diuini Incarnatio, Deus vno verbo dixit. *Quia fecisti hanc rem, in semine tuo benedicentur omnes gentes*, Gen. cap. 22. vers. 18. At modò promissio fit geminatis verbis, quòd reuertentur filij ab Ægypto. Promissio Incarnationis verbi Diuini, res multo superior, & excellentior, sed in hoc euentu Abramus erat formidine, ac terrore consternatus, & vt eius perturbatus animus sedaretur, non tantùm semel dicitur *reuertentur*; sed verba multiplicantur duplicata, vt timor deponeretur. D. Ioannes Chrysostomus hoc confirmat homil. 37. in Genesim dicens: *Quoniam attonitus, & pesulsus erat animo iustus ille, & concusserat eum timor, magna sunt has ei dicta, quæ ad animum massuliuum pertinent, qui transsendat, & infra se relinquat humana omnia*. Vers. 16.

Multa requiruntur vt animus timore persusus sedetur.

§. 53. Quare in hoc duplici solis occasu, in primò timet & horret Abramus, non verò in secundo, cùm in hoc posteriori exprimatur, quòd facta fuerit caligo tenebrosa, quæ ex se magnam formidinem incutere valebat? Respondit Rupertus Abbas lib. 5. in Genesim cap. 22. *Has tenebrarum iteratio, geminam semitus Abraa aduersitatem significat. Primam scilicèt, quâ fratrem suum Ioseph vendiderunt, quæ causa fuit seruitutis illorum, secundam, quæ post mortem Ioseph à Pharaone tribulati sunt. Prior quidem aduersitas, res suis iniquitatis, propter quod signanter dictum est, horror magnus, & tenebrosus inuasit eum*. Primus solis occasus venditionem Ioseph, à posteris Abrahæ factam denotabat, Vers. 17.

Iustus plus timet culpā, quàm pœnam.

Digitized by Google

bat, in qua grauissimè peccauerunt: secundus verò occasus, exindè subsequutam captiuitatem eorum in Ægypto sub duro Pharaonis iugo repræsentabat: hinc Abramus vtpotè iustus, & sanctus, cùm peccatum venditionis vidit in posteris, pauet, & horret; minimè verò cùm ex illo pænam vexationis, & seruitutis Ægyptiacæ agnoscit. *Prior quidem aduersitas, res fuit iniquitatis, propter quod dictum est, horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.*

Vers. 17. §. 54. Vel dic: In primo casu, ac principio visionis repræsentatur caligo tenebrosa, horribilis tamen, & multum formidabilis, quæ magnum pauorem, ac metum incutiebat Abramo; in secundo verò casu, ac in termino visionis, licèt sese ostentauerit caligo tenebrosa, nihil tamen horribile, ac formidabile ibi apparet. Huius differentiæ diserimen est, quòd duæ ibi filiorum Abrami præfigurabantur calamitates, superiori dubio explanatæ, videlicèt; in prima exprimebatur Iosephi venditio per fratres, quæ extitit occasio descensus populi in Ægyptum. In secunda visione denotabatur dira Pharaonis tyrannis, quæ Israelitas afflictura erat. In prima repræsentabatur turpissimum Israelitarum erimen erga fratrem suum Ioseph: in secunda verò introducebatur Israelitarum pæna, siuè eorum culpa, ac crimine; ideò Abramum non in prima, sed in secunda terribilis horror occupat; nam ipse tanquam optimus parens, ac caput totius populi non horrebat, ac timebat corporis pœnam, qua in filijs suis erat affligendus, sed eorum visam ruinam spiritualem, qua ipsi in lethalia crimina præcipitabantur, & indè tenebrosus horror eum premebat. Ad confirmandam huius dubij solutionem, accipe supradictum Ruperti Abbatis supracitati locum, & præcipuè illa verba expende. *Prior quidem aduersitas, res fuit iniquitatis.* Ex hoc habes quomodò plus sit timendum peccatum quàm malum temporale: addiderim, quòd sit magis formidandum, quàm infernus. Vndè optimus ille Eleazar, iustus, & tenax propositi sui vir, intrepidus dicebat 2. Machabeorum cap. 6. vers. 23. *Præmitti se velle in infernum, quam in peccatum.* Quem imitatus S. Anselmus, vt refert Edinerus Anglus lib. 2. de illius vita, dicere solebat, quòd *si hinc peccati horrorem, hinc inferni dolorem corporaliter cerneret, & necessariò vni eorum immergi deberet, priùs infernum, quàm peccatum appeteret.* Quare Dauid & se, & iniustos omnes ad immortales Deo grates præcinendas exhortatur. *Exaltabo,* inquit, *te Domine.* Et rursum, *psallite Domino sancti eius.* Quodnam, obsecro, ob beneficium? *Quoniam,* inquit, *eduxisti ab inferno animam meam.* Psal. 29. vers. 4. hoc est interprete S. P. N. Augustino à peccato: quo non minus, quam in ipso inferno torquebatur. Quam interpretationem sequutus Hugo Cardinalis, quanta sit inferni cum peccati similitudo fusiùs declarat. Ex quibus patet, posse inferos, seù infernum pro peccato saltem figuratè, & translatiuè vsurpari.

Plus timendum peccatū, quam malum temporale.

Peccatum magis formidandum quā infernus.

§. 55 Quare refert Moyses cùm occidisset sol facta est caligo tenebrosa, Vers. 17.
& apparens clibauus fumans, & lampas ignis transibat inter animalium diuisiones? S. P. N. Augustinus, qui acumine pollebat ingenij, notauit, ignem vel auium pennam non attigisse, cùm certum fuerit voracibus animalia flammis vstulasse. Et quare ignis aues non tangat, si duriora animalium corpora adurat? Volat columba; sed & audax in montem capra: vtraque ergo aut nulla de altitudine sibi remedio contrà fortunæ supercilium asciscat. O'vide animalia diuisione sibi opponuntur; at columba, turturque diuisionem ignorant, testante sacro eloquio: *Aues autem non diuisit:* vbi ergo relucet concordia, ibi etiàm compescitur flamma, vbi verò diuisionis apparet gladius, ibi & ardentis fornacis adurit æstus: *In turture, & columba,* inquit S. P. N. Augustinus serm. de Quinquagesima, *spirituales possunt significari, vt in illis tribus animalibus carnales intelligi. Ergo diligenter attendite: quia illa tria animalia diuisisse in duas partes dicitur Abram, & contrà se inuicem posuisse: Aues, scriptura inquit, non diuisit.* Quæ non diuisæ aues, flammam ignorarunt; sed quæ diuisa animalia, sustinuerunt. *Videte fratres: ignis iste inter diuisiones illas transiens dicitur: turturem quoque, & columbam tetigisse non legitur.* Quid pro vnione pulchrius? Flammæ anhelabant, æstusque desæuiebant; at vbi diuisio aditum non concessit, nec flamma adunatos adussit; verùm sibi ipsis inimica animalia contrà se posita, & separata cultrum sustinent, & clibani flammis ardent: *Turturem, & columbam tetigisse non legitur:* quia nec à se diuisæ, nec contrà se separatione obarmatæ. En vnitatis

præmium! Vnitas hæc tàm grata est Deo, vt nihil illi placeat, in quo illa non repræsentetur. Cur quæso in prima mundi fabrica, neque secundæ diei benedixit, neque illius opera laudauit? Gen. cap. 1. vers. 6. & 7. cùm tamen aliorum dierum operibus, & laudem, & benedictionem impertiuerit; vt patet ex eodem capite? Respondet S. Hieronymus in primum caput Aggæi sub initium: *Quia non poterat secundus dies, qui numerum facit, qui ab vnione diuidit, Dei sententia comprobari*. Idemque docet lib. 1. contrà Iouinianum, non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione diuidat; & in Apologia pro his libris suis contrà Iouinianum, hanc suam interpretationem ab aliquorum calumnijs defendit. Addo, cùm Deus secundo die diuideret aquas, quæ erant sub firmamento, ab ijs, quæ erant super firmamentum; meritò à laude abstinuisse. Nulla enim tribuitur commendatio, vbi exercetur diuisio.

Deo grata vnitas, ingrata diuisio.

Vers. 17. §. 56 Quare ignis transiens inter diuisiones illas, nec turturem tetigit, nec columbam? Quia profectò noti gemitus aues: gemitus edit turtur; funditque columba: vbi ergo gemitus humor, appropinquare nequibat flammarum ardor: ignis namque aqua interstinguitur, nec vires sortiri potest anhelans flamma, vbi lacrymarum obsistit copia. Ergo flamma altipetam capram adurit, arietem teneris lasciuientem annis deglutit, vaccam pinguedine obesam exedit; gementes tamen aues non tangit, imò gemitibus præstitit reuerentiam, quando inferre conabatur iniuriam: *Turturem, & columbam tetigisse non legitur* dixit S. P. N. Augustinus superiùs elt: Vt hinc discas quantum valeant lacrymæ ad temporalia bona impetranda, ad euertenda mortis imperia, & ad incendia ignis nunquam morituri vitanda. Et quid non possunt lacrymæ? Lacrymarum quænam potentia similior? hinc mellifluus Doctor in scal. claustr. tit. de signis Spiritus Sancti, postquam lacrymas comparauit baptismo puerorum, qui semper peccata eluit, cùm nullam ex parte pueri dispositionem requirat, quam desiderari contingat: vt fieri potest in adultis: exclamat: *O felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur; per quas peccatorum incendia extinguuntur!* Et S. Petrus Cellensis lib. de panibus cap. 12. post luculentum lacrymarum encomium, dicit, *Lacryma naufragium est vitiorum, portusque naufragatorum*. Quid optabilius, quàm vt hoc naufragio obruantur peccata, & hoc portu peccatores incolumes excipiantur? Regius Propheta lacrymis madidus, in Psal. 50. vers. 5. has voces singultibus interceptas edit: *Ampliùs laua me ab iniquitate mea; & à peccato meo munda me*. Protinùs impetrandæ veniæ causam subdit: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me* (idest, *coram me*) *est semper*. O generosam animam (exclamat inibi S. Ioannes Chrysostomus) adeò peccatum obliuioni minimè mandauit, vt etiam ipsum, tametsi condonatum, literis prodiderit. Siquidem in conscientia, non secùs atque in pictura, mulierem eam, quam adulterio subdiderat, singulis diebus prospiciebat. *Et peccatum meum contrà me est semper. Ego illud video; tu* (ò Deus) *illud ne videas. Ego literis mando; tu illud oblitera. Vide enim quid fiat. Si tu illud memoria teneas, Deus è memoria abiecit. Si te illius obliuio capiat, Deus illius meminit. Ego enim sum, ait ipse per Prophetam*, (Isaiam cap. 43. vers. 25.) *Qui deleo iniquitates tuas, & earum non recordabor*. Et paulù post idem Aureus Doctor exponit quomodo peccata delenda sint, & quo Dei instrumento obliteranda. *Peccata tua in libro scripta sunt: Spongia autem instar sunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte; & obliterantur. Lacrymas mitte; & purus ille liber inuenitur. Magna peccatorum spongia sunt lacrymæ. Magna lacrymarum vis est*. Imò idem S. Doctor homil. 5. de Pænitentia scribit. *Rogum peccatorum extinguimus, non tam aquis multis, sed paruis cum lacrymis; multus enim peccati ignis, atque modica extinguit eum lacryma; nam lacryma rogum extinguit peccatorum. Testaturque Sanctus Dauid, quantum lacrymarum virtus possit.: Lauabo* (inquit Psal. 6. vers. 7.) *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Nam & si lacrymarum vbertatem voluisset ostendere, satis fuerat dixisse, lacrymis meis stratum meum rigabo: quare ergo præuenit, Lauabo? vt ostendat lauacrum, & purgatorium peccati lacrymas esse*. Vide hic quantum arcana lacrymarum virtus possit: est enim lacryma velut baptismus, & lauacrum, atque purgatorium peccati: cùmque multus sit peccati ignis, modica extinguit eum lacryma. Quin & abstrusa lacrymarum vis, de gehenna fumantem, & ardentem peccatorum rogum extin-

Si homo peccata sua videt, Deus illa non videt. Quo sensu?

Lacrymæ comparantur spongiæ.

Lacrymæ extinguunt peccatorum rogum.

Lacryma est peccati purgatorium.

Digitized by Google

extinguit. Nec mirum, quòd lacryma, quæ lacrymantibus gehennale inferorum incendium interſtinguit, peccatorum extinguat rogum, qui fortè ille ipſe eſt, aut illius fæcunda matrix, aut non dubius obſes. O' quàm eſt pyræ gehennali vicinus, & cognatus peccatorum rogus! Hunc lacrymis extingue, & illum extinxiſti.

Verſ. 17. §. 57 Quare apparuit Abramo non solùm clibanus fumans, ſed & lampas ignis? Rationem reddit Procopius dicens: *Clibanus vt portenderet impijs conflagrationem: Lampas vt pijs illuminationem præberet*. Sic & Deus cùm Moyſen in deſerto Madian ad colloquium euocauit, Exod. cap. 3. verſ. 2. *Apparuit ei Dominus in flamma ignis*. Lux pariter, & ignis, inquit S. Ambroſius Serm. 5. in pſal. 128. *Lux, vt luceat; ignis, vt conſumat*. Imò & agentibus iter per deſertum præibat Dominus, *per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, Exodi cap. 3. verſ. 21. Quaſi diceret, inquit S. Clemens Alexandrinus in exhortatoria ad gentes, *Si obediens, lucem, ſi non obediens, ignem*. En tibi optio Iſrael. Vide, quid elegeris, lucem ne, an ignem? ſed infelix Populus *Qui malè agit, odit lucem*. Ioan: cap. 3. verſ. 20. Ideò neceſſe eſt, vt in ignem deturbetur, *Fili hominis* (inquit Deus per Ezechielem cap. 15. verſ. 2. 3. & 4.) *Quid fiet de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum, quæ ſunt inter ligna ſyluarum? Numquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcumque vas?* Quaſi diceret, minimè profectò, cùm ad nullos vitæ humanæ vſus aptum eſſe videatur. Quid ergo? *Ecce igni datum eſt in eſcam*. Ad hoc tantùm habile, vt comburatur. Quod totum in huius populi figuram dictum eſſe, docet S. Hieronymus: *Vitis*, inquit, *quamdiu affert fructus, in omnibus lignis ſaltuum, nihil ea pretioſius eſt: ſi autem vuas habere deſierit, in nullo vtilis erit, niſi vt tradatur incendio*. *Et ſtatim: ſic & Hieruſalem, imò habitatores eius tradentur ardoribus, & ſi de Vrbe euaſerint, foris hoſtilis gladio conſumentur*. Benè quidem eſſet Iudæis, ſi ſuo Meſſiæ Chriſto Domino Noſtro, tanquam palmites viti adhærerent. Ab illius enim ſpiritu animarentur, nutrirentur, bonis omnibus replerentur. Sed cùm à vite ſuis ipſi manibus ſe præſcindant, ipſi ſe in flammas comburendos præcipitant. Vndè Chriſtus Dominus Ioan. cap. 15. verſ. 6. *Si quis*, inquit, *in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes: & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*. Ad quem locum S.P.N. Auguſtinus tract. 81. in Ioann. *Ligna*, inquit, *vitis tantò ſunt contemptibiliora, ſi in vite non manſerint; quantò glorioſiora, ſi manſerint*. Et ſtatim: *Vnum de duobus palmiti congruit; aut vitis, aut ignis. Si in vite non eſt, in igne erit. Vt ergo in igne non ſit, in vite ſit*.

Iudæos igni, vel illuminat, vel conſumit.

Iudæi, infecundæ viti à Chriſto D. præciſæ, igni traduntur comburendi.

§. 58. Quare Deus ait ſume mihi, & non ait etiam ſume tibi? Nam ex filijs, qui naſcebantur, ſiuè in hominibus, ſiue in pecoribus, primogeniti Deo conſecrabantur; alij verò parenti, vel Domino erant reſeruati. Cur ergo etiam ex illis auibus, non vna aſſumitur à Deo, & altera homini relinquitur? Per illas duas aues (Philo in lib. *Quis rerum diuinarum hæres*) diuinam, ac humanam ſapientiam interpretatur: ſunt enim iſtæ duæ volucres, & ambæ in altum feruntur. Sapientia diuina ſolitudinem quærit, ad ſolum Deum, cuius eſt poſſeſſio, contemplandum, quæ figuratè turtur dicitur per eamque ſignificatur. Sapientia verò humana in Columba exprimitur, quæ gregatim circa hominum habitacula volitat, eorumque ſocietate delectatur. Mandat Deus vt ex his duabus auibus, non aliquam homo ſibi retineat, ſed vt ambæ ei offerantur, ad innuendum quòd omnia noſtra ſtudia tàm ſapientiæ humanæ, quàm diuinæ (ideſt notitia tàm ſuperiorum, quàm inferiorum) in ipſum tendant, & dirigantur, nihilque homo ſibi reſeruet, ad cogitandum, ac intelligendum de mundanis, ac temporalibus. Citatus Philo: *Qui autem* (ait) *hæc ſumpſerunt, non ſibi, ſed Deo dicarunt ſingula, vt ſacra ſeruantes domino ſuo*. Hinc (non longè ad rem recordor) Cardinalis Toletus nunquam ſatis laudatæ Societatis IESV, in annotat. 49. enucleans, quid ſit diligere Deum corde, anima, viribus, & mente, ait, quòd quatuor ſunt partes hominis. Primò mens, ideſt intellectus. Secundò cor, ideſt voluntas. Tertiò ſenſus, ſeù pars ſenſitiua, in qua ſunt etiam appetitus ſenſitiui, quæ etiam appellatur anima. Quartò corpus habens multa, & diuerſa membra, quæ ſignificatur per vires. Hæ enim ſunt hominis partes, quæ omnes applicandæ ſunt Dei amori, obſequio, ac legi, vt in omnibus, & per omnia illi ſeruiamus. Vnde Deuteronomij cap. 6. verſ. 5. dicitur: *Diliges Dominum ex tota fortitudine tua*. Vatablus legit: *ex omni vtili tuo*. Si verò in hac explica-

tione

Verſ. 9.

Omnis noſtra ſapientia, & cogitatio ſit in Deo, & nihil in mundo.

Quatuor ſunt hominis partes, & quæ?

Omnia noſtra Dei amori, atque obſequio ſunt applicanda.

Digitized by Google

tione obijcias, quòd primò nominantur voluntas, sensus, & corpus, & postea intellectus, quæ est pars nobilior, in vltimo ponitur? Facilè respondetur moraliter, quòd intellectus securus suæ nobilitatis in vltimo loco non diffideret; quod aliter euenire poterat in voluntate, sensibus, & corpore, vtpotè valdè inferioribus.

Nobilis quocumque in loco non diffidit.

Vers. 18. §. 59. Quare fædus in illo die æternandum percutitur? Nonnè satiùs pactum inire; fædusque firmare, cùm Abramus, nec horrore concussus, nec anhelantium flammarum visu obturbatus? Sedet placiditas animum, vt reddita sibi ratio, pactum liberiùs possit inire, & commercium amicitiæ firmare. Obturbatus animus, & horroribus immersus ad feriendum fædus non videtur opportunus: fors resiliet aut obturbatam mentem allegans, aut animum horroribus oppressum clamans. Ergo in aliud tempus fædus differatur, vt stabilius fuerit, & firmius. Imò hoc in die fædus initur, vt exinceps nunquam violetur. In flammis illis, scribit Angelicus doctor, finalis tentatio significabatur: *Finalem tentationem*, inquit ad hunc locum Genesis, *Eiusque terribilitatem, & obscuritatem, & difficultatem, quam erant passuri, designat per clamorem, & tenebrosum horrorem, qui in occasu solis, quasi in fine diei super Abram irruit*. Clibanus horrisonis globulis resonans, sic animum terrore perculit, vt quæuis alia tormenta leuissima reputaret, & ne vel visu pænas iterum flammarum hauriret, nunquam à recto tramite virtutis discedere fixè decreuit: opportunissima erat dies ad feriendum eum Domino fædus, in qua, & finalis mortuos excitans audiebatur clamor, & voracium semper flammarum niger turbabat animum rubor. Nunquam fædus violabitur, si animus terribilium adeò rerum contemplatione munitur. Sæpè sæpiùs nouissima audimus; sed præteruolat timor, quia sedula meditatione non cogitamus: profectò si sepulchri iniurias meditaremur, si nostri corporis corruptionem, si fætentes nigrasque fauillas, non sic auderemus in vetita, & insana voluptatis sequeremur studia. Adest Adamus huius veritatis testis: topiarit illo Dei industria manu consitum deliciabatur, eratque voluptas innoxia serpentino veneno carens, verùm ad inuidiam excitatus est dæmon, & quamuis mors transgressoribus intentata manum arceret. Gen. cap. 2. vers. 17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: Adulatio tamen impulit, & ficta pietas culpam suasit: quid tunc? De originis Deus loco exterminat, quippe deliquerat, ac pellitus orbi vt metallo datur. Gen. cap. 3. vers. 21. *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos*. Theodoretus in hac veste, Dei agnoscit clementiam, & bonitatem: *Sciendum est* (scribit apud Lyppomanum) *omnium rerum Opifici nihil difficile esse, eiusque infinitam bonitatem nos admirari debere, quæ præuaricatores legis suæ non despexit, & nuditati eorum tàm piè, tàmque clementer, prouidere dignatus sit*. Itaque corporis nuditati tunicis prouidit, eisdemque, teste Hippolyto apud Lyppomanum, animæ etiam nuditati prospexit: *Mortuum quidem vestimentum fecit ei, qui à peccato mortuus fuerat: mortua enim peccata habenti vestimentum illud corporis corruptione significabat*. (Hac super re vide tom. 1. nostri Sacri Bibliorum Theatri cap. 3. Gen. tit. *Dubia Sacra* §. 49. col. 2. pag. 44.) Itaque tunica fouebat corpus, & corruptio tunica significata animæ arcebat scelus; verùm expendamus, si placet, quid vtilitatis tunica corruptionis attulerit, cui denunciata mors ad augendum solùm temeritatis delictum profuit. Si Adamus mortem audit; nec timet, quid proderit tunica circumiecta ad arcendam audaciam, & ad depellendam culpam? Sanè plurimum, inquit Hyppolitus: anteà namque audita mors est; sed citissimè mortis præteruolauit memoria, nec attenta meditatione mortis est concarnata notitia; at iam corruptionem circumfert oculis semper obiectam, & si fas est dicere, memoriæ semper intrusam; dum ergo studiosè corporis meditatur cineres, dum memoria intuetur vermes, indumentum habet, quo non lædatur à culpa, vt corpus pelles, quibus tantisper mitescat pæna: *Clementer prouidere dignatus est earum nuditati*: Quare? *Quia vestimentum illud corruptionem significabat*. Corruptio prudentiæ oculis semper inspecta contrà culpam fuit medicina. Videas plurimos mortis horrores, sepulchri iniurias audire, nec tamen à vitijs pedem referre. Et cur hoc? Quia audita mors citò præteruolat aurem, nec sedula meditatio animum instruit: si attentè mortem meditarentur, instantemque corporis corruptionem expenderent, vanitatibus non seruirent.

Meditare nouissima, & in æternum non peccabis.

§. 60 Qua-

Verſ. 19. 20. & 21.

§. 60 Quare Dominus nunc Abramo promittit tàm latam, & amplam terram, quæ lacte, & melle fluebat, quæ multos populos, & regna ſub ſe continebat? Imò notandum proponitur, quòd decem nationum regna pollicitus eſt Deus, vt numeranti patebit, nempè Cenæi, Cenezæi, Cedmonæi, Hethæi, Pherezæi, Raphaim, Amorrhæi, Chananæi, Gergeſæi, & Iebuſæi. Abramus in obſequium Dei erexit altare, ex paruis lapidibus extructum; & in eo quinque obtulit victimas; & Dominus tàm magnifica liberalitate hoc recompenſauit, vt pro vno altari amplam, vaſtam, & pinguem ei terram conceſſerit; & pro quinque victimis decem regna, decemque principatus diſtribuerit. Quæ enim poterit eſſe æqualis liberalitas ità excedens omnium vota, vt pro vna columba duo Regna, pro vnoquoque turture duos Principatus largiatur: Huc reuoco verbi Aurei Doctoris homil. 63. in Geneſim vbi ſic ait: *Deus liberalitate ſua noſtras petitiones, noſtraque officia tranſcendit*. Hinc patet quomodò diuina liberalitas nobis concedit maiora, quàm ipſi poſtulemus. Anna Helcanæ filium petijt, & prophetam accepit. Non aliter olim Zacharias, cùm loquendi vſum à Domino obtinere vellet, vſum accepit, & prophetandi, vt notat S. Ambroſius in cap. 1. Lucæ. *Vide*, inquit, *quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non ſolùm ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit: ille dudum mutus prophetat*. Prodigus ille poſtulare tantùm volebat, vt inter mercenarios haberetur, Lucæ cap. 15. verſ. 29. *Fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis*. Et tamen à parente inter filios adnumeratur, vt notauit S. Ambroſius in Gloſſa cit. *Pater*, ait, *occurrens non contentus minora concedere, priſtinæ filiorum dignitati reſtituit, nec iam de mercede conductoris, ſed de hæreditate facis cogitare parentis*. Promiſit olim Deus Moyſi, fore, vt virga eius, quem in ſummum Sacerdotem elegiſſet, germinaret; quæ poſtea non ſolùm germinauit, ſed etiam vt Num. cap. 17. verſ. 8. ſcribitur. *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati ſunt*. In quem locum Origenes homil. 9. *Vnum*, inquit, *promiſit Deus fructum in virga, & plures dedit*. Et Paulò poſt, *Promiſſionem*, inquit, *ſuam Deus in quadruplum dedit, & multò plura & pretioſiora largitus eſt, quàm promiſit*. Iacob Filium ſuum Ioſephum videre tantùm cupiebat Gen. cap. 45. verſ. 28. *Sufficit*, dixit, *mihi ſi adhuc Ioſeph Filius meus viuit: vadam, & videbo illum antequam moriar*. Et nihilominus Deus ad ipſum Iacobum Gen. cap. 46. verſ. 3. *Deſcende*, inquit, *in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi*, Vbi S. Io: Chryſoſtomus homil. 63. ſcripſit; *Vide quomodo ea, quæ iuſtus ille deſiderabat: ea illi Deus pollicetur, imò & multò maiora. Liberalitate enim ſua noſtras petitiones tranſcendit*. Quid plura?

Dei liberalitas maxime tranſcendit obſequia noſtra.

Deus maiora nobis concedit quàm ipſi poſtulauerimus.

Deus in largiendo liberalior quàm in promittendo.



CAPVT XVI.

GENESIS.

Verſ. 1.  Gitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos: ſed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,

2. Dixit marito ſuo: Ecce, concluſit me Dominus, ne parerem; ingredere ad ancillam meam, ſi fortè ſaltem ex illa ſuſcipiam filios: Cùmque ille acquieſceret deprecanti,

3. Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam, poſt annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaam; & dedit eam viro ſuo vxorem.

4. Qui ingreſſus eſt ad eam. At illa concepiſſe ſe videns, deſpexit dominam ſuam.

5. Dixitque Sarai ad Abram: iniquè agis contrà me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quòd conceperit, deſpectui me habet, iudicet Dominus inter me & te.

6. Cui reſpondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua eſt, vtere ea vt libet: Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

7. Cùmque inueniſſet eam angelus Domini iuxtà fontem aquæ in ſolitudine, quæ eſt in via Sur in deſerto,

8. Dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quò vadis? quæ reſpondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.

9. Dixitque ei angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.

10. Et rurſum: multiplicans, inquit, multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine.

11. Ac deinceps: Ecce, ait, concepiſti, & paries filium: vocabiſque nomen eius Iſmael, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam.

12. Hic erit ferus homo, manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum: & è regione vniuerſorum fratrum ſuorum figet tabernacula.

13. Vocauit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidiſti me; Dixit enim: Profectò hic vidit poſteriora videntis me.

14. Proptereà appellauit puteum illum, puteum viuentis & videntis me. Ipſe eſt inter Cades & Barad.

15. Peperitque Agar Abrae filium: qui vocauit nomen eius Iſmael.

16. Octoginta & ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Iſmaelem.

LITERALIS

EXPOSITIO.

Verſ. 1. Num. 1. I Gitur Sarai, vxor Abram, non genuerat liberos: ly igitur non ponitur hic vt illatiua coniunctio; ſed vt narrationis inchoatiua. Dicitur quòd filios non genuerat, quia ſterilis erat. Sterilitas autem eſt infœcunditas filiorum, ſeu defectus, quo filij procreari non *Quid ſit Sterilitas.*

non possunt, quod prouenire potest, tam à mari, quàm à femina, & ipsa est sterilitas naturalis Bord. de sexto casu reseruando resol.45. num. 1. de Sterilitate, vide supra cap.11.vers.30.num.48. Sara autem interpretatur *odorans*, vel *canticum odoris*, aut *Domina odoris*. Sarai verò *Domina mea*, vel *princeps mea* interpretabatur.

Sara quid interpretetur, & Sarai.

2 *Sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar*. S. Ioannes Chrysostomus putat Agar à Pharaone Abramo in Ægypto peregrinanti donatam fuisse; addit & Philo, eam ab Abramo, & Sara, tum verbo, tum sanctæ vitæ exemplo, ad veram fidem, verique Dei cultum esse conuersam: Insuper dicunt hebræi, quòd Agar fuit filia regis alicuius Ægypti vna de vxoribus Pharaonis, quæ videns bonitatem Saræ, imò & miraculum, quo tota domus Regis propter eam fuerat flagellata, credidit apud se, quòd melius esset ei, si Sarai tanquam ancilla seruiret, quam si in domo Pharaonis in honore magno haberetur; & ideò rex Pharao tradidit eam Sarai, tanquam ancillam. Agar interpretationem nominis in fine moralis annotationis ponendam relinquo.

Vers. 2. 3 *Dixit marito suo. Ecce conclusit me Dominus ne parerem: Vide prudentem animum* (explicans ait S. Ioannes Chrysostomus homil.38. in Genesim lit.C.pag. mihi 208.tom.5.) *Quomodo nihil asperum loquitur, nec suam deplorat sterilitatem: sed solùm hoc nobis declarare vult, quòd naturæ domino, & opifici suam adscribens sterilitatem, fortiter, & leniter eam ferat: malens quod Deo placebat, quàm quod ipse concupiscebat: vnam illud præcipuè & satagens, vt virum suum quoquomodo consolaretur. Magnam porrò Emphasim habent illa verba. Conclusit me Dominus ne parerem, ijs enim mirificè declaratur ineffabilis Dei potentia, & prouidentia. Etenim significare voluit Sara, quemadmodum nos aperimus, & claudimus domos: ita & Dominus in naturæ operatur, & suo præcepto clausit, & iterum quando vult aperit, & iubet naturam, quod suum est, operari.*

4 Nota quòd non concluserat eam Deus, ne pareret, sed concluserat, vt non conciperet, illa enim concluditur, ne pariat, quæ cùm fetum maturum habet ad emissionem promptum, sinè magnis laboribus, & vitæ periculo emittere non potest. Sed dicitur hic *Ne parerem*, quia parere est consequens ad concipere. Vt vult Abulensis ibid.

5 *Ingredere ad ancillam meam*, idest accede ad eam carnaliter cognoscendā, quòd, ex sententia Iosephi, monitu Dei factum fuit à Sara, & ad coniugium istud Abram impulit diuina auctorite. Hoc Iosephi dictum fidem ex eo capit quod scriptum est infra. Gen. cap.21. quòd Sara dixerat Abrahæ de eijcienda Agar, & Ismaele; etsi durum Abramo visum est, id tamen mox diuino oraculo comprobatum, & imperatum Patriarchæ fuit; confirmat totum id S.P.N. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 32. col. 1. pag. 405. dicens: Abram, *Coniugali potestati obtemperauit, credens hoc Saram ex Dei nutu voluisse, qui iam ex seipso illi hæredem promiserat; sed ex qua fœmina non prædixerat.*

6 *Si fortè saltem ex illa suscipiam filios*. Legunt alij, *si fortè ex ea ædificer*, vel *consolabor ex ea*. Filius Hebraicè est בן *Ben* quasi ædificium patris, & matris. Dicitur à radice בנה *Bana*, quòd ædificare significat. Ædificare alicui domum, idiotismus hebr. est dare alicui prolem, & posteritatem.

7 *Cumque ille acquiesceret deprecanti*: Scilicet diuino ad hoc inspiratione motus, vt testatur Innocentius III.

8 Nota quid Caluinus ex hoc temerè, & falsò additat Saram quasi lenam, & Abramum quasi adulterum ancillæ suæ Agar. Sed Patriarcham, & coniugem defendunt Aureus Doctor, S Ambrosius, Ioseph, S. Hieronymus, & alij; Nam Abramus non habuit Agar quasi concubinam, sed eam duxit in vxorem Secundariam; tunc enim licita erat polygamia; nec ad eam libido, sed spes & desiderium prolis, & posteritatis tàm Saram, quàm Abram incitabat vt rectè S. P. N. Augustinus ostendit lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 25. de Abram ipsum encomiando dicens: *Nulla est hic cupido lasciuia, nulla nequitia turpitudo. Ab vxore causa prolis ancilla marito traditur; à marito causa prolis accipitur: ab vtroque non culpa luxus, sed naturæ fructus exquiritur.* Et claudit capitulum scribens. *O Virum viriliter vtentem fœminis, coniuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter!* Accedit etiam Caietanus qui in hunc Genesis locum pag.79. sic scribit: *Vide priscorum mores. Impotens vxor generare surrogabat marito ancillam vice sui, vt nati ex ancilla surrogata, & marito, essent tanquam filij sui. Perpende quoque nihil indecentis habuisse tunc huiusmodi pluralitatem vxorum, sed solitam,*

Agar vxor fuit Abrami secundaria.

tum, ac communi more probatam. Non enim Sarai ausa fuisset alteram proponere vxorem, nisi communi more vidisset huiusmodi bigamiam probatã. Nihil hic de diuina dicitur dispensatione, nihil reprehensibile insinuatur. Et quia hic primum Sacra Scriptura pluralitatem vxorum apud viros iustos aperit, annotabis prudens Lector, & quæ diximus, & consequenter non esse contrà ius naturæ pluralitatem vxorum. Non est fas credere, quòd Abram contrà ius naturæ alteram duxerit vxorem.

9 Nota secundò quòd certum, & de fide est, adesse præceptum diuinum in lege Euangelica, quo prohibetur vxorum pluralitas, vt habetur in Concilio Tridentino Sess. 24. de Matrimonio Can. 3. his verbis. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit.* Et olim fuit etiam definitum ab Innocentio III. in cap. licet de sponsa duorum. Et alij plures Pontifices, & à dicto Innocentio III. probatur hæc veritas verbis Christi Matth. cap. 19. vers. 9. *Quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, mæchatur* (vers. 4.) *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fæminam creauit eos, & dixit* (vers. 5.) *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.*

Vnam vxorem plures viros habere iure naturali prohibitum.

10 Sed verum id sit etiam iure naturali prohibitum? Respondeo, vnam vxorem habere plures viros, certum est, esse iure naturali prohibitum, quia pluralitas virorum impedit generationem, quæ est primarius finis matrimonij, vt experientia testatur in meretricibus; quam veritatem probat S. P. N. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, exemplo Patrum Veteris Testamenti, quibus fuit dispensatum vt possent accipere plures vxores, nunquam tamen fuit dispensatum, vt vna vxor plures habeat coniuges, quòd etiam docet S. Thomas 4. dist. 33. quæst. 1. artic. 1. ad 7. Quoad pluralitatem autem plurium vxorum respectu vnius viri, quidam affirmant id non esse iure naturali prohibitum, nec iure diuino antiquo positiuo, vt Durandus 4. d. 33. quæst. 1. num. 9. & 10. Caietanus vbi supra Abulensis 1. Regum 8. quæst. 25. Metina lib. 4. de Sacrorum hominum continentia controuers. 1. tom. cap. 9. & idem videtur docere Scot. 4. d. 33. quæst. 2. artic. 2. & aliqui alij. E contra verò alij asserunt Polygamiam esse iure naturæ interdictam, quod probant ex verbis Apostoli in 1. ad Corinth. cap. 7 vers. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ita Aureolus teste Capreolo 4. d. 33 qu. 1. artic. 2. & idem videtur tenere Menochius de arbitrarijs lib. 2. centuria 1. casu 420. à num. 46.

11 Sed notandum est præcepta pertinentia ad ius naturæ esse in duplici differentia, quædam pertinent ad ius naturæ tanquam principia primæua iuris naturalis, quæ certissimam, & inuiolabilem rectitudinem continent, vt sunt præcepta decalogi, quædam sunt quæ colliguntur tanquam conclusiones ex primis principijs, & hæc licèt contineant certam rectitudinem, non tamen illam tenent inuiolabilem quin ab ipso Authore naturæ ob aliquas causas immutari non possint; quo posito,

Præcepta dupliciter sunt pertinentia ad ius naturæ.

12 Dicendum est, habere plures vxores non esse contrà præcepta primæua iuris naturalis, sed contra præcepta secundaria, & ideò Deus in illis dispensauit in veteri lege, concedendo pluralitatem vxorum. Ita docet S. Thomas 4. d. 33. quæst. 1. artic. 1. in cor. & ad 1. 6. & 9. & artic. 2. in cor. Richard. artic. 1. q. 1. Palud. quæst. 1. artic. 1. num. 9. Capreol. quæst. 1. artic. 1. conclus. 1. Sot. quæst. 1. artic. 1. S. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 10. §. 1. Henriq. lib. 12. de Matrim. cap. 6. num. 1. Valent. 4. p. disp. 10. q. 1. pun. 3. colum. 3. vers. 5. Sanchez lib. 7. disp. 8. num. 8. Bonacina de imped. q. 3. pun. 10. num. 4. & plures alij. Vnde, vt ijdem Doctores asserunt, non poterit Pontifex in hoc dispensare, vt etiam optimè probat Bellarm. lib. 1. de Matrim. cap. 11. propos. 1. Nec id potuit, nec potest aliqua consuetudine introduci.

13 *Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam*; idest Sara dedit Abramo Agar ancillam in vxorem. Adiungit: *post decem annos quàm habitare cœperant in terra Chanaan.* Hic dicit Caietanus. *Narratur tempus ad significandum, quod Sarai iam erat septuaginta, & sex annorum: ac per hoc desperabat se posse concipere, experta quòd nec puella, nec iuuenis, nec prouectionis ætatis concepisset.* Vers. 3.

14 *Et dedit eam viro suo in vxorem*: in hoc multum præiudicabat sibi Sara, quia si dedisset eam in concupiscentiam Abrahæ, posset quandocumque vellet eam expellere, nec acquirebatur ei ius petendi debitum; sed quia vxor accepta est, tanquam ius in petendo

ei

ei debitum aequisitum erat sicut Sara.

Cur Sara non dedit Agar in concubinā Abramo?

15 Sed dices, cur Sara dedit Abramo Agar ancillam in vxorem, & non in concubinam? Respondetur quòd Sara mulier sancta erat, & sciebat fornicationem esse peccatum, ideò in vxorem magis dare voluit, & dato quòd Sara voluisset dare Agar in concubinam Abraæ, ipse quia vir sanctissimus erat, nullo modo taliter suscepisset eam. Hæc responsio est Abulensis ibidem pag.481.lit.B.

Vers.4.

Abram vxoribus quomodo vsus fuit.

16 *Qui ingressus est ad eam.* Idest cognouit Abram Agar ancillam vxorem eius factam carnaliter affectu maritali. *Nullo modo* (inquit S. P.N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 25.) *de coniugio cum Agar ancilla inurendum est crimen Abraa. Vsus quippè ea est ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, non insultans, sed potiùs obediens coniugi; qua sua sterilitatis credidit esse solatium, si fecundum ancilla vterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret suum: & eo iure, quo dicit Apostolus* (1.ad Corinth. cap.7.) Similiter, & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier: *Vteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex se ipsa.*

Lamech habuisse plures vxores reprehenditur, Abraham verò non, & cur.

17 Dices: si Lamech reprehensus fuit, qui primò diuisit carnem suam in duas; multò fortiùs Abram debuit reprehendi, qui post illius reprehensionem idem fecit? Respondetur, quòd Lamech hoc fecit ex libidine, & propria auctoritate; Abram verò plus amore prolis, & diuina dispensatione. Rabanus autem tripliciter excusat Patriarcham de coitu isto. Primò: per legem nondum promulgatam de Coniugio. Secundò: per intentionem Abraæ de prole habenda: Tertiò: per voluntatem vxoris.

18 *At illa concepisse se videns:* hoc est per se clarum: *Despexit dominam suam;* dicit Caietanus hic: *Desunt tres dictiones. In oculis suis. Esse sermonem de oculis Agar, testatur Sarai: referendo hanc iniuriam, dicens* in oculis eius. *Perspicuum autem non est an hebraica phrasi dicatur despectio in oculis Agar (hoc est iudicio seù æstimatione Agar) an mentio oculorum fiat, quia corporeis oculis signum despectionis monstrauerit Agar. Et hic sensus quadrat, tum quia Sarai librauit in oculis eis, tum quia certum est, quòd non vilipensionem in solo animo, sed foris monstratam agrè tulit Sarai: Et cùm iam dedisset eam marito in vxorem, non audebat punire eam (vtpotè vxorem tanti viri) sed in ipsum maritum torqueat iniuriam sibi illatam.* Hinc

19 *Dixitque Sarai ad Abram: Iniquè agis contrà me.* Sara non conquerebatur primario de Agar; sed de Abramo, quia videbat Abram Saræ contemptum, & dissimulabat. Vers.5.

20 *Ego dedi ancillam meam.* Agar non solùm erat Ancilla Saræ, sed etiam Abrami: vocat tamen Sara suam ancillam esse; quia secundùm Aristotelis sententiam in 8. Ethicorum, & in libris Oeconom. Regimen domesticum diuiditur in duas partes, vna ad virum pertinet, ad mulierem altera, quæ propriè ancillarum dispositio videtur.

21 *In sinum tuum.* Quasi diceret tibi hanc gratiam feci, vt ancilla mea esset vxor tua, & inter brachia tua cubaret, & mea persona (Ouid.1.Tristiū eleg.7.)

Nunc tibi pro vili, sub pedibusque iacet,
Vt Ancilla mea contemnat etiam me,
Et videns quod conceperit, despectui me habeat?

De Iusti offensa Deus iudex.

22 *Iudicet Dominus inter me, & te;* idest de mea causa, & tua, num videlicet æquum sit, me hanc iniuriam pati, & te illam dissimulare. Vel vt dicit S. Ioannes Chrysostomus. *Ego quidem volebam tuum marorem solari, quem habes ex prolis inopia. Tàm officiosam ea in re me gessi, vt & ancillam meam meis manibus traderem, & ad congressum inhortarer: tu autem videns hanc indè fieri temerariam propter vteri sarcinam, & magno fastu inflari, debebas reprimere, & vlcisci eius in me iniurias: quasi omnium priorum oblitus, me despicis etiam tu, me qua tibi tot annis cohabitaui, & ab Ancilla mea Ægyptia contemnor?* Iudicet Deus inter me, & te: *Dolentis anima verba.* Hactenus Aureus doctor homil. 38. in Genesim pag. 210. Lit. D.

Abrami studium erga Saram.

23 *Cui respondens Abram: Eccè ait, ancilla tua in manu tua est.* Abraam videns quòd Sara iustum petebat dixit: Eccè Agar in tua potestate est, vt corripias eam qualiter volueris: si seruus esset ego frænarem: famulam tuam tu tracta pro meritis; tuæ autem iurisdictioni subiacet, non meæ. *Scio quem tibi debeam honorem. Vnum tantum est cui studeo, vt tu marore careas, & turbatione, ac in omnibus sis honore,* ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. Vers. 6.

Abram permittendo Saræ, vt Agar grauidam affligeret, non peccauit, & cur.

24 *Vtere, & vt libet.* Idest permitto tibi, vt facias quiduis in Ancillam, tamen *vt libet*, idest intra limites rationis: hic excusatur Abraham à peccato, permittendo vxori quod voluerat in-

Ancillam, maximè grauidam, quia fortè ei Deus iam dixerat, quod dixit cap. 21. vers. 12. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*.

Famuli superbi humiliandi.

25 *Affligente igitur eam Sarai*: idest cùm Sara moderata castigatione humiliaret ancillæ petulantem insolentiam; tamen Agar intolerabile putans supplicium se Saræ inclinari.

26 *Fugam iniit*: idest vel incæpit, vel meditata fuit fugere tamquam potens minimè tantam ferre angustiam. *Et Hæc fuga*, inquit Abulensis ibid. *fuit contrà Ægyptum de qua oriunda erat*.

Cur Agar apparuit Angelus in deserto.

Vers. 7. 27 *Cumque inuenisset eam Angelus Domini*. Deus enim misit Angelum suum, ob meritum Abrahæ, ne perderetur tanta seminis multiplicitas, quantam Abraam habiturus erat de posteritate Agar. Hæc in Sacra Scriptura prima est Visio Angeli.

Fons Hebræis est puteus.

28 *Iuxtà fontem aquæ*: fortè labore itineris sitibunda properauit ad fontem idest ad puteum, vt patet infrà ex vers. 14. Scriptura enim puteum vocat fontem: quia in puteis est fons, & aquarum scaturigo.

29 *In solitudine, quæ est in via Sur in deserto*. Agar fugiens errauit iter, & loco viæ Ægypti, ad quam partem pergere cupiebat, versùs Assyriam tetendit. Ægyptum enim vtpotè patriam suam desiderabat.

Sur Desertum.

Sur desertum est inter Cades, & Barad Assyriam pergentibus, vt patet infrà ex cap. 25. vers. 18. vbi sic legitur: *Habitauit autem ab Heuila vsquè Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios*. Hæc autem explicatio Abulensi minimè placet, dicit autem ipse, quod Sur est pars deserti contrà Ægyptum venientibus de terra Chanaan, & ibi Agar errasse, quia ignorabat viam. Cæterùm quidquid sit de hoc, tibi prudenti lectori causam remitto.

Sur nomen quid interpretatur.

30 Sur nomine vocabatur pater Cozbi, Madianitidis illius, quæ cum Zambri interfecta est in genitalibus; qui quidem Sur princeps erat Medianitarum. Numer. cap. 12. vers. 31. & Iosue cap. 13. Fuit & nomen filij Abigabaon 1. Paralipp. cap. 8. & 9. Interpretatur enim Petra, vel Fortis, aut obsidens, seu Angustians, siue Psalmator, aut Ligatus, vel Ligans. Sur Insuper nomen est portæ in templo Salomonis, de qua fit mentio in 4. Regum cap. 11. & interpretatur Recessio, siuè Rebellio.

Sur Portæ Salomonis in templo interpretatio.

31 Hoc desertum Sur supradictum Syri vocant Agaram ab Agar: vndè prodierunt Agareni, qui & Ismaelitæ ab Ismael, & Saraceni vocantur, à Sara vxore Abrahæ, vt vult S. Hieronymus, seù à Saraca vrbe Arabiæ, vti putant Stephanus, & Couarr. tom. 2. Var. Resol. lib. 4. cap. 9.

Vnde Saraceni, & Agareni.

32 Agar autem interpretatur *Aduena*. Sic Comest. in hunc Genesis locum. Agar etiam est nomen vnius oppidi, quem describit Hirtius in lib. 1. de bello Africano.

Agar quid interpretatur.

33 Nota, quòd iste Angelus, qui ad Agarem accessit non fuit Angelus custos, vt aliqui putauerunt. Angelus enim custos numquam ab alumno recedit, & ipse Angelus non fuit malus sed bonus Angelus, nam sollicitam Agarem, quiescentem & pacatam reliquit. Hinc Patres docent Angelicæ apparitionis signum esse, si primò horror incutiatur, deindè consolatio, & lætitia ingeratur, nam contrarium facit Dæmon. Audi Ven. Bedam in cap. 1. Lucæ: *Sic*, ait, *Humanæ fragilitatis est Spiritalis creaturæ visione turbari, ita & Angelicæ benignitatis est, pauentes de aspectu suo mortales mox blandiendo solari, Ast contrà dæmoniacæ est feritatis, quos sua præsentia territos senserint, ampliore semper horrore concutere*: Et S. Antonius, teste S. Athanasio in eius vita, *Cùm bonus Angelus*, inquit, *bonis hominibus apparet, etiamsi initio inusitato aspectu, timorem inijciat, ad extremum consolationem, & animi tranquillitatem relinquit*. Et rursum: *Sanctorum Angelorum amabilis, & tranquillus aspectus, quia non contendunt, neque clamant, neque audiet aliquis vocem eorum: verùm tacitè, leniterque properantes, gaudium, exultationem, fiduciam pectoribus infundunt, siquidem cum illis est Dominus, qui est fons, & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed leuis, & placida Angelorum luce radiatur: tunc anima cælestium præmiorum auiditate flagrans, effracto si posset, humani corporis domicilio, & membris exonerato mortalibus, cum his, quos videt abire festinat ad cælum; horum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuò ex corde auferant metum*. Deindè Dæmonum apparentium contraria hæc dat indicia: *Pessimorum autem vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus, motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum: è quibus confestim timor animæ, sensibus stupor incutitur, odium Christianorum, monachorum mæror, tædiumque suorum recordatio, metus mortis, cupiditas*

Angelus custos numquam ab alumno suo recedit.

Angeli boni signum est, si post se relinquat quietem.

Mali, si horrorem.

nequi-

nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Sequitur post timorem horrore concepto, successerit gaudium, & ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est.

Vers. 8. 34 *Dixit ad illam; Agar ancilla Sarai, vnde venis? & quo vadis?* Angelus, vt Agar cognosceret suam seruilem conditionem, ancillam vocauit; & vt ex responsione ipsius efficaciùs corrigeret eam (non verò ex ignorantia) quæsiuit, vnde veniret, & quo pergeret.

35 *Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio.* Ly *à facie* est hebraismus, idest facies pro Persona. Cognoscens statim suum errorem Agar respondit, & benè se diffugisse à persona Sarai suæ dominæ.

Vers. 9. 36 *Dixitque ei Angelus domini: reuertere ad dominam tuam*; idest, quia malè egisti fugiendo à domina tua Sarai, nunc autem benè fac ad ipsam redeundo.

37 *Et humiliare sub manu illius*; alij legunt *subijce te*; Hebraismus est denotans debere subditam esse, & voluntati eius, tanquam ancillam dominæ obtemperare.

Vers. 10. 38 *Et rursum: multiplicans*, inquit, *multiplicabo semen tuum.* Hic Angelus, dicit Tostatus inibi, loquitur in persona Dei, quia Angelus non potest sua virtute multiplicare filios, cùm non sit Dominus naturæ.

Angeli non sunt Domini naturæ.

Nota quòd quando ponitur replicatio eorumdem met verborum, scilicet, multiplicans multiplicabo, expectans expectabo, & similia, quæ in Sacra Scriptura sæpè sæpiùs habentur, secundùm consuetudinem hebraicæ loquutionis maiorem certitudinem importat, quàm si simpliciter dicatur multiplicabo, expectabo, nullo addito.

39 *Et non numerabitur præ multitudine.* Hæc posteritatis Ismaelis amplitudinem hoc loco ab Angelo prænunciatam, expressiùs declarauit Deus infra cap. sequenti vers. 20. illis verbis: *Super Ismael quoque exaudiui te: eccè benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam.* Hi duodecim duces ab Ismaele generati, nominantur à Moyse infra cap. 25. addente Sacro scriptore, eos fuisse principes duodecim tribuum, idest gentium, diuersitate linguarum, & regionum inter se differentium.

Posteritatis Ismaelis peram pla promissio.

Vers. 11. 40 *Ac deinceps: Eccè ait, concepisti, & paries filium.* Nicolaus de Lyra Hebræorum quamdam fabulam narrat in hunc locum, dicens, quòd Agar partim ex labore itineris, partim in eius pœnam, quòd superba petulantia Saram contempserat, cùm grauida esset ex Abraham, fecit abortum: sed quia Angelo corripienti obediuit, vt humiliaret se Sarai, Deus viuificauit iterum in ventre eius fætum iam extinctum, & ipsa viuificatio, vocatur hic à Lyrano noua conceptio. Miror quomodo huic Auctori hæc fabula non displicuerit, cùm merum sit commentum. Insuper nescio quomodò possit viuificatio extincti fætus appellari conceptio, cùm nihil habeat conceptionis, sed sit vera resuscitatio eius, quod mortuum fuerat. Vnde ad rem: dixit Angelus *concepisti*, in præterito hoc intelligendum est, non *Concipies* in futuro; *Et Paries Filium.* Angelus vt conturbatam Agarem consolaretur annunciat ex concubitu Abraæ fætum quem habebat prolem masculam esse.

Hebræorũ fabula de conceptione secunda Ismaelis.

4 *Vocabisque nomen eius Ismael.* Hic sapientissimè dicit Caietanus; *Nulli hominum ante Ismaelem, Deus ante ortum eius nomen dedit; siquidem ipse primus inter homines sortitus est ante ortum suum nomen à Deo. Et cùm hac tamen noua, nec parua gratia, nihil scitur, bonus ne, an malus fuerit Ismael; vt de diuina gratia, gratis data nullus glorietur, nullus laudetur, nullus certò speretur bonus.*

Ismael primus hominũ ante ortum nomen habuit à Deo.

42 In tota Sacrarum Scripturarum serie de quinque tantùm hominibus legitur prænunciata cum aliquo miraculo fuisse nomina ante ipsorum ortum. Primus eorum fuit Ismael. Ismael idem est quòd שמעאל *Scamael*, idest exaudiuit Deus, scilicet orationem Agaris, quam fuderat dum affligebatur, hinc Ismael interpretatur *Dei exauditio.* Hoc Ismaelis nomen habuerunt etiam Filius Nathaniæ 4. Regum cap. 25. & Filius Asel Filij Elasæ 1. Paralipp. 8. & 9.

Quinque tantum viris, in Scriptura legi cũ miraculo ante eorum ortum prænunciatũ fuisse nomen.

43 Secundus fuit Isaac, cuius nomen prænunciatum fuit infra cap. 17. vers. 19. vbi: ait Deus ad Abraham: *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum.* Isaac enim interpretatur *Risus.*

44 Tertius numeratur Rex Salomon 1. Paralip. cap. 22. vers. 9. *Filius, qui nascetur tibi, erit vir quietissimus: faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum: & ob hanc*

causam

causam Pacificus vocabitur : & pacem, & otium dabo in Israel cunctis diebus eius : Et ex hoc pacificus interpretatur.

45 Quartus fuit Ioannes Baptista, Lucæ cap. 1. vers. 13. *Ait autem ad illum Angelus : Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua : & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem*. Cuius generationem denuncianti Angelo cùm non credidisset pater eius Zacharias, repentè mutus est factus, mater autem eius Elisabeth cùm planè sterilis esset, cum concepit, & audita salutantis se Virginis MARIÆ voce, prophetico Spiritu impleta est: & ipse Ioannes maternis adhuc inclusus visceribus, quasi præsentem Dominum agnoscens, exultauit præ gaudio in vtero matris suæ. Ac demùm nato Ioanne, patri eius & facultas loquendi restituta, & noua prophetandi gratia donata est.

46 Vltimus fuit, sed ante omnes hoc nomine admirandus, Dominus noster IESVS Christus, cuius annunciatio, conceptio, natiuitas, multis atque incomprehensibilibus fuere nobilitata miraculis. Ità verò de illo S. Lucas cap. 2. vers. 21. *Et postquam consumati sunt dies octo vt circumcideretur puer: Vocatum est nomen eius IESVS, quod vocatum est ab Angelo priùs, quàm in vtero conciperetur*. Et quia, vt docet Aristoteles 4 Metaphysicorum. *Ratio, quam significat nomen, est definitio quæ designat propriam rei naturam*. Nomina rectè imposita debent proprietatibus rerum
Nomen Iesu donum gratiarum significat. correspondere. Vndè S. Thomas 3. p. quæst. 37. artic. 2. in corpore, sapienter colligit; quòd *Nomina, quæ imponuntur aliquibus diuinitùs, semper significant aliquod gratuitum donum eis diuinitùs datum sicut* (infrà cap. 17. Genesis vers. 5.) *dictum est Abrahæ : Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Et* (Matth. cap. 16. vers. 18.) *dictum est Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia igitur Christo hoc gratiæ collatum erat, vt per ipsum omnes saluarentur, ideò conuenienter vocatum est nomen eius IESVS, idest, Saluator, Angelo hoc nomen prænuntiante, non solùm Matri sed etiam Ioseph, qui erat futurus eius nutritius.*

47 *Eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam*. Ista afflictio Agaris non erat de fætu extincto vt putat cum Lyrano Abulensis, sed per hanc afflictionem, intelliguntur, fames, sitis, labores, anxietates, & aliæ ærumnæ fugæ, ac itineris.

48 *Hic erit ferus homo*, alij, *syluestris*, *Vers. 12.*
rusticus, onager, solitarius; Hebraicè enim est פרא idest *Pere* quod propriè Onagrum significat; vndè hic erit fe-
Ismael fuit Onager. rus homo quasi diceret hic tuus filius, quem Ismaelem vocaberis, erit instar onagri ferus, durus, intractabilis, ferinis moribus, & ingenio, omnibus rebellis : nam vt dixit Iob cap. 11. vers. 12. *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, se liberum natum putat*.

49 Oleaster super hunc locum disputans de significatione illius vocis Hebrææ *Pere*, quam reddidit Latinus Interpres *Ferus*. *Verbum*, inquit, *(Para) à quò (Pere) significare videtur in sacris Literis fructificare. Sed Hebræi dicunt (Pere) significare asinum Siluestrem, & per translationem hominem siluestrem, idest, inurbanum, inciuilem, atque ingenio, moribusque ferinis. Verùm si allusio debet esse nominis ad verbum suum principale, & originale, existimarem (Pere) potiùs significare animal fæcundum, aut crescens. Vndè (Par) significat iuuencum, quòd eiusdem significatiuus esse videtur. Dupliciter igitur hic locus verti potest : primò sic* : Ipse erit Siluestris homo : *Cui interpretationi concordant proximè sequentia*. Manus eius contrà omnes, & manus omnium contra eum. *Sin autem significet fructificans animal, tunc sensus erit, ipse erit homo fructificans. Certè Agareni, præ cæteris gentibus fructificare videntur, propter multitudinem vxorum, eis lege sua permissam, ijdemque hostiliter insectantur omnes, vtpotè quibus persuasum, & præceptum sit, legem suam non ratione, sed gladio tueri, ac propagare*. Sic Oleaster. Et apud Septuaginta Interpretes hoc loco est vox ἄγροικος, significans hominem agrestem, & rusticum.

50 *Manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum*. Idest, quia filij Ismael omnes impugnabunt, ab omni-
bus etiam impugnabuntur. Habitauit *Ismael vbi habitauit.*
enim Ismael in solitudine Pharan, vti legitur infra in cap. 21. vers. 21. *Habitauitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti*, & in circuitu deserti illius, multæ gentes habitabant, quæ contrà ipsum Ismael, & posteros eius frequenter pugnabant.

51 *Et è regione vniuersorum fratrum suorum figet tabernacula*. Diuersa horum verborum expositio esse potest. Aut enim significat situm habitationis Ismaelitarum, habitarunt enim Ismaelitæ in deserto Pharan, iuxtà quod

erant

erant sedes Hebræorum, Idumæorum, Madianitarum, Moabitarum, & Ammonitarum; Hos autem constat fuisse fratres, siue cognatos Ismaelis, vtique vel ex eius patre Abram, vel ex fratre Isaac, vel ex Loth consobrino ipsius progenitos. Aut illud, *E regione fratrum suorum*, demonstrat ingentem confidentiam, ferocesque animos Ismaelitarum. Nam cùm infensi essent, atque infesti omnibus vicinis populis, & gentibus, etiam cognatione propinquis: cùmque ab illis omnibus ob eam causam vicissim infestarentur, tantum abest, vt formidantes eorum vim, & potentiam longè ab illis recesserint, vt iuxtà illos, & coram illis habitare, ac versari voluerint; tanta illis erat animi ferocia, suique fiducia.

52 Quia multis, & illustribus Auctoribus placuit, eamdem fuisse Agarenorum, seu Saracænorum, vel Ismaelitarum gentem, atque eos omnes ex vna Ismaelis stirpe prodijsse; ostendere libet in Saracænis, quam vera fuerit hæc Angeli prædictio de barbarie, ac feritate posterorum Ismaelis, & hoc ex testimonio Ammiani Marcellini, qui in libro 14. de moribus Saracænorum, ipsorum ingenium, habitationem, victum, mores, atque instituta planè barbara, & ferina breuiter scribens, sic demonstrat. *Omnes pars, fortes sunt bellatores, seminudi coloratis sagulis pube tenus amicti, equorum adiumento pernicium, graciliumque camelorum per diuersa reptantes, in tranquillis æquè, ac turbidis rebus. Nec eorum quisquam aliquando stiuam apprehendit, vel arborem colit, vel arua subigendo quæritat victum: sed vagantur semper, erantque per spatia longè, lateque distenta, sine lare, sine sedibus fixis, aut legibus, nec idem perferunt diutiùs cælum, nec tractus vnius soli, illis vnquam placet. Vita est illis semper in fuga, vxoresque mercenariæ, & conductæ ad tempus ex pacto: atque vt sit species aliqua matrimonij, futura coniux, dotis nomine, hastam, & tabernaculum offert marito, post statum diem, si elegerit discessura, & incredibile est, quo ardore apud eos in venerem sexus vterque soluatur. Ita verò quo ad vixerint, latè palantur, vt alibi mulier nubat, in loca pariat aliò, liberosque procul deducat, nulla copia quiescendi permissa. Victus vniuersis caro ferina est, lactisque abundans copia, qua sustentantur, & herba multiplices, & si quæ alites capi per aucupium possint, & plerosque nos vidimus, frumenti vsum vinique penitùs ignorantes. Vltrò, citròque discursant: quidquid inuenire potest, momento temporis vastant, miluis rapacibus similes, qui si prædam despexerint celsiùs volatus rapiunt celeri.* Hæc Ammianus.

De Barbarie Saracænorum, & posterorum Ismaelis feritate verificata Angeli prædictio ex Ammiano.

Saracænorum ingenium, habitatio, victus mos, atque instituta.

53 *Figet Tabernacula*: idest tentoria sicut in bellis fieri solet; nam etiam tunc Nomades, Arabes, nam alijque Ismaelitæ degunt in papilionibus, seu tentorijs, vt & olim, Hæc sunt Tabernacula Cedar, de quibus Cantic. cap. 1. vers. 5. dicitur; *Nigra sum, sed formosa, filia Ierusalem, sicut Tabernacula* legit *sicut habitationes*, Aquila, & Symmachus *Tentoria*; & *Cedar* idest Arabum; Cedar enim fuit filius Ismaelis, & pater Arabum, siue Nomadum, in solitudine Saracænorum habitantium in tentorijs. Cedar verò interpretatur Nigredo, seu Tristitia.

Cedar quid?

54 *Vocauit autem Agar nomen Domini, qui loquebatur ad eum.* Hic intelligendum est non quòd loqueretur ipse Deus Agari, sed ipse Angelus missus ad eam & corrigendam, & consolandam, in persona Dei, nunquam autem in lege veteri, Deus per se etiam in creatura assumpta apparuit, licèt dicatur apparuisse, aut aliquid egisse. Nota quòd Ly *vocauit* hic idem est ac inuocauit; & facit hunc sensum Agar inuocauit hoc modo. Vers. 13.

Deus loquitur per Angelos.

55 *Tu Deus qui vidisti me*, hoc est respexisti, & miseratus est afflictionem meam. Agit enim hic Agar gratias Deo pro eius paterna ergà se visitatione, prouidentia, & tutela. Sic Caietanus, Lippomanus, & alij. Et hoc, scilicet (*Tu Deus qui vidisti me*) fuit orationis Agaris initium, cætera verò eius orationis tacuit Moyses.

56 *Dixit enim; Profectò hic vidi posteriora videntis me.* Vatablus in hunc locum dicit; *An hic vidi post videntem me? Interrogatio hæc responsionem negatiuam postulat, quasi dixisset, Vidi nec illum abeuntem, qui vidit me, siuè apparuit mihi? & subaudiendum est, Non vidi: Vndè cognoui esse Angelum Domini, nam quandiù loquebatur mecum, videbam illum: mox autem ita disparuit, vt videre eum non potuerim: quem abeuntem videre potuissem, si homo fuisset. Verè igitur cognoui Deum ad me consolandum misisse Angelum suum. Et subitò agitur disparitione collegit Agar illum esse Angelum Domini. Simile videtur, quod in libro Iudicum capite duodecimo proditum est de Angelo, qui apparuit parentibus Samsonis:* vers. 20. Cùmque ascenderet flamma altaris in cœlum, Angelus domini pariter in flamma

ma ascendit. Quod eum vidissent Manue, & vxor eius, proni ceciderunt in terram (vers. 21.) Et vltrà eis non apparuit Angelus Domini. Statimque intellexit Manue, Angelum Domini esse: Cum hac lectione Vatabli concordat lectio huius loci ex Hebræo quam tradit Caietanus dicens: Illud *si* vidi; habet vim negandi, idest, non vidi. Vt autem sensum verborum percipiat Lector, imaginari eum conuenit, Angelum inter loquendum cum Agar, finitis proximè scriptis verbis, repentè ex oculis Agar euanuisse. Itaque nec ille mansit illic, nec indè recessit ambulando, aut volando, sed subitò, ac penitùs euanescendo; vt quem Agar præsentem videbat, & audiebat loquentem, subitò is, non sit ab ea visus ampliùs. Atque hoc repentinum non vidisse eum post sermonem eius explicat Agar cum emphasi dicendo *si hic vidi*; declarans subitò ereptam sibi fuisse eius visionem. Siquidem illud, si, ex communi loquendi consuetudine vim habet negandi, & quidem cum magna emphasi. Hic autem subitus, & incomprehensibilis Angeli abscessus, fuit ratio, quæ fecit Agar cognoscere illum fuisse Deum; vel nuncium Dei: & propterea Moyses hæc verba Agar commemorauit, vt indicaret, cur Agar dixerit: *Tu Deus, qui vidisti afflictionem meam*. Sic & Pererius.

Vers. 14. 57 *Propterea appellauit puteum illum, Puteus viuentis, & videntis me*. Hic duo verba præcipuè consideranda occurrunt, nempè *Viuentis, & videntis*, quæ duo duplicem sensum facere possunt, si referantur, aut ad Deum, vel ad Angelum: si ad Deum, indicant duo propria Dei, scilicet viuere, & videre. Deus enim solus ex se viuit, vitam habet æternam, imò fons est & origo cur cætera quæcumque viuunt, viuant. Sic & proprium Dei est videntem esse. Vel id absolutè significet esse scientem, Deus enim scit omnia, non solùm, quæ sunt, fuerunt, & erunt, sed etiam quæcumque possunt, aut fieri non possunt. Seu illud videre Dei significet, respicere misericorditer in periculis, & angustijs, atque calamitatibus versantes. Si Ad Angelum significant duo propria Angeli comparati non cum Deo, sed cum homine: nam Angelus comparatiuè ad hominem dicitur viuens, & immortalis; appellatur etiam videns, idest, sciens, cuius comparatione homo est quasi cæcus, & ignorans: sed ad Deum

Esse viuentem, & videntem simpliciter, & absolutè dicta vnius Dei propria sunt.

Esse viuentis, & videntis quomodò competat Angelis.

putarem meliùs esse referenda hæc duo participia: *Viuentis, & videntis*.

58 Iste puteus (de quo iam aliquid tetigimus in vers. 7. superiùs) nota quòd dictus fuit fons, sed nota argutam S. P. N. Augustini sententiam Tract. 5. in Ioannem: *Omnis puteus fons est, non omnis fons puteus. Vbi enim aqua de terra manat, & vsui præbetur haurientibus, fons tantum dicitur; si autem in alto, & profundo sit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat*.

Omnis puteus fons est, sed non è contra, & cur.

59 *Ipse est inter Cades*. Cades fuit locus in deserto Sur, in quo errantem Agarem inuenit Angelus, & interpretatur Sanctitas. Cades verò fuit is locus in quo fons erupit de petra, virga Moysis percussa, quæ dicta est aqua contradictionis, quia ibi Filij Israel iurgati sunt contrà Dominum, & sanctificatus est in eis, videlicet magno potentiæ suæ miraculo, ex durissima, & siccissima petra largissimè aquam eis præbendo; vnde nomen ei loco contigit; nam vox *Cades* sanctitatem, vel sanctificationem sonat.

Cades vbi, & quid.

60 *Et Barad*, interpretatur Grando, siue in descensu aut in imperio, nomen loci est similiter in deserto Sur: Vnde S. Hieronymus de locis Hebraicis in libro scribit: *Sur est locus, vbi inuenit Angelus ancillam Saræ Agar inter Cades, & Barad, extenditur autem desertum Sur, vsquè ad Mare Rubrum, quod ad Ægypti confinia peruenit. Porrò Cades solitudo est super vrbem Petram. Sed & Scriptura desertum Cades contrà faciem Ægypti extendi memorat: ad quod primùm venere Hebræi Rubro mari transuadato*.

Barad vbi, & quid.

Sur vbi situs sit.

61 *Peperitque Agar Abram filium: qui vocauit nomen eius Ismael*. Agar reuersa ad domum Abraæ humiliata Saræ, tempore consueto peperit filium, cui Abram, propter ea, quæ narrauerat Agar euenisse & dixisse Angelus ei de prole, imposuit Ismaelis nomen; De quo Ismaele S. Methodius Martyr, relatus ab Abulense, & à Pererio ibidem, hoc vaticinium reliquit: *De isto Ismaele* (scribit Tostatus) *prædixit Methodius martyr, qui Ciliades Sæculorum in Arcanis quibusdam descripsit, prædixit, inquam, ex genere Ismaelis quatuor fuisse Principes, qui vocati sunt vineæ filij, fortasse propter insaniam ex ebrietate; hos autem fuisse Zeb, Zebee, Oreb, & Salmana, qui egressi de solitudine contrà filios Israel, victique à Gedeone, retrusi sunt in eamdem solitudinem. Prædixit etiam fore, vt Ismaelis posteri (significat autem Saracenos)* Vers. 15.

Vaticinium de exitiosa gente Ismaelitarum, idest Saracanorũ adscriptum S. Methodio Martyri.

Digitized by Google

canos) semel è sedibus suis egressi occupent imperium orbis terræ per octo hebdomadas, idest, annos quinquaginta sex. Tunc vocabitur via eorum, via angustiæ: in Sacris locis interficient Sacerdotes, & ibidem cum mulieribus dormient: & ad sepulchra Sanctorum religabunt iumenta sua: idque propter nequitiam Christianorum eueniet, de hoc ait Dominus per Ezechielem: Voca bestias agri, & exhortare illas dicens: Congregamini, & venite, eò quòd Sacrificium magnum immolo vobis: manducate carnes fortium, & bibite sanguinem Excelsorum. Sic Methodius. Subdit autem Tostatus; Hæc omnia, inquit, ab isto viro Sancto pranunciata, ad literam venerunt super nos in miserabili Hispania, quando tempore Roderici Regis, Arabes totam Hispaniam inuaserunt, vastauerunt, multoque tempore tenuerunt: atque hæc omnia perspicua sunt ex vulgatis Chronicis Hispanorum. Hæc Tostatus.

62 *Octoginta, & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.* Idest Anno decimo post aduentum in terram Chanaam duxit Agar, & anno proximo natus est Ismael. Vers. 16.

ANNOTATIO MORALIS.

Vers. 1. 63 *IGitur Sarai vxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar.* Sarai animæ nostræ est figura, quæ cùm sit sterilis virtutibus caret filijs bonorum operum, hæc habet Agarem subditam, idest corpus, quod Animæ seruire debet; hoc fit vxor Abram, idest in suum dominium reducit intellectum, ex quo concipit prolem feram, Syluestrem, indomabilem, quæ proles sunt inordinati affectus, propter quam prolem insolescit Agar, idest corpus, erga Saram, idest animam; Hinc Anima nostra non debet esse sterilis virtutibus, sed vitijs, & quomodo esse debeat, siuè possit, S. Ambrosius docet in lib. de Isaac, & Anima cap. 7. vbi sic scribit. *Nec otiosè fœcunditatis laudatur anima, non solùm quòd sit fœcunda virtutibus, sed etiam quòd nihil habeat in se mali. Illud enim decorum atque speciosum est, in quo nihil sit mali. Decorum enim quod bonum: quod autem indecorum, hoc malum. Speciosa fœcunditas est bonorum operum. Contraria ergo speciositati sterilitas: Quoniam qui priuatur specie, vel decore, in eo est malum: quod autem malum, hoc sterile, & infœcundum ...... Similis est causa animæ soli, quia ea decora anima, quæ fœcunda sit meritis, fœcunda consilijs: ea indecora quæ sterilis; Infirmitates etenim animæ sunt sterilitas, & materia. Namque eam sterilitas fructu defraudat suo, inopiam infert, timorem incutit, adolet cupiditates, & vanas opiniones: sic anima cadit. Quid ergo est malitia, nisi boni indigentia?* (Hìc S. Ambrosius citat S. P. N. Augustinum lib. 1. contrà Iul. Pelag. cap. 9.) *Suo enim defraudatur, atque alieni indiget, exinanitur atque repletur sinè mensura, & modo. Materialia autem vitia animæ obumbrant gratiam. Ignorantia, & concupiscentia animæ sunt ægritudines, sed ad speciem magis quàm ad materiam referuntur. Materia est caro, species est ignorantia, & concupiscentia. Cur igitur caro accusatur, cùm tantæ sint in specie labes? Quia nihil species potest sine materia. Denique nihil species securis sinè materia facit. Quid enim esset concupiscentia, nisi eam caro inflammaret? Friget in senibus, in pueris quoque, quia ijs corpus infirmum est: ardet in adolescentibus, quia his vis corporis feruet. Ex bonis igitur mala orta sunt. Non enim mala sunt, nisi quæ priuantur bonis. Per mala tamen factum est, vt bona eminerent. Ergo indigentia boni, radix malitiæ est. Definitione boni malitia deprehenditur, quoniam per disciplinam boni malum reperitur. Bonum autem nullius eget, sibi abundat, mensuram, & perfectionem, finem quoque tribuit omnibus, in quo vniuersa constant, & de quo omnia pendent. Hæc boni natura est, quæ mentem replet. Circa hoc versatur anima pura, hoc introspicit, & in hoc Deum cernit, bonis Omnibus abondat. Vndè & ait* (Cant. 5.) *Fauces eius dulcedines, & totus desiderium. Omnium enim bonorum auctor est Deus: & quæ sunt eius, profectò omnia bona sunt; & nusquam illic malum, & si in illo mens nostra maneat, malum nescit. Anima igitur*

Anima nostra non debet esse virtutibus sterilis, sed vitijs.

Infirmitates animæ, quæ?

Deus omnium bonorum auctor.

Anima extrà Deum misera.

tur quæ in Deo non manet, ipsa sibi auctor malorum est: itaque peccat. Anima autem quæ peccat, ipsa morietur. Aureis enim vinculis soluta virtutum, prona fertur præcipitio, & labitur ad inferiora. Anima autem beata est, quam nulla aduersa corporis prælia expugnant. Hæc anima sicut passer laqueo contrito euolat. Hactenus S. Ambrosius.

Vers. 2.

64 *Dixit Marito suo: ecce conclusit me dominus ne parerem.* Et prospera, & aduersa, & quæ suspiramus & quæ nolumus, bona proindè, & mala de manu domini sunt suscipienda & recognoscenda. Sic patientissimus ille Hus Princeps ad mulierem, quæ quasi vna de stultis loquebatur, dixit, Iob cap. 2. vers. 10. *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?*

Bona, & mala de manu Domini.

65 *Ingredere ad ancillam meam, &c.* Iustus vxoratus ex matrimonij copula filios, non voluptatem cupit. Vndè Procopius in Glossa citatus, de Sara, & Abram dicit: *Vides hoc loco functos è matrimonij copula, non voluptatem, sed liberos esse venatos.*

Ex Matrimonio filij non voluptas quærenda.

66 *Si fortè saltem ex illa suscipiam filios.* S. Hieronymus ibidem dicit: *Nota diligenter, quòd procreatio filiorum in hebræo ædificatio dicta est*, scilicet, si fortè ædificer ex illa. Meditare. Deus quidem Gen. cap. 2. vers. 22. ædificauit costam in mulierem; nam dicitur. *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Ergo Sarai dum asserit se ex filio ancillæ ædificandam esse, innuit ex sterilitate ædificium corruisse. Ad mores igitur. Quasi non sit existima illum, qui Dei in domo sterilitate laborat. Quilibet Catholicus, vel religiosus, seu Concionator debet spiritualem natum enitere: sed præcipuè, qui ad proximorum salutem aduocantur Christi familiares vt Prædicatores, & Prælati. Quasi non est, qui solus in domo Dei commoratur.

Qui filios spirituales Deo non offert, quasi non est.

67 Vel dic: *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios.* O tempora, quandò sic à Dominis ancillæ existimabantur, vt filius ancillæ, Dominæ filius reputaretur! Debent profectò qui tibi ministrant, à te veluti filij reputari. Sic fideles se ostendent, qui non tàm mancipia, aut seruos, quàm filios se esse cognouerint.

Ancillæ, & serui debent vt filij reputari sic seruient filiali affectu.

Vers. 3.

68 *Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem quàm habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro suo vxorem.* Vidisti quomodo sancta Sarai ex dilectione allicitur ad præces huiusmodi (*Cumque ille acquiesceret deprecanti*) ne maritus dilectissimus cogeretur sinè liberis, ac sine filio hærede obire. Vnde illum verum existima vxoris in virum, affectum, qui ipsius viri vtilitate nititur, non propriam respicit commoditatem. Hinc S. Ambrosius lib. 2. de Abram cap. 2. dicit. *Non enim tàm pulchritudo mulieris, quàm virtus eius, & grauitas delectat virum. Qui suauitatem quærit coniugij; non tàm superiorem censu ambiat, quàm necessitates non terrenas maritales; non monilibus ornatam, sed moribus.*

Affectur verus fæminæ in mariti illius nititur vtilitate.

Mulier non monilibus, sed moribus ornata.

Vers. 4.

69 *Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.* Hoc plerumque vsu venit, vt ijs rebus insolentes, & inhumani simus aduersùs eos, quorum eas res munere, ac liberalitate accepimus. Præclarè igitur Vaticani Columba in lib. 21. Expositionis in cap. 3. primi Regum: *Quidam*, inquit, *Prælatorum functa Ecclesiæ magisterio subditi, dum adhuc rudes sunt, obediunt: sed cùm paulò altiùs per conuersationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt. Quos benè Agar Saræ ancilla designat: quæ cùm de Abram viro eius concepisse se vidit, dominam despexit, Agar quippè concipit, quandò reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conuersationem credit. Quæ profectò prægnans, dominam suam despexisse dicitur, quia iam præpositi sui voluntati, per obedientiam subdi dedignatur. Sed quæ dominam despicit, ancilla esse perhibetur: quia superbi, subditi, & infirmi sunt per elationem, & ad filiorum Dei numerum non pertingunt.*

Semper magna beneficia maxima ingratitudine compensantur.

Superbus est infirmus spiritualiter.

70 Vel dic: despexit dominam suam. Mirum esset ancillam vel famulum maiori in fortuna non superbire. Vilis certè animi est, & ingratitudinis vitio teneri, & debitæ summissionis iura violare.

Vilis animi est superbire in prosperis, & submissionis violare iura.

71 Notandum est primò, quòd superbia diabolo assimilatur, secundò gloriam Dei vsurpat, tertiò perfectos impugnat. De primo dicitur Iob. cap. 41. vers. 25. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Vnde est signum per quod diabolus suos cognoscit; sicut Christus Dominus suos per charitatem. De secundo Isaiæ cap. 42. vers. 8. dicitur: *Gloriam meam alteri non dabo.* De tertio S.P.N. Augustinus in regula dicit: *Superbia etiam bonis operibus insidiatur vt pereant*; vnde est quasi turris Babel, ad cælum, idest cælestes viros pertingens, inexpugnabilis, vt castrum in alto situm.

Superbia Diabolo assimilatur. Gloriam Dei vsurpat. Perfectos impugnat.

72 No-

Digitized by Google

72 Notandum fecundò, quòd fuperbia eft Deo odibilis, proximo deteftabilis, & fibi damnabilis. De primo habetur Ecclefiaftici cap. 25. verf. 3. *Tres fpecies odiuit anima mea, & aggrauor valdè anima illorum: pauperem fuperbum,* &c. Pauper fuperbus eft homo refpectu Angeli. Secundum patet, quia fubueniendum effet pauperibus de talibus quibus mulieres ornatæ funt, quafi laqueus, & rete, & hamus, & gladius, & fagitta diaboli. De tertio Apocalypfis cap. 18. verf. 7. *Quantum glorificauit fe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum.*

Item eft Deo odibilis, Proximo deteftabilis, fibi damnabilis.

73 Notandum tertiò, quòd fuperbia primò, bona omnia expellit præfentia, fecundò, excludit abfentia, tertiò, falfificat omnia. De primo S. Gregorius in Moral. dicit *fuperbia virtutes deftruit.* De fecundo habetur in 2. Regum cap. 1. verf. 21. *Montes Gelboe, nec ros, nec pluuia veniant fuper vos, neque fint agri primitiarum.* De tertio dicitur Ecclefiaftici cap. 13. verf. 1. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui communicauerit fuperbo induet fuperbiam.*

Item, Bona expellit præfentia excludit abfentia, falfificat omnia.

74 Notandum quartò. Superbia auxilium Dei fubtrahit, alia vitia parturit, & hominem ipfum deijcit. De primo fcripfit Hugo de fancto Victore. *Superbia aufert mihi Deum.* De fecundo legitur Ecclef. cap. 10. verf. 15. *Initium omnis peccati eft fuperbia,* fcilicet Hærefis, contentionis, rapinæ &c. Vndè non venit fola, fed cum exercitu quafi regina vitiorum. De tertio exemplum patet de Lucifero, & Adam hinc Lucæ cap. 14. verf. 11. *Qui fe exaltat humiliabitur.* Scandentes enim libenter cadunt: & qui fe eleuant, fub oftio humili lædunt caput.

Item Auxilium Dei fubtrahit, alia vitia parit, hominem deijcit.

75 Notandum quintò. Superbia memoriam hominis annihilat, à Deo elongat, Deum impugnat, hominem decipit, fcandala tendit, ftultitiam facit. De primo habetur Ecclefiaftici cap. 10. verf. 21. *Memoriam Superborum perdidit Deus.* Et in Pfal. 33. verf. 17. *Vt perdat de terra memoriam eorum.* De Secundo nota quòd elongatio à Deo eft diffimilitudo, Chriftus autem fugit ne fieret Rex. De Tertio nota quòd quando alia cauentur, tunc iftam præcipuè exercent homines; fcilicet, facro loco, & facro tempore. De quarto, dicitur Ifaiæ cap. 3. verf. 24. *pro Zona funiculus &c.* de quinto, Ecclefiaftici cap. 10. verf. 13. *Initium fuperbiæ hominis apoftatare à Deo,* quia votum iftud tranfgreditur, Abrenuntio Satanæ. De fexto, habetur Ecclefiaftes cap. 3. verf. 4. *Tempus flendi, & tempus ridendi.* Item tuo (Lector mi candide) iudicio relinquo alia fex à fuperbia procedentia, neque quòd ipfe hominum confundat, Apoftatam faciat, ordinem Dei peruertat, inflet, captiuet, & damnet.

De Superbia fex ex alia recenfentur mala.

76 *Dixitque Sarai ad Abram: Iniquè agis contrà me: Ego dedi ancillam meam in finum tuum, quæ videns quòd conceperit, defpectui me habet;* Famulorum hic eft mos, vt fi eis faueas, fi eos honores, fuperbi ingrati, & elati euadant. *Hic fermè* (verba funt Aurei Doctoris ibidem) *Seruorum mos eft, vt cùm parum profperitatis eis afpirauerit, nequeant intrà fuos limites manere, fed ftatim fui ordinis obliuifcantur, & in ingratitudinem propenfi fint.* Ita Ancillæ, & ferui, fi exaltentur, in Dominos infurgent: Vnde in Prouerbijs cap. 29. verf. 21. dicitur: *Qui delicatè à pueritia nutrit feruum fuum, poftea fentiet eum contumacem.* Et in cap. 30. verf. 21. *Per tria mouetur terra, & quartum non poteft fuftinere: per feruum, cùm regnauerit: per ftultum, cùm faturatus fuerit cibo: per odiofam mulierem, cum in Matrimonio fuerit affumpta: & per ancillam, cùm fuerit hæres dominæ fuæ.* Verf. 5.

Famuli fuperbi, & ingrati fi eis faueas.

77 Vel dic: Caro dum rebellatur ad fpiritum videtur tunc defpectui habere dominam fuam; fed indè cùm ratio denunciat homini talem rebellionem, debet rationi fubijcere carnem, quod notatur cum fubditur: *Cui refpondens Abram, eccè ait ancilla tua in manu tua eft.*

78 *Iudicet Dominus inter me, & te.* Vide hic quam infida, & fallacia fint hominum confilia, vt non nobis fed Deo fidere difcamus. Primò, Sara fperabat femen promiffum ex Agar, fed fallitur. Secundò, putabat per coniugium magis Agar fibi deuincire: at mox fenfit eam contumacem.

Infida funt hominum confilia.

79 Cui refpondens Abram: Eccè, ait, ancilla tua in manu tua eft, vtere ea vt libet S. Ioannes Chryfoftomus morale præftat (inibi homil. 38.) documentum, dicens: *Hoc eft verum contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris fpectat verba, fed imbecillitati fexus veniam nonnihil concedit, hoc vnum fatagens, vt è medio tollatur triftitia, & pax atque concordia conftringantur arctiùs.* Et inferiùs: *Vt & illa ad virum fuum habeat conuerfionem, & vir ab externis ac forenfibus negotijs,* Verf. 6.

Mutua vxorum concordia felix contubernium.

Digitized by Google

gotijs , & turbationibus ad eam quasi ad portum confugiat , & omnigenam inueniat consolationem . In adiutorium enim data est , &c.

80 *Affligente igitur eam Sarai*, Ex Superbia Agar non poterat inclinari, volētis se semper præferre Sarai. Ista enim est conditio superborum, quòd modicam humiliationem in tantum intolerabile reputent, & putent se infimos esse, cùm modicum humiliati fuerint.

Superborum conditio, quæ.

Vers. 7. 81 *Cùmque inuenisset eam Angelus Domini iuxtà fontem aquæ in solitudine , quæ est in via Sur in deserto* . Agar nunquam in Domo Abrami legitur habuisse Angelicas visiones, dum in solitudine moratur tunc Angeli meruit habere solatium. En quomodo solitudo apta est ad profectum gratiarum. Vndè S. Ambrosius in lib. super Beati immaculati, lib. 11. vers. 1. Tom. 4. Sic eleganter scribit. *Et silebit quietus , & feriatus ab omni interpellatione mundanæ solicitudinis, & voluptatis , & diuinis vacabit oraculis , quæ solent singulariter sedentibus reuelari, sicut Sancto Dauid , qui ait : Quoniam tu singulariter in spe constituisti me* (Psal. 4. vers. 10.) *Et hic quidem non in secreto solus sedebat , sed cùm præesset populis, singulari tamen gratia præeminebat . Helias solus sedebat , cùm ab Angelo , vel etiam coruis cibum deferentibus pasceretur . Solus non solùm secretus à turbis , verùm etiam segregatus à meritis plurimorum . Denique reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebant , cuius muneris fructum pro mercede adipiscebatur , quia à iuuentute sua iugum verbi suscipiendum putauit , nec trahenda longo diutiùs fune peccata* . Et in tom. 3. lib. 6. Epist. epist. 3. ad Sabinum, clariùs scribit. *Sola erat Maria , & loquebatur cum Angelo. Sola erat, quando superuenit in eam Spiritus Sanctus , & virtus altissimi obumbrauit eam . Sola erat , & operata est mundi salutem , & concepit redemptionem vniuersorum . Solus erat Petrus , & totum per orbem consecrandarum gentium cognouit mysteria. Solus erat Adam & non est præuaricatus , quia mens eius adhærebat Deo .*

Solitudo apta est ad profectum gratiarum.

82 Hìc nota quòd solitudo triplex est. Prima vitiosæ singularitatis: Secunda, derelictio in angustijs tribulationis. Tertia est in meditatione desiderij cælestis. De prima dicitur Ecclesiast. cap. 4. vers. 10. *Væ soli, quia si ceciderit non habet sublevantem* . Talis solitarius primus fuit Diabolus. De secunda, ad Hebræos cap. 11. vers. 38. *In solitudinibus errantes* : & Christus in passione (Isaiæ cap. 63. vers. 5.) *Circumspexi , & non erat auxiliator , &* (Psal. 101. vers. 7.) *Similis factus sum pellicano*, scilicet, (vers. 8.) *Factus sum sicut passer viuens in ædibus* . In hac erat Maria Magdalene, quærens Dominum; *Domine*, inquit (Ioan. cap. 20. vers. 15.) *si tu sustulisti eam , dicito mihi ; & ego eum tollam* . Secundò, percusserunt Baculo correptionis. Vnde Psal. 22. vers. 4. *Virga tua , & baculus tuus , ipsa me consolata sunt* . (Psal. 140. vers. 5. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Ego*, ait Dominus, Apocal. cap. 3. vers. 19. *Quos amo , arguo , & castigo . Argue , obsecra , increpa* (S. Paulus 2. ad Timoth. cap. 4. vers. 2.) *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes , suscipite infirmos* . Idem ad Thessal. prima cap. 5. vers. 14. & Ieremias cap. 5. vers. 3. *Percussisti eos , & non sunt sanati : attriuisti eos , & renuerunt accipere disciplinam* . Tertiò, vulnerauerunt gladio separationis. De hoc dixit Dominus Matth. cap. 10. vers. 34. *Non veni mittere pacem , sed gladium* . Iste est sermo (ad Hebræos cap. 4. vers. 12.) Dei *viuus , & efficax , & penetrabilior omni gladio ancipiti , pertingens vsque ad diuisionem animæ , & spiritus* . Gladium istum dixit, sermonem non prolatum, sed incarnatum, hoc totum est quod dixerat anima in Canticis cap. 5. vers. 7. *Inuenerunt me custodes , qui circumeunt ciuitatem : percusserunt me , & vulnerauerunt me ; tulerunt pallium meum mihi custodes murorum .*

Solitudo triplex moraliter, & quæ.

83 *Dixit ad illam : Agar ancilla Sarai , vndè venis? & quò vadis? quæ respondit : A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio* . Vers. 8.
Loquitur Deus in Angeli persona, forsanne ignorat Dominus vndè veniat, & quo vadat Agar? minimè. Cur ergo petit interrogans quò pergeret, & vndè veniret? Vt doceret nos, quòd confessio propriorum criminum est facienda (vt fecit Agar dicens: *A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio*) quamuis Deus peccata omnia sciat. Vnde Mediolanensium Pastor bellè lib. 7. super Lucam cap. 29. tom. 5. confirmat dicens: *Etsi Deus nouit omnia , vocem tamen tuæ confessionis expectat . Ore enim confessio fit ad salutem : quia alleuat pondus erroris quisquis ipse se onerat , & accusationis excludit inuidiam qui accusatorem præuenit confitendo . Iustus enim in primordio sermonis accusator est sui . Frustrà autem velis occultare quem nihil fallit , & sine periculo prodas quod scias esse iam cognitum . Confitere magis vt interueniat pro te Christus , quem aduocatum habemus apud Patrem.*

Confessio peccatorum est facienda quamuis Deus peccata omnia sciat.

Digitized by Google

trem. Roget prò te Ecclesia, & illachrymet populus, nec verearis, ne nõ impetres. Aduocatus spondet veniam, patronus promittit gratiam, reconciliationem tibi paternæ pietatis pollicetur assertor. Crede quia veritas est: acquiesce quia virtus est.

Fugere vxorem à viro idem est ac in perditionem properare.

84 Vel dic *Vndè venis? quò vadis?* Quasi diceret quò imprudens properas? longè à marito? ad perditionem *vadis*. Nam fugere vxorem à viro, idem est, ac in perditionem properare. Dic & Religiosum à Monasterio fugere, idem est, ac in gehennæ baratrum tendere.

Verſ. 9.

Verè Angelus, qui humilitatem docet.

85 *Dixitque ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam; & humiliare sub manu illius:* Angelus non esset ni humilitatem doceret. Hinc verè dicendus est Angelus Domini, qui humilitatis consilia donat.

Triplex humilitas, & quæ.

Ratio humana velut Rex super equum nostrũ debet ascendere humilitatem, vt eã regat.

86 Nota quòd triplex est humilitas: Est humilitas quæ descendit ad inertiam; & est quæ excedit moderantiam, & est, quæ procedit ad iustitiam. Rex velut ratio humana, primam excitat aculeo: Secundam inhibet fręno; tertiam omni subijcit iudicio. In prima erat Petrus, cùm dixit (Lucæ cap.5. verſ.8.) *Recede à me quia homo peccator ego sum, Domine*. In Secunda Eleazarus quando indiscretè se supposuit Elephanti, (1.Machab.cap. 6. verſ.43.) & ab eo oppressus est; Vnde Psal. 119. verſ.92. *Tunc fortè perijssem in humilitate mea*. In Tertio, Niniuitæ ad prædicationem Ionæ operti sunt saccis (Ionæ cap.3. verſ.5.) Vnde Psal. 118. verſ.107. *Humiliatus sum vsquequaque, Domine*.

87 Vel dic: Agar animam peccatricem, & pænitentem, Sara Ecclesiam, Abram Christum significat: Huic illa reconciliatur per humilem confessionem: Vide Ferum hic, dicit à Lapide.

Verſ. 10.

88 *Et rursùm: Multiplicans inquit multiplicabo semen tuum, & nõ numerabitur præ multitudine*. Ex humilitate tot virtutes augẽtur, tot bona multiplicantur, quæ quasi præ multitudine nõ numerantur. Vndè S. Laurẽtius Iustinianus in lib. de Institutione, & regimine prælatorum cap.9. Humilitatis bona describens, sic

Humilitatis bona.

dixerit. *Quemadmodum ignorantia præsumptionem, ac præsumptio inducit casum: ita scientia humilitatem, ac humilitas augmentum parit gratiæ, additamentum luminis, perseuerantiam boni, spei delectabile gaudium, desiderium proficiendi, gustum sapientiæ, fidei constantiam, amorem patiendi, exultationem spiritus, mentis rectitudinem, iustitiæ zelum, sitim virtutum.*

Verſ. 11.

Afflictio ipsa, qua premeris, clamat ad Deũ.

89 *Ac deinceps: Eccè ait, & paries filium: vocabisque nomen eius Ismael, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam*. Expende hæc vltima verba, eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam. An afflictio voces suas habet? Ita planè. Licèt afflictus non clamet, licèt patienter sufferens non doleat, ipsa afflictio vociferans ab altissimo exauditur, vt succurrat, vt subleuet oppressum.

Verſ. 12.

Qualis tu proximo, talis proximus tibi.

90 *Hic erit ferus homo, manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum*. Qualem te proximo exhibueris, talem & tibi proximum experieris. Ergo in manu tua positum à proximo beneficijs oppleri: si tu proximum oppleas beneficijs.

Raro filius vilis fœminæ non exprimit moribus generis vilitatem.

91 Vel dic: *Hic erit ferus homo, &c.* Et quando nam filium ancillæ, aut vilis fœminæ licet ex patre nobili, qui moribus non exprimat sanguinis vilitatem.

Verſ. 13.

Deuotio, pænitud., aut obedientia, signa sunt Deũ præsentem existere specialissimè.

92 *Vocauit autem Agar nomen Domini qui loquebatur ad eam. Tu Deus qui vidisti me*. Cùm penitentiæ affectu succedentis, cum humilitatis, aut obedientiæ efficeris studio: existima Deo specialissimè præsenti potiri. Solùm enim specialis Dei assistentia potest repentè animum auersum à virtute ad illam reuocare.

Gratiæ semper agendæ Deo.

93 Vel dic: *Tu Deus, qui vidisti me*. Agar tot beneficia suscipiens statim grates Deo reddendo, docet nos subitas de beneficijs reddere gratias: Hinc de ipsa scripsit ibidem Caietanus: *A beneficio quòd dignatus est ipsam visere, prouidendo illi, peculiare nomen Deo apposuit. Ipsa siquidem nominatio est beneficij agnitio, & gratiarum actio*. Imò ad illa sequentia verba: Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me: sequitur idem. Caietanus:

Agar gratitudo erga Deum.

Non sat fuit Agar agere gratias Deo, sed grata ampliùs in memoriam tanti beneficij puteum illum nunc appellauit ab eodem beneficio. Insuper & S. Ioannes Chrysostom. hoc totum priùs dixerat: *Vide ancillam castigatioribus moribus fieri, & magnam gratitudinem declarare propter tanta in se collata beneficia.*

Communicatio, & cohabitatio cũ muliere, sola imò & locutio, sunt periculosa.

94. *Dixit enim: Profectò hic vidi posteriora videntis me*. Angelum cùm muliere sola loquentem obserua posteriora vertisse, non faciem; nam docuit nos, quando cùm fœminis, & præcipuè solis, & in loco solitario stamus ei in magna cautela manere: nam cum muliere sola, communicatio, cohabitatio, & lo-

Digitized by Google

Pulchra mulier venenum.

& locutio, sunt periculosa nimis. Hinc S. Hieronymus ad Rusticum scribens monuit: *Fœminæ nomen tuum nouerint, vultum tuum nesciant*. Et ad Nepotianum. *Nec sub eodem tecto cum muliere mansites, nec in præterita castitate confidas*. Et Aureus Doctor in Psal. 50. scribit: *Pulchra mulier castitate carens est venenum stolidis præparatum*. Ergo.

FOEMINA FVGIENDA
DE QVA
DIGRESSIO.

95 ,, PEntapolis quinque olim
,, Regibus beata sedes, suos
,, horrens principes, Veneri
,, insidiari præposteræ, in
,, lacuna est liquefacta sulphurea, vt
,, suis effœminatus Cupido mergeretur
,, in vndis. Fumabant aquæ, nam le-
,, gibus naturæ subuersis, calorem
,, ignis vsurpauerant vndæ. Naturæ
,, ne dicas inimicam Pentapolim, in
,, qua inimicæ fœderâtur naturæ ignis,
,, & aqua, vt perderent naturæ ini-
,, micos. Non aliter cùm purgari pos-
,, set mare pollutum, ignem recepit in
,, sinum, & lympha præbebat pabu-
,, lum facibus. Quàm sanctè coierint
,, ignis, & imber, ex eo habes, quòd
,, iuncta moriuntur; & mare adhuc
,, dicitur *Mortuum*. Tanto è Vessuuio
,, Loth solus eripitur cum vxore, &
,, gemina filia; quem Angeli de hos-
,, pitio grati à flammis vindicauerant;
,, maiori & ipsi ab igne impudico hu-
,, mana redempti solertia. Lex illi da-
,, tur, ne patriam a tergo respiceret,
,, quia ridenda non flenda, cùm in
,, flammis Venus præpostera. Fœmina
,, verò, quæ sui natura nititur in veti-
,, tum, dum se vertit, insulsa salsum
,, migrauit in lapidem: Hac in statua
,, hoc vnum stupe, quòd non geminis
,, oculis, sed vndique fluant lacrymæ
,, miserantes patriam non extinctam,
,, sed propagatam. Sed quo fugis ca-
,, stissimè Pater? Inuersis forsan igni-
,, bus, fugis resolutas nubes? Si filiæ
,, vndique ardentes te comitantur? &
,, ignem claudis in sarcinis? Nefariæ
,, Virgines, castitatis tædio, vel pro-
,, pagandi studio, cum Veneri suæ le-
,, no deficeret, ad Bacchum confu-
,, giunt, & postquàm calices vini meri
,, propinarunt patri, thalamum scan-
,, dunt maternum, & semine soror fra-
,, trem concipit paterno. Infelix na-
,, tura si sacro genitoris in gremio, fi-
,, liarum libidinem non effugit. En sta-
,, tua quidem carnea, sed vino, tene-
,, bris, somno excæcata, incestum fu-
,, rantes filias, vel non sentit, vel ti-
,, more impudico amori posthabito,
,, dormire gaudet, nè horrore libidi-
,, nem intercipiat. Honestas fallitur,
,, cùm pudicum genitorem, & castum
,, filiarum commendat custodiæ. Ti-
,, tillat semper Cupido, & si propin-
,, quent sexus, cæcus cùm sit, nequit
,, inter filias, & genitorem discernere.
,, Tactu incedit, quemcumque offen-
,, dit, iungit, copulat, nectit honesta-
,, tis, pudoris, naturæ, sexus nullo
,, facto discrimine. Locus, religione
,, terribilis, tempus astrorum mutatio-
,, ne metuendum, Prophetas ipsos
,, etiam in Sanctuario, nec securos,
,, nec arguit innocuos. Angeli ipsi in-
,, ter *Sancta Sanctorum*, faciem auer-
,, tunt; ne seipsos respiciant, cauent;
,, quia vnuseorum, facie stabat pictus
,, virginea. Infelix natura etiam Æter-
,, no subiecta verbo, inter Pharisæo-
,, rum insidias adulteram accusan-
,, tium, vt Iesum caperent in sermo-
,, ne, solam tandem cum Christo dese-
,, rentium, vt quod Pharisæorum ver-
,, sutia perdiderat, redimeret, & vin-
,, ceret, aspectus fæmineus, cum ea
,, decertare non gaudens, quasi non
,, audens, fæminam missam faciens,
,, *Mulier vade* Ioan. cap. 8. vers. 11. pa-
,, lam facit, quòd Deus Omnipotens
,, cum fæmina, si sola sit, vires expe-
,, riri non delectatur.

Pentapolis descriptio fumantis.

Cur Loth cum filiabus liberantur ab Angelis de incendio Sodomæ?

Incestus Loth.

Homo cum sola fæmina nusquam securus.

Christus recusat solus stare cum fæmina.

96 ,, Licèt humana natura gemino
,, vinculo gratiæ colligata, ob idioma-
,, tum communicationem impassibilis,
,, & gloriosam resurrectionem impec-
,, cabilis, nolens à Magdalena haud
,, peccante, sed pænitente tangi, *noli*
,, *me tangere*, quia *nondum ascendi ad Pa-*
trem

trem meum ,(Ioan. cap. 20. verſ. 17) oſtendit, extra cælorum mænia cum fæminis congredi, formidare. Hinc Apoſtoli, Sichar, regredientes ad fontem Iacob, vbi ex itinere fatigatus ſedebat Chriſtus, cum muliere loquens Samaritana, ***mirabantur*** , ***quia cum muliere loqueretur*** . Ioan. cap. 4. v. 27. licèt in publico, & luce meridiana, quaſi ex colloquio fæminæ etiam pænitentis quia ſolius, diuinitas Chriſti redderetur ſuſpecta. Imò dubia, & ſi Phariſęo fides, commentitia, & nulla. Videns autem Phariſæus retrò Chriſti pedes ſtare mulierem peccatricem Lucæ cap. 7. verſ. 39. ***ait intra ſe. Hic ſi eſſet Propheta, ſciret vtique, quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum*** . Retro erat pedes exuberans lacrymis, mærore, & pænitentia languebat, cùm ſola peccati memoria Phariſæum excitabat in Chriſtum; vt quem crediderat Deum, ob fæminæ lugentis conſortium, nec inter Prophetas adſcriberet.

Mirantur Apoſtoli quod Chriſtus ſolus eſſet cum fæmina.

97 ,,Porrò ſi mirantur Apoſtoli, murmurant Phariſæi quia cum fœmina loquitur Chriſtus; quid de vxoribus Patriarcharum Abrami, & Iacobi, cum vagantur aduenæ, & peregrinæ in ſolo alieno? Adulteros quæſiſſe non profero, reſpuiſſe non lego. ***Si Muliercula*** (ait S. Baſilius) ***prætexta ſpiritualis deuotionis continuò Monachum accedens, incipit per oculos haurire, & ſorbere venenum*** . Quid ſi domi, vel in theatro? Vbi ſolitudo, vanitas pulchritudo linguam ſoluit, viſum aperit; amplexus exigit, oſcula petit; & ſi non cætera ſumpſit; & quæ data ſunt, oſcula perdere dignus erat? Sanctuarij portæ venere haud fuiſſe pollutæ ſacrilega, ni retrò tabernaculum cum Leuitis Sacræ Virgines feceſſiſſent. Hoſpitiolum tuum (clamat S. Hieronymus ad Nepotianum iam ſuperiùs citat :) aut rarò, aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. ***Nec ſub eodem tecto manſitos , nec in præterita caſtitate confidas*** .

98 ,,Nec Sanctior Dauide, nec Samſone potior, nec Salomone potes eſſe ſapientior: memento ſemper quòd paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Malum eſt videre mulierem, peius alloqui, peſſimum tangere. Samſon leone fortior, & ſaxo durior, qui eſt vnus, & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalidæ molleſcit amplexibus. Dauid ſecundùm cor Domini electus, & qui venturum Chriſtum ſancto ſæpè ore cantauerat, poſtquàm deambulans ſuper tectum domus ſuæ, Bethſabeæ captus eſt nuditate, adulterio iunxit homicidium. Nullus etiam in domo tutus aſpectus. Salomon qui diſputauit à Cedro Libani vſque ad hyſſopum, mulierum factus amator, recedit à Domino. Et ne quis ſibi de ſanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar ſororis Ammon exarſit incendium.

99 ,,Regina Siciliæ S. Ludouici Epiſcopi Mater, cum ad ſe Neapolim venientem filium Gallico more, in oſcula curreret, renuit Ludouicus; matri verò quærenti: ***Numquid haud ſum mater tua? Oppidò*** (inquit ille) ***ſed mulier es, quam ſeruo Dei oſculare non licet*** ; non alloqui, nec aſpicere. Etſi namque malignitas deſit, venuſtas oculis ingeſta rapit, & paſſiones animi facilè populatur. ***Vidit mulier, quòd pulchrum eſſet lignum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*** . Gen. cap. 3. v. 6. Hinc quanto debeamus moderamine viſum reſtringere, perpende, qui mortaliter viuimus, cùm viuentium mater per oculos mortem ſubierit. Etiam in aperto, & cognatorum agmine ſtipata Suſanna, timet à ſenibus aſpici, qui experientia didicerat, quantas illi calamitates ſpectari pepererat. Maria pudicitiæ gloria, virginitatis exemplar à Gabriele, non ab homine ſalutatur, cùm Propheta deligi poſſet, vel Patriarcha, vt Abraham, Iſaac, vel Iacob Deo dilectiſſimi. Sed ne quo degeneri deprauaretur affatu (notat S. Ambroſius in cap. 1. Lucæ) Angelus mittitur, non quòd virginitatis magiſtra ſermone deprauaretur humano; ſed ab Angelo ſalutatur, vt diſcant Virgines omnes virorum vereri affatus, timere aſpectus, conſuetudinem trepidare.

S. Ludouicus Epiſc. nequit matrem oſculari.

Fæmina virum fugiat.

Ad Virginem Angelus non propheta, & cur?

100 ,,Alexander Macedo, cum Darij ſororem, filias, vxorem Syſigambim, quam nulla ætatis ſuæ pulchritudine corporis vicit, captiuas haberet, tàm ſanctè coluit, quàm ſi eodem, quo ipſe parente, genitæ forent. Nec videre voluit, turpe ratus eſſe, eum, qui viros viciſſet, à mulieribus

Alexander M. Syſgambim timet aſpicere.

Digitized by Google

ribus superari. Gellius lib. 6. cap. 8. *Lepida itaque*, ait idem Gellius, *quæstio agitari potest. Alexander ne continentior fuerit, qui Darij vxorem formosissimam videre noluit? An P. Scipionem Africanum, qui expugnata Carthagine, virginem tempestiuam, forma egregia, ad se perductam, patri suo inuiolatam restituit?*

101 ,, *Ad ignem potiùs ardentem* (ait S. Nilus orat. 2. aduersus vitia) *Quàm ad mulierem iuuenem iuuenis appropinqua*. Nam si ad ignem accesseris, dolore affectus resilies. At si fœminæ verbis incensus fueris, ita facilè non recedes. Florent olera propè lata, & libidinis semina mulierum familiaritate excitantur. Elisæus Sunamitidis excitat filium, dolorem vertit in lætitiam; sed peracto miraculo, cui restituat quærit Propheta, nec inuenit. Vocat matrem, nec adest. O matris ignauia; de filij vita agitur; & quasi nouerca crudelis à Propheta discedit; filij forsan ditaris obitu, vndè eum fastidias resurgere, ne hæreditate spolieris? Tessera est Pudicitiæ. Filij resurrectionem desiderat Mater, sed pudica non immoratur in Prophetæ cubiculo. Præsente seruo vocatur; & non nisi per internuncium. Propheta cũ fœmina loquitur. Filio tandem excitato, Prophetam tacita super terram adorat; sed nullo gratiarum facto colloquio, recedit sollicita. *Adorauit super terram tulitque filium suum & egressa est*. 4. Regum cap. 4. vers. 37. Miraculum lego, gratiarum actionem non lego. Adoratio fœminæ scribitur, sermo non refertur. Filium tulit, & egressa est, non ingrata sed pudica. Castitatis auxilium est Prophetæ consortium, sed in modestiæ egreditur argumentum, *etsi nullum esset in mora periculum*, inquit inibi Caietanus.

Facilius ad ignem, quàm ad mulierem accedas

Sunamites Prophetam fugit.

102 ,, Imò suspicionis iusta præsumptio (dicam ego) & piaculi testimonium indubium. *Nullum in mora periculum*, Caietane? Cur ergo Patres, tuus, & meus, S. Augustinus, S. Thomas Angelicus, & S. Dominicus, nec non SS. Franciscus, & Benedictus Sanctissimas etiam fæminas, deportarunt à claustris, Sororem ipsam relegantes, & matrem. *Nullum in mora periculum?* Non minori Sanctitate clarebat S. Iacobus. Eremita, cuius miraculis infideles illecti, lumen fidei cognouerant.

S. Iacobi Eremitæ inconstantia.

Quadraginta annos in solitudine, herbarum radicibus tolerauerat vitam, diù, noctuque precibus vacans. Dum Satan insidias struens, pulcherrimam virginem claris ortam parentibus ingreditur; nomen prodit S. Iacobi; Diù quæsitum, tandem inuentum, ad eum parentes filiam adducunt. Quanta virginem circumdaret turba malorum narrant. Pro illa orat Sanctus; fugit Dæmon, sed more Parthorum. Parentes veriti, ne breui reuerteretur, orant Eremitam, vt eam saltem biduò retineat. Ille vitæ Sanctitate confisus non renuit; sed genitoribus recedentibus, dum solus eum sola miscet colloquia, aspectu vincitur, affectu ligatur, nec soluitur quam in libidinem. Quadragenariam solitudinem, & pænitentiam illustrem miraculis stupro obtenebrans, & homicidio. Reformidans namque, ne scelus aliquandò proderet, si superuiueret, de medio sustulit.

103 ,, Pænituit tandem, & scelera obliterauit lacrymis, sed lapsu suo forsan plures reuocauit à culpa, quàm dolore duxerit ad pænitentiam. Noli post vulnus remedium quærere; *nec de præterita* sanctitate *confidas*. Eos enim Satan aggreditur, quos morum probitas præterit imparatos. Salem dicas hominem, fæminam aquam; si appropinques, solui, & deficì; quid prohibet?

104 ,, Ex Eremo S. Ephrem pergebat in vrbem, vt ex occasu aliquid piæ instructionis hauriret: & ecce nutrix, quæ fixè in Ephrem intuens, illi roganti causam respondit meretrix. *Quid mirum, si ego te intuear, cùm mulier ex viro facta sit: tu verò in matrem tuam, idest terram ex qua plasmatus es oculos defige. In medio mulierum noli commorari*, ait Salomon, Ecclesiastici cap. 42. vers. 12. (& vers. 13) *de Vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia, quasi ignis exardescit*: dixerat idem, Ecclesiastici cap. 9. vers. 9. Victoriam ne cogites, vbi fœmina adstat. Virum sola specie excarnat.

S. Ephrem à meretrice eruditur.

105 ,, Sequitur Petrus Magistrum, nec turbas formidans armatas, vsquè intrò in atrium summi Sacerdotis inpauidus intrat; nec est qui interroget, miles qui arceat, custos qui claudat, portæ patent,

Digitized by Google

Ab Ancilla Petrus victus.

tent, custodes dormiunt, vel recedunt vigiles, sed vnde, cùm pauet aula, Sacerdos trepidat, in Christi discipulos nulla custodia? Quia fœmina excubias sustinet, ait S. Laurentius Iustinianus. *Non armatos aduocant milites, vt debellarent Apostolum, vnius mulierculæ lingua Christianæ militiæ deuicit ducem*. Longe ab humanis cogitationibus species fœminea, hæc sola, quæ præter Deum agat in distans, & in somnijs polluat innocentiam. Matrona Romana, longo fatigata itinere, Arsenium, Monachum videndi causa, postquàm vidisset rogabat, sui memoriam haberet in precibus. *Imò*, respondit ille, *operam dabo, idque seriò, ne tui vnquam ampliùs meminisse queam.*

Interest non recordari mulierem.

106 Si cadauerum ossa miscere non audet Ecclesia; separatis Sarcophagis masculos longè humanus à fœminis; vndè flagrante libidine, & fęmina insufflante poterit homo non vrere? Dic mihi Iob, de sepulchro educens cineres, & ossa mortuorum, cur tam sedulus masculorum ossa seiungis à fęminis, cauens nè masculinis fęminina coniungeret? Si nihil post mortem; ipsaque mors nihil, cur anxius fatigas in nihilo? *Sicut lapides* (Respondet S. Athanasius) *illi Eoam plagam respicientes contiguitate eiaculantur ignem, ita mas, & fœmina contiguitate conflagrantur: Etsi non conflagrentur, maius miraculum est quàm mortuos suscitare*. Sic in homil. 18. Lapides, qui vel masculi, vel fęminæ sunt, rigent cùm longinqui; ardent propinqui, nobis sunt argumentum; nec horrore sepulchri, nec pudore fraternitatis, conceptisentiam frigescere. Natura ipsa solicita, cùm gemellos procreat, membrana distinguit, & cellulis locat diuersis in ipso vtero matris, si vnus masculus, & alter fęmina sit. Si autem eius generis, eadem pellicula inuoluit.

Ossa fæminæ, & viri non miscet Ecclesia.

Natura fœminam, & masculum gemellos membrana separat.

107 Vna in fęminas salus, si fugias. S. Ægidio S. Francisci Socio, quid agerent fratres aduersùs carnis tentationes? Interroganti Ruffinus respondit: *Commendo me Deo, & B. Virgini, & supplex me in terram proijcio.* Iuniperus verò ait: *Ego statim exclamo: à Longè, à longè, quia captum est hospitium*. Cui Ægidius, *tecum sentio: optimum est fugere. Castitas speculum est, quod solo intuitu offuscatur.*

Castitas est speculum.

108 Ioseph pudicitiæ decus, enauigatis odij fluctibus, amoris patiens tempestatem, cùm ea ætate esset, quæ castitati aduersatur, corpore elegans, facie pulcher; Ægyptia mulier iuuenis pulchritudine capta, nihil non tentat, vt alliciat in adulterium. Sed in cassum iactis blanditijs, per violentiam tentat extorquere consensum. Ioseph verò nec adulatione emollitus, nec violentia fractus, pallio aufugit relicto, intemperantem puniens despectu *Relicto in manu eius pallio, aufugit*. (Gen. cap. 39. vers. 12.) Quo inuerecundiam operiret adulteræ. Illa autem impudico ardens amore, & odio fræmens fæmineo, eruciatur despecta, flagrans saturari sanguine, cùm semine non potuerit. Sed cur pallium relinquere? Ioseph vti impudicus plecteris, non mulieris fraude, sed pallij testimonio. Nudos aufugis, te ergo expoliauit libido. Manus namque fæminea haud virum exarmat. Solo illa vincit aspectu; cui in trophæum victus obtulisti spolia. Cæca castitas, non cæcus amor. Ex castitatis spolijs fecit ille sibi perizomata: cùm ille præuidere nesciret, quod si nuda appareret in foro, iure erubesceret. Libidinem porrò exuuijs onustam pudicitiæ, quis dignosceret? Impudicam fecisti pudicitiam Ioseph, cùm pallium in manu adulteræ proiecisti. En Castitas sine patrono, en nuda virginitas, quo vestias non habes, præter verecundiam. Repete pallium, extorque, scinde; Abi (ex aduerso clamat innocentia) & abijt: *Contagium indicans, si diutiùs moraretur* (inquit S. Ambrosius ibid.) *Ne paulatim*, adiungit S. Hieronymus ad Heliodorum lib. primo, *virus serperet, quod tetigerat, abiecit.*

Ioseph cur pallium reliquerit in manu adulteræ?

109 Mulierum fuge colloquia; nec virtutis excuset prætextus, sanctitatis fama non vocet, quia cum fęminis conuersatio, canũ dicitur lusus; saltant, resultant; desiliunt, insidiũt, nec recedunt, ni seipsos tandem premant, & comprimant. Domestica si vrgeant negotia, cum fęminis miscere colloquium, non sinè testibus pergas. Phinees namque alter ex exploratoribus, quos Iericho misit Iosues, Angelus erat (teste Abulense quæst. 27. in cap. 2. Iosue) & tamen non cum eo homo sociatur, quia solus Angelus hostilia nequiret explorare consilia, sed quia ingres-

Fœminarũ consortium est veluti ludus canum.

Angelus non audet cu fæmina solus conuersari.

,, surus erat. ***Domum mulieris***. Et licèt ,, Dei gratia impeccabilis, carne tamen ,, indutus humana, audere non ,, poterat, solus absquè culpa diuersa- ,, ricum fœmina.

110 ,, Ipsius Dei ne fugias exem- ,, plum. Mundum extruit, exornat ,, plantis, illuminat astris, propagat ,, viuentibus, nec vnquam masculum ,, sciungit à fœmina. Solum hominem ,, construit, errabundum, & consor- ,, tis societate destitutum, in Paradi- ,, sum, veluti in carcerem solitarium ,, detrudit. Vsquè dum die septimo, ,, fæminam viri adiutorium adiunxit. ,, ***Hic Adamus perfectè absolutus erat*** (in- ,, quit S. Basilius Seleuciensis orat. 2.) ,, ***Cum illa nondùm orta. Quare in Adami*** ,, ***conspectu vult illam effingere, & fictri-*** ,, ***cis artis suæ spectatricem desiderat pro-*** ,, ***priam imaginem?*** Deus puritatis ori- ,, go, radix virginitatis, cùm mulierem ,, fingit, spectantem Adamum efflagi- ,, tat, in Adami conspectu operatur, ,, quo Adamum, ipsamque Euam in- ,, stituat, spectantium oculos, etsi ad ,, pudicitiæ veritatem superfluos, esse ,, ad famæ honorem proficuos. Imò ,, pudicitiæ auxilia, qui & phalanges ,, cogitationum auertant; & virtutis ,, sint testimonia. Hi si arbitri absint, ,, fama læditur castimoniæ: & pro im- ,, pudica accipitur, de qua quæritur ,, an pudica? Ex humo Deus euocatum ,, hominem cùm efformasset facie ad ,, faciem insuflando; ***inspirauit in faciem*** ,, ***eius spiraculum vitæ***. Anima tamen ,, rationali informasse, & quis dubi- ,, tat? In faciem fœminæ non insufflat, ,, vt à Deo natura purissimo, discas, ,, à muliere faciem auertere; nam ipse ,, tàm familiariter cum fœmina con- ,, uersari non gaudet.

Coram Adamo cur Deus Euam formaret?

Deus non inflat in faciem Euæ, & cur?

111 ,, Pascha Iesu cum discipulis ,, celebrat, in qua, amoris pignore ,, propinat sanguinem; & cùm Iu- ,, dam non respuisset à cæna, Vir- ,, ginem matrem prohibuit; quia pe- ,, des lauaturus Apostolis, fas esse non ,, credidit, quòd filius, & Deus tan- ,, geret pedes maternos.

Mariam Virginem cur in vltima cæna Christus noluerit?

112 ,, Cùm narraret Moyses collo- ,, quium, quod inter Abrahæ seruum, ,, & Rebeccam valdè honestum accide- ,, rat iuxtà fontem, fœminæ conditio- ,, nem hisce dipingit. ***Puella decora ni-*** ,, ***mis, virgoque pulcherrima, & incogni-*** ,, ***ta viro*** Gen. cap. 24. vers. 16. Abun- ,, dare videtur Cronista, satis erat, ,, ***Puella***: exuberet etiam, ***Virgo*** dicat: ,, ad quid ***incognita viro***? Si ***virgo***, ergo ,, ***incognita viro***? Claudicabat licèt ge- ,, minum virginitatis testimonium, ,, cùm dixit, ***puella***, & adiunxit, ***vir-*** ,, ***go***, quia sola cum solo steterat iuxtà ,, fontem, Castitatis videbantur are- ,, scere lilia, quia absquè arbitris Re- ,, becca habuisset cum viro collo- ,, quium. Vbi Rebecca? propè fontem ,, cum aduena. Non ergo ad haurien- ,, dam aquam, cum mussitet caro; duo ,, pro Rebeccæ castitate præconia inso- ,, nent, ***Puella*** adiungatur ac ***Virgo***, & ,, gemino testimonio, copula tertium, ,, vt sinè rumore credatur innocua. ,, Dic itaque & ***incognita viro***. Mulie- ,, rum itaque fuge consortium. Lot ,, namque, quem non luxuriantis So- ,, domæ decolorauit impuritas, pu- ,, dendæ tamen commixtionis non ,, euasit incertum. ***Vritur*** (ait S. Am- ,, brosius sermon. 11. in Psal. 118.) ,, ***flammis mulierum, quem sulphurea*** ,, ***flamma non vssit***.

Quam difficilè fœmina probetur casta.

113 ***Propterea appellauit puteum illum Puteum viuentis & videntis me. Ipse est inter Cades, & Barad***. Ex Hebræi sententia Philonis quinque genera fontium celebrari in sacris literis, è quibus præclara, & salutaria recondita sapientiæ præcepta, ac documenta haurire liceat: ***Fontis***, ait Philo, ***crebra fit mentio in sacris libris. Fons enim vno modo mens nostra intelligitur: altero, habitus rationalis, & eruditio: Tertio, praua mentis dispositio: Quarto, bona huic contraria: Quinto, rerum omnium pater, & Conditor Deus***. Horum probationes extant in sacris literis. Verùm cætera Philonis super ea re benè longam disputationem, in extremo libri eius, qui inscribitur de Profugis, quærat Lector.

Vers. 14.

Philonis de quinque fontibus in Sacra Scriptura celebratis Allegor. disput.

114 Vel: ***Appellauit puteum illum puteum viuentis, & videntis me***. Hoc est scripturam veteris legis, & nouæ, quam conditor noster vita viuentium, & spiritus morientium intuitu, piæ miserationis mortalibus dedit, vt edocti, & à vitijs correcti, Dei visione perpetuò digni esse mereantur. Vnde S. Ioannes Chrisostomus etiam florido prato similauit diceas super cap. 19. Genesis. ***Quemadmodum floridum quoddam pratum varios flores ostentat: ita & diuina scriptura iustorum virtutes nobis demonstrat, non vt sicut illorum florum fragrantia paruo tempore fruamur, sed vt perpetuam indè vtilitatem recipiamus. Flores statim marcescentes suam gratiam amittunt, iustorum autem virtutes, si eas in sinu mentis reponimus per omne tempus, si volumus eorum suauo-***

Scriptura Sacra puteo viuentis similis.

Et prato.

lentia

lentia frui poterimus .

Vers.15. 115 *Peperitque Agar Abraæ filium: qui vocauit nomen eius Ismael*. Agar reuersa ad Saram dominam suam tota mansueta peperit filium: *Hinc discamus* (En morale doctoris Aurei inibi documentum) *quantum bonum sit mansuetudo, & quantum lucri habeat. Nam mansuetudine Patriarcha placauit Saram indignabundam, & famula potestatem ei dedit, domumque pace repleuit. Crescat ergo ac roboretur pax domestica, & vxor erga virum suum habeat conuersationem, & vir ab externis ac forensibus negotijs, ac turbationibus, ad eam, quasi ad portum confugiat, & omnigenam inueniet consolationem.*

Mansuetudo commendatur.

116 Vel dic: Anima quando post culpam pænitens redijt ad domum Abrami idest, quando auersa à creatura ad Creatorem conuertitur, tunc parit amorem Dei, tunc Deum diligit, qui priùs tribus modis dilexit nos: dulciter, sapienter, fortiter. Dulce fuit, quòd pro nobis carnem induit: sapientia, quòd culpam cauit: Fortitudo, quòd mortem sustinuit. Itaque nos in carne quæsiuit, in spiritu dilexit, in virtute redemit. In carnis assumptione condescendit mihi; in culpæ visitatione consuluit sibi; in mortis susceptione satisfecit Patri. Amicus dulcis, Consiliarius prudens, Adiutor fortis. In primo, saluare me vult: in secundo, saluare me nouit: in tertio, saluare me potest. *Vade, & tu fac similiter*: Dilige dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter, ne allecti. Sapienter, ne decepti: fortiter, ne oppressi, ab amore Domini auertamur. De mundi gloria, seu carnis voluptate abducceris? Dulcescat tibi præ his sapientia Christus. De aduersitatibus frangeris? Confortet te virtus Dei, Christus: Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia: sit amor feruidus, sit circumspectus, sit inuictus; nec teporem habeat, nec discretione careat, nec timidus fiat. Vnde in Euangelio Matthæi cap.22. vers.37. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis*. Ergo dilige tota cordis affectione: dilige anima, idest tota circumspectione; dilige virtute tota, vt nec mori timeas pro eius amore.

Tribus modis dilexit nos Deus.

117 Item dilige Deum propter temporalia, propter spiritualia, propter æterna bona. Propter temporalia, quoniam nihil deest timentibus Deum, nec his qui diligunt eum in veritate. Propter spiritualia prima, quæ sunt misericordia; vnde (Psal.96. vers.10.) *Qui diligitis Dominum odite malum*. Propter spiritualia secunda, quæ sunt gratia: vnde (Psal.17. vers.1.) *diligam te Domine fortitudo mea*. Item pro æterna, quia Deus diligentibus se bona inuisibilia præparauit, *vt in omnibus*, dicit orans Ecclesia, *& super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequantur*.

Tres modi diligendi Deum, & qui?

118 *Octoginta & sex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Ismaelem*. Vers. 16.
Anni hominis ad perfectionem tendentis verè numerandi sunt; nam anni quibus tempus malè perditur, velut non anni. Age ergo, ò quisquis es Athleta Christi, in hoc perfectionis stadio contentis viribus decurre, annos consuma, certa bonum certamen, vitam æternam apprehende. Quàm durum tibi est iam currere, & fatigari, tàm iucundum tibi erit in meta dicere cum Apostolo 2 ad Timotheum cap.4. vers. 7. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*. Vita breuis est, stadium breue, corona æterna est. Forsan hodie cursum tuum incidet, vitam tuam abrumpet Deus: tunc currere amplius non poteris: tunc quod in cursu tuo hoc annorum momento neglexeris, serò reparare voles; quia hanc negligentiam per omnem ęternitatem sarcire, & restaurare non valebis: quod nunc negligis, in ęternum negligis; quod nunc perdis, in ęternum perdis. Et quid est, quàm longa est ęternitas? Et quid perdis? singulis momentis perdis coronas amplissimas, non aureas, non gemmeas, sed cęlestes, sed angelicas, vt qui poteras tuo cursu peruenire ad Cherubinos, & Seraphinos, ob teporem tuum, torporem, & tarditatem hęreas, & in ęternum hęreas inter infimos, in imo angelorum ordine.

Anni quibus tempus malè perditur velut non anni.

119 Ita Abbas Pambo moriturus dixit: *Non pænitet me sermonis alicuius, quem locutus sum vsquè in hanc horam: Et sic vado ad Dominum, quasi qui nec initium fecerim seruiendi Deo*. Vt habetur in vitis Patrum l.5.t.1.num.16. Et Abbas Siluanus rogatus ab Abbate Mose: *Potest homo per omnem diem initium facere conuersationis?* Respondit: *Si est homo operarius, potest per diem, & per horam inchoare initium conuersationis suæ*. Ibidem tit 11. num. 29. Alius rogatus quid quotidie cogitaret, & meditaretur in cella, dixit, *dico mihi hodie renatus es, hodiè cæpisti seruire Deo, hodie hic inhabitare cæpisti: sic*

Pambi Abbatis morientis dictum.

Ad perfectionem assequendam motiua.

sic esto quotidie peregrinus, & crastinus liberandus. Hoc mihi quotidie consulo. Ibidem lib. 7. cap. 44. num. 2. Alter interrogatus quis esset ei stimulus ad virtutem, quod quotidie meditaretur? Respondit: *Ego per singulos dies statim verba mea audiri à Domino, putans mihi dici, Laborate propter me, & ego quiescere faciam vos. Adhuc modicum decertate, & videbitis salutare meum, & gloriam meam. Si diligitis me, si filij mei estis, ad Patrem rogantes reuertimini; si fratres mei estis, erubescite pro me, sicut propter vos multa perpessus sum: si oues meæ istis, Dominicam passionem sequimini.*

120 Manè ergo cùm surgis (Nota hanc praxim ad perfectionem) cogita cum S. Antonio: Hodie cæpi currere, hodie cæpi Deo seruire, Hodie forsan & finiam. Sic viuam ergo, quasi hodie moriturus; Sic curram, quasi hodie cursum consummaturus. Itaque curram velociter, quia currendi tempus breue est, nempè anni huiusce vitæ citò volantes, & grandis mihi restat via in cœlum. *Ergo* (illationem pondera S. P. N. Augustini serm. 15. de verbis Apostoli.) *proficite fratres, discutite vos semper sinè dolo, sinè adulatione, sinè palpatione, semper tibi displiceat quod es, si vis peruenire ad id quod non es: nam vbi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris, sufficit, & peristi.*

Acer stimulus ad perfectionem Hodie cæpit, hodie finiam.

DIGRESSIO DE SARA ET AGAR.

121 S. P. N. Augustinus exemplo Saræ iustè, ac viriliter affligentis Agar, probat iustè, ac salutariter à Catholicis Principibus castigari, & puniri Hæreticos, non solùm quia fidem Catholicam, quam à principio professi erant, & Sacramento se ad eam obseruandam obligauerant, infideliter abiecerunt; sed etiam quia nisi secularis gladij metu coerceantur; multifariam insectentur, & perturbent, vehementerque diuexent, & affligent Catholicos. Sic autem scribit S. P. epist. 48. & 50. *Putas tu nullam vim adhibendam esse homini, vt ab erroris pernicie liberetur? Cùm ipsum Deum quo nemo nos vtiliùs diligit certissimis hoc exemplis facere videas; & Christum audias dicentem.* Ioan. cap. 16. Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit. *Quod fit in cordibus omnium, qui se ad Deum diuinæ iræ timore conuertunt: & noueris, aliquando furem auertendis pecoribus pabulum spargere, & aliquando pastorem flagella ad gregem pecora errantia reuocare. Nonnè contumacem Ancillam, data sibi potestate, Sara potiùs affligebat? Et vtique non eam, quam antea beneficio suo matrem fecerat, crudelitas oderat: sed inea superbiam salubriter edomabat. Non autem ignoras, quòd ista duæ Mulieres Sara, & Agar, & duo filij earum Isaac, & Ismael, pro spiritualibus, & carnalibus figurantur. Et cùm legamus ancillam, & filium eius à Sara passos graues molestias, Paulus* (ad Galat. cap. 4.) *tamen dicit quòd ab Ismaele persecutionem sit passus Isaac:* Sicut tunc, *inquit*, ille, qui erat secundùm carnem, persequebatur eum, qui erat secundùm Spiritum, ita & nunc, *vt qui possunt intelligant magis Ecclesiam Catholicam persecutionem pati superbia, & impietate Carnalium, quos temporalibus molestijs, atque terroribus emendare conatur. Quidquid ergo facit vera, & legitima mater, etiam si asperum amarumque sentiatur, non malum, pro malo reddit, sed bonum disciplinæ, expellendo malo iniquitatis apponit, non odio nocendi, sed dilectione sanandi.*

Hæreticos iustè puniri à Catholicis S. P. N. Augustini egregia sententia.

122 De Sara, & de Agar, imò & de earum filijs S. Paulus Apostolus mysteria profundè explicans, scripsit ad *Galatas cap. 4. vers. 22.* Abraham duos filios habuit: vnum de Ancilla, & vnum de libera. (*vers. 23.*) Sed qui de Ancilla, secundùm carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: (*vers. 24.*) quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Vnum quidem in Monte Sina, in seruitutem generans; quæ est Agar. (*vers. 25.*) Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis. (*vers. 26.*) Illa autem, quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra, S. Ioannes Chrysostomus hic dicit: *Agar hebraicè significat incolatum,*

Sensus literalis, & tropologicus verborum Agar, Sina, Arabia, & Ismael.

tum, Sina tentationem, Arabia occasum; Ismael idem est quod auditio Dei. Significatur ergo (explicat S. Hieronymus;) *per Agar vetus Testamentum non fore perpetuum: per Sina, tentationem fore: per Arabiam occasurum: per Ismael, qui tantùm audiat præcepta Dei, non faciat, hominem scilicet rusticum, sanguinarium, qui fratribus hostis sit, significari Iudæos duros, feros, hostes Christianorum, qui legem audiunt, & non faciunt.* Sequitur moraliter. *Christiani de Agar nati sunt, qui Sacræ Scripturæ corticem tantùm sectantur, & in timore seruiunt: De Sara verò nati sunt, qui spiritum, & allegoriam legis veteris sectantur, seruiuntque ex amore.*

123 Vndè habes, quòd Agar serua significat seruile testamentum Iudæorum: Sic & mons Sina Iudæos seruos generans, significat Ierusalem Iudæos seruos generantem. Sara libera, liberum, siue nouum significat testamentum, ex qua filij liberi nascuntur, & ista tota opponitur illi.

Accipe schema huius συστοιχίας, æquè ἀντιστοιχίας illi opposita.

συστοιχα	ἀντίστοιχα	συστοιχα
Seruitus		Libertas
	Vxores duæ	
Agar serua		Sara libera
	Filij duo	
Ismael ex carne seruus		Isaac ex promissione ingenuus
	Testamenta duo	
Lex in Sina		Euangelium in Sion
	Ciuitates duæ	
Ierusalem Terrestris Synagoga Iudæorum serua		Ierusalem cælestis, & diuina, per gratiam mater omnium fidelium, libera
	Filij duo	
Iudæi qui in cæremonijs, & vmbris legis manent		Fideles qui gratiam Christi amplectuntur.

124 Agar in nominis multiplici interpretatione multa adumbrat Symbola virtutum, & vitiorum; quæ ex parte mali figura est, vtique fugienda, quia verò boni imago vtique sequenda. S. Antonius de Padua in serm. 2. dom. 3. Quadragesimæ explicans verba vers. 16. *Vidi posteriora videntis me*. Dicit quòd *Agar* interpretatur *Festum suscitans*: Et significat carnalium voluptatem, quæ in commessationibus, & ebrietatibus quasi quodam festo gloriatur. Hæc videt *Posteriora Domini*, quia in his visibilibus, quæ carnaliter videt, delectatur.

125 Idem Antonius Lusitanus serm. dom. 16. post Trinitatem dicit quòd *Agar* interpretatur *Vultur*. Hæc est anima, quæ cùm egreditur per sensus corporis ad opera carnis, tunc est quasi *vultur* insidians cadaueribus. Huic dicit Angelus, idest, gratia Sancti Spiritus. Reuertere ad Dominam tuam, intra conscientiam tuam, & sub manu rationis humiliare in amaritudine pænitentiæ.

126 Sed quia Agar typum etiam præfert virtutis, Philippus Abbas in tractatu de Obedientia Clericorum, cap. 31. ait. *Agar interpretatur Aduena, vel Conuersa*. Et pulchrè *Aduena*, vel *Conuersa*, quia homo laboriosam nesciret penitùs actionem, sed vt propriam possideret quietis continuæ mansionem; si in eo quod factus erat, manere voluisset, si iniunctam sibi obedientiæ

dientiæ regulam tenuisset. Quæ tamen actio nostræ iam saluti non penitùs est aduersa, sed in medicinale remedium est conuersa; dum limam, vel exercitium obedientiæ præbet cuiuis imperfecto, illo salubriter disponente: *Qui fingit laborem in præcepto*. Psal. 93. vers. 20.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XVI. GENESIS.

Vers. 1. §. 1. QVare dicitur de Sarai *Non genuerat liberos*, sic de matre Samsonis: *Sterilis est, & absquè liberis*, Iudicum cap. 13. vers. 3. Sic de Matre Samuelis: *Annæ autem non erant liberi*, 1. Regum cap. 1. vers. 2. Et de Præcursore Domini Ioanne Baptista Lucæ cap. 2. vers. 7. dicitur: *Et non erat illis filius*? Respondeo, quòd de alijs infœcundis dicitur: Non erant ei filij, quia liberi à talibus nati, vt Isaac, Samson, & Samuel, in virtute, ac Iustitia æquales, & similes habuerunt. Ad de Zacharia, & Elisabeth pronunciatur: non erat eis filius, puta Baptista ab eis natus vnicus, & singularis inuentus est; ita vt asseratur de eo: Nullus inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Vndè Rauennas Eloquentia serm. 91. pag. 321. impress. Venet. Eleganter notauit quòd; *Non dixit non erant illis filij, sed non erat illis filius, quia singularis futurus erat; qui erat de talibus nasciturus. Audi Dominum dicentem* (Matth. cap. 11. vers. 11.) *Non surrexit maior in natis mulierum Ioanne Baptista*: De quo sequens accipe.

Ioannis Baptistæ singularitas.

Et Præconium.

PRÆCONIVM

Iam iam Numen aderit,
Adest iam Numinis Præco.
Hoc Pracone,
Nemo maior, nemo minor.
Prophetarum postremus, Martyrum primus.
Solis Lucifer, Luciferi Vesper.
Messiæ magnitudinem ex sua imagine expressit.
Imò Messiæ Mystes, & Christi Christus;
Mundi Lustratorem Lustrali aqua sanciuit.
Ambigente Iordane, lauaret an lauaretur.
Nobilis fluuius, cælesti Eridano minimè inuidus;
Nam ille in cælum translatus, huic cælum delatum.
Hem quantus; ac quantulus fuit?
Tantam sanctitatem ad nihilum redegit,
Cùm se *Neminem* dixit.
Tantòque se diminuens quantò cælitum auctior;
Cum Omnipotentia certauit.
Hic ne vinceretur, augentem vicit, se minuendo;
Illa vt vinceret, imminutum vicit augendo;
Adde, hoc Pracone
Nemo taciturnior, nemo vocalior.
Vix conceptus, silentium Patri indixit;
Vix formatus, Deum hospitem nutibus excepit.
Vix vtero egressus, solitudinem ingressus,
Hirtus, ieiunus, vigil,
Cum Angelis Angelus, Mutus cum Mutis viuens,
Quod

Quod loqueretur, tacendo didicit.
Nemo diutiùs infans fuit; nemo altiùs fatus:
In deserto disertus,
Et iam nihil nisi vox,
Rudes instruxit, auios reduxit,
Peccantes increpuit, Reges terruit,
Trunco etiam capite clamosus,
Viuum se morti approbauit,
Et ad Mortuos vitæ Præco descendit,
At at, procumbito viator,
Præco siluit, Messias adest,

Verf. 2. §. 2 Quare Sara sterilitatem ad se refert, cùm ex ipsomet etiam Abramo ob eius longæuam ætatem proueniret? teste S. Ioanne Chrysostomo qui in Saræ persona sic fatur homil. 38. *Quoniam igitur conclusit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, vt ex ea prolem procrees. Scio, quòd ego sum causa, quare non habeas pueros, propterea nolo te priuare eo solatio*. Respondeo: Sara vtpotè iusta, & Sancta, infæcunditatem sibi adscribit. Hæc est enim iustorum conditio, vt omnium bonorum defectus, ac rerum penurias sibi attribuant, eorumque causas existere, sibi persuadeant. At contrà in fauoribus se minimè illis dignos iusti iudicant, vnde semper illos alteri referunt. Canticorum dilectissima inquit Cantic. cap. 5. verf. 8. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuncietis ei quia amore langueo*. Anima diuini ardens amoris à filiabus Ierosolymæ vt suæ Charitatis flammas dilecto sponso aperiant. Ad quid ab alijs quærit, cùm ipsa clarè nouerit suum sponsum, vtpotè verum Deum omnium intima cordium ac dilectiones apertè videre, & cognoscere, omnia enim nuda sunt, & aperta oculis eius? Ad quid? nosce præclarum iusti humilitatis ingenium. Hoc totum non latebat sponsam, tamen sub iuramenti obtestatione requirit, *Vt annuncietis ei, quia amore langueo*: Quasi sibi persuadens; quòd vt eius amor esset Deo gratus, & periucundus dilecto aliorum fauorem expeteba: & quod ei acceptus, & perdulcis erat; non tàm ob ipsam, quàm etiam ob gratiam, ac fauorem exponentium, dicentium, ac annunciantium; vt præclarè Gillibertus Abbas Serm. 46. in Cantic. in principio exposuit dicens. *Anxia vota suis esse contenta nesciunt meritis; ideò precis mendicant suffragia. Perfecta humilitas demeritis semper alienis præsumit. Adiuro vos, inquit, filiæ Ierusalem, &c.* Igitur cerne duo Sancta iusti contraria. Si bonorum defectus videt, sibi attribuit iustus, vt Sara, si fauores habet, ad alterum refert, vt Anima in Canticis.

Iustus bonorum defectus sibi attribuit.

Iustus omnes sibi fauores non ad se, sed ad alterum refert.

§. 3 Quare Illustrissimæ mulieres in Sacra Scriptura steriles cùm dicantur; tamen quando ancillas suas tradiderunt viris suis, vt ex illis filios susciperent, tunc ex se genuerunt. Sic annosam iam Saram marcido vtero Agarem ancillam videmus dedisse Abramo, vt ex illa prolem haberet. *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios, conclusit enim me Dominus, ne parerem*. Et postea ipsa Sara (vt videbimus infrà Gen. cap. 21. verf. 2.) genuit præstantissimum filium Isaac. Sic & Rachel, cùm se vidisset infæcundam, ac dedisset famulam suam Balam Iacob marito suo, vt ex illa susciperet Sobolem (Gen. cap. 30. verf. 3.) postea ipsa peperit Illustrissimum Ioseph ibid. verf. 22. Cur ergo istæ duæ nobilissimæ fœminæ optatum fructum non assequuntur, nisi postquam suas ancillas proprijs viris accommodarunt? Disce ex hoc, quàm præpotens sit indulgentia in tuos minimos. Tàm efficax fuit erga Deum singularis Charitas in ancillas, vt post illam impetrauerint id, quod ante suis magnis virtutibus, quibus erant insignitæ, & dotatæ, non erant assecutæ. Ad hanc considerationem respexit Smaragdus Abbas in Diademate Monach. dicens: *Cum Rachel tradidisses viro suo famulam Balam, vidit Dominus humilitatem eius, & exaudit eam, dans ei filium Ioseph in augmentum, & gloriam familiæ patris sui*. Expende Ly: *Cum Rachel tradidisset*. Quod de Rachele, hoc de Sara intellige opportunè dictum. Verf. 2.

Charitas in seruos multum promeretur.

§. 4 Quare, & vnde, Sara tàm potens in iubendo est vt sibi maritum in re viro casto adeò difficili obedientem efficit? nam ad illa verba; *Cumque ille acquiesceret deprecanti*, dicit S. P. N. Augustinus lib. 22. contra Faustum Verf. 2.

cap.

cap. 31. quòd Sara id fecit: *Non cedens viro concupiscenti, sed iubens obedienti*. Benedictus Pererius in præsenti num. 3. ex Iosepho respondet. Saram Dei monitu suasisse illud coniugium Abrahæ, & ad id diuina authoritate impulisse eum. Nec miror, tanta enim potestas, & authoritas diuina solet elucere in verbis seruorum Dei, vt non sit, qui eorum imperijs resistat, nec ipsa creatura insensibilis. Proh quoties de iustis dictum est, quod priùs dicebatur de Iesu, Lucæ cap. 4. vers. 32. *In potestate erat sermo ipsius!* Ex quo inquit D. Basilius Seleucus orat. 29. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apostolorum cœtus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba, cœlum hominibus reddiderunt; terras integras peruasit ea vox, insulas occupauit vocatio, sinè vi capta sunt ciuitates, Reges adorauerunt, Imperatores ceruices subiecerunt*. Et quis resistat tantæ voci? Quis non subiaceat tantæ authoritatis imperio? Et quis resistat verbis iustorum in Dei fide procedentibus? De tribus pueris Hebræis ait Daniel cap. 3. vers. 24. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, &c.* Mirandum enim erat, quòd inter flammarum linguas perstrepentes carnea lingua audiretur. Et quomodo audiebatur humana lingua, cui tot ardentes linguæ sese obiecerant? Ait D. Zeno Veronensis serm. 3. de Daniele: *Tanta est fidei virtus, tantaque potestas, vt cultoribus suis etiam ipsa elementa contrà suam naturam famulari compellant*. Habet lingua iustorum in fide operantium, vnde vel ab insensibilibus extorqueat obedientiam.

Verbis seruorum Dei elucet magna potestas.

Vers. 2. §. 5 Quare Sara dixit ad Abramum consortem ingredere ad Ancillam meam? Opportunus Aureus Doctor ibidem, dubium vt soluat, dicit: *Hic fortassis suspicabatur Sara, sterilitatem illam non à se sola esse, sed etiam à Patriarcha: ideò volens re ipsa illum certis coniecturis docere, ancillæ cedit*. Vide oculis quàm sit potens in fœminis se excusandi solers affectus, cum Zelotypiæ quasi insaniam vincat. Non ignorabat Sara se esse infæcundam: vnde ingenuè confessa est, suam vuluam à Deo conclusam sterilitatis malo; sed adhuc ancipiti hærebat mente, an Patriarcha etiam consimili naturæ inopia laboraret. Grauatè ferebat in se vnam conijci sterilitatis probrum: exindè (ex Chrysostomi mente) mariti nuptias conciliat, si fortè sub secundis nuptijs videns maritum improlem, de infæcunditate mariti suam consoletur, & Patriarchæ sterilitate defectum prolis excuset. Rem licitam, & illo æuo ritè permissam, à marito exigit: sed in re bona ingenium excusationis mirè etiam translucet, & quàm sit hic affectus in fœmina acer: siquidem diù certans cum Zelotypiæ quasi furore, illud tandem palam euicit, dum mauult, dilectum maritum, ipsa nuptias conciliante, in alterius fœminæ sinu cernere, quam excusationibus cedere. Certat in Saræ pectore, velut in quadam affectuum palæstra, Zelotypiæ impatientia, cum expetitæ excusationis desiderio: diù vtrinque certatum est duello nimis contentioso: sed vbi aliqua affulsit spes, suæ quodammodò excusandæ sterilitatis, de infæcunditate mariti, vincit hic affectus in fæmina, & de superata Zelotypia, trophæa erigit, dum noui coniugij permissum extorquet lenocinium; alterumque dilecto marito thalamum sternit, ne spes omnes excusationis excutiat. Vel per Zelotypiæ neglectum, it Sara ad excusationis arbitrium! Quid exaggeratius? sed quid fæminarum genio conformius?

Sara, vt se quodammodo excuset, Zelotypiæ cedit.

Fœmineus sexus grauiori malo, bonum excusationis vltrò emit.

Vers. 2. §. 6 Quare filiorum susceptio, ædificatio vocatur? nam illud Saræ: *si fortè saltem ex illa suscipiam filios*, dicit S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis; *diligenter nota, quòd procreatio filiorum in Hebræo, ædificatio scripta est. Legitur enim ibi: Ingredere ad ancillam meam, si quomodò ædificer ex ea?* Filij ne ædificant parentes, an potiùs parentes condunt, & ædificant filios? Parens, totius posteritatis architectus est, qui posterorum fabricam generatione molitur, & educationis sublimitate ad fastigium vsquè perducit. An non parens idem ac conditor est? & quidem filiorum: filij enim vt formantur à parentibus, ita de re architectonica mutuato vocabulo, fabricari etiam dicuntur: quo igitur pacto parentum fabricam iam diù conditam, successores multi dicuntur? O! sic hominis infæcundi ædificium seu vita, labascere putatur, & de posterorum inopia ruinam minitari, vt, quasi ad parietinas redactum foret, denuò *ædificari* dicatur? In Hebræa lingua mysteriorum grauida, pulchra Synonyma sunt, filios *suscipere*, ac ex filijs *ædificari*: quasi filij ædificent, condant, & fabricent parentes. Sic improles homo nemo hominibus putabatur: sic olim magnificum erat, filios fæcundè procreare, vt sterilis

In Hebræa lingua Synonyma sunt, suscipere filios, & ex filiis ædificari.

rilis

rilis haberetur maledictus! Quò illustre virginitatis decus, qui est flos gratiæ, illibatus Euangelio seruaretur.

Vers. 2. §. 7 Quare dicens Sara eccè conclusit me Dominus ne parerem, ingredere ad Ancillam meam, Abram acquieuit mulieri deprecanti? Respondet S. P. N. Augustinus lib. 22. contra Faustum manichæum cap. 32. ***Credens hoc Saram ex Dei nutu voluisse***. Sed vnde cognouit Abramus Saram in præsenti Dei nutu agi? Crediderim id notum fuisse Abramo ex æquanimitate Saræ in toleranda ærumna sterilitatis, quam æquanimitatem illa verba ostendunt, nimirum: ***Eccè conclusit me Dominus, ne parerem, &c.*** Non acerba in Deum, non queribunda de sterilitate, sed æquanimis sua manu acceptat ærumnam tantam. Quare ergo non credatur Deo agi, & Deo afflari?

Vbi ærumnæ æquanimiter tolerãtur, ibi clarissimè apparet esse Deus.

Vers. 3. §. 8 Quare Abram ad secundas transiuit nuptias, dicente Scriptura: ***Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam...... & dedit eam viro suo vxorem?*** Qui peregrinatur, dum audit Abramum iam senem secundas inijsse nuptias; diligenter attendere debet, non id spontaneè, sed votiuè fecisse, sed vt deprecanti Saræ ***acquiesceret***: Vir enim valdè vxorius, vt Saræ suæ peramans, nisi vt Saræ conniueret, ipsique gratum faceret, eiusmodi cum Ægyptia ancilla connubium, nec mente moliretur. Audi S. Ambrosium, ha super re, lib. 2. de Abraham, sic ad rem præsentem opportunè Philosophantem: ***Non abnuo***, inquit, ***quòd Abraham de ancilla susceperit filium, vt cognoscas quoniam non superioris cuiusdam naturæ ac substantiæ fuit Abraham, sed vnus è numero, ac fragilitate vniuersorum hominum***. (nota quæ postmodùm subtexit verba) ***Quod ergo putas esse peccatum; aduertis esse mysterium***. Vel quod imperfectionis arguitur in Abramo, altè eius Elogium ædificat. Tanta enim sublimitate eminet, vt propè necesse sit aliquid saltem specie tenus reprehensibile admittere, ne humanum fastigium excessisse putetur, dum sæpè in eius moribus nescio quid supra humanum fastum scintillare videatur. Puta ergo ***Mysterium***, quod vitium reputas. Ecquod autem ***Mysterium***, nisi coniugalis erga Saram amoris Sacramentum, & charæ beneuolentiæ arcanum; vt, inquam, Saræ ***deprecanti acquiesceret. Hac ei plus*** Sara ***debet, quia dilectionis nimietate peccasse***, à quibusdam fors reputabitur. Saltem à sublimissima hactenus perfectione in hoc facto tantisper desciuisse, nisi ***Mysterium*** intercederet, forsitan putaretur. ***Habe charitatem, & fac quicquid vis***, S. P. N. Augustinus de discip. Eccl. apud Hildeb. epist. 83.

Quod in Abramo forte putabitur, imperfectum charitatis mysterium est.

De viris Sanctis aliquæ referuntur imperfectiones, vt homines putentur.

§. 9 Quare Agar concepisse se videns despexit Dominam suam? Fateor mutauit antiquas vias spiritus humiliati, & sobrij: noluit easdem, quas priùs nouerat, calçare semitas: verùm non est hæc mutatio dexteræ excelsi, talis tamen, quæ malorum penè iliadem inuexit: nam indè subsequutum, vt Sara affligeret, indè vt fugam meditaretur, & bestiarum socia fieri mallet, quàm hominum torquentium eam acerbè: Nolite iugum excutere, qui Deo vos mancipastis: Nolite extolli in altum, & disciplinam odisse. Quis nouit potestatem iræ Domini, & si fortè propter nouam mentis superbiam, ob conuulsam veterem fidem vlciscatur, & arguat in furore suo? Et quis poterit sustinere indignationem eius? Quid si & illud contingat, & fugam capessat aliqnis Agaris in morem, & Apostata infelix; vagus, & profugus eat in damnationem? S. Gregorius Papa lib. 2. in primo Regum cap. 3. ***Quidam***, inquit, ***namque Prælatorum Ecclesiæ Sanctæ Magisterio subditi rudes obediunt: sed cùm paulò altiùs per conuersationem proficiunt; in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt: Quos benè Agar Saræ ancilla spiritaliter designat, quæ cùm de Abraham viro eius concepisse se vidit, Dominam despexerit: Agar quippè concipit, quando reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conuersationem credit: quæ profectò prægnans Dominam suam despexisse dicitur: quia iam præsidenti sibi Præpositi sui voluntati per obedientiam subdi dedignatur; sed quæ Dominam despicit, ancillam esse perhibetur: quia superbi, subiecti, & infirmi sunt per elationem, & ad filiorum Dei numerum non pertingunt***; quod superiùs in morali Annot. iam diximus. Vers. 4.

Agar in Abrahæ thorum euecta Saram despicit, & indè fit misera: Timeat vir indigni tatem elatus ne, seu disciplinæ negligentia, siue prioris obseruantiæ contempta cadat infelix.

§. 10 Quarè Sara querelas suas Abramo exponens Deum tanquam iudicem appellat, & verbis tragicis misellam se dicit, quòd despectui habeatur ab ancilla, conniuente marito? Quia qui pacatè viuit nesciens litigia, cælebs est. O litigia nuptijs indiuiduè cognata! Sententiosè ex clarissimo quopiam Oratore dixit S. Hieronymus in lib. 5. contrà Iouinianum: ***Qui non litigat, cælebs est***. Sic sunt querelæ, iurgia, & lites nuptiarum appendices, & connubijs sequela! Vers. 5.

Qui pacatè viuit nesciens litigia, cælebs est.

Vers. 6.

§. 11 Quare Abram dixit Saræ Ecce ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet? Abramus duas sortitur vxores Saram, & Agar: Saram excellentioris scientiæ Dominam; Agar non adeò nobilis peritiæ seruam. Hæc, & præcipuum sibi cultum exambijt, & Dominam nobiliorem nempè scientiam despexit: querelas apud Abramum excitat Sara, & benè politicus Dominæ famulam subijcit, vt pro libito corrigat petulantiam, & tumoris refrænet insolentiam: *Ecce*, ait, *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet*. Eo pretio illarum quamque habuit, quod exigebat ratio, scilicet Saram præponens, & Agar subijciens. Audi S. Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat: *Est philosophia quidem exercitatio; Sapientia verò scientia rerum diuinarum, & humanarum, & causarum ipsarum: Est enim Sapientia domina philosophiæ, sicut eius, quæ priùs auditur, disciplina.* Addit postea. *Vnde Abram, cùm Sara æmularetur Agar, quæ erat in maiori, quàm ipsa existimatione, vt qui sæcularis philosophia solùm id quod est vtile, egisset: Ecce, inquit, ancilla in manibus tuis, vtere ea, vt libet. Quasi diceret; Sæcularem quidem amplector doctrinam, vt iuniorem, & vt conseruam; scientiam autem tuam, vt perfectam dominam honoro, & colo.* Profectò non potuerunt non excitari in familia illa tumultus, dum minùs sapiens maiorem habere existimationem est visa, & doctior aut loco inferiori habita, aut de æqualitate despecta. Abramus generis Hebraici pater, & norma optimæ politiæ iuxtà scientiarum qualitatem habuit etiam æstimationem: voluit vt Agar non adeò literata haberetur serua, & Sara doctior coleretur omnibus domina: iniquè enim ageretur in Saram ipsa clamante: *Iniquè agis contrà me*, si scientia ignobilior ad honoris eueheretur fastigium, & inseruiret ipsa depressior; in Abrahæ domo omnia pacata, cum Sara domina, & ancilla serua; at cùm communis erat vtrique honor, & excitantur tumultus, & seditiosus affligit motus. Adde politiæ pestem prorsus esse, si diuersa merita, aut confundantur in præmio, aut exæquentur in numero.

Minor sapiens maiori sapienti sit subiectus.

Vers. 6.

§. 12. Quare Sarai despectui habitæ ab Agar, cùm querelas Abramo exponeret, dictum fuit ab ipso, accipe ancillam tuam, & vtere ea vt libet? Ne (audi dubij solutionem) vlla in bono coniugio discordia nasceretur. Nam, vt ibi S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. aduertit: *Hac in vxorem indulgentia pace domum repleuit*. In hebræo est, *fac ei quod bonum in oculis tuis*. Vbi rectè Caietanus. *Non*, inquit, *ad libitum, sed ad arbitrium remisit*. Quasi diceret, non quæ passio, sed quæ ratio, supplicia exigebant; non quæ libebant, sed quæ licebant, in famulam permisit. Nam viri in vxores neque valdè morosi, neque valdè morigeri esse debent. Sic & Elcana Annæ vxori suæ 1. Regum cap. 1. vers. 23 dixerat: *Fac quod bonum tibi videtur*, bonum non malum petenti coniugi acquieuit. (Non inuenustè S. Gregorius historiam ad mysterium inter Christum, & Ecclesiam deducit dicens. *Quid est quòd Anna consilium viri sui auctoritate roboratur: nisi quia propositum Sancta Ecclesia, non ex humano præsumitur iudicio, sed ex diuino. Nam quidquid Sancta Ecclesia in subiectis sibi nationibus disponere voluit: tunc demùm id ratum habuit, cùm ex internæ veritatis iudicio, quidquid disponendum esset, agnouit.*) Solent etiam boni viri vxoribus morem gerere, vt domestica pax, & tranquillitas conseruetur: & intestina iurgia procul abigantur, quibus coniugalis vita frequentissimè infestatur, iuxtà veterem paræmiam à D. Hieronymo, superiùs citato, vsurpatam: *Qui non litigat cælebs est*. Hoc est: solus, qui cælibem vitam agit, agit & tranquillam: nam qui in coniugio viuit, perpetuis litigijs implicatur. Ab his se, vt boni coniuges expediant, vxor inconsulto viro nihil aggreditur; vir consulenti vxori facilis assentitur. Sic olim Sunamitidi pergere ad Prophetam Elisæum cupienti, & facultatem à viro postulanti, quamuis illa profectio importuna videretur, tamen vir benignus acquieuit; legitur enim 4. Regum cap. 4. vers. 22. *Vocauit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris; & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar* (vers. 23.) *Qui ait illi: quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit: vadam*. Et cur acquieuit vir? Ne aliqua domi turbella, aut tragœdia excitaretur. Sic & Abram Saræ. O tempora quò irreuocabilia fugistis? Hæc fuerunt boni coniugij exempla. Benè fuerunt, nam modò vel minimè, vel rarò similia videntur.

Pax inter coniuges seruanda.

Ne sint viri in vxores valde morosi.

Litigia inter coniuges perpetua.

Boni coniuges nihil inconsulto altero aggrediuntur.

Vers. 6.

§. 13. Quare Agar fugam inijt? Ex textu responsio patet, quia affligebat eam Sarai. *Affligente illam Sarai fugam inijt*; de qua afflictione nihil expressiùs in scriptura dicitur, sed communis est in-

interpretum animus in ea intelligenda non de graui aliqua castigatione, quæ afflictio propriè esset, aut dici posset, sed quæ ipsi ancillę videbatur afflictio præ nimio sui amore, & æstimatione. Moderatè, ait S. Ambrosius: *Sara (discreta enim erat per omnia vxor iusti) authoritate sua vsa est, non permisit ancillam agere suo more, ostendit se dominam illius; Agar autem fœmina vicissim impatientiæ subesse noluit, periclitari elegit, potiùs & aufugere, quàm humiliari, & obedire. Sed Angelus huic malo opportunè subuenit, dixitque ad Agar, Ancilla Sarai vndè venis, & quo vadis? Quæ respondit à facie Sarai dominæ meæ ego fugio, dixitque Angelus domini reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Notat ibi Anreus Doctor multa in Angelo, sed illud in primis, quòd eam vocauerit, & nomine proprio, & simul admonuerit status, & conditionis suæ, ne vlteriùs superbiret in dominam, quæ se fatebatur ancillam. *Vide*, ait, S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. *Quomodo & Angeli dicta eam in memoriam suæ conditionis inducunt, dicit enim Ancilla Saræ, quò recordari eam faciat dominæ suæ, vt sciat, quòd licèt particeps fuerit berilis lecti, attamen dominam agnoscere debet Saram.* Est etenim res intolerabilis se Ancillam fateri, & vti dominam velle tractari; ancilla erat in sui cognitione, domina in voluntate. Non ignorabat suam seruitutem, sed adspirabat ad dominationem, & ideò addidit Angelus. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius, reuertere, ait, ne sis ingrata erga dominam tuam: quæ de te tàm benè merita est. Deindè quia ex fastu, & superbia mentis dominam suam in iram excitauerat, inquit, & humiliare sub manibus eius, subiecta esto ei, hoc enim tibi proderit, agnosce seruitutem, ne ignores dominium, nihil sublime sapito, ne plus de te, quàm oportet senti.* S. verò Ambrosius lib. 1. de Abramo cap. 4. fine ex verbis Angeli Ancillæ infert in fuga insolentiam. *Et ideò dixit illi*, ait, *reuertere ad dominam tuam, vtique non latuisset Angelum si vi suppliciorum victa fuisset, & magis reprehendisset verberantis sæuitiam; quàm fugientis discessionem, sed vt ostenderet, quòd tanquam superba fugiebat, ne subiecta esset dominæ, addidit, & humiliare sub manibus eius.* Itaque non fugiebat victa supplicio, sed dominandi desiderio, & ex superbiæ fastu, quia etsi Ancillam se non ignorabat, & Saram confitebatur dominam, Ancillæ tamen onera subire intolerabile illi erat. Quo quid absurdiùs? Ancillæ ministeria fugit, qui statum Ancillæ probè cognouit. *Hoc Agar*, ait Abulensis ibid. *intolerabile videbatur, quia ex superbia non poterat inclinari, volens se semper præferre Sarai, ista est conditio superborum, quòd modicam humiliationem in tantum intolerabile reputent esse.* Hi tamen longissimè distant à vera cordis humilitate, nam inferioris ordinis, & conditionis homines, alijs sibi superioribus non subdi, superbiæ pessimum genus est, à quo iam ipsa Agar tātisper discessit, dum Angelo respondit, *à facie Dominæ meæ ego fugiu*. Iam cognouit Dominam, ex quo Angelus dixerat. *Agar Ancilla Sarai*, etenim Angelus non potuit non infundere, & verbis, & dicendi modo sui cognitionem Ancillæ, & venerationem dominæ. Ideò Sara dominam vocat Ancilla, quòd notasse videtur Dionysius Carthusianus: *Quo auditu*, ait, *etiam ipsa Agar humilians se, & conformans se verbo Angelico ipsam Sarai vocauit dominam suam, quam paulò ante contempsit velut Ancillam.* Angelicum enim est maioris dignitatis hominibus potiorem cultum deferre. Quod videre licet, tum cùm hospitio recepti sunt ab Abramo, tum ab eius nepote Lotho, nam cùm Patriarcha Sanctus processisset obuiam hospitibus, & ne discederent rogasset ab ipso, nisi priùs buccella panis reficerentur. *Dixerunt, fac vt locutus es*: infrà cap. 18. vers. 5. At verò eorum duo dum perueniunt Sodomam ad solis occasum non acquiescunt precibus Loth in domum suam inuitantis eos. *Qui dixerunt, minimè, sed in platea manebimus.* Infrà cap. 19. vers. 2. & tamen victi importunis inuitantis precibus, in domo eius recepti sunt. Si verò rem discutias, non apparet cur Angeli apud Abramum libenter, & sinè mora manserunt: ad Lothum autem nonnisi importuna instantia precum vt declinarent, vinci potuerunt. Nimirum, vt ostenderent Angeli, maioris dignitatis homines, maiori etiam esse reuerentia dignos. Aliter enim Abramo cedunt, aliter Lotho. Deferunt enim superioribus reuerentiæ signa maiora. Audiendus Petrus Alfonsus ibi. *Quid mirum*, ait, *ita contigisse, quia propter reuerentiam, & excellentiam Patriarchæ mox adquieuerunt, Loth verò minoris fuit authoritatis, idcircò prima facie denegauerunt*, & quidem Angelica virtus est, ita cum vnoquoque agere, vt nulli præferatur alter, nisi qui dignus est. Quò respexit S. Ignatius 3. p. Const. 5.

Superbus humiliationem reputat afflictionem.

Intolerabiliter superbus, seruus, qui tractari vult vt Dominus.

Superbi humiliationem modicam intolerabilem putant.

Vox Angeli infundit humilitatem.

Maioris dignitatis homines maiori reuerentia digni.

Honore inuicem præuenire debent Religiosi.

4. cap. 1. citatus à Ioanne de la Hay tom. 2. in Genesim cap. 18. vers. 2. *Potiores, inquit, partes alijs deferte, omnes in animo vestro, tanquam vobis superiores ducendo, exteriùs verò eum honorem, ac reuerentiam, quam vniuscuiusque status exigit conditio cum simplicitate, ac moderatione religiosa exhibendo*. Itaque etsi quilibet alium debet sibi reputare superiorem, at exterior cultus maior debet referri maiori, & digniori; humilitas enim vtrumque praescribit, vti docuerunt Angeli ex corde humiles. Quod etiam notauit Origenes lib. 1. in Iob dum primogeniti iura, & conuiuia exornat. *De istis ergo*, ait, *filijs Iob dicit, & filij manducabant, & bibebant in domo fratris maioris, & in hoc quod maiori Primatus honor ab alijs tribuebatur, in hoc ipso etiam, sicut in omnibus, circa Dei ordinationem ambulare properauerunt, Dei enim ordinatio, atque iustitia est, vt maiori primatus honor ab omnibus tribuatur*. Haec ille, & idcircò ait S. Ioannes Chrysostomus eiectum à conuiuio *manibus, & pedibus ligatum*, qui in illud intrauit sinè veste nuptiali Matth. 22. vers. 13. *hoc pacto*, ait, homil. 9. in Ioannem, & *nuptias, & conuiuas honorat, cùm temerarios, & impudentes expellit, aliter reliquos inuitatos offenderet, digni ab indignis omninò sunt separandi, & aliter honorandi*. Hinc Petrus in monte nesciebat, quid diceret in trium Tabernaculorum praeparatione; Marci cap. 9. vers. 5. vbi S. Basilius Seleuc. Episc. arguit suam ignorationem, Dominum vnà cum seruis annumerans, existimans subiectos esse Domino aequales honore. Vide quae eleganter notat Chrysostomus ad Philipp. cap. 1. serm. 5. pag. 501. col. 1.

Primogenitis specialis debetur reuerentia, & cultus.

Vers. 6. §. 14 Quare Agar fugit à Sarai domina sua? Respondet S. Ioannes Chrysostomus homil. cit. *fugit*, dicens, *qualis scilicet seruorum mos est, quando non permittitur eis more suo vti, & impediuntur eorum conatus, statim Dominorum ruptis frenis fugam capessunt*. Et Abul. ibid. *Ista est conditio Superborum, quòd modicam humiliationem in tantùm intolerabilem reputant esse*. Sicut etiam Religiosam vitam è religione profugi: ergo occurrit Angelus ancillae, & ait: *Agar ancilla Sarai vnde venis, & quo vadis?* Ipsa verò se fugere confitetur, quò autem fugiat omninò reticere studuit. *Fortè*, ait Lyppomanus, *confiteri erubuit à domo sancti viri, probataq; dominae ad Aegyptios rursùs redire idololatras*. O' si erubuissent tandem aliquando animae; quae à Dei domo, in quo bonum conceperant semen, in saeculum redeunt dimisso Deo, tamquam viro proprio. Indè existimo exclamasse Prophetam Isaiam cap. 1. vers. 21. *Quomodò facta est meretrix Ciuitas fidelis? iustitia habitauit in ea*. Admiratur, & meritò Propheta meretricem modò esse eam, quae aliquando iudicij, & iustitiae habitatio fuerat, habitaque, & vocata sinè dubitatione fidelis. Quae autem sit haec ciuitas, Hugo Cardinalis appositè explicat dum ait, *Idest Ecclesia, vel Religio, meretrix autem facta est, non tam corpore fornicando, quàm mente recedendo à Deo*. Itaque indè facta est meretrix, quia priùs iustitia habitauit in ea, scilicet, Deus tanquam sponsus, & legitimus eius vir, à quo dum recessit, dum eius domum reliquit, habitum exuit, meretrix facta est, quia alieno se coniunxit. Anima ergo religiosa fit meretrix, quia priùs iustitia habitauit in ea, non enim meretrix esset, nisi à iustitia, & religione defecisset.

Imperfecti Religiosi fugiunt à Dei domo in saeculum.

Meretrix fit religiosa anima recedens à Deo.

§. 15 Quare Agar è domo Abrami fugam festinauit? Quia Sarai affligere, seueriùsque tractare caeperat. Hinc carpitur nobile documentum, quòd durities, & seueritas superioris, vel Principis non ad salutem, sed ad fugam est subditis, quando nam ex rigore superioris, & desperationes, & fugae subditorum non fuerunt natae? Bis lego in Christi manu flagellum assumptum, nimirum Matthaei cap. 21. vers. 12. Et Ioannis cap. 2. vers. 15. Et quid tantus Dominus fecit cum flagello? Ait Ioannes ibid. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*. Nullum traxit, nullum retinuit in templo flagellum, sed omnes eiecit, & fecit indè fugere. Haud dubium quin iste sit seueritatis frequentior fructus, quòd se in fugam dedant subditi. Primis saeculis Dei flagellum penè ob oculos passim erat, flammeus gladius à paradiso arcebat. Caini castigatio minabatur caeteris. Diluuium res fuit seueritatis plena. Quid indè? Pulchrè rem ponderat Rauennas Eloquentia serm. 147. De Incarnationis Sacramento pag. 504. impress. Venet. dicens: *Creatura ferebatur seruitute dura, ... Obsederat pauor omnia, timor soluerat vniuersa, cuncta concusserat terror, in caelo diuinus splendor prostrauerat Angelos, in terram tonitrua, & fulmina corda mortalium quassabant. Sic nimius pauor amorem dominantis exclusit, Angelos fugauit ad ter-*

Vers. 6.

Duritiies superioris, Praelati, & Principis non ad salutem, sed ad fugam est subditis.

ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit; fecit omnes creatorem fugere, colere creaturas. Amare non potest, qui satis timet: hinc est, quod mundus perire maluit, quàm timere: pauore mors ipsa lenior. Denique Cain vbi parricidali capit terrore vexari, mortem petit, requiem credit si periret. Et quid dicam de Cain? Elias ille vbi sensit totose timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori. Igitur vbi seruitus dura, vbi frequens flagelli timor, vbi res tota seueritas, fugitur Deus, & eius cultus prorsùs exulat à mundo, & vbique terrarum aræ Dæmonibus sacratæ cernuntur. Suspectum sit gubernatori, Præsuli, Principi, & Regi optimo solius seueritatis consilium ad perdendum, quàm ad sanandum aptius.

Timore mors ipsa lenior.

Vers. 6, §. 16. Quare Sara ex occasione insolescentis vtero Agaris querulum excitat domi tumultum, dolens secum Abramo, si ipsa dederat marito ancillam? *Mulier* (ait inibi Aureus Doctor) *numquid ipse ad Ancillæ congressum festinauit? A te persuasus, & tuo mandato obtemperans, hoc tandem fecit. Qua te iniuria maritus affecit? Quare mæstitiam improperas? Da improuidum, & leuem maritum* (pergit S. Ambrosius apud Catenam) *qui morigerari nesciat, & diuortij causas Sara exhibet.* Indè prælustrissimis laudibus Abrami prudentia passim commendatur, quæ domesticæ concordiæ sumptuosiùs studuit. *Eccè* (ait Abram) *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet.* Ancilla quidem est Agar, sed vera vxor, etsi secundaria: ancilla quidem, sed quæ vterum gerit, & prænobilem Patriarchæ sobolem in ventre gestat; prolem, inquam, improli hactenùs Abraæ auidè expetitam. Et tamen quasi hæc leuia forent, Saræ coniugi Abramus conniuet, *Vt iurgia tollat auara*, ait Claudius Marius Vict. lib. 3. in Genesim. Profundè coniugium iurgia appellat *auara, auara* inquam, opum: nam vbi pax non est, diuitiæ dilabuntur: *auara* gaudij, *auara* concordiæ, *auara* pietatis: nil enim ex his floret inter domesticos tumultus. Quin & coniugatorum *iurgia auara*, dicuntur, idest sterilia, & infæcunda: (sicut terra sterilis *auara* dicitur) nam discordia, & iurgium inter coniuges, aut steriles inuenit, aut facit.

Iurgia inter coniuges, sententiosè dicuntur auara.

Vers. 6. §. 17 Quare Abram non solùm ægrè non tulit ea quæ Sara dixerat, sed & mansuetè respondit: *Eccè Ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet?* Atqui, Patriarcharum sanctissime, nùm mulierem iniustè adeò insultantem, & nimia Zelotipia laborantem, inemendatam dimittes? Nùm robusto adeò pectore tàm grauem offensam digeres, vt, ne verbum quidem in vxoris tuæ censuram proferas? Nùm contemptui trades, & iratæ vxoris probro, ancillam, quam maritali amplexu in tuo sinu fouisti, ex qua certissima tibi proles decreta est? Ita sanè. Tanti fecit Abram afflictæ mulieri inferre solatium, vt satiùs duxerit malè ipse haberi, iniustitiæ accusari, grauia omnia perpeti, tacito dissimulare pectore vxoris offensam, Agaris affectum abdicare, iracundæ Saræ arbitrio castigandam ancillam, quam impensè diligebat, credere, indefensam pati, quam in tanta vxoris afflictione leuamento deesse, atque adeò; *Ecce*, ait, *ancilla in manu tua est, vtere ea vt libet.* Subijcio S. Ioannis Chrysostomi verba homil. 38. *Imbecillitatis sexus, venię nonnihil concedit, hoc vnum satagens, vt è medio tollatur tristitia.* Vide, quàm pręstet, afflictis animis consolatione præstò esse; sed quid faciat oppressis afflictio cerne. Affligête Agarem Sarai fugam inijt. Vide nunc vagantem iam fœminam, rebus vitæ suæ necessarijs destitutam, inopem, egentem, quò diuertat nescientem, desperabundæ similem. Quid in tàm dira afflictione, consilij capiat prorsùs ignorat. Sed diuino, humanum compensatur consilium. Singulari namque prouidentia, qua Deus misellis accurrit, vnum ex nuntijs suis Angelum, ad Agar ancillam expediuit, quæ labore oppressa ad fontem diuerterat. Ibi conuenit afflictam, blandoque sermone alloquitur: *Agar Ancilla, vndè venis, & quo vadis?* Humanissimè suadet, vt ad dominam reuertatur; *Reuertere ad Dominam*; posteritatem ex filio Ismaele gloriosam pollicetur; *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*, & fausta, fortunataque omnia repromittit. Ita nè? An non arrogans fœmina ista fuit, quæ Dominam suam despectui habuit? An non impatiens, quæ Saræ afflictionem diù sustinere neglexit? An non moribus incomposita, & muliebris pudicitiæ custos incauta, quæ fugam arripuit; Quæ in manibus Dominæ suæ habere oculos noluit? Blando igitur tractanda sermone, Angelico dignanda colloquio, largaque bonorum pollicitatione firmanda erat; non verò grauitèr

Abram maluit iniusti notam subire, quàm Saræ solatio, in mærore concepto deesse.

Cur Agar arrogans, impatiens, incauta Angelico dignatur colloquijs.

incre-

Digitized by Google

increpanda, compescenda, castiganda? Minimè verò. De afflicta muliere, in extrema calamitate constituta, agebatur. Confert afflictæ mulieris calamitatem cum recensita malorum serie, in qua fuerat fœmina ista prolapsa, & nihil illorum comperias, grauissimam Agaris obiurgationem euincere, sed huic parcendum, modò in tanta afflictione solatium fœminæ fiat. *Non durè eam alloquitur* (Angelus) *quia desolata erat. Sic solet Deus afflictis familiariter loqui ne desperent*, inquit Ferus. Quid indè? docet S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. *Hinc discamus, quantùm sit in afflictionibus lucrum, quanta calamitatis vtilitas; postquàm enim successit, & dolor auctus est, multisque circumdata est afflictionum molestijs, in solitudine, in vastitate, & angustijs versans, ideò acceleratum est subsidium*. Sed quare acceleratum? Quia nihil tàm diuinæ bonitati conuenit, quàm afflictos in eorum calamitate consolatione afficere; nec egregius, aut excellentius in vita hominum referri potest, quàm diuinum ad exemplum componi, & concussos in afflictione proximorum animos recreare. Ad quid Deus ipse humanitate indutus affligi voluit, nisi vt disceret consolari? *Christus* (inquit S. Petrus Chrysologus serm. 50. de Paralytico pag. 172.) *venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare diuina, accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates: quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem*.

Deus afflictis familiariter loquitur, ne desperent.

Christus affligi voluit, vt disceret consolari.

Vers. 6. §. 18. Quare Agar maritalis Thori Saræ consors, de vxore indè profuga facta fuerit? Quia, inquit Rupertus Abbas lib. 5. in Genesim cap. 25. *Cùm ancilla sit, superbit, & dominam suam despicit, idest de carne Abraæ gloriatur*. En quomodo in prospera tibi temperandum fortuna. Meminisse iuuabit, quis fueris, neque enim robore sistitur, sed virtute. Agarem tu vides, quid clarius? Nabuchodonosorem aspice quid expressius? Scitè quidem, & Nabuchodonosori, & Agari, id genus inconsultis, genere, vt expedit, immutato opponeret Plautus quod de fortuna fatus concepit in Captiu.

Me, liber fueram, seruum fecit, ex summo infimum,
Qui imperare insueueram, nec alterius Imperio obsequor.

Quàm consiliosius in hac ipsa, & moderatius sese gessere fortuna, quibus *præsens felicitas sic arrisit, vt non irriserit*, inquit Mellifluus Doctor lib. 2. de Cons. ad Eug. Theodosius ille, de quo Cassiodorus lib. 1. ep. 4. *Nullo elatus in cothurnum se magna potestatis erexit*: Auitus, quem Sydon. Apoll. Epitaphio celebrat.

Moderatorum exempla infelici fortuna, & exempla.

Nec tamen ob summi culmen tumefactus honoris
Erigitur, seque plus alijs æstimat, imò
Subijcitur magnus, seruat mediocria summus.

Theodorus, de quo Claud. in eius Paneg.

.......Nec quæ comitatur honores.
Ausa tuam leuiter tentare superbia mentem;
Fraus priuata manet.

Epaminunda, qui post victoriam in Lauetris reportatam, postridie squalido incedens amictu, præcedentis diei lætitiam, eo se incessu dictitans castigare. Stilicon, de quo citatus Claud. Paneg. 2.

............Nec prospera flatus
Attollunt nimios: quin ipsa superbia longè
Discessit, vitium rebus solemne secundis.

Cæsarem denique, vt sexcentos præteream, qui Tyberij exercitu gloriosè deleto, Marti quidem, Ioui, & Augusto monumenta Sacrauit, *De se nihil addidit memoratu inuidia, at ratus conscientiam facti satis esse*, ex Tacito lib. 2. Annal. Nec pluribus, cùm, omnium idæa virtutum, & virtutum Dominus Christus Iesus, vnus pro multis, non ideò, quòd Ierosolymitano exceptus triumpho, pullo insederit asinæ abiectissimo, sedentem, stabilemque nobis obiecerit esse fortunam, sed quomodo Christianæ humilitatis recordatione fuerit temperanda, olim inaudito ostentarit exemplo. *Ascendit super iugalem, & pullum nouum, non currus, vt cæteri Reges, agens, non vectigalia exigens, non elatus tumore, nec satellitibus stipatus, sed magnam vndiquè monstrans humilitatem. Interrogatur ergo Iudæus, quisnam Regum asina vectus Hierosolymam intrauit? Neminem profectò dicere possunt, præter Christum*, ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 67. in Matthæum. Ita, *pullo vsus, imperium orbis terræ tenuit, & Deus verus esse creditur, & prædicatur. Et qui pallio asinæ incedit, reges habet adoratores, qui cubiculis auro, & lapidibus pretiosis ornatis gestantur*. Theodoretus in Zachariam; Ita, Dominus virtutum, & rex gloriæ recipitur in cœlo

Christi humilitas in triumpho Ierosolymæ ad exemplum.

Christus cur asinam ascendit?

cœlo Christus Iesus ; cuius ad exemplum, stabilem sibi, quisquis ille sit, manibus continere præualebit fortunam, & clauum figere, quem suspirabat Alexander præcipiti lapsu rotanti; *Sola enim virtus, viuenti, & mortuo, stabilis, & firma possessio*, Inquit Æneas Sil. Ep. 114. quare breuibus. *Fidite virtuti, frangi & ista nequit*. Hanc instabili obijce anchoram fortunæ, nec time; & si de propria infirmitate diffidis, Deiparam, omnium humillimam, Reginam, & dominam: *Oramus, vt in prosperis sit protectrix*, iterum cum Idelphonso serm. 6. de Assumpt. duplicem sibi Eliæ spiritum fieri enixè petat cum Eliseo, *fiat in me spiritus tuus duplex* 4. Regum cap. 2. vers. 9. licèt enim *Non sit discipulus vltrà Magistrum*, habitus tamen *Cum magno honore, & saculi dignitate prophetia dono pollebat*, cum Elia, in spelunca hominibus exosa latitante; ne tamen fauore Principum inflatus deficeret, metuebat, ait S. P. N. Augustinus lib. 2. de mirab. cap. 26.

Vers. 6. §. 19 Quare, si ancilla ad coniugium adducta iam se expedierat seruitute; Abram asserit, ancillam in manu adhuc Sarai esse? Certè quia dum tàm egregio beneficio à Domina afficitur, dum facta Abræ vxor à seruitute liberatur, arctiorem ex gratitudine inijt seruitutem. Vnde Strictiori iure Agar sub Sarai manu ex lege gratitudinis residebat. Ideò vir se expedijt à supplicio inferendo, tum quia dedecet maritum propria manu vxorem vulnerare; tum quia illa iniuria inflicta erat benefactrici, quam speciali iure ancilla affecta beneficio reuereri debuerat. Profectò ex venia mariti Sarai secundariam vxorem verbis, & fortasse actionibus affligebat, quare quæ seruile ingenium non exuerat, fugam arripuit. Quàm thalamo indigna, quæ ex domo mariti recedit. Nisi excusabilis proferre possit: si ancillæ ingenium fugax est, non mirum, me fugisse, si maritus non vti vxorem, sed velut ancillulam vulnerauit.

Gratitudo eius debet seruum efficere eius, qui beneficium impendit.

Virum dedecet, vxorem propria manu punire.

Quid mirum fugiat ex ingenio ancillæ vxor, quam maritus vti ancillam vulnerat?

Vers. 7. §. 20 Quare hæc Ægyptiaca ancilla, quæ ob superbiam contempserat dominam suam, tot fauores promeretur, vt Angeli vnius præsentia recreetur; quæ præclarissimis viris ex magna Dei indulgentia conceditur? Lyppomanus dudum soluit dicens: *Solatur Angelus emendatam, quia humiliata nunc Dominæ obedire consensit*. Agar in solitudine posita, & videns se ab omnibus destitutam, in dolorem, ac resipiscentiam de contemptu, ac superbia erga dominam suam, cùm esset tacta aliquali pænitudine emendataque euasisset, Angelica iam dignatur præsentia. Bonus ille Pastor, qui habebat centum oues, cùm ex illis perderet vnam; *nonnè*, ait Christus, *dimittit nonaginta-nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam imponit in humeros suos gaudens*: Lucæ cap. 15. vers. 4. Benè poterat bonus pastor errantem ouem pedone suo ad caulas reuocare; Ad quid in humeros subleuat, quæ dilectionis signa nullam ex nonaginta nouem ouibus, semper pastoris voci, ac baculo obtemperantibus, legitur adipisci. Vbi eam diuinus pastor in habitu pænitentis agnouit, ad excellentiora dilectionis argumenta promouet, & super humeros imponit: in quo Christi sui imperij insigne portat: *Cuius imperium super humerum eius*. Isaiæ cap. 9. vers. 6. Pænitens ouis ad tantum cacumen ascendit, vt veluti coruscans gemma inter suæ potestatis infulas à pastore collocetur, ac tanquam insigne sui imperij ornamentum in illius sede reponatur. D. Gregorius Nazianzenus orat. 42. *Ad ouem errantem, ait, venit pastor ille bonus, animam suam pro ouibus ponens: venit, inquam, ad montes, & colles, in quibus sacrificabas, & balantem inuenit, & inuentam eisdem humeris, quibus & lignum crucis, sustulit*.

Penitens instar magnorum Sanctorum præsentia Angelorum fruitur.

Pænitens magna dilectionis signa meretur.

Penitens pro magno honore reputatur.

Vers. 7. §. 21. Quare Agar non expauerit visione Angeli, qui solebat suo aspectu impauidos etiam homines perterrere? Abulensis qui dubium proposuit respondet, *quia videndis Angelis in domo Abraæ iam erat assueta*. Sed hæc responsio meo iudicio incerta est, tum quia ante hac nusquam in scriptura apparuisse Angelus memoratur: tum etiam, quia quamuis Abraæ apparuerit, non propterea ab ancilla videretur. Aliter igitur respondeo, eum angelum composito ad consolandum vultu apparuisse, serenato, hilari, gestiente: atque adeò multum decoris, nihil terroris afflauisse. Vides, vt exiliunt Angeli, vt se comunt, & expoliunt ad ministerium consolandi. Sed vlteriùs nota, hunc locum in scriptura fuisse omnium primum, in quo referatur Angelus in terris apparuisse.

Primus Angelus ad ancillã Agar consolandam in Scriptura legitur apparuisse.

Cur igitur, dicet aliquis, primo tempore, quo Angelus apparet, non ad principes, & Heroes cum legatione mittitur: sed vllam ad ancillam, Ægyptiam,

ptiam, fugitiuam, multisque alijs nominibus abiectam? Nonnè debuit tantus cælestis curię Legatus, primo saltem tempore, quo ad terras mittebatur, debito eum honore, auctoritateque manifestari, ne in posterum vilipenderetur? Debuit profectò. Sed Angelo nulla esse potuit gloriosior legatio, quàm illa, qua ad miseram ancillam consolandam fungebatur. Adeò putabat Angelus honorificum, mærenti animo solatium adhibere, neque indè se in contemptum, sed potiùs in maiorem existimationem venturum sperabat. Quæ planè eum opinio non fefellit, nam qui, vt Angelus venerat ad consolandum, post consolationem, vt Deus ab ancilla salutatur. *Tu*, inquit, *Deus qui vidisti me*. Deum appellat, cum Angelum, & fortasse cum hominem (humano enim habitu credendum est, Angelum apparuisse) qui se miseram fuerat consolatus. Tanta ex hoc officio dignitas Angelo accrescebat.

Vers. 7. §. 22. Quare Angelus apparuit Agari in solitudine? Quia ancilla afflicta in tribulatione sua clamauit ad Dominum, & ipse exaudiuit eam. O quanta ancillæ felicitas? Occurrit ei Angelus Domini etiam, dum tanto honore digna nec iudicatur ab Angelo domina; & Agar potuit obtinere tantum in afflictione sua patronum. Audi Aureum Doctorem inibi: *Afflictionis fructus in hac ancilla videre licet, quia postquam à Domina afflicta fugerit, & multùm ærumnosa fuit, dolenteque anima dominum inuocauit; statim cælestem visionem affecuta est*. Ea propter Regius Vates non solùm se exaudiri in tribulatione volebat, sed velociter exaudiri, quasi opportunitas orationis ex afflictione vitæ, eam etiam auxilij opportunitatem exoret. Psal. 68. vers. 18. *Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me*. Vides ea solùm niti ratione, eo solo argumento Prophetam vti, ad hoc vt exaudiatur velociter? Ergo tribulatio eam etiam infert festinæ exauditionis vtilitatem: imò si necessarium fuerit etiam per miracula afflicti oratio impetrat postulata. Quemadmodum contigisse Liæ cognouimus, *Cuius Deus preces exaudiuit, concepitque, & peperit filium quintum*. Genesis cap. 30. vers. 17. cùm tamen cessaret parere; & exaudiuit eam Deus, ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 56. *Quia videbat eam dolentem, nec multùm viro probatam*. Et tamen exaudiuit in re vsquè adeò difficili. Quæ enim cessant à partu, steriles, & ineptæ ad alios partus reputantur, sed tamen sterilitas hæc orationis in opportunitate afflictionis ad Deum factæ in fæcunditatem redita est: *Ostenditur hic* (ait Lyppomanus) *Virtus orationis ingens, qua noua subindè fæcunditas obtinetur, cùm iam cessaret à partu via naturæ*. Eodem etiam modo sterilis peperit plurimos, Anna scilicet mater Samuelis, quæ amaro animo orauit ad Dominum 1. Regum cap. 1. vers. 15. & ad Heli Sacerdotem sic respondit: mulier infelix nimis ego sum, quia ex multitudine doloris, & mæroris mei locuta sum vsquè in præsens. Tunc Heli ait ei, *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum, & abijt mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt ampliùs in diuersa mutati*. Et vndè fœminæ tanta lætitia, vt nunquam vultus eius non lætus, & placidus appareret? *Vides mulieris fidem? priùs quàm acciperet, quod postularet, perindè confusa est; quasi iam accepisset. Abijt ergo animo pacato quasi totum impetrasset: Deus enim iam totam anxietatem illi excussit ex animo, & largitus donum quod petebat. Hanc fœminam imitemur, & in omnibus afflictionibus ad Deum confugiamus*: Hæc Chrysostomus ibidem, & meritò, nam dum se amaro animo ad Deum sensit deprecari, non potuit de fructu orationis, etiam miraculoso, dubitare, nec dubitasse videtur Heli sacerdos, qui eam vsquè adeò plenam fide obtinendi, quod petebat, dimisit.

Deus in tribulatione clamantes exaudit.

Tribulatus exauditur velociter.

Etiamsi necessaria fuerint ad exauditionem miracula.

§. 23 Quare, si oratio ista Agaris non nisi afflictionum vi extorquebatur, tantum meruit? Quia etiam vota metus vi exhibita, & homines obligant, & Deo multum placent. Gaudet enim Deus suorum votis, & precibus, quas vel tribulatio cogat. Ad Principum enim gloriam non solùm spectat, quòd sese ad illos recipiant multi cum gaudio, & voluntate; sed & quod rebelles à Lictoribus coacti, vel à militibus vincti ad eorum pedes trahantur. Ideò non semel Deus gaudet, vt homines ab externis calamitatibus, tanquam à militibus compellantur accedere, eisque quamprimum gloriæ suæ thesauros aperit. Hinc S. Lucæ cap. 14. vers. 23. postquam ingens pauperum multitudo ad cœnam sese Domini receperat, eum adhuc locus esset, & superesset ait; *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare vt impleatur Domus mea*: Expende illud, Vers. 7.

Vota etiam metus vi exhibita, & homines obligant, & Deo multum placent.

com-

compelle intrare: quippè si Deus vellet efficaciter vocare, multi alij venissent minimè compulsi, sed omninò gaudentes; verùm non id vult Deus, quandoquidem & valdè gaudet, cùm videt rebelles plurimos à calamitate compelli ad cælestia venire, illaque exposcere, & pro illis preces fundere. Vnde S. P. N. Augustinus in Cat. citatus ex sermone 33. de verbis Domini, ait: *Abstrahantur à sepibus, auellantur à spinis. Sed cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit; coge, inquit, intrare, foris inueniatur necessitas, nascitur indè voluntas.* Quippè gaudet aliquando Deus videre ad se venientes, qui calamitatum externarum, quasi necessitate, in bonam voluntatem prosiliant.

Vers. 7. §. 24 Quare Moyses hic primò Angelum nominat apparuisse cùm antea nullam Angelorum memoriam fecisset? Dubium est Theodoreti dicentis quæst. 2. in Genesim: *Primùm sub Agar diuinus Moses meminit Angeli, idque iustissima de causa: aptissimè professò Deus omnium per Angelum seruitutis meminit.* Angeli administratorij sunt spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: & quamuis omnis iniuriæ expertes, & status titulo, & spiritualis naturæ merito; tamen dum ad aliquorum hominum deputantur custodiam, sic (si fas est dicere) & morum inconcinnitate vexantur, & rusticitate improbitatis anguntur, vt amarè quodammodò fleant. Qui ergo famulandi quadamtenus labores experti, famulæ labores solantur: & quia noscunt, quàm asperum sit, quàmque intractabile aliquorum ingenium, afflictæ seruæ properant præstitisse solatium: seruientem miseret, qui seruitutis labores nouit: forsitan si non Angelos, sed creaturam aliam, sed hominem Dominus delegasset, non adeò citò anxiæ famulæ subuenisset: docet misericordiam patientia: docet compassionem infirmitatis iniuria: docet seruitutis iugum seruientibus adhibere solatium: docet proprium meritum alienis laboribus præmium accelerare condignum: bellicos labores despiciet, qui resupinus otio bella Martia nunquam tractauit: afflictorum lachrymas vel aspicere dedignabitur, cui semper blandis est adulata fortuna, & delicijs creuit corporis indulgentia.

Angelorum custodia erga homines quàm affectuosa.

Vers. 7. §. 25. Quare ad generis amplificationem Agar deligitur, non inter familiæ tumultus; sed in desertorum recessu? In deserto Angelicum meruit alloquium, & multiplicationis accepit nuntium: quasi apta non fuerit non dignis Deo fætibus multiplicari inter hominum consortia; sed postquam coluit deserta: ab hominum recedens conspectu, discit vanitatem terere, & humilitatem colere: sub manu affligentis dominæ didicit humiliari, quæ anteà solùm nouerat intumescere. Hæc de Agar. Sed nota, quòd Angelus in deserto fætum extinctum viuificat (qua de re quidquid censeo vide superius in expositione Literali num. 40.) & cùm viuificat, terga vertit, & humanum aspectùm fugit. Ita Caietanus sup. cit. *Sexto quòd Angelus inter loquendum cum Agar, finitis suprascriptis verbis statim euanuit ab oculis Agar.* Itaque Angelus adspectum fugit, cùm Ismaelem extinctum viuificauit. Iam eis verbis: *Ecce concepisti, & paries,* denotari extinctum fætum fuisse vitę non sinè miraculo restitutum, tradit Abulēsis ad hunc locum. In deserto Angelus fætum viuificat; & quamuis puritatis gaudeat priuilegio, ad nostram eruditionem, mulieris immorari noluit consortio; *Hic vidi,* ait, *posteriora videntis me.* Faciem subtraxit, & fauorem impertiuit. Itaque Ismael desertum tunc incolenti, & humanos oculos excusanti Angelo restitutus est vitæ, vt Dei Angeli ministrique ab Angelo ediscant vitam refundere, & ad salutem paruulos reuocare. Honestum est in desertis perfectioni studere, sibique ac Deo soli viuere; laudabilius tamen ab hominum aspectu ad tempus recedere, quo excultior, & perfectione exornatior quiueris ad virtutem homines componere, & efformare. Imitandus est Angelus, qui fugit aspectum, & restituit vitæ filium. Vides Agarem dum desertum incolit, generis multiplicationi delectam, ipsisque in recessibus præparatam.

In solitudine Agar fit Sancta.

Angelus cum Agar non immoratur, & cur?

Solitudo ò quàm vtilis.

§. 26 Quare Angelus Cherubim antè paradisum voluptatis collocatus nec verbum quidem dicebat; & hic cùm Agar fugeret è domo Saræ Dominæ suæ, inueniens eam Angelus tot dixit, & tanta felicissima promisit ei? Angelus ad ostium paradisi nec interrogat, nec loquitur, maximè verò cum Agar, & cur? Audi: Angelus ad ostium Paradisi totus intentus erat ad puniendum, & stricto flammeo, ac versatili gladio paratus erat ad interficiendum, si aliquis intentaret, per ostium ad ar- Vers. 8.

dientiæ regulam tenuisset. Quæ tamen actio nostræ iam saluti non penitùs est aduersa, sed in medicinale remedium est conuersa; dum limam, vel exercitium obedientiæ præbet cuiuis imperfecto, illo salubriter disponente: *Qui fingit laborem in præcepto*. Psal. 93. vers. 20.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XVI. GENESIS.

Vers. 1. §. 1. QVare dicitur de Sarai *Non genuerat liberos*, sic de matre Samsonis: *Sterilis est, & absque liberis*, Iudicum cap. 13. vers. 3. Sic de Matre Samuelis: *Anna autem non erant liberi*, 1. Regum cap. 1. vers. 2. Et de Præcursore Domini Ioanne Baptista Lucæ cap. 2. vers. 7. dicitur: *Et non erat illis filius*? Respondeo, quòd de alijs infœcundis dicitur: Non erant ei filij, quia liberi à talibus nati, vt Isaac, Samson, & Samuel, in virtute, ac Iustitia æquales, & similes habuerunt. Ad de Zacharia, & Elisabeth pronunciatur: non erat eis filius, puta Baptista ab eis natus vnicus, & singularis inuentus est; ita vt afferatur de eo: Nullus inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Vndè Rauennas Eloquentia serm. 91. pag. 321. impress. Venet. Eleganter notauit quòd; *Non dixit non erant illis filij, sed non erat illis filius, quia singularis futurus erat; qui erat de talibus nasciturus. Audi Dominum dicentem* (Matth. cap. 11. vers. 11.) *Non surrexit maior in natis mulierum Ioanne Baptista*: De quo sequens accipe.

Ioannis Baptistæ singularitas.

Et Præconium.

PRÆCONIVM

Iam iam Numen aderit,
Adest iam Numinis Præco:
Hoc Præcone,
Nemo maior, nemo minor.
Prophetarum postremus, Martyrum primus.
Solis Lucifer, Luciferi Vesper.
Messiæ magnitudinem ex sua imagine expressit:
Imò Messiæ Mystes, & Christi Christus;
Mundi Lustratorem Lustrali aqua sanciuit.
Ambigente Iordane, lauaret an lauaretur.
Nobilis fluuius, cælesti Eridano minimè inuidus;
Nam ille in cælum translatus, huic cælum delatum.
Hem quantus; at quantulus fuit?
Tantam sanctitatem ad nihilum redegit,
Cùm se *Neminem* dixit.
Tantòque se diminuens quantò cælitum auctior;
Cum Omnipotentia certauit.
Hic ne vinceretur, augentem vicit, se minuendo;
Illa vt vinceret, imminutum vicit augendo;
Adde, hoc Præcone
Nemo taciturnior, nemo vocalior.
Vix conceptus, silentium Patri indixit;
Vix formatus, Deum hospitem nutibus excepit:
Vix vtero egressus, solitudinem ingressus,
Hirtus, ieiunus, vigil,
Cum Angelis Angelus, Mutus cum Mutis viuens,

Quod

Quod loqueretur, tacendo didicit.
Nemo diutiùs infans fuit; nemo altiùs fatus?
In deserto disertus,
Et iam nihil nisi vox,
Rudes instruxit, auios reduxit,
Peccantes increpuit, Reges terruit,
Trunco etiam capite clamosus,
Viuum se morti approbauit,
Et ad Mortuos vitæ Præco descendit,
At at, procumbito viator,
Præco siluit, Messias adest,

Vers. 2. §. 2 Quare Sara sterilitatem ad se refert, cùm ex ipsomet etiam Abramo ob eius longæuam ætatem proueniret? teste S. Ioanne Chrysostomo qui in Saræ persona sic fatur homil. 38. *Quoniam igitur conclusit me Dominus, ne parerem, ingredere ad ancillam meam, vt ex ea prolem procrees. Scio, quòd ego sum causa, quare non habeas pueros, propterea nolo te priuare eo solatio*. Respondeo: Sara vtpotè iusta, & Sancta, infæcunditatem sibi adscribit. Hæc est enim iustorum conditio, vt omnium bonorum defectus, ac rerum penurias sibi attribuant, eorumque causas existere, sibi persuadeant. At contrà in fauoribus se minimè illis dignos iusti iudicant, vnde semper illos alteri referunt. Canticorum dilectissima inquit Cantic. cap. 5. vers. 8. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuncietis ei quia amore langueo*. Anima diuini ardens amoris à filiabus Ierosolymæ vt suæ Charitatis flammas dilecto sponso aperiant. Ad quid ab alijs quærit, cùm ipsa clarè nouerit suum sponsum, vtpotè verum Deum omnium intima cordium ac dilectiones apertè videre, & cognoscere, omnia enim nuda sunt, & aperta oculis eius? Ad quid? nosce præclarum iusti humilitatis ingenium. Hoc totum non latebat sponsam, tamen sub iuramenti obtestatione requirit, *Vt annuncietis ei, quia amore langueo*: Quasi sibi persuadens; quòd vt eius amor esset Deo gratus, & periucundus dilecto aliorum fauorem expeteba: & quod ei acceptus, & perdulcis erat; non tàm ob ipsam, quàm etiam ob gratiam, ac fauorem exponentium, dicentium, ac annunciantium; vt præclarè Gillibertus Abbas Serm. 46. in Cantic. in principio exposuit dicens. *Anxia vota suis esse contenta nesciunt meritis, ideò precis mendicant suffragia. Perfecta humilitas demeritis semper alienis præsumit. Adiuro vos, inquit, filiæ Ierusalem, &c.* Igitur cerne duo Sancta iusti contraria. Si bonorum defectus videt, sibi attribuit iustus, vt Sara, si fauores habet, ad alterum refert, vt Anima in Canticis.

Iustus bonorum defectus sibi attribuit.

Iustus omnes sibi fauores non adse, sed ad alterum refert.

Vers. 2. §. 3 Quare Illustrissimæ mulieres in Sacra Scriptura steriles cùm dicantur; tamen quando ancillas suas tradiderunt viris suis, vt ex illis filios susciperent, tunc ex se genuerunt. Sic annosam iam Saram marcido vtero Agarem ancillam videmus dedisse Abramo, vt ex illa prolem haberet. *Ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illa suscipiam filios, conclusit enim me Dominus, ne parerem*. Et postea ipsa Sara (vt videbimus infrà Gen. cap. 21. vers. 2.) gennit præstantissimum filium Isaac. Sic & Rachel, cùm se vidisset infæcundam, ac dedisset famulam suam Balam Iacob marito suo, vt ex illa susciperet Sobolem (Gen. cap. 30. vers. 3.) postea ipsa peperit Illustrissimum Ioseph ibid. vers. 22. Cur ergo istæ duæ nobilissimæ fœminæ optatum fructum non assequuntur, nisi postquam suas ancillas proprijs viris accommodarunt? Disce ex hoc, quàm præpotens sit indulgentia in tuos minimos. Tàm efficax fuit erga Deum singularis Charitas in ancillas, vt post illam impetrauerint id, quod ante suis magnis virtutibus, quibus erant insignitæ, & dotatæ, non erant assecutæ. Ad hanc considerationem respexit Smaragdus Abbas in Diademate Monach. dicens: *Cum Rachel tradidisset viro suo famulam Balam, vidit Dominus humilitatem eius, & exaudit eam, dans ei filium Ioseph in augmentum, & gloriam familiæ patris sui*. Expende Ly: *Cum Rachel tradidisset*. Quod de Rachele, hoc de Sara intellige opportunè dictum.

Charitas in seruos multum promeretur.

Vers. 2. §. 4 Quare, & vnde, Sara tàm potens in iubendo est vt sibi maritum in re viro casto adeò difficili obedientem efficiat? nam ad illa verba; *Cumque ille acquiesceret deprecanti*, dicit S. P. N. Augustinus lib. 22. contrà Faustum cap.

cap. 31. quòd Sara id fecit: *Non cedens viro concupiscenti, sed iubens obedienti*. Benedictus Pererius in præsenti num. 3. ex Iosepho respondet. Saram Dei monitu suasisse illud coniugium Abrahæ, & ad id diuina authoritate impulisse eum. Nec miror, tanta enim potestas, & authoritas diuina solet elucere in verbis seruorum Dei, vt non sit, qui eorum imperijs resistat, nec ipsa creatura insensibilis. Proh quoties de Iustis dictum est, quod priùs dicebatur de Iesu, Lucæ cap. 4. vers. 32. *In potestate erat sermo ipsius*! Ex quo inquit D. Basilius Seleucus orat. 29. *Huius vocis hæreditatem obtinuit Apostolorum cætus, hanc in manibus habentes, non inflata tuba, cœlum hominibus reddiderunt; terras integras peruasit ea vox, insulas occupauit vocatio, sinè vi captæ sunt ciuitates, Reges adorauerunt, Imperatores ceruices subiecerunt*. Et quis resistat tantæ voci? Quis non subiaceat tantæ authoritatis imperio? Et quis resistat verbis iustorum in Dei fide procedentibus? De tribus pueris Hebræis ait Daniel cap. 3. vers. 24. *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, &c.* Mirandum enim erat, quòd inter flammarum linguas pestrepentes carnea lingua audiretur. Et quomodo audiebatur humana lingua, cui tot ardentes linguæ sese obiecerant? Ait D. Zeno Veronensis serm. 3. de Daniele: *Tanta est fidei virtus, tantaque potestas, vt cultoribus suis etiam ipsa elementa contrà suam naturam famulari compellant*. Habet lingua iustorum in fide operantium, vnde vel ab insensibilibus extorqueat obedientiam.

Verbis seruorum Dei elucet magna potestas.

Vers. 2. §. 5 Quare Sara dixit ad Abramum consortem ingredere ad Ancillam meam? Opportunus Aureus Doctor ibidem, dubium vt soluat, dicit: *Hic fortassis suspicabatur Sara, sterilitatem illam non à se sola esse, sed etiam à Patriarcha: ideò volens re ipsa illum certis coniecturis docere, ancillæ cedit*. Vide oculis quàm sit potens in fœminis se excusandi solers affectus, cum Zelotypiæ quasi insaniam vincat. Non ignorabat Sara se esse infæcundam: vnde ingenuè confessa est, suam vuluam à Deo conclusam sterilitatis malo; sed adhuc ancipiti hærebat mente, an Patriarcha etiam consimili naturæ inopia laboraret. Grauatè ferebat in se vnam conijci sterilitatis probrum: exindè (ex Chrysostomi mente) mariti nuptias conciliat, si fortè sub secundis nuptijs videns maritum improlem, de infæcunditate mariti suam consoletur, & Patriarchæ sterilitate defectum prolis excuset. Rem licitam, & illo æuo ritè permissam, à marito exigit: sed in re bona ingenium excusationis mirè etiam translucet, & quàm sit hic affectus in fœmina acer: siquidem diù certans cum Zelotypiæ quasi furore, illud tandem palàm euicit, dum mauult, dilectum maritum, ipsa nuptias conciliante, in alterius fœminæ sinu cernere, quam excusationibus cedere. Certat in Saræ pectore, velut in quadam affectuum palestra, Zelotypiæ impatientia, cum expetitæ excusationis desiderio: diù vtrinque certatum est duello nimis contentiuso: sed vbi aliqua affulsit spes, suæ quodammodò excusandæ sterilitatis, de infæcunditate mariti, vincit hic affectus in fæmina, & de superata Zelotypia, trophæa erigit, dum noui coniugij permissum extorquet lenocinium; alterumque dilecto marito thalamum sternit, ne spes omnes excusationis excutiat. Vel per Zelotypiæ neglectum, it Sara ad excusationis arbitrium! Quid exaggeratius? sed quid fæminarum genio conformius?

Sara, vt se quodammodo excuset, Zelotypiæ cedit.

Fœmineus sexus grauiori malo, bonum excusationis vltrò emit.

§. 6 Quare filiorum susceptio, ædificatio vocatur? nam illud Saræ: *si fortè saltem ex illa suscipiam filios*, dicit S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis; *diligenter nota, quòd procreatio filiorum in Hebræo, ædificatio scripta est. Legitur enim ibi: Ingredere ad ancillam meam, si quomodò ædificer ex ea?* Filij ne ædificant parentes, an potiùs parentes condunt, & ædificant filios? Parens, totius posteritatis architectus est, qui posterorum fabricam generatione molitur, & educationis sublimitate ad fastigium vsquè perducit. An non parens idem ac conditor est? & quidem filiorum: filij enim vt formantur à parentibus, ita de re architectonica mutuato vocabulo, fabricari etiam dicuntur: quo igitur pacto parentum fabricam iam diù conditam; successores multi dicuntur? O! sic hominis infæcundi ædificium seu vita, labascere putatur, & de posterorum inopia ruinam minitari, vt, quasi ad parietinas redactum foret, denuò *ædificari* dicatur? In Hebræa lingua mysteriorum grauida, pulchra Synonyma sunt, filios *suscipere*, ac ex filijs *ædificari*: quasi filij ædificent, condant, & fabricent parentes. Sic improles homo nemo hominibus putabatur: sic olim magnificum erat, filios fæcundè procreare, vt sterilis Vers. 2.

In Hebræa lingua Synonyma sunt, suscipere filios, & ex filijs ædificari.

Digitized by Google

rilis haberetur maledictus! Quò illustre virginitatis decus, qui est flos gratiæ, illibatus Euangelio seruaretur.

Vers. 2. §. 7 Quare dicens Sara eccè conclusit me Dominus ne parerem, ingredere ad Ancillam meam, Abram acquieuit mulieri deprecanti? Respondet S. P. N. Augustinus lib. 22. contra Faustum manichæum cap. 32. *Credens hoc Saram ex Dei nutu voluisse*. Sed vnde cognouit Abramus Saram in præsenti Dei nutu agi? Crediderim id notum fuisse Abramo ex æquanimitate Saræ in toleranda ærumna sterilitatis, quam æquanimitatem illa verba ostendunt, nimirum: *Eccè conclusit me Dominus, ne parerem, &c.* Non acerba in Deum, non querибunda de sterilitate, sed æquanimis sua manu acceptat ærumnam tantam. Quare ergo non credatur Deo agi, & Deo afflari?

Vbi ærumnæ æquanimiter tolerãtur, ibi clarissimè apparet esse Deus.

Vers. 3. §. 8 Quare Abram ad secundas transiuit nuptias, dicente Scriptura: *Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam ...... & dedit eam viro suo vxorem?* Qui peregrinatur, dum audit Abramum iam senem secundas inijsse nuptias; diligenter attendere debet, non id spontaneè, sed votiuè fecisse, sed vt deprecanti Saræ *acquiesceret*: Vir enim valdè vxorius, vt Saræ suæ peramans, nisi vt Saræ conniueret, ipsique gratum faceret, eiusmodi cum Ægyptia ancilla connubium, nec mente moliretur. Audi S. Ambrosium, ha super re, lib. 2. de Abraham, sic ad rem præsentem opportunè Philosophantem: *Non abnuo*, inquit, *quòd Abraham de ancilla susceperit filium, vt cognoscas quoniam non superioris cuiusdam naturæ ac substantiæ fuit Abraham, sed vnus è numero, ac fragilitate vniuersorum hominum.* (nota quæ postmodùm subtexit verba) *Quod ergo putas esse peccatum; aduertis esse mysterium.* Vel quod imperfectionis arguitur in Abramo, altè eius Elogium ædificat. Tanta enim sublimitate eminet, vt propè necesse sit aliquid saltem specie tenus reprehensibile admittere, ne humanum fastigium excessisse putetur, dum sæpè in eius moribus nescio quid supra humanum fastum scintillare videatur. Puta ergo *Mysterium*, quod vitium reputas. Ecquod autem *Mysterium*, nisi coniugalis erga Saram amoris Sacramentum, & charæ beneuolentiæ arcanum; vt, inquam, Saræ *deprecanti acquiesceret*. *Hoc ei plus Sara debet, quia dilectionis nimietate peccasse*, à quibusdam fors reputabitur. Saltem à sublimissima hactenus perfectione in hoc facto tantisper desciuisse, nisi *Mysterium* intercederet, forsitan putaretur. *Habe charitatem, & fac quicquid vis*, S. P. N. Augustinus de discip. Eccl. apud Hildeb. epist. 83.

Quod in Abramo fors putabitur, imperfectum charitatis mysterium est.

De viris Sanctis aliquæ referuntur imperfectiones, vt homines putentur.

Vers. 4. §. 9 Quare Agar concepisse se videns despexit Dominam suam? Fateor mutauit antiquas vias spiritus humiliati, & sobrij: noluit easdem, quas priùs nouerat, calçare semitas: verùm non est hæc mutatio dexteræ excelsi, talis tamen, quæ malorum penè iliadem inuexit: nam indè subsequutum, vt Sara affligeret, indè vt fugam meditaretur, & bestiarum socia fieri mallet, quàm hominum torquentium eam acerbè: Nolite iugum excutere, qui Deo vos mancipastis: Nolite extolli in altum, & disciplinam odisse. Quis nouit potestatem iræ Domini, & si fortè propter nouam mentis superbiam, ob conuulsam veterem fidem vlciscatur, & arguat in furore suo? Et quis poterit sustinere indignationem eius? Quid si & illud contingat, & fugam capessat aliquis Agaris in morem, & Apostata infelix; vagus, & profugus eat in damnationem? S. Gregorius Papa lib. 2. in primo Regum cap. 3. *Quidam*, inquit, *namque Prælatorum Ecclesiæ Sanctæ Magisterio subditi rudes obediunt: sed cùm paulò altiùs per conuersationem proficiunt; in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt: Quos benè Agar Saræ ancilla spiritaliter designat, quæ cùm de Abraham viro eius concepisse se vidit, Dominam despexerit: Agar quippè concipit, quando reproba mens subditi, aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conuersationem credit: quæ profectò prægnans Dominam suam despexisse dicitur: quia iam præsidenti sibi Præpositi sui voluntati per obedientiam subdi dedignatur; sed quæ Dominam despicit, ancillam esse perhibetur: quia superbi, subiecti, & infirmi sunt per elationem, & ad filiorum Dei numerum non pertingunt*; quod superiùs in morali Annot. iam diximus.

Agar in Abræ thorum euecta Saram despicit, & indè fit misera: Timeat vir in dignitatem elatus ne, seu disciplinæ negligentia, siue prioris obseruantiæ contemptu cadat infelix.

Vers. 5. §. 10 Quarè Sara querelas suas Abramo exponens Deum tanquam iudicem appellat, & verbis tragicis misellam se dicit, quòd despectui habeatur ab ancilla, conniuente marito? Quia qui pacatè viuit nesciens litigia, cælebs est. O litigia nuptijs indiuiduè cognata! Sententiosè ex clarissimo quopiam Oratore dixit S. Hieronymus in lib. 5. contrà Iouinianum: *Qui non litigat, cælebs est.* Sic sunt querelæ, iurgia, & lites nuptiarum appendices, & connubijs sequela!

Qui pacatè viuit nesciens litigia, cælebs est.

Vers. 6. §. 11 Quare Abram dixit Saræ Eccè ancilla tua in manu tua est, vtere ea, vt libet? Abramus duas sortitur vxores Saram, & Agar: Saram excellentioris scientiæ Dominam; Agar non adeò nobilis peritiæ seruam. Hæc, & præcipuum sibi cultum exambijt, & Dominam nobiliorem nempè scientiam despexit: querelas apud Abramum excitat Sara, & benè politicus Dominæ famulam subijcit, vt pro libito corrigat petulantiam, & tumoris refrænet insolentiam: *Eccè*, ait, *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet*. Eo pretio illarum quamque habuit, quod exigebat ratio, scilicet Saram præponens, & Agar subijciens. Audi S. Clementem Alexandrinum lib. 1. Stromat: *Est philosophia quidem exercitatio; Sapientia verò scientia rerum diuinarum, & humanarum, & causarum ipsarum: Est enim Sapientia domina philosophiæ, sicut eius, quæ priùs auditur, disciplina*. Addit postea. *Vadè Abram, cùm Sara æmularetur Agar, quæ erat in maiori, quàm ipsa existimatione, vt qui sæcularis philosophiæ solùm id quod est vtile, egisset: Eccè, inquit, ancilla in manibus tuis, vtere ea, vt libet. Quasi diceret; Sæcularem quidem amplector doctrinam, vt iuniorem, & vt conseruam; scientiam autem tuam, vt perfectam dominam honoro, & colo*. Profectò non potuerunt non excitari in familia illa tumultus, dum minùs sapiens maiorem habere existimationem est visa, & doctior aut loco inferiori habita, aut de æqualitate despecta. Abramus generis Hebraici pater, & norma optimæ politiæ iuxtà scientiarum qualitatem habuit etiam æstimationem: voluit vt Agar non adeò literata haberetur serua, & Sara doctior coleretur omnibus domina: iniquè enim ageretur in Saram ipsa clamante: *Iniquè agis contrà me*, si scientia ignobilior ad honoris eueheretur fastigium, & inseruiret ipsa depressior; in Abrahæ domo omnia pacata, cum Sara domina, & ancilla serua; at cùm communis erat vtrique honor, & excitantur tumultus, & seditiosus affligit motus. Adde politiæ pestem prorsus esse, si diuersa merita, aut confundantur in præmio, aut exæquentur in numero.

Minor sapiens maiori sapienti sit subiectus.

Vers. 6. §. 12. Quare Sarai despectui habitæ ab Agar, cùm querelas Abramo exponeret, dictum fuit ab ipso, accipe ancillam tuam, & vtere ea vt libet? Ne (audi dubij solutionem) vlla in bono coniugio discordia nasceretur. Nam, vt ibi S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. aduertit: *Hac in vxorem indulgentia pace domum repleuit*. In hebræo est, *fac ei quod bonum in oculis tuis*. Vbi rectè Caietanus. *Non*, inquit, *ad libitum, sed ad arbitrium remisit*. Quasi diceret, non quæ passio, sed quæ ratio, supplicia exigebant; non quæ libebant, sed quæ licebant, in famulam permisit. Nam viri in vxores neque valdè morosi, neque valdè morigeri esse debent. Sic & Elcana Annæ vxori suæ 1. Regum cap. 1. vers. 23 dixerat: *Fac quod bonum tibi videtur*, bonum non malum petenti coniugi acquieuit. (Non inuenustè S. Gregorius historiam ad mysterium inter Christum, & Ecclesiam deducit dicens. *Quid est quòd Anna consilium viri sui auctoritate roboratur: nisi quia propositum Sanctæ Ecclesiæ, non ex humano præsumitur iudicio, sed ex diuino. Nam quidquid Sancta Ecclesia in subiectis sibi nationibus disponere voluit: tunc demùm id ratum habuit, cùm ex interna veritatis iudicio, quidquid disponendum esset, agnouit.*) Solent etiam boni viri vxoribus morem gerere, vt domestica pax, & tranquillitas conseruetur: & intestina iurgia procul abigantur, quibus coniugalis vita frequentissimè infestatur, iuxtà veterem paræmiam à D. Hieronymo, superiùs citato, vsurpatam: *Qui non litigat cælebs est*. Hoc est: solus, qui cælibem vitam agit, agit & tranquillam: nam qui in coniugio viuit, perpetuis litigijs implicatur. Ab his se, vt boni coniuges expediant, vxor inconsulto viro nihil aggreditur: vir consulenti vxori facilis assentitur. Sic olim Sunamitidi pergere ad Prophetam Elisæum cupienti, & facultatem à viro postulanti, quamuis illa profectio importuna videretur, tamen vir benignus acquieuit; legitur enim 4. Regum cap. 4. vers. 22. *Vocauit virum suum, & ait: Mitte mecum, obsecro, vnum de pueris; & asinam, vt excurram vsque ad hominem Dei, & reuertar* (vers. 23.) *Qui ait illi: quam ob causam vadis ad eum? hodie non sunt Calendæ, neque Sabbatum. Quæ respondit: vadam*. Et cur acquieuit vir? Ne aliqua domi turbella, aut tragœdia excitaretur. Sic & Abram Saræ. O tempora quò irreuocabilia fugistis? Hæc fuerunt boni coniugij exempla. Benè fuerunt, nam modò vel minimè, vel rarò similia videntur.

Pax inter coniuges seruanda.

Ne sint viri in vxores valde morosi.

Litigia inter coniuges perpetua.

Boni coniuges nihil inconsulto altero aggrediuntur.

Vers. 6. §. 13. Quare Agar fugam inijt? Ex textu responsio patet, quia affligebat eam Sarai. *Affligente illam Sarai fugam inijt*; de qua afflictione nihil expressiùs in scriptura dicitur, sed communis est

interpretum animus in ea intelligenda non de graui aliqua castigatione, quæ afflictio propriè esset, aut dici posset, sed quæ ipsi ancillę videbatur afflictio præ nimio sui amore, & æstimatione. Moderatè, ait S. Ambrosius: *Sara (discreta enim erat per omnia vxor iusti) authoritate sua vsa est, non permisit ancillam agere suo more, ostendit se dominam illius; Agar autem fœmina vicissim impatientia subesse noluit, periclitari elegit, potiùs & aufugere, quàm humiliari, & obedire. Sed Angelus huic malo opportunè subuenit, dixitque ad Agar, Ancilla Sarai vndè venis, & quo vadis? Quæ respondit à facie Sarai domina mea ego fugio, dixitque Angelus domini reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Notat ibi Aureus Doctor multa in Angelo, sed illud in primis, quòd eam vocauerit, & nomine proprio, & simul admonuerit status, & conditionis suæ, ne vlteriùs superbiret in dominam, quæ se fatebatur ancillam. *Vide*, ait, S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. *Quomodo & Angeli dicta eam in memoriam suæ conditionis inducunt, dicit enim Ancilla Saræ, quò recordari eam faciat dominæ suæ, vt sciat, quòd licèt particeps fuerit herilis lecti, attamen dominam agnoscere debet Saram.* Est etenim res intolerabilis se Ancillam fateri, & vti dominam velle tractari; ancilla erat in sui cognitione, domina in voluntate. Non ignorabat suam seruitutem, sed adspirabat ad dominationem, & ideò addidit Angelus. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu eius, reuertere, ait, ne sis ingrata erga dominam tuam: quæ de te tàm benè merita est. Deindè quia ex fastu, & superbia mentis dominam suam in iram excitauerat, inquit, & humiliare sub manibus eius, subiecta esto ei, hoc enim tibi proderit, agnosce seruitutem, ne ignores dominium, nihil sublime sapito, ne plus de te, quàm oportet senti.* S. verò Ambrosius lib. 1. de Abramo cap. 4. fine ex verbis Angeli Ancillæ infert in fuga insolentiam. *Et ideò dixit illi*, ait, *reuertere ad dominam tuam, vtique non latuisset Angelum si vi suppliciorum victa fuisset, & magis reprehendisset verberantis sæuitiam; quàm fugientis discessionem, sed vt ostenderet, quòd tanquam superba fugiebat, ne subiecta esset dominæ, addidit, & humiliare sub manibus eius.* Itaque non fugiebat victa supplicio, sed dominandi desiderio, & ex superbiæ fastu, quia etsi Ancillam se non ignorabat, & Saram confitebatur dominam, Ancillæ tamen onera subire intolerabile illi erat. Quo quid absurdiùs? Ancillæ ministeria fugit, qui statum Ancillæ probè cognouit. *Hoc Agar*, ait Abulensis ibid. *intolerabile videbatur, quia ex superbia non poterat inclinari, volens se semper præferre Sarai, ista est conditio superborum, quòd modicam humiliationem in tantum intolerabile reputent esse.* Hi tamen longissimè distant à vera cordis humilitate, nam inferioris ordinis, & conditionis homines, alijs sibi superioribus non subdi, superbiæ pessimum genus est, à quo iam ipsa Agar tãtisper discessit, dum Angelo respondit, *à facie Dominæ meæ ego fugio*. Iam cognouit Dominam, ex quo Angelus dixerat. *Agar Ancilla Sarai*, etenim Angelus non potuit non infundere, & verbis, & dicendi modo sui cognitionem Ancillæ, & venerationem dominæ. Ideò Sara dominam vocat Ancilla, quòd notasse videtur Dionysius Carthusianus: *Quo audito*, ait, *etiam ipsa Agar humilians se, & conformans se verbo Angelico ipsam Sarai vocauit dominam suam, quam paulò ante contempsit velut Ancillam.* Angelicum enim est maioris dignitatis hominibus potiorem cultum deferre. Quod videre licet, tum cùm hospitio recepti sunt ab Abramo, tum ab eius nepote Lotho, nam cùm Patriarcha Sanctus processisset obuiam hospitibus, & ne discederent rogasset ab ipso, nisi priùs buccella panis reficerentur. *Dixerunt, fac vt locutus es*: infrà cap. 18. vers. 5. At verò eorum duo dum perueniunt Sodomam ad solis occasum non acquiescunt precibus Loth in domum suam inuitantis eos. *Qui dixerunt, minimè, sed in platea manebimus.* Infrà cap. 19. vers. 2. & tamen victi importunis inuitantis precibus, in domo eius recepti sunt. Si verò rem discutias, non apparet cur Angeli apud Abramum libenter, & sinè mora manserunt: ad Lothum autem nonnisi importuna instantia precum vt declinarent, vinci potuerunt. Nimirum, vt ostenderent Angeli, maioris dignitatis homines, maiori etiam esse reuerentia dignos. Aliter enim Abramo cedunt, aliter Lotho. Deferunt enim superioribus reuerentiæ signa maiora. Audiendus Petrus Alfonsus ibi. *Quid mirum*, ait, *ita contigisse, quia propter reuerentiam, & excellentiam Patriarchæ mox adquieuerunt, Loth verò minoris fuit authoritatis, idcircò prima facie denegauerunt*, & quidem Angelica virtus est, ita cum vnoquoque agere, vt nulli præferatur alter, nisi qui dignus est. Quò respexit S. Ignatius 3. p. Const. 5.

Superbus humiliationem reputat afflictionem.

Intolerabi-ter super-ur, seruus, ui tractari uls vt Do-inus.

Superbi humiliationem modicam rem intolerabilem putant.

Vox Angeli infundit humilitatem.

Maioris dignitatis homines maiori reuerentia digni.

Honore inuicem præuenire debent Religiosi.

4. cap. 1. citatus à Ioanne de la Hay tom. 2. in Genesim cap. 18. vers. 2. *Potiores*, inquit, *partes alijs deferte, omnes in animo vestro, tanquam vobis superiores ducendo, exteriùs verò eum honorem, ac reverentiam, quam vniuscuiusque status exigit conditio cum simplicitate, ac moderatione religiosa exhibendo*. Itaque etsi quilibet alium debet sibi reputare superiorem, at exterior cultus maior debet referri maiori, & digniori; humilitas enim vtrumque præscribit, vti docuerunt Angeli ex corde humiles. Quod etiam notauit Origenes lib. 1. in Iob dum primogeniti iura, & conuiuia exornat. *De istis ergo*, ait, *filijs Iob dicit, & filij manducabant, & bibebant in domo fratris maioris, & in hoc quod maiori Primatus honor ab alijs tribuebatur, in hoc ipso etiam, sicut in omnibus, circa Dei ordinationem ambulare properauerunt, Dei enim ordinatio, atque iustitia est, vt maiori primatus honor ab omnibus tribuatur*. Hæc ille, & idcircò ait S. Ioannes Chrysostomus eiectum à conuiuio *manibus, & pedibus ligatum*, qui in illud intrauit sinè veste nuptiali Matth. 22. vers. 13. *hoc pacto*, ait, homil. 9. in Ioannem, & *nuptias, & conuiuas honorat, cùm temerarios, & impudentes expellit, aliter reliquos inuitatos offenderet, digni ab indignis omninò sunt separandi, & aliter honorandi*. Hinc Petrus in monte nesciebat, quid diceret in trium Tabernaculorum præparatione; Marci cap. 9. vers. 5. vbi S. Basilius Seleuc. Episc. arguit suam ignorationem, Dominum vnà cum seruis annumerans, existimans subiectos esse Domino æquales honore. Vide quæ eleganter notat Chrysostomus ad Philipp. cap. 1. serm. 5. pag. 501. col. 1.

Primogenitis specialis debetur venerentia, & cultus.

Vers. 6.

§. 14 Quare Agar fugit à Sarai domina sua? Respondet S. Ioannes Chrysostomus homil. cit. *fugit*, dicens, *qualis scilicet seruorum mos est, quando non permittitur eis more suo vti, & impediuntur eorum conatus, statim Dominorum ruptis frænis fugam capessunt*. Et Abul. ibid. *Ista est conditio Superborum, quòd modicam humiliationem in tantùm intolerabilem reputant esse*. Sicut etiam Religiosam vitam è religione profugi: ergo occurrit Angelus ancillæ, & ait: *Agar ancilla Sarai vnde venis, & quo vadis?* Ipsa verò se fugere confitetur, quò autem fugiat omninò reticere studuit. *Fortè*, ait Lyppomanus, *confiteri erubuit à domo sancti viri, probataq; dominæ ad Ægyptios rursùs redire idololatras*. O' si erubuissent tandem aliquando animæ; quæ à Dei domo, in quo bonum conceperant semen, in sæculum redeunt dimisso Deo, tamquam viro proprio. Indè existimo exclamasse Prophetam Isaiam cap. 1. vers. 21. *Quomodò facta est meretrix Ciuitas fidelis? iustitia habitauit in ea*. Admiratur, & meritò Propheta meretricem modò esse eam, quæ aliquando iudicij, & iustitiæ habitatio fuerat, habitaque, & vocata sinè dubitatione fidelis. Quæ autem sit hæc ciuitas, Hugo Cardinalis appositè explicat dum ait, *Idest Ecclesia, vel Religio, meretrix autem facta est, non tam corpore fornicando, quàm mente recedendo à Deo*. Itaque indè facta est meretrix, quia priùs iustitia habitauit in ea, scilicet, Deus tanquam sponsus, & legitimus eius vir, à quo dum recessit, dum eius domum reliquit, habitum exuit, meretrix facta est, quia alieno se coniunxit. Anima ergo religiosa fit meretrix, quia priùs iustitia habitauit in ea, non enim meretrix esset, nisi à iustitia, & religione defecisset.

Imperfecti Religiosi fugiunt à Dei domo in sæculum.

Meretrix fit religiosa anima recedens à Deo.

Vers. 6.

§. 15. Quare Agar è domo Abrami fugam festinauit? Quia Sarai affligere seueriùsque tractare cæperat. Hinc carpitur nobile documentum, quòd durities, & seueritas superioris, vel Principis non ad salutem, sed ad fugam est subditis, quando nam ex rigore superioris, & desperationes, & fugæ subditorum non fuerunt natæ? Bis lego in Christi manu flagellum assumptum, nimirum Matthæi cap. 21. vers. 12. Et Ioannis cap. 2. vers. 15. Et quid tantus Dominus fecit cum flagello? Ait Ioannes ibid. *Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo*. Nullum traxit, nullum retinuit in templo flagellum, sed omnes eiecit, & fecit indè fugere. Haud dubium quin iste sit seueritatis frequentior fructus, quòd se in fugam dedant subditi. Primis sæculis Dei flagellum penè ob oculos passim erat, flammeus gladius à paradiso arcebat. Caini castigatio minabatur cæteris. Diluuium res fuit seueritatis plena. Quid indè? Pulchrè rem ponderat Rauennas Eloquentia serm. 147. De Incarnationis Sacramento pag. 504. impress. Venet. dicens: *Creatura ferebatur seruitute dura, ... Obsederat pauor omnia, timor soluerat vniuersa, cuncta concusserat terror, in cælo diuinus splendor prostrauerat Angelos, in terram tonitrua, & fulmina corda mortalium quassabant. Sic nimius pauor amorem dominantis exclusit, Angelos fugauit ad ter-*

Durities superioris, Prælati, & Principis non ad salutem, sed ad fugam est subditis.

Digitized by Google

ad terras, homines traxit ad idola, mundum vanis erroribus occupauit; fecit omnes creatorem fugere, colore creaturas. Amare non potest, qui satis timet: hinc est, quod mundus perire maluit, quàm timere: pauore mors ipsa lenior. Denique Cain vbi parricidali capit terrore vexari, mortem petit, requiem credit si periret. Et quid dicam de Cain? Elias ille vbi sensit toto se timore aspergi, repetebat quam fugerat mortem, melius existimans morti succumbere, quàm timori. Igitur vbi seruitus dura, vbi frequens flagelli timor, vbi res tota seueritas, fugitur Deus, & eius cultus prorsùs exulat à mundo, & vbique terrarum aræ Dæmonibus sacratæ cernuntur. Suspectum sit gubernatori, Præsuli, Principi, & Regi optimo solius seueritatis consilium ad perdendum, quàm ad sanandum aptius.

Timore mors ipsa lenior.

Vers. 6. §. 16. Quare Sara ex occasione insolescentis vtero Agaris querulum excitat domi tumultum, dolens se eum Abramo, si ipsa dederat marito ancillam? *Mulier* (ait inibi Aureus Doctor) *numquid ipse ad Ancillæ congressum festinauit? A te persuasus, & tuo mandato obtemperans, hoc tandem fecit. Qua te iniuria maritus affecit? Quare iniustitiam improperas? Da improuidam, & leuem maritum* (pergit S. Ambrosius apud Catenam) *qui morigerari nesciat, & diuortij causas Sara exhibet.* Indè prælustrissimis laudibus Abrami prudentia passim commendatur, quæ domesticæ concordiæ sumptuosiùs studuit. *Ecce* (ait Abram) *ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet.* Ancilla quidem est Agar, sed vera vxor, etsi secundaria: ancilla quidem, sed quæ vterum gerit, & prænobilem Patriarchæ sobolem in ventre gestat; prolem, inquam, improli hactenùs Abraæ auidè expetitam. Et tamen quasi hæc leuia forent, Saræ coniugi Abramus conniuet, *Vt iurgia tollat auara*, ait Claudius Marius Vict. lib. 3. in Genesim. Profundè coniugium iurgia appellat *auara*, *auara* inquam, opum: nam vbi pax non est, diuitiæ dilabuntur: *auara* gaudij, *auara* concordiæ, *auara* pietatis: nil enim ex his floret inter domesticos tumultus. Quin & coniugatorum *iurgia auara*, dicuntur, idest sterilia, & infæcunda: (sicut terra sterilis *auara* dicitur) nam discordia, & iurgium inter coniuges, aut steriles inuenit, aut facit.

Iurgia inter coniuges, sententiosè dicuntur auara.

Vers. 6. §. 17 Quare Abram non solùm ægrè non tulit ea quæ Sara dixerat, sed & mansuetè respondit: *Ecce Ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet?* Atqui, Patriarcharum sanctissime, nùm mulierem iniustè adeò insultantem, & nimia Zelotipia laborantem, inemendatam dimittes? Nùm robusto adeò pectore tàm grauem offensam digeres, vt, ne verbum quidem in vxoris tuæ censuram proferas? Nùm contemptui trades, & iratæ vxoris probro, ancillam, quam maritali amplexu in tuo sinu fouisti, ex qua certissima tibi proles decreta est? Ita sanè. Tanti fecit Abram afflictæ mulieri inferre solatium, vt satiùs duxerit malè ipse haberi, iniustitiæ accusari, grauia omnia perpeti, tacito dissimulare pectore vxoris offensam, Agaris affectum abdicare, iracundæ Saræ arbitrio castigandam ancillam, quam impensè diligebat, credere, indefensam pati, quàm in tanta vxoris afflictione leuamento deesse, atque adeò; *Ecce*, ait, *ancilla in manu tua est, vtere ea vt libet.* Subijcio S. Ioannis Chrysostomi verba homil. 38. *Imbecillitatis sexus, veniæ nonnihil concedit, hoc vnum satagens, vt è medio tollatur tristitia.* Vide, quàm præstet, afflictis animis consolatione præstò esse; sed quid faciat oppressis afflictio cerne. Affligēte Agarem Sarai fugam inijt. Vide nunc vagantem jam fæminam, rebus vitæ suæ necessarijs destitutam, inopem, egentem, quò diuertat nescientem, desperabundæ similem. Quid in tàm dira afflictione, consilij capiat prorsùs ignorat. Sed diuino, humanum compensatur consilium. Singulari namque prouidentia, qua Deus misellis accurrit, vnum ex nuntijs suis Angelum, ad Agar ancillam expediuit, quæ labore oppressa ad fontem diuerterat. Ibi conuenit afflictam, blandoque sermone alloquitur: *Agar Ancilla, vndè venis, & quo vadis?* Humanissimè suadet, vt ad dominam reuertatur; *Reuertere ad Dominam*; posteritatem ex filio Ismaele gloriosam pollicetur; *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*, & fausta, fortunataque omnia repromittit. Ita nè? An non arrogans fœmina ista fuit, quæ Dominam suam despectui habuit? An non impatiens, quæ Saræ afflictionem diù sustinere neglexit? An non moribus incomposita, & muliebris pudicitiæ custos incauta, quæ fugam arripuit? Quæ in manibus Dominæ suæ habere oculos noluit? Blando igitur tractanda sermone, Angelico dignanda colloquio, largaque bonorum pollicitatione firmanda erat; non verò grauitèr

Abram maluit iniusti notam subire, quàm Saræ solatio, in mærore concepto deesse.

Cur Agar arrogans, impatiens, incauta Angelico dignatur colloquiis.

incre-

Digitized by Google

increpanda, compescenda, castiganda? Minimè verò. De afflicta muliere, in extrema calamitate constituta, agebatur. Confert afflictæ mulieris calamitatem cum recensita malorum serie, in qua fuerat fœmina ista prolapsa, & nihil illorum comperias, grauissimam Agaris obiurgationem euincere, sed huic parcendum, modò in tanta afflictione solatium fœminæ fiat. *Non durè eam alloquitur* (Angelus) *quia desolata erat. Sic solet Deus afflictis familiariter loqui ne desperent*, inquit Ferus. Quid indè? docet S. Ioannes Chrysostomus homil. 38. *Hinc discamus, quantùm sit in afflictionibus lucrum, quanta calamitatis vtilitas; postquàm enim successit, & dolor auctus est, multisque circumdata est afflictionum molestijs, in solitudine, in vastitate, & angustijs versans, ideò acceleratum est subsidium*. Sed quare acceleratum? Quia nihil tàm diuinæ bonitati conuenit, quàm afflictos in eorum calamitate consolatione afficere; nec egregius, aut excellentius in vita hominum referri potest, quàm diuinum ad exemplum componi, & concussos in afflictione proximorum animos recreare. Ad quid Deus ipse humanitate indutus affligi voluit, nisi vt disceret consolari? *Christus* (inquit S. Petrus Chrysologus serm. 50. de Paralytico pag. 172.) *venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis conferre virtutes; humana quærere, præstare diuina, accipere iniurias, reddere dignitates: ferre tædia, referre sanitates: quia medicus qui non fert infirmitates, curare nescit: & qui non fuerit cum infirmo infirmatus, infirmo non potest conferre sanitatem*.

Deus afflictis familiariter loquitur, ne desperent.

Christus affligi voluit, vt disceret consolari.

Vers. 6. §. 18. Quare Agar maritalis Thori Saræ consors, de vxore indè profuga facta fuerit? Quia, inquit Rupertus Abbas lib. 5. in Genesim cap. 25. *Cùm ancilla sit, superbit, & dominam suam despicit, id est de carne Abrahæ gloriatur*. En quomodo in prospera tibi temperandum fortuna. Meminisse iuuabit, quis fueris, neque enim robore sistitur, sed virtute. Agarem tu vides, quid elarius? Nabuchodonosorem aspice quid expressius? Scitè quidem, & Nabuchodonosori, & Agari, id genus inconsultis, genere, vt expedit, immutato opponeret Plautus quod de fortuna fatus concepit in Captiu.

Me, liber fueram, seruum fecit, ex summo infimum,
Qui imperare insueueram, nec alterius Imperio obsequor.

Quàm consiliosius in hac ipsa, & moderatius sese gessere fortuna, quibus *præsens felicitas sic arrisit, vt non irriserit*, inquit Mellifluus Doctor lib. 2. de Consid. ad Eug. Theodosius ille, de quo Cassiodorus lib. 1. ep. 4. *Nullo elatus in cothurnum se magnæ potestatis erexit*: Auitus, quem Sydon. Apoll. Epitaphio celebrat.

Moderatorum exempla in felici fortuna, & exempla.

Nec tamen ob summi culmen tumefactus honoris
Erigitur, seque plus alijs æstimat, imò
Subijcitur magnus, seruat mediocria summus.

Theodorus, de quo Claud. in eius Paneg.

......Nec quæ comitatur honores.
Ausa tuam leuiter tentare superbia mentem;
Fraus priuata manet.

Epaminunda, qui post victoriam in Lauetris reportatam, postridie squalido incedens amictu, præcedentis diei lætitiam, eo se incessu dictitans castigare. Stilicon, de quo citatus Claud. Paneg. 2.

...........Nec prospera flatus
Attollunt nimios: quin ipsa superbia longè
Discessit, vitium rebus solemne secundis.

Cæsarem denique, vt sexcentos prætercam, qui Tyberij exercitu gloriosè deleto, Marti quidem, Ioui, & Augusto monumenta Sacrauit, *De se nihil addidit memoratu indidiæ, at ratus conscientiam facti satis esse*, ex Tacito lib. 2. Annal. Nec pluribus, cùm, omnium idæa virtutum, & virtutum Dominus Christus Iesus, vnus pro multis, non ideò, quòd Ierosolymitano exceptus triumpho, pullo insederit asinæ abiectissimo, sedentem, stabilemque nobis obiecerit esse fortunam, sed quomodo Christianæ humilitatis recordatione fuerit temperanda, olim inaudito ostentarit exemplo. *Ascendit super iugalem, & pullum nouum, non currus, vt cæteri Reges, agens, non vectigalia exigens, non elatus tumore, nec satellitibus stipatus, sed magnam vndiquè monstrans humilitatem. Interrogatur ergo Iudæus, quisnam Regum asina vectus Hierosolymam intrauit? Neminem profectò dicere possunt, præter Christum*, ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 67. in Matthæum. Ita, *pullo vsus, imperium orbis terræ tenuit, & Deus verus esse creditur, & prædicatur. Et qui pallio asinæ incedit, reges habet adoratores, qui cubiculis auro, & lapidibus pretiosis ornatis gestantur*. Theodoretus in Zachariam; Ita, Dominus virtutum, & rex gloriæ recipitur in

Christi humilitas in triumpho Ierosolymæ ad exemplum.

Christus cur asinam ascendit?

cœlo

cælo Christus Iesus ; cuius ad exemplum, stabilem sibi, quisquis ille sit, manibus continere præualebit fortunam, & clauum figere, quem suspirabat Alexander præcipiti lapsu rotanti; *Sola enim virtus, viuenti, & mortuo, stabilis, & firma possessio*, Inquit Æneas Sil. Ep. 114. quare breuibus. *Fidita virtuti, frangi & ista nequit*. Hanc instabili obijce anchoram fortunæ, nec time; & si de propria infirmitate diffidis, Deiparam, omnium humillimam, Reginam, & dominam: *Oramus, vt in prosperis sit protectrix*, iterum cum Idelphonso serm. 6. de Assumpt. duplicem sibi Eliæ spiritum fieri enixè petat cum Eliseo, *fiat in me spiritus tuus duplex* 4. Regum cap. 2. vers. 9. licèt enim *Non sit discipulus vltrà Magistrum*, habitus tamen *Cum magno honore, & saeculo dignitate prophetia dono pollebat*, cum Elia, in spelunca hominibus exosa latitante; ne tamen fauore Principum inflatus deficeret, metuebat, ait S. P. N. Augustinus lib. 2. de mirab. cap. 26.

Vers. 6. §. 19 Quare, si ancilla ad coniugium adducta iam se expedierat seruitute; Abram asserit, ancillam in manu adhuc Sarai esse? Certè quia dum tàm egregio beneficio à Domina afficitur, dum facta Abræ vxor à seruitute liberatur, arctiorem ex gratitudine inijt seruitutem. Vnde Strictiori iure Agar sub Sarai manu ex lege gratitudinis residebat. Ideò vir se expedijt à supplicio inferendo, tum quia dedecet maritum propria manu vxorem vulnerare; tum quia illa iniuria inflicta erat benefactrici, quam speciali iure ancilla affecta beneficio reuereri debuerat. Profectò ex venia mariti Sarai secundariam vxorem verbis, & fortasè actionibus affligebat, quare quæ seruile ingenium non exuerat, fugam arripuit. Quàm thalamo indigna, quæ ex domo mariti recedit. Nisi excusabilis proferre possit: si ancillæ ingenium fugax est, non mirum, me fugisse, si maritus non vti vxorem, sed velut ancillulam vulnerauit.

Gratitudo nos debet seruos efficere eius, qui beneficium impendit.

Virum dedecet, vxorem propria manu punire.

Quid mirum fugiat ex ingenio ancilla vxor, quam maritus vti ancillam vulnerat?

Vers. 7. §. 20 Quare hæc Ægyptiaca ancilla, quæ ob superbiam contempserat dominam suam, tot fauores promeretur, vt Angeli vnius præsentia recreetur; quæ præclarissimis viris ex magna Dei indulgentia conceditur? Lyppomanus dudum soluit dicens: *Solatur Angelus emendatam, quia humiliata nunc Dominæ obedire consensit*. Agar in solitudine posita, & videns se ab omnibus destitutam, in dolorem, ac resipiscentiam de contemptu, ac superbia erga dominam suam, cùm esset tacta aliquali pænitudine emendataque euasisset, Angelica iam dignatur præsentia. Bonus ille Pastor, qui habebat centum oues, cùm ex illis perderet vnam, nonnè, ait Christus, *dimittit nonagintanouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam imponit in humeros suos gaudens*: Lucæ cap. 15. vers. 4. Benè poterat bonus pastor errantem ouem pedone suo ad caulas reuocare; Ad quid in humeros subleuat, quæ dilectionis signa nullam ex nonaginta nouem ouibus, semper pastoris voci, ac baculo obtemperantibus, legitur adipisci. Vbi eam diuinus pastor in habitu pænitentis agnouit, ad excellentiora dilectionis argumenta promouet, & super humeros imponit: in quo Christi sui imperij insigne portat: *Cuius imperium super humerum eius*. Isaiæ cap. 9. vers. 6. Pænitens ouis ad tantum cacumen ascendit, vt veluti coruscans gemma inter suæ potestatis infulas à pastore collocetur, ac tanquam insigne sui imperij ornamentum in illius sede reponatur. D. Gregorius Nazianzenus orat. 42. *Ad ouem errantem*, ait, *venit pastor ille bonus, animam suam pro ouibus ponens: venit, inquam, ad montes, & colles, in quibus sacrificabas, & balantem inuenit, & inuentam eisdem humeris, quibus & lignum crucis, sustulit*.

Penitens instar magnorum Sanctorum præsentia Angelorum fruitur.

Pænitens magna dilectionis signa meretur.

Penitens pro magno honore reputatur.

§. 21. Quare Agar non expauerit visione Angeli, qui solebat suo aspectu impauidos etiam homines perterrere? Vers. 7.
Abulensis qui dubium proposuit respondet, *quia videndis Angelis in domo Abrahæ iam erat assueta*. Sed hæc responsio meo iudicio incerta est, tum quia ante hac nusquam in scriptura apparuisse Angelus memoratur: tum etiam, quia quamuis Abraę apparuerit, non propterea ab ancilla videretur. Aliter igitur respondeo, eum angelum composito ad consolandum vultu apparuisse, serenato, hilari, gestiente: atque adeò multum decoris, nihil terroris afflauisse. Vides, vt exiliunt Angeli, vt se comunt, & expoliunt ad ministerium consolandi. Sed vlteriùs nota, hunc locum in scriptura fuisse omnium primum, in quo referatur Angelus in terris apparuisse.

Primus Angelus ad ancillā Agar consolandam in Scriptura legitur apparuisse.

Cur igitur, dicet aliquis, primo tempore, quo Angelus apparet, non ad principes, & Heroes cum legatione mittitur: sed vltam ad ancillam, Ægyptiam,

Digitized by Google

ptiam, fugitiuam, multisque alijs nominibus abiectam? Nonnè debuit tantus cælestis curię Legatus, primo saltem tempore, quo ad terras mittebatur, debito cum honore, auctoritateque manifestari, ne in posterum vilipenderetur? Debuit profectò. Sed Angelo nulla esse potuit gloriosior legatio, quàm illa, qua ad miseram ancillam consolandam fungebatur. Adeò putabat Angelus honorificum, mærenti animo solatium adhibere, neque indè se in contemptum, sed potiùs in maiorem existimationem venturum sperabat. Quæ planè eum opinio non fefellit, nam qui, vt Angelus venerat ad consolandum, post consolationem, vt Deus ab ancilla salutatur. *Tu*, inquit, *Deus qui vidisti me*. Deum appellat, eum Angelum, & fortassè eum hominem (humano enim habitu credendum est, Angelum apparuisse) qui se miseram fuerat consolatus. Tanta ex hoc officio dignitas Angelo accrescebat.

Vers. 7. §. 22. Quare Angelus apparuit Agari in solitudine? Quia ancilla afflicta in tribulatione sua clamauit ad Dominum, & ipse exaudiuit eam. O quanta ancillæ felicitas? Occurrit ei Angelus Domini etiam, dum tanto honore digna nec iudicatur ab Angelo domina; & Agar potuit obtinere tantum in afflictione sua patronum. Audi Aureum Doctorem inibi: *Afflictionis fructus in hac ancilla videre licet, quia postquam à Domina afflicta fugerit, & multùm ærumnosa fuit, dolenteque anima dominum inuocauit; statim cælestem visionem assecuta est*. Ea propter Regius Vates non solùm se exaudiri in tribulatione volebat, sed velociter exaudiri, quasi opportunitas orationis ex afflictione vitæ, eam etiam auxilij opportunitatem exoret. Psal. 68. vers. 18. *Et ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me*. Vides ea solùm niti ratione, eo solo argumento Prophetam vti, ad hoc vt exaudiatur velociter? Ergo tribulatio eam etiam infert festinæ exauditionis vtilitatem: imò si necessarium fuerit etiam per miracula afflicti oratio impetrat postulata. Quemadmodum contigisse Liæ cognouimus, *Cuius Deus preces exaudiuit, concepitque, & peperit filium quintum*. Genesis cap. 30. vers. 17. cùm tamen cessaret parere; & exaudiuit eam Deus, ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 56. *Quia videbat eam dolentem, nec multùm viro probatam*. Et tamen exaudiuit in re vsquè adeò difficili. Quæ

Deus in tribulatione clamantes exaudit.

Tribulatus exauditur velociter.

enim cessant à partu, steriles, & ineptæ ad alios partus reputantur, sed tamen sterilitas hæc orationis in opportunitate afflictonis ad Deum factæ in fæcunditatem redita est: *Ostenditur hic* (ait Lyppomanus) *Virtus orationis ingens, qua noua subindè fæcunditas obtinetur, cùm iam cessaret à partu via naturæ*. Eodem etiam modo sterilis peperit plurimos, Anna scilicet mater Samuelis, quæ amaro animo orauit ad Dominum 1. Regum cap. 1. vers. 15. & ad Heli Sacerdotem sic respondit: mulier infelix nimis ego sum, quia ex multitudine doloris, & mæroris mei locuta sum vsquè in præsens. Tunc Heli ait ei, *Vade in pace, & Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum, & abijt mulier in viam suam, & comedit, vultusque illius non sunt ampliùs in diuersa mutati*. Et vndè fœminæ tanta lætitia, vt nunquam vultus eius non lætus, & placidus appareret? *Vides mulieris fidem? priùs quàm acciperet, quod postularet, perindè confusa est; quasi iam accepisset. Abijt ergo animo pacato quasi totum impetrasset: Deus enim iam totam anxietatem illi excussit ex animo, & largitus donum quod petebat. Hanc fœminam imitemur, & in omnibus afflictionibus ad Deum confugiamus*: Hæc Chrysostomus ibidem, & meritò, nam dum se amaro animo ad Deum sensit deprecari, non potuit de fructu orationis, etiam miraculoso, dubitare, nec dubitasse videtur Heli sacerdos, qui eam vsquè adeò plenam fide obtinendi, quod petebat, dimisit.

Etiamsi necessaria fuerint ad exauditionem miracula.

§. 23 Quare, si oratio ista Agaris non nisi afflictionum vi extorquebatur, tantum meruit? Quia etiam vota metus vi exhibita, & homines obligant, & Deo multum placent. Gaudet enim Deus suorum votis, & precibus, quas vel tribulatio cogat. Ad Principum enim gloriam non solùm spectat, quòd sese ad illos recipiant multi cum gaudio, & voluntate; sed & quod rebelles à Lictoribus coacti, vel à militibus vincti ad eorum pedes trahantur. Ideò non semel Deus gaudet, vt homines etiam ab externis calamitatibus, tanquam à militibus compellantur accedere, eisque quamprimum gloriæ suæ thesauros aperit. Hinc S. Lucæ cap. 14. vers. 23. postquam ingens pauperum multitudo ad cœnam sese Domini receperat, cum adhuc locus esset, & superesset ait; *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare vt impleatur Domus mea*: Expende illud, Vers. 7.

Vota etiam metus vi exhibita, & homines obligant, & Deo multum placent.

com-

compelle intrare: quippè si Deus vellet efficaciter vocare, multi alij venissent minimè compulsi, sed omninò gaudentes; verùm non id vult Deus, quandoquidem & valdè gaudet, cùm videt rebelles plurimos à calamitate compelli ad cælestia venire, illaque exposcere, & pro illis preces fundere. Vnde S. P. N. Augustinus in Cat. citatus ex sermone 33. de verbis Domini, ait: *Abstrahantur à sepibus, auellantur à spinis. Sed cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra intremus. Non hoc Dominus imperauit; coge, inquit, intrare, foris inueniatur necessitas, nascitur indè voluntas.* Quippè gaudet aliquando Deus videre ad se venientes, qui calamitatum externarum, quasi necessitate, in bonam voluntatem prosiliant.

Vers. 7. §. 24 Quare Moyses hìc primò Angelum nominat apparuisse cùm antea nullam Angelorum memoriam fecisset? Dubium est Theodoreti dicentis quæst. 2. in Genesim: *Primùm sub Agar diuinus Moses meminit Angeli, idque iustissima de causa: aptissimè profectò Deus omnium per Angelum seruitutis meminit.* Angeli administratorij sunt spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: & quamuis omnis iniuriæ expertes, & status titulo, & spiritualis naturæ merito; tamen dum ad aliquorum hominum deputantur custodiam, sic (si fas est dicere) & morum inconcinnitate vexantur, & rusticitate improbitatis anguntur, vt amarè quodammodò fleant. Qui ergo famulandi quadamtenus labores experti, famulæ labores solantur: & quia noscunt, quàm asperum sit, quàmque intractabile aliquorum ingenium, afflictæ seruæ properant præstitisse solatium: seruientem miseret, qui seruitutis labores nouit: forsitan si non Angelos, sed creaturam aliam, sed hominem Dominus delegasset, non adeò citò anxiæ famulæ subuenisset: docet misericordiam patientia: docet compassionem infirmitatis iniuria: docet seruitutis iugum seruientibus adhibere solatium: docet proprium meritum alienis laboribus præmium accelerare condignum: bellicos labores despiciet, qui resupinus otio bella Martia nunquam tractauit: afflictorum lachrymas vel aspicere dedignabitur, cui semper blandis est adulata fortuna, & delicijs creuit corporis indulgentia.

Angelorum custodia erga homines quãtùm affectuosa.

Vers. 7. §. 25. Quare ad generis amplificationem Agar deligitur, non inter familiæ tumultus; sed in desertorum recessu? In deserto Angelicum meruit alloquium, & multiplicationis accepit nuntium: quasi apta non fuerit non dignis Deo fætibus multiplicari inter hominum consortia; sed postquam coluit deserta: ab hominum recedens conspectu, discit vanitatem terere, & humilitatem colere: sub manu affligentis dominæ didicit humiliari, quæ anteà solùm nouerat intumescere. Hæc de Agar. Sed nota, quòd Angelus in deserto fætum extinctum viuificat (qua de re quidquid censeo vide superius in expositione Literali num. 40.) & cùm viuificat, terga vertit, & humanum aspectum fugit. Ita Caietanus sup. cit. *Scito quòd Angelus inter loquendum cum Agar, finitis suprascriptis verbis statim euanuit ab oculis Agar.* Itaque Angelus adspectum fugit, cùm Ismaelem extinctum viuificauit. Iam eis verbis: *Ecce concepisti, & paries,* denotari extinctum fætum fuisse vitę non sinè miraculo restitutum, tradit Abulensis ad hunc locum. In deserto Angelus fætum viuificat, & quamuis puritatis gaudeat priuilegio, ad nostram eruditionem, mulieris immorari noluit consortio; *Hìc vidi*, ait, *posteriora videntis me.* Faciem subtraxit, & fauorem impertiuit. Itaque Ismael desertum tunc incolenti, & humanos oculos excusanti Angelo restitutus est vitæ, vt Dei Angeli ministrique ab Angelo edíscant vitam refundere, & ad salutem paruulos reuocare. Honestum est in desertis perfectioni studere, sibique ac Deo soli viuere; laudabilius tamen ab hominum aspectu ad tempus recedere, quo excultior, & perfectione exornatior quiueris ad virtutem homines componere, & efformare. Imitandus est Angelus, qui fugit aspectum, & restituit vitæ filium. Vides Agarem dum desertum incolit, generis multiplicationi delectam, ipsisque in recessibus præparatam.

In solitudine Agar fit Sancta.

Angelus cum Agar non immoratur, & cur?

Solitudo quàm vtilis.

Vers. 8. §. 26 Quare Angelus Cherubim antè paradisum voluptatis collocatus nec verbum quidem dicebat; & hic cùm Agar fugeret è domo Saræ Dominæ suæ, inueniens eam Angelus tot dixit, & tanta felicissima promisit ei? Angelus ad ostium paradisi nec interrogat, nec loquitur, maximè verò cum Agar, & cur? Audi: Angelus ad ostium Paradisi totus intentus erat ad puniendum, & stricto flammeo, ac versatili gladio paratus erat ad interficiendum, si aliquis intentaret, per ostium ad ar-

borem vitæ intrare. Cum Agar verò agebat, vt eam emendaret, & reduceret. *Reuertere ad dominam tuam*. Lyranus, *Non quærit Angelus*, ait, *ex ignorantia, sed vt ex responsione Agar efficaciùs corrigat eam*. Qui vult emendare, loquitur, interrogat, & monet; qui verò ad puniendum applicatur, totus addictus est, vt vulneret, ac percussiones exequatur; indè Angelus ad ostium paradisi nullum verbum profert; maximè verò cum Agar. Recordor etiam quòd multa de septem Asiæ Episcopis, manifestauit Deus Ioanni in sua Apocalypsi. De Episcopo Ephesino ait; *Habeo aduersùm te, quòd charitatem tuum primum reliquisti*. Apoc. cap. 2. vers. 4. Episcopo Pergami; *Habeo aduersùm te, quia permittis tenentes doctrinam Balaam*, ibid. cap. 2. vers. 14. Episcopo Thyatiræ; habes mulierem Iezabelem fornicariam. Apoc. cap. 2. vers. 20. Et Episcopo Laodiceæ. *Quia nec frigidus, nec calidus es*. Cap. 3. vers. 16. & sic de cæteris. Ostendit Angelus Ioanni. *Mulierem sedentem super bestiam coccineum plenam nominibus blasphemiæ*. Apoc. cap. 17. vers. 3. & nec inuenies dictum mulieri vnum verbum. Quare cum Episcopis tot admonitiones, totque verba, & nec vnum dictum est mulieri? De Episcopis ait Ansbertus Ambrosius cap. 2. *Omnes suo modo admonet, vt meliores fiant*: eosque varijs modis circa suos defectus interrogat; cum muliere verò nec vnum verbum habetur. Episcopi ad emendationem vocantur, mulier in perditionem dabatur; indè cum illis sunt verba, minimè cum hac, vt reprobata, & eiecta.

Non qui tacet, sed qui monet, emendare desiderat.

Vers. 8. §. 27 Quare Angelus dixit ad Agarem; Ancilla Sarai vnde venis, aut quò vadis? Vtrumque horum cognouerat Angelus, vt est apertum, vt notat Carthusianus. Ad quid ergo interrogat? Et augetur difficultas. Quia, vt docent Moyses Bar-cepha 1. p. de Paradiso cap. 27. Iobus Monachus lib. 3. de Incarnatione cap. 19. apud Bibliothecam Photij, Caietanus, & alij, hæc fuit prima apparitio, primaque locutio Angelorum cum hominibus, quantum constat ex Scriptura. Ad quid ergo in hac prima apparitione veluti ediscens Angelus se prodit? Lyppomanus. *Angelus familiariter ipsam Agar appellat proprio nomine; & vndè veniat, & quò pergat, non ignorando, quærit*. Angelus in hoc primo congressu cum natura humana voluit se illi maximè benignum, ac familiarem declarare, & ad hoc ediscentis, ac scire quærentis habitu venit; vt ita cunctis fieret notum, quòd Spiritus scientia, ac sapientia plenus, qui ad ediscentis, ac interrogantis modum pro hominum salute sese submittebat, nil sanè etiam humile, & abiectum pro eorum commodo contemneret, ac præteriret.

Valde durum sapienti ediscere.

Vers. 8. §. 28 Quare Agar fugit è Domo Abrami? Quia facies Sarai formidabilis ei videbatur, ideò dixit: *à facie Sarai Dominæ meæ ego fugio*. Non fatetur, se à supplicio fugere, vt est seruorum proprium, sed a facie Dominæ suæ; adeò hæc illi terribilis erat. Vnde S. Ioannes Chrysostomus scribit; *Non dixit, malè me afflixit; non dixit, grauia mihi fecit, non possum ferre molestiam eius, ideò fugam inij*: Sed tantum ait, à facie dominæ meæ. O si tàm terribilis fuit Agari facies dominæ suæ, quænam erit peccatoribus facies irata Christi Iudicis? Valdè enim formidabilis est læsi Domini vultus.

Facies Domini irata timenda.

Vers. 8. §. 29 Quare Agar Angelo reuerenter respondit; à facie Sarai Dominæ meæ ego fugio; nullas in querimonias effusa, nullas in accusationes resoluta? Quia correptionis vexatio dederat ei intellectum; *Vide*, inquit Chrysostomus proximè citatus, *quomodo citrà odium meminit Domina. Non dixit, malè afflixit; non dixit, grauia mihi fecit, non possum ferre molestiam eius: & ideò fugam inij. Nihil asperum locuta est, sed solùm se ipsam, vt fugitiuam accusauit*. Vbi obiter attende, quid valeat correptionis disciplina; Nam Agar antequam à Sara affligeretur, *despexit dominam suam*. Afflicta, honorificè compellauit. Hoc est enim hominum ingenium, vt ex impunitate effrænetur, ex correptione, in gyrum rationis compellatur. Vnde laudabilis est Sarai quæ tantum in ancillam bonum affectauit; sed ipsa laudabilior Helcanæ Anna dicerem; quæ cùm ab æmula sua vehementer angeretur, ne vnum quidem verbum retorquebat, imò nec apud virum, vel apud Deum accusabat. Vt meritò eam possem martyrem nuncupare: ex sententia D. Chrys. in Psal. 127. vbi sic dicit: *Non solùm dilaniari, & excarnificari: sed etiam cùm dolor impellit ad blasphemandum: toleranter potiùs ferre laborem, & nihil turpe, & inhonestum dicere, facit martyrem*. Et rursùs homil. 15. in Act. monens, vt quisque stigmata Domini nostri, hoc est, vestigia tormentorum in corpore suo por-

Correptionis vexatio dat intellectum.

Patiens silentium in iniurijs martyrium.

portet Galat. cap. 6. verſ. 17. Licèt abſint tyranni, à quibus inferantur. *Sta*, inquit, *contrà gloriam: Et ſi dixerit quis contrarium aliquid: ne timeas dici malus propter Chriſtum: Sta contrà Tyrannidem ſuperbiæ: ſta contrà iræ pugnam: ſta contrà concupiſcentiæ tormentum. Et hæc ſtigmata ſunt, ac tormenta*. Ideò aſſerit hæc eſſe acerbiora vulnera, cùm non corpori, quæ eſt obtuſior hominis pars, ſed animæ quæ eſt multò delicatior, infligantur.

Verſ. 8. §. 30. Quare Agar interrogata ab Angelo vndè veniret, & quò pergeret (*Vndè venis, & quo vadis?*) dixit quidem vndè veniret, ſed non quò iret? Cuius rei cauſam ſi noſcere cupis audi Lippomanum ibid. *Erubuit*, inquit, *confiteri à domo ſancti viri, probatæque Dominæ ad Ægyptios rursùs redire idololatras*. Sicut enim glorioſius nihil eſt, quàm à miſero ſtatu peccati ad felicem ſtatum virtutis commigrare: ita nihil magis inglorium, magiſque erubeſcendum, quam à ſocietate iuſtorum diſcedere, & impiorum conſortijs commiſceri. Addo: propterea Agar terminum; quò tendebat, non expreſſiſſe, quia erubuit confiteri, ſe in patriam ſuam Ægyptum redire; veritæ, ne ſi Ægyptum patriam ſuam proderet, ſceleratiſſimam ſe eſse indicaret, adeò manifeſtum indicium ſuorum morum, patriam ſuam eſſe iudicauit.

Inglorium à bonorum ſocietate ad malos transire.

Mala patria malorum morum indicium.

Poſtquam Iſaias perditiſſimos Hebræorum mores deſcripſit; vt eos vno verbo complecteretur: *Audite* (inquit cap. 1. verſ. 10) *Verbum domini, principes Sodomorum: percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ*. Cur patriam illis affinxit Sodomam, & Gomorrham, qui erant exoriundi? Ratio eſt, vt proprios illius patriæ mores in eo populo fuiſse teſtaretur. Et quemadmodum Sodomorum principes, ita & Hebræorum, publicè, & inuerecundè mala facere ſignificaret: vt Lyranus eo loco aduertit. Ac ſi non poſsent in patria conuenire, quin etiam in moribus deprauatis illius patriæ proprijs communicarent. Eandem planè ob cauſam dicitur Ezechielis cap. 16. verſ. 3. de Hebræorum populo: *Radix tua, & generatio tua de terra Chanaan*. Nam Regio Chanaan, non ſolùm impia erat, ſed ignobilis: quippè, quæ à nepote illo Patriarchæ Noe maledicto, & ſeruituti deſtinato culta, & habitata fuerit. Vt igitur Propheta Iudæos impios, & ignobiles appellaret: patriam illis tribuit Chanaan, impiam pariter, & ignobilem: certus, tales fore alumnos, qualem altricem patriam habuiſſent. Vnde Theodoretus ibid. *Quemadmodum*, inquit, *diutius hic vir* (ſcilicet Ioannes Baptiſta) *eos, qui ferini erant, & in improbitate degebant, venenatis feris comparauit, genimina viperarum, &c.* Lucæ cap. 3. verſ. 7. *Ita & hoc loco Dominus per Prophetam, Chananæam vocat eorum ſtirpem: quorum enim æmulati fuerant impietatem, eorum meritò cognationem contraxere*. Eodem modo dicuntur Iudæi ab Idumæa oriundi, *vt poſſideant*, inquit Amos cap. 9. verſ. 12. *reliquias Idumææ*. Hoc eſt, Iudæos: quia ſic fidem deſeruerant, vt non in Iudæa nati, ſed in Idumæa viderentur. Itaque, vt Iudæorum infidelitas adſtruatur, patria illis tribuitur infidelis, ac ſi ex patria infideli non niſi infideles filij naſcerentur.

Chanaan impia, & ignobilis Patria impiorum, & ignobilium altrix.

Iudæi infideles cur ex Idumæa oriundi dicantur.

Verſ. 8. §. 31 Quare nunc primò Angelus nominatur, & inuenitur pacifice colloquens cum hominibus? Cur nunc primò Angeli oſtenduntur pacifici? Præceſſerat planè Abramo data promiſſio de aſſumenda carne eius à Dei filio, vbi autem filij Dei Incarnatio vel apparuit ſub vmbris, iam neſciunt Angeli habere cum hominibus inimicitias. Ait Iobius Monachus lib. de Incarnatione 3. cap. 19. apud Photij Bibliothecam: *Ab Adami præuaricatione ad vſquè Noe generationem, Angelorum natura in hominum cognitionem minimè venit. At ne in ſecunda quidem ætate, quæ in audacem illam turris ædificationem deſinit. Sed neque tertia ſe poteſt ætas Angelorum cognitione iactare, quæ vſquè dum Abram Deum cognoſcere cæpit, vt manifeſtum eſt, extenditur. At poſtquam Abraæ promiſſiones illæ, quæ Dominicam incarnationem veluti fundabant, ac præordinabant, factæ ſunt, tunc certè Angelus vnus introducitur Ancillæ Abraæ Agar miniſtrans, qui illam animi pendentem, ac deficientem ſolaretur*. Vna filij Dei Incarnatio potuit nobis Angelos reddere fideles conſolatores, & amicos; nam planè ex Adami culpa Angeli hoſtiliter ſe habebant in genus humanum; inquit enim S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 3. in epiſt. ad Coloſſenſes: *Deſidebat à cælo terra, hoſtiliter aduerſabantur Angeli hominibus*. Quis vidit, quis audiuit ab Adami ruina Angelos non iratos in homines, niſi ex quo in carnem humanam deſcenſus firmabatur ſui Domini? Vbi Dei filius tractat naturam ſibi copulare noſtram, ex tunc Angeli ſuam in homines hoſtilitatem deponunt,

Incarnatio filij Dei, vel ſub vmbris nobis Angelos amicos fecit.

Adamus Angelos nobis hoſtes fecit.

nunt, & non dubitant sese hominibus ostendere officiosos.

Vers. 9. §. 32. Quare Angelus Agari persuadet, vt redeat ad seruitutem? Cur non magis finit illam esse liberam? Inuenit eam sedentem iuxtà fontem, media in solitudine, omni humano auxilio destitutam, extremæ ruinæ propinquam, indè meritò illi persuadet, vt redeat in seruitutem; ingenuum est enim, quòd seruitutem præferas libertati perituræ. Ioseph Prorex Ægypti iam notus fratribus suis, ait illis Genesis cap. 45. vers. 17. *Ite in terram Chanaan.* (vers. 18.) *& tollite indè patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me,* &c. Sic monet, vt vniuersa cognatio veniat in Aegyptum. At in Aegypto seruituri erant Pharaoni, qui in Chanaan nemini seruiebant. Cur ergo non magis amat ipse redire in terram libertatis, quàm vt cum suis sit in terra seruitutis? Conficiebantur penuria Chananæi, in Aegypto autem habebat Ioseph alimenta, quibus aleret suos; hinc magis ingenuum duxit, quòd seruirent in Aegypto, quàm quòd liberi apud Chananæos fame perirent. Ad hæc Aegesippus lib. 5. de Excidio Hierosolymitano cap. 15. *Quando apud Hebræos vtilis seruitus sit libertati inutili non prælata? Iacob ipse patriarcha in Aegyptum duxit Hebræos, ne perirent fame. Ibi Ioseph curru sublimis, & equis subiacere se in potestate maluit, vt aleret suos, quàm ad originis propriæ libertatem redire.* Hoc sapientum, ingenuorumque virorum fuit constantissimum consilium, quòd libertas peritura postponenda sit vtili seruituti.

Ingenuum est præponere seruitutem vtilem libertati perituræ.

Vers. 9. §. 33 Quare ab Angelo reuerti iubetur Agar, vt se affligat, si fugam iniit, quia eam affligebat Sarai? Hoc dubium deducitur ex eo quòd generalese *Humiliandi* vocabulum, adspectu ad Hebræam originem, pressiùs interpretatur Caietanus, his verbis appositè locum exponens: *Humiliare sub manu illius; iuxta Hebræum habetur: affige te sub manu eius. Ex eo quòd eadem dictio habetur hîc, & superius dicendo: affligente igitur eam Sarai.* Vndè nunc patet proposita dubitatio: Ergonè ratio, quæ Agarem fecit fugitiuam, reducem faciet? Nimirùm moralissimè nos cum Agare instruit Angelus, dum nos edocet quanta sit propriæ voluntatis efficacia ad leniendas vitæ asperioris molestias. Quasi dicat: Fugam iniisti, ò Agar, vt fugeres, quam censebas intolerabilem ærumnam, nempè aliena Saræ manu affligi: igitur afflige te tua manu, & arbitrio: & indè pernosces, quàm sit leue malum, quod vltrò expetitur, & spontè toleratur: quasi ferè totus ærumnarum labor, non à re, sed à coactione sit. Propria se affligentis manus, afflictionem exarmat. Eandem alteram afflictionem tibi subeundam edico: sed experientia nosces, quàm sit tibi leue, te vltrò affligi; sicut experta es quàm sit toleratu arduum, aliena affligi manu. Pulchrè igitur Agari, quæ *affligente eam Sarai, fugam iniit,* dicit Angelus: *Affige te sub manu Sarai.* Matthæi cap. 26. vers. 37. & 38. instante iam passione, in noctis intempestæ horrore vltrò venit Iesus cum discipulis suis in Villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit illis: *Sedete hîc donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari, & mæstus esse. Tunc ait illis: Tristis est anima mea vsquè ad mortem.* Itaque humanitas passibilis à Dei filio suscepta est, & deitas in Christi Dei passione impassibilis permansit. Passus est enim Dei filius non putatiuè, sed verè omnia quæ scriptura testatur, secundùm illud quod pati poterat, secundùm scilicet substantiam assumptam. Sed grande hinc exoritur dubium, an ex mortis timore hanc tristitiam, & mæstitudinem Christus subierit. Quid hac de re seriò censendum sit, singularem autem S. Hilarii sententiam ad præsens intentum recitare operæ pretium est. *Quid enim Iesus* (ait D. Hilarius lib. 10. de Trinitate) *in mortis Sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependit? Deindè quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus? Si etiam passio honorificatura eum erat, quomodo tristem eum metus passionis effecerat?* Triplicem his verbis rationem addensat S. Hilarius, vt à Christo Deo metum passionis arceat. Mitto primam, & tertiam ad alias Theses: secunda verò rem nostram eleganter demonstrat, aiens: *Quem dolorem mortis Christus timeret, potestatis suæ libertate moriturus?* Quid tàm pænale, & peracerbum, quàm Christi Dei passio, & probrosissima in cruce mors, terribilium terribilissima? & tamen licèt grauissimum dolorem Christus senserit, eam patiendo, (neque enim eam putatiuè, sed verè passus est) tamen seriò censet Hilarius, *quòd dolorem mortis Christus non timuit, potestatis suæ libertate moriturus.* O sic qui potestatis suæ libertate vltrò tormenta subit, illorum metum spontiuo

Affligi à se leue est, ab alio pænalissimum.

Christus non timuit mortem, quia vltrò illam subiit.

Spontanea voluntas ardui operis difficultates exarmat.

tiuo propoſito exarmat? Tot dolores, probra, & cruciamenta Chriſtus non timuit, quia ſpontanca voluntas timoris cauſas excuſſit? O arcanum ſpontanei voti Sacramentum! Hæc Hilarij expoſitio ad mores tempeſtiua apparet; ſed & S. Petrus Chryſologus eloquenter ad rem opportunus, exponens illud Iſaiæ cap. 53. verſ. 7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet*: ita in ſerm. 23. ſcribit: *Tacet, qui volens patitur; clamat, qui laniatur inuitus. Nec poteſt de morte queri, qui mortem dignatus, non coactus aſſumit.*

Verſ. 10. §. 34 Quare Agar non reſpondit ſtatim Angelo: *Tu Deus, qui vidiſti me?* Et vt dubium intelligas nota quòd, Tria impræſentiarum fecit Angelus. Primò: imponit præceptum Agar. *Reuertere ad Dominam tuam*. Secundò dat conſilium. *Humiliare ſub manu illius*. Tertiò. Promittit numeroſam progeniem. *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum*. Et tamen Agar non vocat Angelum Deum, nec quando dat mandatum, vel conſilium, ſed tandem tertiò, cum multitudinem filiorum pollicetur, vt notauit Rabbanus: *Angelus, & in forma hominis loquebatur ancillæ, poſtmodum etiam Deus dictus eſt*. Cùm promittit copioſam prolem, tunc Angelum vocat Deum; hoc enim, quod eſt dare, ac promittere, maximè animos conciliat, oculoſque aperit ad recognoſcendam magnitudinem, ac celſitudinem alterius. *Tu Deus qui vidiſti me.*

Benefactor, vt Deus, agnoſcitur.

Verſ. 10. §. 35 Quare Agarem Ancillam, Dominæ iniuriam ſuæ, nedum reuocat fugitiuam, ſed vt protinus reuertatur, indubia pollicitatione prolificæ fæcunditatis clementer allicit, dubio procul futuræ; *Multiplicans multiplicabo ſemen tuum? Vide*, inquit Oleaſter, *quo pacto Sancti, Dei cura ſint, vt etiam fugitiuos eorum Seruos, ipſe requirat, & reſtituere curet*. Vt enim iuſto Abramo Patriarchæ faueret, reuerſio ancillæ iſtius facta eſt; & qui omnium Deus eſt, ſingularem ſe Deum cuſtodem aperit iuſtorum, qualem ſe Deum vnius Sanctiſſimi dictitauit Abrami; ad quem ſequenti cap. verſ. 1. *Ego Dominus omnipotens*, Septuaginta, *Ego ſum Deus tuus*; Tuus, inquit, cùm omnium ſit Deus, quo additamento, miram bonitatem, & amorem ſuum, curam, ſollicitudinem, cuſtodiam, *erga iuſtum declarauit* (habet S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 39. in Geneſim) *Num, qui totius mundi eſt Deus & vniuerſi opifex, creator cæli, & terræ, dicit, Ego ſum Deus tuus. Ingens profectò honor, qui iuſto tribuitur*. Cur Sodomam deleturus de cœlo vindex, ad Lot Angelos expediuit, qui de futura ciuitatis conflagratione commonerent, *Delebimus locum iſtum*, Infra cap. 19. verſ. 13. An vt eo intercedente parceret ſceleratis? An vt iuſtum illum, ne cum impijs feriretur, ſegregaret? *In flagitiorum exceſſu, non parcit Deus propter bonos, ſed iuſtum ſegregat, ne pereat cum impio*; enodat Cat. Græc. ibid. Cur nedum admonet, ſed & compellit, vrget, vt ſuæ conſulat ſaluationi: *Feſtina, & ſaluare ibi?* ibid. verſ. 22. *Quia curam ego tuæ ſalutis expectabo, donec illuc abeas*, loquentem inducit Chryſoſtomus vbi ſupra, cauſam referens, quare non acquieuerit Lothi precibus, vt in Segor ſaluaretur. Cur (Gen. cap. 20. verſ. 6.) fidum ſe adeò Abimelechi præbuit, ne Saram agnoſceret, cuſtodem; *Cuſtodiui te, ne in me peccares?* An quia innocens, & rectæ fuerit intentionis, penitùs ignorans, quòd Sara fuiſſet vxorata; an verò, vt Sanctorum diuerteret offenſam coniugatorum? Hoc dixit, & ſenſit Thomas Anglicanus: *Si cuſtoditus à Deo, hoc fuit propter charitatem Dei ad Abrem, & Sarem*. Si porrò iuſtus fuit Abimelech, Deo ipſo teſtante; ſcio, quòd in ſimplicitate cordis feceris; cur in eum animaduertit, quaſi peccatorem? Quid Oleaſter? *Arguit Dominus*, inquit, *opera, non peccaminu contrà iuſtos facta, vt nemo contrà eos audeat re vera peccare: qui enim ita arguit quæ peccata non ſunt; qualiter arguet, & puniet, quæ ſunt re ipſa peccata?* Cur ad centeſimum, & quintum ſupra ſeptuageſimum annum cuſtodiuit Abramum Deus, in humanis; *fuerunt dies Abram* 175. *anni* infrà cap. 25. verſ. 8. tot ætatis illius, doloribus & ærumnis macerandæ? *Solet Dominus Deus, iuſtis vitam prolongare, vt ſemper iuſtiores fiunt*; & eorum merita, vberem ad gloriam conglobentur; *hinc promiſſio illa legalis apud Ezechielem* (cap. 20 verſ. 13.) *quæ faciens homo viuet in eis*, reſponderet Andr. Nicol. Cur Abramo defuncto, *benedixit Deus Iſaaco filio ſuo*. Infrà cap. 25. verſ. 20. *Quia admirabilis eſt Dei bonitas erga iuſtos*, occurrit Oleaſter, *vt non ſolùm illorum, dum viuunt, curam gerere videatur, ſed filiorum, & nepotum, vt verificetur illud; & faciens miſericordiam in millibus, his qui diligunt me.*

Poſteritatis iuſtorum Deus curam habet.

§. 36 Qua-

§.36. Quare Agari dictum fuit multiplicans multiplicabo semen tuum? Vt malè videlicet multiplicentur, & Ismaelis lasciuia, prole idololatra, & ingrata puniatur, quæ despumans confusiones suas filios generauit turpitudinis exerementum. *Omnis quippè voluptas, quæ non in Deo suscipitur, voluptatis excrementum est*, dixit S. Gregorius Nazianzenus orat. 38. Cùm is fuisset Ismael, & filij eius cum eo, miror, quòd ab Agare Ancilla, & vilissima fœmina cùm deriuentur non Agareni tamen, de materno nomine, sed Saracæni dictitentur. Quid enim cum Ismaele, ac filijs eius commune habet ingenua Sara, vt de famoso illius nomine appellitari præsumant, nisi quòd sub vno, eodemque tecto, æquè illa Domina, & Agar ancilla degerunt? Hocinè tanti æstimandum, vt ideò Ismaelitæ propriam agnationem dediscentes, de Saraceno nomine glorientur.? Quia impij Agareni, quid nisi de superba, & magnifica, & quidem nobilitate non sua sibi fuerat iactitandum? *Vsurpauerunt sibi falsum nomen à Sara, tanquam à liberiori, & digniori*. Obseruat Lyranus. Si probi fuissent; si auita parentis optimi Abraæ sectati exempla fuissent, modestiam vtique altis animis ebibissent, deque infimo, ac humili ancillæ nomine orbi studuissent innotescere vniuerso; non de vsurpatæ nobilitatis titulo, inani fastu clarescere. Certè (inquit Lyppomanus) *Ismaelis filij fuerunt populi magni, & nobiles, quorum cum Israele cognatio amicitiam fouere debuerat, & eiusdem parentes, fidem, & operam certatim sectari, pariter æquum erat amborum sobolem*, ac si subtexcret; *& tamen sectati non sunt*; & ideò, nec Saracæni, nec Abramitidæ filij genus appellari, diciue poterant, se Saracænos dixere, quia impij fuerunt, & à vera nobilitate, quæ in virtute sita est, adultero effectu degenerauere.

Voluptas quæ ex Deo non est, libidinis excrementum est.

Cur Ismaelitæ pessimi, Saracæni, nò Agareni dictitantur?

Verf..10. §.37 Quare præterito Abramo, vni Agari fit promissio de ampliando eius semine per Ismaelem: verùm de ampliando semine Saræ per Isaac, non Saræ, sed Abramo fit promissio? In semine, & generatione Abrami ex Agare homines orituri erant sceleratissimi, fæmineis muliebribusque vitijs innutriti, & meritò in illis quidquid virile erat prætermittitur, vnaque eorum mater ad promissionem adsciscitur. At in semine Abrami ex Sara oriturus erat Christus Dominus magister omnis puritatis, & virtutis, ideò in eo fæminea pars præteritur, solus vocatur vir ad promissionem; nunquam enim non officit fœminea leuitas Christianis virtutibus Luc. cap. 2. vers. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis eius secundùm legem Moysi tulerunt illud in Ierusalem, vt sisterent eum Domino* (Vers. 23.) *Sicut Scriptum est in lege Domini: Quia omne masculum adaperiens vuluam sanctam Domino vocabitur*. Itaque omne masculum petitur ex lege, vt sanctum Domino habeatur. Et cuius partus erit omne masculinum? Quis masculus sic prodire poterit ex visceribus matris, in quo nihil resplendeat fœmineæ leuitatis? Crediderim vuum in præsenti lege Christum spectari, qui solus adeò perfectè masculus est, vt prorsùs excludat fæmineas leuitates, vt sibi maximè contrarias, & repugnantes. Ait S. Nissenus allatus à D. Thoma in Cat. *Solus autem hic partus masculinus spiritualiter esse conspicitur, qui nihil de fæmineitate culpæ portauit. Vndè reuera Sanctus vocatus est: Vnde & Gabriel quasi hoc decretum ad ipsum solum pertinere memorans dicebat: Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur filius Dei*. Vt Sanctus, & esse, & vocari debebat Iesus Dominus, sic cauit aliquid fęmineum in sua generatione explicari. Is enim erat stator virtutum Christianarum, qui prorsùs ostendendus erat remotus à fęmineis leuitatibus, vt sibi contrarijs.

Promissio Ismaelis fit Agar, Isaaci, Abrahæ, & cur?

§.38 Quare dicitur ab Angelo Agari eò quòd *audierit Dominus afflictionem tuam*? Quomodo exaudiuit Dominus hanc ancillam, quę nullum edidisse clamorem perhibetur? Rem soluit Lyppomanus dicens: *Solatur Angelus emendatam, & obruit promissionibus tantoperè afflictam; audierat enim Dominus afflictionem illius*. Nam mutè linguata est afflictio, quę melliflua Dominum suasione interpellat, & flectit; quippè qui, *propter miseriam inopum, & gemitùs pauperum* protinùs exurgit Psal. 11. vers. 6. *Et curam gerit eorum, qui afficiuntur contumelijs, quia maxima defensionis loco est calamitas, & mala pati*, tradit S. Ioannes Chrysostomus ibidem, & paulò post: *Timete* (inquit) *quicunque pauperes iniuria afficitis. Habetis vos potentiam, opes, & pecuniam, & iudicum beneuolentiam; sed habent illi arma omnium validissima, luctus & eiulatus, & illud ipsum iniuria affici, qui cælis auxilium attrahant*. Ita enim Siracides Eccles. 21. vers. 6. *Deprecatio pauperis*, Vers. 10.

Pauperum eiulatus, & iniuriæ sunt pro armis, opibus, & potentia diuitum opprimentium.

Preuenit Deus clamorem pauperis.

ex

Digitized by Google

ex ore vsque ad aures eius perueniet, & iudicium festinatò adueniet illi. Non enim ait Cornelius à Lapide ibid. *Expectat Deus pauperem oppressum, ad se clamantem, vt audiat, sed clamorem eius praeuenit.* Ni enim praeueniret afflictum, ore mutè linguato deprecantem, non prohibuisset David Abisai, ne sibi maledicentem Semei prohiberet: *dimitte eum, vt maledicat.* 1. Regum cap. 16. vers. 12. *Si fortè*, subtexens, *respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna*: quia videlicet, ait S. Ambrosius ibid. *expectabat maledici sibi*, quia maledictio illa, diuinam exquirebat benedictionem, & quidem ab eo, qui propter miseriam inopum, & gemitus pauperum exurgere nouit, quique *audacter, & liberè agere didicit in hac re*, vt vertit, S. R. E. Cardinalis Bellarminus ad psal. 11. vers. 6. ab eo, qui per noctes se quaerenti dilectae, sui copiam facere recusauit: *quaesiui illum, & non inueni*, seu eum Arabica Lectione *Vocaui eum, & non obediuit mihi*. Cantic. cap. 5. vers. 7. fecit autem, cùm inuentam, plagis plurimis affecerunt, vigilias, & custodias ciuitatis agentes: *Paululùm cùm pertransissem, inueni quem diligit anima mea*, ab eo, qui vidit *afflictionem populi sui, & clamorem eius audiuit.* Exod. cap. 3. vers. 7. *Nam afflictio tàm crudelis seruitutis vires praebuit clamori, ad perueniendum ad aures Dei*. Interprete ibid. Caietano qui patientiam cum feruida supplicatione copulanti praestò adest: *Qui gladio occiderit, oportet & eum gladio occidi; hic est fides, & patientia sanctorum* (Ex Arabico *hic est orationes, & patientia Sanctorum*) Apocalypsis cap. 13. vers. 10. *Neque enim Deus, vlla re perindè, atque corporis aerumna conciliatur*: Ex Nazianzeno orat. 18. qui Ezechiel. cap. 18. *Si conuersus*, inquit, *ad Dominum ingemueris, tunc saluus eris*: vbi orat. 17. Egregius Doctor: *Videte quemadmodum salus cum gemitu coniuncta sit, & adhuc te loquente dicit, Ecce adsum, & loquetur animae suae, salus tua sum, nihil petitionem, & rei obtentae petitionem intercedit.* Vide igitur quid oratio praestet homini in tribulatione, & afflictione constituto. Audi. Cudantur in igne tribulationis precum tuarum iacula, & fallar, ni caelum feriant, & saucient cor diuinum.

Cur David prohibuit Abisai ne maledicentem sibi Semei deleret?

Quasi obedit Deus homini in afflictione constituto.

Afflictio dat vires orationi.

Praestò est Deus oranti cum afflictione.

Vers. 11. §. 39. Quare Ismaelis nomen praedictum fuit a Deo, & illud Samuelis, sic à Numine dilecti, minimè praedicitur? Responderi optimè potest ex Caietano ibid. *Vt de diuina gratia gratis data nullus glorietur, nullus laudetur, nullus certò speretur bonus.* Itaque ex quinque viris, quorum nomina ante illorum ortum (vti iam adnotauimus) in scriptura praedicuntur: Christo Domino Lucae cap. 1. vers. 31. Ioanne Baptista Lucae cap. 1. vers. 13. Salomone (vel Iosia vt nonnulli relicto ipso ponunt. Tertio Regum cap. 13. vers. 2.) Isaac Gen. cap. 17. infrà vers. 19. & Ismael: omnium primus singulari priuilegio fuit ipse de cuius tamen sanctitate, & saluatione nihil scitur, vt citato loco obseruat Caietanus, ne quis sui nominis claritate, aut antiquitate inaniter intumescat. Non multum igitur ad Samuelis dignitatem pertinebat, quòd eius nomen à Deo praediceretur; cùm haec sit gratia gratis data, quae aliquando etiam malis, aut certe de quibus dubitatur, an sint boni, conferatur.

De gratia Diuina gratis data nulli gloriandum.

Vers. 11. §. 40 Quare Angelus non Abramum meminit in hac multiplicatione seminis, sed solam Agarem? Rationem indigitant illa verba sequentia: *Hic erit ferus homo*, siuè vt alij *Hic erit Onager*. Quibus notatur Ismael quòd fuerit alienus ab omni humana conuersatione: Homo planè solitarius, & Syluestris ab alijs hominibus remotus. Dicturus ergo Angelus de Ismaele adeò solitario, & hominibus exoso, Agaris meminit, non Abrami, in cuius benedicto semine continebatur Christus hominibus familiaris, & gratiosus. Quid magis alienum à Dei spiritu, quam quòd hominibus sis prorsùs exosus? Quid magis Deo affine, quàm quòd familiaris, & sociabilis sis suo homini?

A Dei spiritu venit, quòd socialis sis hominibus.

Vers. 11. §. 41 Quare Ismael, nomen cùm habuerit primus ab Angelo, nescitur tamen, bonus ne, an malus fuerit? Sic inquit Caietanus: *Ipse* Ismael, *primus inter homines sortitur nomen à Deo: & cum hac tàm noua gratia, nescitur bonus, ne an malus fuerit.* Dicerem vt homines discerent virtuti studere, non superbiae nominis incumbere. O' vide dubias, & incertas hominum nomenclaturas! Magnum nomen re nominis vacuum, ignominiam aedificat, & praelustre saepe vocabulum est titulus hominis sine homine. Virtutis nomen virtutem non excudit, sed malitiam subinde exprimit, de superbiloquentiae ambitione imprimens vitij characterem. O quoties in sancto etiam nomine medullitùs latens peregrinatur

Ismael primus a Deo nomen accepit, & nescitur an bonus fuerit.

ma-

Digitized by Google

malitia. Saltem Ismael nominis hypocrisi non iactauit impudenter malitiam, quod Saraceni eius posteri effronti audacter temeritate fecerunt. Tertullianus sollicitiùs præcauens ne hæretici Gnostici, dogmatum, & morum venenum in Catholicos eructarent, Scorpiacon aduersùs eos scripsit; quò pestilentis Bestiolæ hæreticus timeatur morsus. *Cæterum* (inquit aduersùs Gnost. cap. 1.) *Si scorpiùs plegum sauciauerit, intimat virus, & properat ad viscera, statim omnes pristini sensus retorpescunt, sanguis animi gelascit, carne spiritus exolescit* (attende ad verba, quæ subdit) *nausea nominis inaccrescit. Tum & ipsa mens sibi quò vomat quærit, vt quæ ita semel infirmitate quoque percussa sauciatam fidem vel in hæresim, vel in sæculume xpuunt.* Pensiculatè dixit. Nausea nominis (christiani inquam) inaccrescit, qua Christianum nomen, vel in hæresim, vel in sæculum euomat. O'time boni nominis nauseam!

Boni nominis nausea inacrescit quia illud euomitur.

Vers. 11. §. 42. Quare Angelus Agari dixit eccè concepisti, & paries filium? Et quid necessum fuit illam de conceptu monere, quando ipsa se concepisse videns affectauit immodicè superbire? *Concepisse se videns despexit dominam suam.* Ergo si sciuerat se concepisse, superfluum erat fætum indicare. Rabbini dicunt passam fuisse abortum; sed cùm Deus illam alloqui dignatus est suæ præsentiæ luce mortis tenebras vel in matris vtero sic depulisse, vt qui morti genitus videbatur, iam vitæ felicissimè nasceretur, ideoque ipsam exclamasse: Tu Deus, qui vidisti me: quasi dicat: Tu Deus, qui fætum exsuscitasti, & contrà naturæ leges in materno vtero vitæ restituisti: ac si Synonyma sint, & suam præsentiam ostendere, & naturæ leges honesta violentia infringere. *Dicunt Hebræi*, (scribit Abulensis inibi) *quòd Agar passa fuerat abortum in deserto in pœnam datam ab eo, quia dominam contempserat, & ex labore itineris magnus motus in vtero factus fuerat; sed Deus viuificauit in vtero fætum extinctum, & ista viuificatio vocatur conceptio de nouo.* Naturæ iura vtiliter euertuntur, quia gratiæ priuilegia donantur: de diuino conspectu puer auxit; quod de materna inobedientia deperdidit, & quem matris tumor extinxit, diuini Numinis conspectus viuificauit: esset namque indecorum potentiæ, si plus valeret matris inobedientia ad puerum tradendum morti, quàm Numinis oculus, vt reddiderit lumini.

Quando Deus videt, mors fugere dicitur.

§. 43. Quare ferus Ismael si homo; & si humanus quomodò ferus? Transmigrauit ne in brutum humana natura? Probat Angelus metamorphoses antiquorum deliria? Angelus non probat deliria: sed his verbis, *Hic erit ferus homo*, magna nobis præbet documenta: Filius ille matri traditur, à paternaque domo expulsus sub eius disciplina degit: Quid ergo mirum, si mulier appetitus carnalis emblema, præsumptuosa, & suæ prorsùs conditionis ignara filium adeò agrestem nutriuerit, vt non imitetur hominem, sed referat feram? Matris mores eiusmodi fuisse testatur Apostolus, dum Ismaelem natum vocat secundùm carnem, & Sara innuit, dum expulsionem procurat: *Eijce ancillam hanc*, inquit Lippomanus: *Quasi dicat: ancilla hæc cum suo filio immemor suæ conditionis irridet filium meum, & me, quasi hæreditatem suam sibi vendicare meditetur. Non hoc mihi promisit Dominus: eijce potiùs eam superbam, & præsumptuosam* cum filio irrisore non tuo, sed illius. En filius materna indulgentia nutritus, & incuriosè satis adultus: Quid ergo mirum, si non sit homo; sed ferus? Sub matris namque non cordatæ disciplina, pignora degenerare solent in monstra. Aiebat Ieremias cap. 12. vers. 13. *Seminauerunt triticum, & spinas messuerunt*: Et quidem triticum degenerare in lolium non infrequens; monstruosum tamen est coalescere in sentes, & duras pullulare in spinas: quomodò ergo triticum tribulorum horrores sibi potuit aptare, & in naturam aliam transire? Quia ea erat mater terra, vt ab ipsa natura desciscerent segetes, nec iam solummodo adulterarent ingenium; sed in effectum transiret monstruosum: *Hæc propriè accipi, & figuratè possunt*, Scribit Sanctius, *propriè quidem, quia reuera propter aquarum inopiam ex copiosa semente nihil præter spinas retulerunt Iudæi: Et hoc ipsum apertè docet Ieremias cap. 13. in quo de siccitate, sterilitateque religionis Israeliticæ satis multa.* Erat telluris matris sterilitas, adeò à benignis cæli remota aspectibus, vt in eius gremio aristæ monstruosè degenerarint in sentes, omnes lacerantes, omnes mordentes, & tribulorum ad instar omnes dispoliantes. Natura, si terra cæli foueretur influxibus, promiserat triticum; sed mater prodire fecit rubetum. O' quàm in aliquibus fęminis inconcinni mores!

Vers. 12.

Matris mores filij sequuntur.

Sub matres non cordatæ disciplina filij in monstra degenerare solent.

ò quàm

ò quàm deponunt muliebrem pudicitiam, & in militarem transeunt audaciam! Peruersitatis videas portentum, in molli scilicet corpore atrocem animum, & militare, ferumque ingenium: de materno telluris ingenio triticum horridos mutatur in sentes, & contrà ipsam naturam, quique aspicientibus stuporem faciant, ebibit mores. Et quid producat terra nec imbribus cæli irrigata, nec benignis syderum radijs fota. Quid mirum triticum peruersa metamorphosi horridas degeneret in spinas, si tellus solùm amplectitur feras? A procace matre, à garrula, ab immodesta discunt sæpè filiæ limites transilire modestiæ, & inuerecundæ viuere infamiæ.

Vers. 11. §. 44 Quare Angelus Agari persuadens vt redeat dicit: *Ecce concepisti*? Quasi id ignoraret Agar, *quæ concepisse se videns*, elatione arroganti tumens, causam dedit fugiendi. Scilicet ipse conceptus, qui fugæ occasionem dedit, reditum persuadeat. Parùm foret Angelum persuadere Agari reditum, nisi ipsamet occasione fugiendi, illum persuasisset: quæ arcana gratiæ officiositas est, dum illa ipsa ratio, quæ ad malum instigauit, ab illo nos reuocat.

Ratio, quæ ad fugam incitat, reditum persuadet.

Vel aliter. *Ecce concepisti*. Scilicet Angelus conceptionis memoriam refricat, vt prioris beneficij recordatio habeatur pignus vlterioris beneficentiæ; nam beneficij accepti memoria, plurium exinceps accipiendorum fæcunda est; & vsuraria recordatione vlteriores sibi gratias spondet. Quasi dicat Angelus; *Ecce* ex magno Patriarcha *Concepisti*, Dei quidem munere: nouum munus ampliora parturiet munera: ecce paries, & sanè filium masculum: cuius semen sic multiplicabitur, vt præ multitudine numerari non possit. Plus ego Ismaeli filio tribuam, quàm parentes habent in votis: conceptum semel dedisse, vlteriorum munerum obses est. Peregregiè aliorsùm Cassiodorus lib. 1. var. epist. 36. *Prosit ergo generi, quod potuit vnius deuotioni præstari. Quia maiora decet tribuere, quàm videamur à seruientibus accepisse. Hic æqualitas æquitas non est: sed pars nostra iustissimè pensat, cùm reddendo plus fuerit onerata*. O nobile beneficentiæ onus! Conceptum è tanto Patriarcha accepisti, paries, & quidem filium, Ismaelem inquam, cui primum è cœlo nomen: qui erit amplissimè Ismaelitarum familiæ nobilis Patriarcha. *Ecce concepisti, & paries filium*; &c. *Prosit ergo generi, quod potuit vnius deuotioni præstari. Hic pars nostra iustissimè pensat, cùm reddendo plus fuerit onerata*.

Dei largitas reddendo beneficia, plus est onerata.

§. 45 Quare exerranti Ancillæ in deserto Angelus dicit de eius filio Ismaele. *Hic erit ferus homo: manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum?* Quæ Angeli præfata verba Chaldaica paraphrasis ita exponit: *Manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum*, idest, *ipse indigebit omnibus, & etiam omnes filij hominum indigebunt eo*. Idem ne est, *Manus eius contrà omnes, ac ipse indigebit omnibus?* Eget ne homo homine quem offendit, diripit, persequitur? Pulchra sanè aliorsùm eruditio! Quasi dicat: cùm hominem hostiliter persequi intentas, animitùs considera te persequi eum, quo forsan citò indigebis, & è cuius auxiliari ope dependes: & ferox indè propositum mitigabitur, & persecutio intentata vertetur in blandimentum: cogeris enim adulari, quem persequi exoptas, & duro aduersario blandè obsequi. Sic age cum inimico, ac si tota res tua ab illius arbitrio, & gratia iam dependeret: O si cùm Ismael extendere parat manus contrà omnes, attentè considararet in consultiori mentis recessu, quòd ipse indigebit omnibus, quos tùnc non veretur hostiliter prouocare! Vers. 12.

Iniurioso offensore indiget Christiana virtus.

Vel aliter: *Manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà eum*, idest, *Ipse indigebit omnibus*, quos tanquam inimicos patitur. Indigebit quidem ad magnanimæ virtutis exercitium: (nam *Miserrima est fortuna, quæ inimico caret*, ait Publ. Mim. apud Senecam) indigebit, vt de persecutionis emolumento, æternis seculis se intelligat consecrari; Indigebit, ne desint quos virtute vincat, qui victoriæ militent, quibus ignoscendò triumphet. Exindè Stephanus velut peruerso gratus officio, *pro inimicis sub ipso tempore consummatæ persecutionis grauis, beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit: nec mirum, si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam regni cælestis aperiri, per quos se æternis sæculis intelligit consecrari*. Sic Eusebius homil. de S. Stephano. Ad id Christiana virtus inimicis indiget.

Miserrima est fortuna, quæ caret inimico.

Vers. 12. §. 46 Quare Ismael progenies nominatur fera, agrestis, furax, barbarica, & pugnax, quæ nec cum fratribus suis pacis fœdera init? An à magno patriarcha Abramo, Abramitides nominantur? Illustre foret gentis decus à

Saraceni quia nouercari cupiunt, nouercæ Saræ nomen impudenter gestant.

Dd tanto

tanto Patriarcha originem ducere, & nobilissimo tanti Herois insigniri vocabulo. Ab Ismaele eius populi Principe, forsan Ismaelitæ dicuntur? An à Matre Agar, Agareni nominantur? Glossa Græca apud Cathenam Lyppomani, ad verba cap. 25. infra vers. 16. nempè: *Isti sunt filij Ismaelis, & hæc nomina, &c. duodecim Principes tribuum suarum*; ita habet: *Ismaelitæ ijdem qui, Agareni ab Agar, & Saraceni à Sara.* Quid tàm alienum ab Ismaelitarum genere, quàm Sara, à qua nullatenùs originem trahunt? Magnum Abrami nomen negligunt, à quo progeniti sunt; & à Sara, qua cum nulla sunt consanguineitate coniuncti, nuncupationem affectant? Imò & alto silentio, & clam tegere, & palàm Saræ nomen auertere debuissent; ne præpotens iam populus peramplo illustris imperio, Agaranæ retrò seruitutis ad Saram dominam refricarent; & silendas Agaris matris à Sara domina vexationes in memoriam adducerent. Ismaelitæ, Saraceni à Sara dicuntur. Scilicet Ismael, Agari filius, & Saræ priuignus, à nouerca Sara nomen trahit, tametsi ancillæ, & vexatæ matris memoriam refricet, vt non mitissimi Patriarchæ, aut charæ matris; sed nouercæ nomen, odiorum, & simultatum, & vexationum plenum, genti inscriptum præferat, quòd truculenti Ismaelitarum populi; non pium Patriarchæ vocabulum, & pacatam Matris nomenclaturam, sed inuisam odiosamque nouercæ nuncupationem ostentent, ad ferociæ, & immanitatis publicationem. Saraceni à Sara; quia gens effera, pugnax, truculenta, Patriarchalem refutat nominationem, & nouercale nomen affectat, quod sit morum prognosticon, pugnacitatis indicium, indolis Character, & euulgata furoris licentia. Agrestis, & barbara gens, cuius manus contrà omnes; dum nouercari palàm cupit, idest, malignè, & inimiciter aduersùs cunctos agere; blanda repudiat vocabula, nequid non durum, pugnax, asperum, malignum, truculentum, in nomine præferat. Descriptum gestant in nomine, quod in moribus quisque leget. Ingenij tesseram in nuncupatione ferunt; nec pudet dici, quod esse non pudet. *Sæpè tamen* (inquit Ennodius dictione 14.) *sub hoc nouercæ vocabulo mater accedit, eò cautior circa germen alienum, quò sollicitiùs nomen tragicum vult vincere.* Audis, nouercæ vocabulum, nomen Tragicum dici? Tragicos ostentare mores Agareni exoptant de nominis tragica atrocitate. Qui etiam mitiori vocabulo, Ismaelitæ dicuntur; nam vt ethicè obseruauit Anselmus Laudunensis ad illa verba Abramo dicta sequenti capit. vers. 5. *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham* (Anselmum legis) *Mutato affectu mutatur nomen.* Quasi nomen sit non tàm rei, quàm affectionis appendix, & affectuum consequentia.

Nouercæ vocabulum est nomen tragicum.

Cum Affectu mutatur nomen.

§. 47. Quare scriptum est de Ismaele manus eius contrà omnes, & manus omnium contrà ipsum? An de Agarenis ibi præcipuè est sermo, qui nunc Arabes dicuntur, habitantes recta linea protracti post terram, patribus, & semini legitimo Abraæ promissam? Contrà hos enim semper pugnauerunt, & hactenus pugnant habitatores regionis illius, & ipsi contrà eos: Quæ familia Agarenorum, seù Saracenorum, adeò multiplicata, auctaque est, vt extensa sit per totam Africam, vsquè ad extremam Mauritaniam, & mare Atlanticum. Sed audi moralem explicationem; quia Ismael, idest homo animalis semper pugnat contrà spiritualem, & è conuersò; iuxtà illud Apostoli ad Galatas cap. 5. vers. 17. *Caro concupiscit aduersùs spiritum, Spiritus autem aduersùs carnem: Hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Vers. 12.

Homo animalis semper contrà spiritum pugnat.

§. 48 Quare quem nuper Angelum Moyses nominauit, Agar nunc quasi Deum agnoscit? Quid in eo nunc vidit, aut experta est, vt in nuper Angelo, Dei numen denuò recognoscat? Rabanus Maurus id ascribit misericordiæ, quam erga illam benigniùs exhibuit: *Rectè autem*, inquit, *nomen eius ita vocatur.* (Deus inquam) *quia gratuitus consulit miseris.* Addit ad rem tempestiuè Caietanus: *Rationem reddit Moyses qua Agar cognouit illum qui locutus cum ea fuerat, esse Deum, reddit autem rationem ex verbis Agar subiunctis: Profectò hic vidi posteriora videntis me.* Scilicet qui sic est beneficus, vt gratuitus consulens miseris faciem abscondat, & dumtaxat sui vestigia cognoscenda relinquat; (*Vidi*, inquit, *posteriora*) non iam, vt hactenùs putatur Angelus, sed Deus agnoscitur, Deus nominatur, & tanquam Deus colitur. Sic enim est magnificè augustum, non modò gratuitum, sed inuisum miseris succurrere, vt Agar Deum appellet, (& quidem nomine tetragrammato) quem absconsè beneficum exper- Vers. 13.

Nam qui inuisus benefacit, diuinitatis indicio præfert.

experta est, quasi beneficentiæ modestior absconsio, sit Dei character, & quoddam diuinitatis notaculum humanis mentibus Dei notionem ingerẽs.

Vers. 13. §. 49 Quare Agar Deum vocauit, quẽ Angelum cognouit, quomodo Dominum, quem seruum Domini nõ ignorauit? Acutè respondit Caietanus: *Aduertè prudens Lector, quod quem hactenùs Moyses appellauit Angelum Domini, modò appellat Dominum, ipso numine quatuor literarum, incommunicabili, qui hactenus de ipso nuntio, modò de ipso Deo, cuius personam nuntius agebat loquitur, coactus transferre sermonem, de nuntio in Deum, ab intelligentia, & deuotione Agar, non erga Angelum, sed Deum.* Verum est Agar cognouisse Angelum esse Dei qui loquebatur ad eam, sed non ignorauit legatum fuisse ipsius Dei, & nuntium in opportunitate à Deo sibi missum, & ideò indicauit piè, verè, & religiosè, vocandum esse Deum, qui legatione fungebatur Dei, non ob deuotionem erga Angelũm, sed ob pietatem, & religionem erga Deum, hinc fit, Sacerdotes, qui legati sunt Dei, sicuti nomine Dei nominandi sunt, sic etiam Dei religione, & veneratione tractandi quicumque illi sunt ob solam legantis dignitatem, & diuinam authoritatem.

Sacerdotes Dei Legati, & quid inde.

Vers. 13. §. 50 Quare dixit Agar tu Deus qui vidisti me? Quia sibi indigenti in solitudine subuenit; etsi terga solùm viderit, Deum secum fuisse allocutum agnouit. Filias Iethro iuxtà puteum viderant Pastores, dum adaquare cupiebant greges, sed vt auferrent aquam, non vt reuelarent miseriam: Exod. cap. 2. vers. 17. *Superuenere pastores, & eiecerunt eas.* At qui Agar vidit, eius est mœstitiam solatus. Ergo Agar Deum agnouit esse, vt quæ experientia nouerat, homines solùm videre, dum quid possunt ab habente tollere, non cùm opus est, quid indigenti præstare. Ergo repetat *Tu Deus, qui vidisti me*: nam si solùm esset homo, aut non videret, aut non vidisse affectaret. *Rectè nomen eius vocauit* (inquit Glossa) *quia gratuitò, consulit miseris, & humiles consolatur.* Gratuitò subuenire miseris, afflictos solari, egentes ad impendendam misericordiam videre, tàm ab homine alienum, quàm Deo est proprium. Ergo opus non fuit Agar faciem adspicere, vt Deum deprædicaret, quia ipsa actio non poterat non ostendere: *Tu es Deus qui vidisti me. Rectè nomen eius ita vocauit: quia gratuitò consulit miseris.* Nil misera ab ancilla expectare poterat, & tamen subueniebat: ergo etsi faciem tegeret se subueniendo gratuitò manifestauit, cùm homines spe sublata, & cæcutiant, & torpeant.

Pauperes ad subleuandum videre, tàm ab homine alienum, quàm Deo est proprium.

§. 51 Quare Agar hìc ab Angelo tot beneficijs subleuata, vt gratitudinem suam erga benefactorem declaret, nomen diuinitatis exertè profert: Tu Deus, qui vidisti me, & infrà cap. 21. vers. 16. quando ipse Angelus fontem gelidis vndis ebullientem demonstrauit (*Videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere:*) gratitudinis antiquæ testimonium non prodijt inclamans vt olim: *Tu Deus qui vidisti me?* Ecqua discriminis causa est? An quia antea sperabat promissa; hìc verò obtinuerat iam vota: plures namque gratos se exhibent; dum sperant; si tamen acceperint, iam de industria obliti, & de affectata obliuione inueniuntur ingrati. Ità profectò non semel; vindicemus tamen Agar ab hac ingratitudinis nota, & mysteria de eius silentio eruamus arcana. Vtrobique experitur beneficium; sed alibi post lamenta, *leuauit vocem suam*, inibi, *& fleuit*; alibi antequam promereret vota. Ergo ingenium priùs promulgauit diuinum; posteà arcanum coluit silentium: quasi post longas preces, lacrymasque prolixas fauere fuerit quodammodò debitum; at antè preces fauisse diuinitatis elogium: dum accepit post lacrymas, non adiecit: *Tu es Deus, qui vidisti me*: at cùm ad accipiendum excitatur beneficium, diuinam agnoscit naturam, generositatisque extollit gratiam: *Tu es Deus qui vidisti me*, inquit Lyranus, *Consolando, & viuificando fatum.* Aptiùs Glossa: *Rectè nomen eius ita vocauit: quia gratuitò consulit miseris; & humiles consolatur.* Vbi gratuitò consulit, Deus agnoscitur, vbi post longas preces, & anxias lacrymas, de diuinitate siletur: est namque humani ingenij preces importunissimas expectare, diuini vel ante vota præbere.

Vers. 13.

Plures gratos se exhibent dum sperant; si tamen acceperint, de affectata obliuione inueniuntur ingrati.

§. 52. Quare ex hebræa origine in verbo illud *Vocauit* nomen Domini, oratio exscribitur? Vbinam est hæc oratio? Quid precatur? Attentiùs perscrutare verba sacri textus, & vix reperies, nec vix quidem. Mariana sic locum profundissimè expedit: *Vocauit nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Quidam*, inquit, (*inuocauit*) *& sic principium orationis erit. Tu Deus qui vidisti me.* Eccè tibi inuocare, Vers. 13.

Dei appellatio, & Dei oculi vocantur oratio.

seu vocare nomen Domini, oratio dicitur, ac si vel Deum ore nominare, species sit orationis. Præterea aduerte, quòd Agaris oratio est, tu Deus qui vidisti me? O' hucusque inuisam, & inauditam orationem! Sic nè desipit eruditus interpres? Oculi Dei, seu diuina perspicacia dicitur oratio nostra? Profectò munifica Dei perspicacia, seu benefici Dei oculi oratio nostra non sunt, nec esse possunt: oratio enim est res negotiationis humanæ, non attributum perfectionis diuinæ. Verùm vsquè adeò Deus noster cupiens est orationis humanæ, sic sua beneficia parturire procurat, vt vel diuini nominis appellationem, vel suæ perspicaciæ oculos intuentes humanam miseriam, misericorditer orationem appellet, vt orationem reputet, & ac si foret oratio, potenter impetret. Insuper præscripta Agaris verba, sic exponit paraphrasis Chaldaica, cui ferè adsentiunt Interpretes: *Vocauit autem nomen domini*, idest, *orauit in nomine Domini, qui locutus est cum ea, dicens: Tu es Deus videns omnia*. Verùm si attentiùs considerentur hæc verba (vt supra diximus) nihil eis orat, nihil petit Agar: tantùm enim protestatur Dei oculis, diuinæ recordationis, prouidentiæ omnia patere. *Tu es Deus*, inquit, *videns omnia*. O'arcanum orationis genus! Dei oculi humanam spectantes miseriam, oratio, seù exoratio misericordiæ est; Dei beneuola recordatio, supplicatio est pro humana miseria? Ita quidem; nam Deum miseriam vidisse, exaudisse est, quasi Dei oculi miseriam exaudiant. O'surdos hominum oculos ad aspectatam aliorum miseriam! O'exprompte auritum Dei aspectum ad mutum humanæ miseriæ clamorem exaudiendum! *Orauit in nomine Domini dicens: Tu es Deus videns omnia*.

Dei aspectus velut humana supplicatio est, pro miseria, quam patimur.

Vers. 13. §. 53. Quare Angelus non faciem, sed tergum tantùm ancillæ ostendit in corpore à se assumpto? Vt significaret vltra in obsequentis Agaris meritum esse, faciem Angeli Deum repræsentãtis etiã in assumpto corpore clarè videre, ne beatitudinis instar perciperet, si Angeli faciem videret, & agnosceret. Cæterùm Caietanus inibi contrariè, puta negatiuè hæc verba explicat hoc modo, quasi dicat Agar: Vidine illum abeuntem, qui vidit me, seù apparuit mihi? Profectò non vidi. Vnde cognoui esse Angelum Domini. Nam quandiu colloquebatur mecum, videbam illum: mox ita disparuit, vt videre non potuerim, quem abeuntem, videre potuissem, si homo fuisset. Quasi Agar hìc à subita disparitione, non ab apparitione, & colloquio Angelum esse cognouerit. Verba Caietani longula sunt, & subobscura, subscribo clausulam: *Hoc statim euanescere à visu Agar, fuit ratio quòd Agar cognouerit illum esse Deum* (Dei Angelum inquam.) Res sanè admiratione, & expensione dignissima, nempè quòd Agar Angelum esse non cognouerit, neque ex faciali visu, neque ex familiari colloquio, neque ex magnificis promissionibus, sed ex disparitione, cùm statim *Euanuit*. Scilicet Agar ex disparitione, siue absentia, esse Angelum cognoscit. An quia Angelus, sicut & ipse Deus, per negationem sæpè meliùs à nobis cognoscitur? An quia præsens Angelus totam mentem, sensusque omnes sic obruit immensa suæ perfectionis magnitudine, vt illum agnoscere minimè eualeret? An quia largiùs beneficus propè ignoratur cum suis beneficijs, quousque cesset benefacere? Expromptum esto cuique alias atque alias causas ethicè excogitare, quibus mores instituat.

Agar non ex benefica præsentia, sed ex disparitione Angelum esse cognoscit.

Nec beneficium, nec beneficus agnoscitur, quousque dispareat, siue cesset.

§. 54 Quare hìc Agar posteriora Angeli se vidisse testatur, & infrà cap. 21. terga non videt, quamuis vers. 17. dicatur: *Vocauit Angelus Dei Agar de cœlo dicens: Quid agis Agar? noli timere?* O quanta hìc mysteria latent! Adsit lux cœlestis; vt aliqua eruere possimus. Inquiramus meliùs, si placet, Cur Angelus deserto degenti non faciem; sed terga ostenderit? Quia fortè solitudo, vbi degebat, hanc ad nostram eruditionem cautelam consuluit; totius Angelus periculi expers faciem abscondit, ne si mulier miram eius pulchritudinem spectasset, visu oblectaretur: Satis erat mulierem in solitudine degentem monere: ergo noluit Angelus faciem eius oculis objicere: quia cùm omnia ad nostram doctrinam, & eruditionem inseruiant, oportuit Dei ministrum ea circumspectione munus obire, vt quidquid ad munus non spectabat, vitarit. Opus erat consilio, non aspectu. Ergo Angelus celauit aspectum, tribuit consilium: *Videtur*, scribit Oleaster hìc ad Literam, *quòd Angelus noluerit ei faciem ostendere; sed cùm recederet, sibi posteriora ostendit, quemadmodum Dominus Moseeb, & ideò dicit se vidisse posteriora videntis se*. A muliere noluit Angelus spe-

Vers. 13.

Cur Angelus deserto degenti non faciem, sed terga Agari ostenderit!

ſpectari, præcipuè ſolitariè degenti, vt eximia eius circumſpectione erudiamur, intelligamuſque ſatis non eſſe proprio carere periculo; ſed occurrendum etiam alieno: poſteà cùm Angelus matri apparuit filio, vt volunt Patres, grandi non longè diſtante, nil de facie aut tergo reſcribitur; ſed vbi teſtis non adfuit, cautela nobis doctrinalis declaratur. Diſcamus ergo ab Angelis vtilem oris ſeueritatem, dum alloquimur fœminas, ne affabilis oris placiditas videntibus ſuſpicionem ingeneret, aut ipſi fœminæ aliquam occaſionem attulerit.

Verſ. 13. §. 55 Quare, & vnde Ægyptia ancilla ſic Deo acceſſit vt ipſum videret? Preſtò eſt Aureus Doctor ibidem dicens: *Vidiſti propter Patriarchæ honorem quanta ſint Ancillæ facta? Quidquid illi impenſum eſt, ad honorem Patriarchæ pertinet.* Igitur ex Abrami coniugio Agar meruit Deum videre. Equidem de mariti meritis, imò & de mariti iuſti mercede venit, quòd vxor ſit acceptabilis Deo, illiuſque fauoribus accedat. Sigibertus Rex Galliarum accepit ſibi puellam Brunichildem nomine in vxorem, de quo locutus Venantius Fortunatus ſic pulchrè fatur.

Maritus ſanctus vxorem Deo acquirit.

Reginam meritis Brunichildem Christus amore
Tunc ſibi coniunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota colis meliùs, quia munera Chriſti
Pectora iuncta priùs plus modò lege placent.
Rex pie Regina tanta de munere gaude,
Acquiſita bis eſt, quæ tibi nupta ſemel.

Quid pulchrius? Vbi Deus Regi pio ſponſam prouidit, & ſibi eamdem ſimul recepit, non potuit accedere ſponſa pio Regi, quin & Deo accederet. Felix mulier, quæ venit in domum ſancti mariti, eiſdem enim greſſibus in Dei fauorabilem amicitiam venit.

Verſ. 13. §. 56. Quare Agar (vt ex hebræo habetur) Deo nomen attribuit, quod à fortitudine deſumitur, dixit enim *Tu EL videns me?* Reſpondetur, quòd non otioſè fortiſſimum Deum agnoſcit, quando ſe ab illo confortatam ſentit, vt in domum Dominæ redeat, illicque perſeueret. Quanta hæc fortitudo Dei, qui perſeuerantiam in bono indidit mulieri? Ait doctiſſimus Caietanus in præſenti: *EL nomen Dei à fortitudine ſumptum eſt. Deum ſub ratione fortis venerata eſt Agar, eò quòd & ipſam roborauerat ad redeundum, & manendum Domi cum Sarai, & Abram.* Quòd fæmina cum ſanctis perſeueret in humilitate, & obedientia, id à ſola prouenit fortitudine Dei. Deus fortis ſit, qui fœminam faciat redire ad virtutem, & in ea cum ſanctis permanere.

Magna Dei fortitudo, quæ facit fæminam in virtute perſeuerare.

§. 57. Quare Agar dicit ſe vidiſſe videntem ſe? Quia non antea ipſa vidit, quàm viſa fuit; neceſſum eſt enim, vt priùs aſpiciamur à Deo, vt deinde poſſimus nos videre viam ſalutis. De prodigo illo filio, ait S. Lucas cap. 15. verſ. 20. *Cùm adhuc longè eſſet, vidit illum pater ſuus.* Non dicitur ille vidiſſe patrem, ſed magis ipſe à patre fuit viſus, vt ſic poſſet & videre, & currere in viam ſalutis. Ait Rauennas Eloquentia ſerm. 3. *Pater vidit illum, vt ille patrem poſſet attendere: Patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu........ Niſi ergo cæleſtis pater vidiſſet redeuntis filij in vultu, & totam confuſionis caliginem, reſpectus ſui lumine ſuſtuliſſet, nunquam diurni vultus vidiſſet iſte filius claritatem.* Tota felicitas huius prodigi in eo ſita fuit, quòd priùs ipſe à Patre videretur; vt primùm patris lumina ſuper illum ſunt poſita, ſtatim peccatorum tenebræ abiere, & ipſe ad bonam frugem ſe contulit. Similiter Matthæi cap. 9. verſ. 9. *Cùm tranſiret inde Ieſus, vidit hominem ſedentem in telonio Matthæum nomine. Et ait illi ſequere me.* Expende I. *vidit hominem.* Priùs enim vidit Deus hominem, vt indè homo facilè iret in rectam viam. Ait eleganter ibidem S. Chryſologus ſerm. 30. *Vidit hominem. Vidit plus oculis diuinis, quàm humanis. Vidit hominem, vt peccata hominis non videret; vidit opus ſuum, vt deſpiceret opera peccatoris; vidit illum Deus, vt ille videret Deum, vidit illum Chriſtus, vt ille peccati latebras ampliùs non videret.* Sanè vt ille Deum, & viam ad Deum videret, debuit priùs ipſe aſpici à Deo. De eò quòd priùs à Deo viſus fuit, diuinorumque luminum illuſtratus radijs apparuit, effugit peccatorum tenebras, & ad viam ſalutis ſe recepit.

Ille aſpicit ſibi ſalutaria, & diuina, qui priùs à Deo aſpicitur.

Verſ. 14. §. 58. Quare ſi ex SS. Patribus *Puteus* iſte *viuentis*, Baptiſmatis fontem, de cuius aquæ beneficio viuimus, ſignificat, ad quid *videntis* additur? Pertinet equidem ad puteum, ſeu fontem Saluatoris, quòd qui de illo perfectè guſtauerit, nihil in ſe celet Deo offenſiuum, ſed faciat, vt omnes ſuos errores, qui Angelus Dei eſt, Sacerdos videat. Hinc S. Hieronymus de vera circumciſione reddens rationem, quare in

De vena veræ pænitentiæ oritur nuda peccatorum confeſſio.

in Baptismate nudi aquis immergimur, inquit: *Omni in procinctu baptismatis indumento nudati, sola Sanctorum oculis confessione vestimur, nec ad speciem naturam nostram veste velamus; quia in Euangelio arbor folijs exuberans, cùm in ea fructus non fuisset repertus, exaruit.* Ecce tibi post Baptismum, quid nobis maneat ad salutem, si peccauerimus; nimirùm, sola confessio peccatorum nuda: sub hac confessione oculis Sanctorum sistimur. Quidquid ad operculum fuit, prorsùs excludendum est; nec recurrendum ad folia, vt peccatores primi, arbor enim plena folijs, & opaca illis, & vacua fructu nunquam non à Deo maledicitur. Apagè, ne peccator ad foliorum operculum recurrat, sed in nuditate confessionis persistat, vt sic in se ostendat fontem pænitentiæ, & viuidum, & salientem in vitam.

Vers. 14. §. 59 Quare Agar addidit *viuentis*, (*Puteum viuentis*) si tunc videntem experta erat? Certè vt innueret se ideò fugisse, quia aliquo modo sapiens patriam gentilem, quasi mortuum Deum reputabat. Iam, inquit, meliorem frugem inire studeo, quia Deum, & viuentem, & videntem agnosco. Existimo tot piacula sæculi, & Abraæ domus, idest, status sacri ex eo ortum ducere, quòd mortua fide peccatores velut mortuum Deum cogitarent. Si Deum viuere, & videre putares, quomodo in conspectu viuentis ad vindictam, & videntis auderes tot piacula perpetrare?

Tot piacula procedunt ex mortua hominum fide putantium Deum minimè viuentem, & videntem.

§. 60 Quare non memorat Moyses Agaris reditum, & qua facie ab hera fuerit excepta? Omnia enim dixit subobscurè, eùm Agarem expressit pænitentem. En quomodo Pænitentia peccatori præstat non peccasse. *Deus autem* (inquit S. Ioannes Chrysostomus tom. 5. homil. 3. de pænitentia) *Cùm deleuerit peccata sic delet, vt nec cicatrix, nec cicatricis superfit indicium: non vestigium quoddam; sed & cum sanitate decorem elargitur, post pœna liberationem, & iustitiam inserit, atque peccantem coæqualem facit non peccanti: extinguit enim peccatum, atque id non esse facit, nec fuisse, sic enim omninò tollit.* Hæc Aureus doctor satis quidem eloquenter, & verè, preme tamen illa verba quibus adnotat, pænitentiam non solum facere peccatum non esse, *sed nec fuisse*. Quòd impossibile videbatur fieri, hoc in honorem pœnitentiæ præstatur à Deo peccatori, non solum quòd peccatum eius non fit, sed nec fuerit quidem, dum sanitatem, & decorem elargitur pænitenti, imò in eo pænitentia aliquo modo præfertur innocentiæ, tùm in sanitate, tùm in decore, tùm etiam in fortitudine, quod in Samsone facilè demonstrat Sanct. Bachiar. Epist. de recept. lapsis. *Nonnè, ait, sic fecit Nazaræus Samson ex repromissione natus; quem cùm in perniciem sui, mulieris blandimenta vicissent, postmodum in fine obitus sui maiorem inimicorum suorum exercitum prostrauisse cognoscitur, quàm antea quando Nazaræus, idest immaculatus reperitur.* Nimirùm firmiorem per pænitentiam gratiam consecutus, quàm ante lapsum adhuc innocentiam retinens immaculatus possederat. Etenim & illustrior, & fortior à culpa, qui dignus habitus est pænitentia.

Per Pænitentiam non solum facit Deus, quòd peccatum non sit, sed nec fuerit.



C A-

CAPVT XVII.

GENESIS.

Verſ. 1.  Oſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cæperat, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coràm me, & eſto perfectus.
2. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.
3. Cecidit Abram pronus in faciem.
4. Dixitque ei Deus: Ego ſum, & ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium.
5. Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium conſtitui te.
6. Faciamque te creſcere vehementiſſimè, & ponam te in gentibus, regeſque ex te egredientur.
7. Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno: vt ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.
8. Daboque tibi & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Chanaam in poſſeſſionem æternam, eroque Deus eorum.
9. Dixit iterum Deus ab Abraham: Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.
10. Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum:
11. Et circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos.
12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra.
13. Eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum.
14. Maſculus, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.
15. Dixit quoq; Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Sarã.
16. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus ſum eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo.
17. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in corde ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?
18. Dixitque ad Deum. Vtinam Iſmael viuat coràm te.
19. Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum & ſemini eius poſt eum.
20. Super Iſmael quoque exaudiui te: eccè, benedicam ei, & augebo & multiplicabo eum valdè: duodecim duces generabit, & faciam illum creſcere in gentem magnam.
21. Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara tempore iſto in anno altero.
22. Cùmque finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ad Abraham.
23. Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ:

vniuer-

vniuersosque quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: & circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus.

24. *Abraham nonaginta & nouem erat annorum quando circumcidit carnem præputij sui.*

25. *Et Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ.*

26. *Eadem die circumcisus est Abraham & Ismael filius eius.*

27. *Et omnes viri domus illius, tàm vernaculi, quàm emptitij & alienigenæ, pariter circumcisi sunt.*

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1.

1 P*Ostquam verò nonaginta, & nouem annorum esse cæperat, apparuit ei Dominus*. Hic commemoratur, à Moyse quinta Dei apparitio facta Abraæ, præcedentium multò insignior atque præstantior. Describit etiam Sacer historicus Patriarcham habuisse in hac apparitione nonaginta, & nouem annos; & sic transierunt inter Ismaelis natiuitatem, & ista verba de circumcisione tredecim anni: nam quando genitus fuit Ismael, habebat Abram octoginta & sex annos, vti patet ex vers. vltimo præcedentis cap. *Octoginta, & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem*.

Nomen Dei El quid significet.

2 *Dixitque ad eum: Ego Deus Omnipotens*: pro his duobus verbis *Deus*, & *Omnipotens*. Hebræi legunt אל שד, idest *EL Saddai*. S. Hieronymus scribit nomen *EL* Septuaginta vertisse Θεὸν, idest, Deum. Aquilam Ἰσχυρὸν, idest, Fortem. *Saddai* Nomen componitur ex ש Schin articulo relatiuo, & די *Dai*, idest *sufficientia*: Hinc Rabbi Saadias, *Deus*, inquit, *dicitur Saddai, quia ipse abundat, omnesque omnium creaturarum defectus supplet*. Vndè ad rem nostram, *Ego sum Deus omnipotens*, idest ego sum Deus sufficientissimus, & ditissimus, qui te possum diuitem facere. Caietanus verò id nominis ex Hebræo interpretans, appellat Victorem seu Vincentem; *Aptè*, inquit ille, *dicit, ego fortis victor; ad differentiam cuiusque fortitudinis creatæ. Angeli enim, & homines fortes, non ita fortes sunt, vt omnia possint efficere: imò multa obsistentia patiuntur. Deus autem ita fortis est, vt habeat potentiam vincentem omnia: nullaque indispositio receptiuorum; nulla vis agentium, aut mediorum efficientia eius obstare vllo modo potest. Conuenienter porrò ijs promissis, quæ dedit hic Abraæ Deus, nominauit se fortem victorem; quò certum atque indubitatum faceret; fortem, ac potentem fore se ad debellandos hostes Abraæ, ac seminis eius, vt res ipsa declarauit in egressu Hebræorum ex Ægypto, ingressuque in terram promissionis*.

Saddai nomen Dei quid significet.

3 *Ambula coràm me, & esto perfectus*, S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 26. legit: *Place, & esto sine querela*. Caietanus verò: *Ambula ante me, & sis perfectus*. Vndè *Ambula*, seu *Place*, *coràm*, seu *ante me*, *& esto*, seu *sis perfectus*, vel *sine querela* dixit Dominus Abraæ, vt studeret Patriarcha in omnibus diuinæ se accommodare voluntati, & ad culmen Sanctitatis peruenire.

4 Notandum est primò: quòd in Sacra Scriptura sæpè sæpius legitur Ambulare in nomine Dei: sicut Micheæ cap. 4. vers. 5. *Nos autem ambulauimus in nomine Domini Dei nostri in æternum, & vltrà*. Ambulare in vijs Domini: sicut Psal. 127. vers. 1. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius*. Ambulare post Dominum, sicut 4. Regum cap. 23. vers. 3. *Stetitque Rex super gradum, & fœdus percussit coràm Domino, vt ambularent post Dominum, & custodirent præcepta eius, &c.* Ambulare cum Deo; sicut Gen. cap. 5. vers. 22. *Et ambulauit Henoch cum Deo &c.* Ambulare coràm Deo, vel in conspectu Dei, sicut in præsenti. *Ambula coràm me*, & infrà cap. 24. vers. 40. *Dominus*, ait (ipse Abram) *in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum*. Quæ

Quid sit Ambulare cum Deo, coràm Deo, post Deum, in nomine Dei, in vijs Dei.

omnia

omnia intelligenda ſunt: nempè, Ambulare in nomine Domini, eſt Deum colere, in eo ſperare, & eius interiori dictamine moueri. Ambulare in vijs Domini, eſt præcepta eius iuſtè, ac ſanctè cuſtodire. Ambulare poſt Deum, eſt Deo inſeruire, & eius ſequi veſtigia. Ambulare cum Deo, eſt in omnibus accommodare ſe diuinæ voluntati. Ambulare coram Deo, vel in conſpectu eius, eſt ſemper intueri Deum quaſi præſentem ſibi.

Præſentia Dei neceſſaria ad perfectionem acquirendam.

5 Notandum ſecundò, quòd Deus hoc loco duo Abramo præcipit. Primum *Ambula coram me*, ſecundum *eſto perfectus*; Hinc colligitur quòd ad perfectionem acquirendam neceſſaria ſit (vt fundamentum totius ſpiritualis ædificij) ipſa Dei præſentia; Nam ipſa eſt, quæ homines perfectos, ac Sanctos reddit hinc Auctor Meditationum D. Bernardo adſcriptarum cap. 6. dicit: *Sicut nullum eſt momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia, ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non babeat in memoria.* Et infrà dicit. *Illum ſemper ante oculos babere debemus, per quem ſumus, viuimus, & ſapimus.* Hoc totum iam dixerat Sapiens in Prouerbijs cap. 3. verſ. 6. *In omnibus vijs tuis cogita illum: & ipſe diriget greſſus tuos.* Tobias ad filium cap. 4. verſ. 6. *Omnibus diebus vita tua in mente babeto Deum.* Et Micheas cap. 6. verſ. 8. *Indicabo tibi, ò Homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Inſuper audiendus ab omnibus Chriſti fidelibus Gentilis Seneca epiſt. 10. qui ad ſuum Lucillum *Sic viue* (ſcripſit) *cum hominibus, tanquam Deus videat: Sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.*

Quid ſit Præſentia Dei.

Præſens quid propriè dicitur.

6 Præſentia verò Dei, eſt quædam applicatio mentis, & affectus ad Deum reſque diuinas, vel imaginario, vel intellectuali modo conceptus. Nam ſecundùm diuum Thomam par. 1. qu. 8. art. 3. ad 2. & 3. diſtinct. 24. artic. 2. quæſt. 3. ad 4. illud propriè dicitur præſens, cuius eſſentia præſentatur ſenſui, vel intellectui, & ſic tunc Deus dicitur præſens quando eius eſſe præſentatur ſenſui, vel intellectui. Vndè propriè & clariùs, Præſentia Dei, nihil aliud eſt quàm memoria Dei, ſeu cogitatio de Deo, qua in omnibus locis, & negotijs Deum, vt præſentem intuemur, eum blandè & reuerenter alloquimur, & ad ipſum amoribus, & deſiderijs afficimur.

Quare Deus ſanctis præſentiam ſuam exibeat?

7 Hæc igitur præſentia eſt illa quæ maximè commendatur Abraç à Deo dicente *Ambula coràm me*, quod exponens D. Thomas dicit, non hoc dicitur, quia priùs hoc non fecerat, ſed vt altiùs hoc faciat. Vndè ſubditur: *Et eſto perfectus*. Ad hoc enim exhibet Deus ſanctis præſentiam ſuam, vt eos ad ſe ſemper magis ſubleuet, & furſùm agat. Quid imbecillo vtilius, quàm forti mente adhærere? Quid pauperi conducibilius, quàm in conſpectu regis liberaliſſimi, & bonis exuberantiſſimi apparere? Non exiſtimes hanc curam ambulandi coràm me ſinè fructu eſſe, imò ex ea ſummum bonum percipies, quòd perfectus, & omni virtute cumulatus euades. Mea fortitudo te a malis eripiet, mea largitas guſtus tuos, motus, verba, actioneſque componet, & omni virtute perficiet, omnipotentia mea (*Ego enim Dominus omnipotens*) te, ne à cæpto deflectas, ſuſtinebit. Dilectionis fædere te complectar, & huius memoriæ meæ præſidio ad ingentes ſpiritus diuitias adducam. Sic Abraæ Deus loquebatur.

Præſentiæ Dei exercitium quid ſit.

8 Huius igitur preſentiæ Dei exercitium nihil aliud eſt quàm breuis, vel interrupta, aut per modum tranſeuntis oratio. Quemadmodum ergo ad orationem mentalem non ſufficit ſolus actus intellectus, nec ſolus actus voluntatis, ſed conſiſtit in eleuatione animæ ad Deum, vel in vnione cum ipſo per vtrumque actum; ità quoque ad exercitium diuinæ præſentiæ, non ſufficit Deum præſentem in nobis, & nos viciſſim coràm illo præſentes per fidem concipere, niſi adhuc per vlteriorem voluntatis actum illi adhæreamus, ſeu amoris pondere in illum feramur: *Verè enim* (vt ait S.P.N. Auguſtinus l. 1. Confeſſionum) *fecit nos Dominus ad ſe, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in illo.* Vndè ſicut Deus vbique eſt in omnibus creaturis per intellectum, & voluntatem operans, ita creatura rationalis, cui ſingulari priuilegio datum eſt poſſe intellectu, & voluntate, nedum naturaliter, ſed & ſupernaturaliter per gratiam Deum amplecti, illique vniri, ſic eum ſibi præſentem exhibere debet, vt ſecundùm eam quam habet ab eo dependentiam, inclinationem, & pondus intelligendo, & amando, ſe ei quàm poterit perfectiſſimè, & quibuſcumque valebit operationum vinculis vniat, & aſtringat. Qui ne-

xus, vel vnio quò perfectior est per gratiam, eò etiam præsentia & maior, & specialior in homine iusto esse dicitur. *Deus* (inquit S. P. N. Augustinus) *totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quamuis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diuersitate, alij ampliùs, alij minùs, quos ipse sibi dilectissimum templum gratia sua, & bonitatis ædificat.* Et iterum, *Vnde in omnibus Sanctis sunt alij sanctiores, nisi abundantiùs habendo habitatorem Deum?*

9 Prima, & principalis causa efficiens exercitij præsentiæ Dei, est ipse Deus, homini addens dona gratiæ, vt non solùm naturali instinctu agnoscat Deum, & complectatur, vt creaturæ omnes; sed etiam pro ratione libertatis spontè omninò, & voluntariè id faciat. *Præsentia Dei causæ.* Causa efficiens secunda, minùsue principalis, est homo his gratiæ donis vtens, & cooperans in reddendo sibi Deo præsenti. Causa formalis intrinseca, sunt ipsimet actus intellectus, vel etiam imaginationis, & voluntatis eliciti. Causa formalis extrinseca, seu exemplaris est ipsa Dei præsentia, qua nimirùm sibi in seipso præsens est. Causa materialis, seu materia huius sancti exercitij, est ipsemet Deus, factus nobis, & à nobis obiectiuè præsens. Causa finalis tandem intima cum Deo indè resultans vnio, maior, vel minor perfecta, iuxta trium statuum diuersitatem.

10 Pro praxi diuini huius exercitij notandum est, quòd diuiditur præsentia Dei in intellectualem, & imaginariam. Præsentia Dei intellectualis est illa, qua absquè vlla determinata notitia, sed confusè tantùm, simplicique actu fidei, Deum esse in nobis, & vicissim nos in eo, apprehendentes, aut ab eo petimus diuinæ gratiæ auxilia in communi, aut aliquem alium virtutis actum elicimus in particulari. *Præsentia Dei quadruplex.* Præsentia Dei imaginaria est illa, qua sensibili, & determinata alicuius rei forma, vel figura, diuinam præsentiam in nobis, & nostram in Deo aptè repræsentantis, imaginatione iuuante, ita illum nobis, & nos illi adesse concipimus. Hanc ergo Dei præsentiam in mente habeto, nam inquit S. Clemens Alexandriæ Antistes lib. 3. Pedagogiæ cap. 5. *Hac solùm ratione fit, vt quis numquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.* Et hoc est quod dixerat S. Hieronymus in cap. 5. Ezechielis. *Certè quando peccamus, si cogitaremus Deum videre, & esse præsentem, numquam, quod ei displiceret, faceremus.* Hoc totum dictum pro ly *Ambula coràm me.*

11 *Et esto Perfectus.* Perfectio hominis in charitate consistit, quæ hominem Deo coniungit, vndè quantùm ad dilectionem Dei iuxtà D. Thom. quodlib. 1. artic. 14. ad 2. dicitur hic Abraæ *Ambula coràm me, & esto perfectus.* Perfectio spiritualis vitæ ex charitate pensanda est, qua qui caret, spiritualiter nihil est. *Perfectio spiritualis vitæ in charitate pensanda.* Amor autem vim transformatiuam habet, qua amans in amatum quodammodo transfertur; vndè S. Dionysius dicit cap. 4. de Diuinis nominibus. *Est autem Ecstasim faciens diuinus amor, non sinens sui ipsorum amantes esse, sed amatorum.* Quia ergo totum, & perfectum est idem, vt dicitur 3. Physicorum, ille perfectè charitatem habet, qui totaliter in Deum per amorem transformatur, se ipsum, & sua omninò postponens propter Deum. Hoc cupiebat Dominus ab Abramo, vt infrà videbimus.

12 *Ponamque fœdus meum inter me, & te; Et multiplicabo te vehementer nimis.* Vers. 2. Caietanus dicit: *Iuxtà Hebræum habetur dabo. Explicata ratione seu conditione fœderis, subiungit adimpletionem fœderis iam initi antequam Abram desponsasset Agar, dicendo, & dabo fœdus. Est enim sensus, & dabo executioni fœdus quod est inter me, & inter te; & non est sensus quo faciam tecum nouum fœdus, sufficit enim illud scriptum superiùs capitulo decimoquinto.* Vnde modò dicit Ponam fœdus meum inter me, & te, supposito quòd ambulaueris perfectè coràm me.

13 *Multiplicabo te vehementer nimis.* Septuaginta habent *Implebo te valdè*; alij *valdè valdè*. In Hebræo est מאד במאד *bimod meod* hoc est valdè valdè, supra modum, & quasi in immensum, vnde vehementer nimis hebraismus est. Caietanus dicit; *In capite decimoquinto, in quarta apparitione diuina dictum fuerat Abraæ, semen eius fore innumerabile sicut stellas cæli. In hac autem quinta visione dicitur multiplicabo te in valdè valdè: quia hæc tria in genere proposuit in principio huius apparitionis Deus, & apto ordine, locando in medio pactum, cuius materia est tertium, cuius suscitatio continuaque viuificatio est primum.*

14 *Cecidit Abram pronus in faciem:* Vers. 3. Hoc duobus modis potest intelligi, & quòd ceciderit Patriarcha magnitudine visionis stupidus, sicuti Ezechiel qui de se ipso dixit cap. 2. vers. 1. *Vidi, & ce-* *In faciem cadere quot modis intelligi potest.*

& cecidi in faciem meum. Et Ioannes, vt habetur Apocal. cap. 1. verſ. 17. *Et cùm vidiſſem, cecidi ad pedes eius tanquam mortuus*. Alio modo poteſt intelligi quòd Abram cecidit Deum munificentiſsimum contemplatus, vt gratias exhiberet pro tantis bonis partim promiſsis, partim actualiter exhibitis. Vnde hìc homil. 39. pag. 214. lit. D. exclamauit S. Ioannes Chryſoſtomus dicens. *Et procidit Abram ſuper faciem ſuam. Magna tanti gratitudo!*

Deus in cauſando gratiam, ſe habet, vt natura, & ars.

15 Nota, quòd omnes iſtæ promiſſiones, quas fecit Deus Abramo, frequentes fuerunt, tamen procedendo ſemper in expreſſiorem, & maiorem promiſſionem: Deus enim in cauſando dona, & gratiam, ſe habet, ſicut natura & ars, quæ in operibus ſuis procedunt de imperfecto ad perfectum, de perfectiori ad perfectiſſimum. Ita eſt in proceſsu diuinarum reuelationum, & promiſſionum; Deus dat primò gratias minores, & deindè donat perfectiſſimas. Dedit igitur Abramo viſiones, non multùm exprimentes magnitudinem Dei, quæ non valdè ſtatum Patriarchæ excedebant; iſta autem erat perfectior, ideo Abram quaſi eius excellentiam non ſuſtinens *cecidit pronus in faciem*.

Verſ. 4. 16 *Dixitque ei Deus: ego ſum, & c. ſum*, ò Abram, ille qui *ſum*, ideòque immutabilis in promiſſis, ideoque hoc pactum meum, quod tecum facio, erit immutabile.

17 Vel dic *ego ſum*. Ideſt ego *ſum*, qui verè *ſum*, vel cui propriè eſse conuenit. Verè enim *ſum* quia id quod *ſum* ex me *ſum*, & non ab aliqua alia natura, vel eſsentia eſse recepi. Aliæ autem res non ſunt, quæ ſunt, quia ſuum eſse non ex ſe, ſed ex Deo habent. Ideò quod ſunt non ſunt, quia id quod ſunt, non ex ſe ſunt, ſed ab alio, ideſt à Deo ſunt. Et hoc dixit Iſaias cap. 41. verſ. 24. *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt*. Et S. Hieronymus epiſt. ad Marcellã notat, Deum tantùm *eſſe*: quia non nouit *fuiſſe*, nec *fore*, cuius eſſentia eſt *eſſe*, cui noſtrum eſſe comparatum non eſt.

Deus ſolus poteſt dicere ego ſum, & cur.

18 Vel dic: *Ego ſum*: ideſt *ego ſum* inuolucrum totius entis, quodque in alijs certis diſtinctum eſt gradibus, à me ceù vniuerſali fonte dimanat. Ergo *ego ſum*, ſignificat eſſentiæ pelagus immenſum, & interminum, ait Nyſſenus: & Melliſluus Doctor lib. 5. de conſideratione ad Eugenium: *Deus*, inquit, *eſt quod eſt, ideſt, eſt ſuum ipſius, & omnium*

aliarum rerum eſſe. Ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt. Et nonnullis interiectis docet ly *ſum*, aut *eſſe*, Omnia Dei rerumque attributa complecti. *Si bonum*, inquit, *ſi magnum, ſi ſapientem dixeris, in hoc verbo inſtauratur, Qui eſt; nempè hoc eſt ei eſſe, quod hæc omnia eſſe. Si plura dixeris, nihil addidiſti: ſi non dixeris non minuiſti*. Hoc eſt quod ait Pindarus in Pythijs hymno 2. *Deus eſt, qui principium, medium, & finem rerum omnium continet*. Et Plato: *Deus eſt, qui vniuerſitatem rerum omnium complectitur*.

19 Vel dic *Ego ſum*. Ideſt *Ego ſum* cauſa omnis eſſe quod res creatæ participiant; nam quod ex ſe, & per ſe eſt tale, hoc eſt cauſa eorum, quæ ſunt talia per participationem. Ex illo ergo eſſe Dei increato, & immenſo; ſequitur poſſe omnia. Hoc eſt quod canit Boetius lib. 3. de Conſolatione metr. 9.

O qui perpetua mundum ratione gubernas
Terrarum cælique ſator, qui tempus ab æuo
Ire iubes, ſtabiliſque manens das cuncta moueri;
Quem non externæ pepulerunt fingere cauſæ
Materiæ fluitantis opus, verùm inſita ſummi
Forma boni, liuore carens.

Et Horatius lib. 1. Carminum.

——— *Qui res hominum, ac Deorum,*
Qui mare, & terras varijſque mundum
Temperat horis.
Gentis humanæ pater, atque cuſtos.

20 Vel dic *Ego ſum*. Ideſt *Ego ſum* æternus, ſum in præſenti, carens præterito, & futuro. Vnde S. P. N. Auguſtinus in Pſal. 101: conc. 2. dixit: *Æternitas eſt Dei ſubſtantia, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil eſt præteritum, quaſi iam non ſit; nihil eſt futurum, quaſi nondum ſit: quia non eſt ibi, niſi eſt*. Deus ergo Dominus eſt æternitatis, temporum, & æuorum omnium (vt potè qui deſinere, variari, aut mutari nequit) atque huius beatæ æternitatis ſuæ tàm angelos, quàm homines ſanctos participes efficit. Hic proindè nobis colendus eſt, amandus, & metuendus. Ita S. Fructuoſus Martyr à Galieno Imperatore compulſus idola venerari, aliàs morte mulctandus, reſpondit: *Nolo Sacrificare dijs Galieni, ſed æternum Deum, ac ipſius Cæſaris creatorem colo, veneror que*. Ad quod alludens Prudentius ita canit.

Iussum est Cæsaris me Galieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes.
Æternum colo principem, dierum
Factorem, dominumque Galieni.

Multa iam de verbo *sum* ad Deum pertinentia, reflexione si non crispanda, saltem non abijcienda, diximus in nostra Apocalypsi explanata. Vide cap. 36. lect. 17. pag. 123. & 124. §. 34. 35. 36. & 37.

Vers. 5. 21 *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham:* De Huius nominis mutatione causa declaratur; *Quia patrem multarum gentium constitui te*, idest Pater magnæ multitudinis. Lippomanus, & Ioannes Ferus in mutatione nominis Abrami mysterium agnoscentes explicant sic. *Ornatum est nomen Abraa interpositione literæ, He, quæ inter Sacratiores literas, quibus nomina Dei scribuntur, principalis est; & bis in nomine illo Dei Tetagrammato, & ineffabili scripta est. Quam literam de suo nomine communicari voluit Deus cum nomine Abraham, primò quidem vt ostenderet non modò se bona sua impertiturum ei, verùm etiam se ipsum, adeò enim probos diligit Deus, & in tantam euehit gloriæ præstantiam, vt diuinæ faciat consortes naturæ. Deinde litera, He, adiecta nomini Abraham, indicat singularem quandam eximiamque datam ipsi Abrahæ prærogatiuam, fore aliquando vt ipsemet Deus ex semine Abraham nasceretur; iamque tunc præsignificabatur factum iri, quod iam factum admirabundus prædicauit Paulus* ad Hebræos cap. 2. vers. 16. Nusquam Angelos, inquiens, apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit. *Ad hoc, quarto loco in nomine Abraham posita litera, He, subindicauit quartum annorum millenarium, quo post orbem conditum transacto, Filius Dei carnem ex semine Abraham sumpturus erat; natus est enim Dominus Iesus finito quarto millenario, quintoque paucis annis incohato. Mem quoque clausum sequens literam, He, interminabile Christi regnum, & fidelium, quorum pater fuit Abraham, Ecclesiam præsignabat. Ergo mutatio nominis Abraham ad hunc modum facta est; priùs ille vocabatur Abram, id autem est Latinè Pater excelsus; Ab, enim, est Latine, Pater; ram, verò, est excelsus. Postea verò huic nomini adiecit Deus particulam, hamon; verùm quo vox ea pronunciatu mollior, auditque acceptior esset, ex nomine Abram dempta est vltima litera, M, & item ex adiectitia illa particula, hamon, vltima syllaba, on, detracta est, & ita factum est nomen Abraham.*

Vers. 6. 22 *Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur.* Idest faciam vt ex te multæ gentes, multi reges nascantur, non ex pusilli, sed ex ingentis admodum Christiani gregis natalitio, cui donare Regnum cœleste dignabor. Haud abnegarim de Regibus etiam temporarijs Dei sermonem esse intelligendum, cùm ex Esau Rex Idumeorum, & Amalechitarum: Ex Iacob autem Israelis, & Iuda fuere Reges exorti. Sed vt promissio stet Numini digna, non solùm explicanda de temporarijs Regnis prorsùs inanibus, sed & de spirituali Regni cælestis Principatu tot præparato Regibus. Et Aureus Doctor vbi supra pag. 216. lit. C dicit. *Vidisti quomodo crescant promissiones? Faciam te crescere, inquit valdè valdè. Duplicationem huius aduerbij non frustrà adiecit, sed vt significet iusto miram multitudinem dandam.*

Vers. 7. 23 *Et statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fædere sempiterno.* Confirmat hìc Deus quod supra vers. 2. Abrahamo promiserat dicens, & statuam idest stare faciam, stabiliam, confirmabo pactum, quod iam tecum ineo; nam ly *& statuam*, Hebraicè est והקימותי *hakimoti*.

24 *Fædere sempiterno.* Alij *in hæreditatem sæculi*. Nota quòd fædus hoc non absolutè æternum fuit, sed respectiuè in semine carnali, nempè Iudæis, durauit enim quandiu Ecclesia, seù Iudæorum Sinagoga in obedientia durauit, sed in semine spirituali pactum fidelibus absolutè æternum est.

25 *Vt sim Deus tuus, & seminis tui post te.* Idest fædus quod ineo vobiscum, ex vestra parte requirit, vt me perpetuò pro Deo habeatis, & colatis: ex parte verò mea continet tria quæ vobis præstabo. Primùm, vt in immensum *multiplicemini*, vt dicitur vers. 2. 4. 6. Secundum *vt terram Chanaan* tradam vobis possidendam, vers. 8. Tertium, vt *ex semine tuo Messias*, procreetur. vers. 16. hic, & cap. seq. vers. 18.

26 Vel. *Vt sim Deus tuus. Non dixit simpliciter Deus* (inquit S. Ioannes Chrysostomus) *Sed Deus tuus. Vide miram bonitatem, quomodo hoc etiam additamento amorem suum erga iustum declarauit; Nam qui totius mundi est Dominus, & vniuersi opifex, creator cæli, & terræ dicit: Ego sum Deus tuus. Magna granitas dignitatis, quæ iusto tribuit? Sic & prophetis loqui mos est. Nam sicut ipse*

nunc,

Digitized by Google

nunc, cùm est Dominus communis omnium, à seruo, vt peculiaris vocari voluit.

Verſ. 8. 27 *Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, & omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, eroque Deus eorum.* Promittit hic Deus Patriarchæ terram in qua peregrinabatur; Abraham enim tenebat illam in peregrinationem, non autem in poſſeſſionem, quia erat Chananæorum. Aſſerit hanc terram dandam Deus in poſſeſſionem æternam ly *æternum* ſumendum eſt vti alibi ſuperiùs expoſuimus; Inſuper S. P.N. Auguſtinus in quæſt. ſuper Geneſim dicit: *Scriptura vocat æternum cuius finis non conſtituitur, aut quod non ita ſit vt deinceps non ſit faciendum, quantum pertinet ad curam, vel poteſtatem facientis. Vnde: Seruiet æternùm, qui paruo neſciet vti.*

Verſ. 9. 28 *Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.* S.P.N. Auguſtinus pro ly *cuſtodies* legit *cuſtodi*; vnde: dixit denuò Deus Patriarchæ; cuſtodi pactum circumciſionis tu, & ſucceſſiuè generationes ſeminis tui, ſicuti aduenient ſic ſeruabunt iſtud circumciſionis pactum, & in huius obedientiæ præmium *Ero eorum Deus*, vt ſuprà dixit: *Hoc eſt multam me eorum curam habere oſtendam, & meum ſubſidium illis præſtabo*, inquit D. Joannes Chryſoſtomus loco cit.

Verſ. 10. 29 *Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te.* Septuaginta habent *Teſtamentum meum conſeruabis*, ſic & S. Ioannes Chryſoſtomus. Menochius: *Hoc Signum pacti mei*: Vnde dicendum hoc eſt Teſtamentum ſeu ſignum pacti mei iam tecum initi: nam etiam Apoſtolus ad Rom. cap. 4. verſ. 12. ſcripſit, *Signum accepit circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio; vt ſit pater omnium credentium per præputium* (præputiatorum, puta Gentilium) *vt reputetur & illis ad iuſtitiam.*

30 *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum.* Circumciſio, apud Theologos, vt notat Alexand. par. 4. quæſt. 7. memb. 1. eſt triplex. Prima eſt ſignum determinans Iſrael à gentibus, cum quibus conuerſabantur. Secunda Circumciſio eſt ſignaculum curationis ab originali. Tertia circumciſio eſt abſciſſio ſuperfluitatis concupiſcentiæ. Ex his colligitur deſcriptio ſufficiens, quæ talis eſt. Circumciſio, eſt ſignaculum efficax curationis ab originali, permanens in carne, inſtitutum à Deo, determinans Iſrael à gentibus.

Quid ſit circumciſio, & quotuplex.

31 Notandum eſt primò, quòd circumciſio in lege veteri delebat originale peccatum, ſicut nunc Baptiſmus. Vide, de conſecr. diſt. 4. c. quod autem, & cap. Ex quo. Et quòd, Circumcidi poterant in primitiua Eccleſia conuerſi ad fidem, quamdiù templum durauit ex cæremonia, non ex neceſſitate. Concil. Apoſtol. c. 4.

Circumciſio ad quid data.

32 Notandum ſecundò aduerſùs Iacobitas, Abyſſinos, nonnulloſque etiam Armenos, legem veterem omninò eſſe iam abrogatam, & mortiferam, proindèque eſſe illicitum Sacramenti Circumciſionis vſum. Lex enim vetus quoad præcepta Ceremonialia ceſſauit, & abrogata fuit (ſicut docent S. Thomas 1.2. quæſt. 103. artic. 3. ad primum. S.P.N. Auguſtinus epiſt. 19. ad S. Hieronymum, & S. Hieronymus in epiſt. ad S.P. N. Auguſtinum, quæ eſt 11. inter diui Parentis Eccleſiæ Sanctæ Doctoris maximi epiſtolas) quando mortuus eſt Chriſtus, ſiuè quandò in cruce ſpiritum iam iam emiſſurus, dixit, *conſummatum eſt*, Ioan. cap. 19. verſ. 30. ideſt abſolutum eſt myſterium redemptionis, quatenus erat meritis Chriſti perficiendum, quo lex vetus principaliter, vt ad finem, & terminum ſuum referebatur. Quòd autem Sotus lib. 2. de Iuſt. & Iur. quæſt. 5 artic. 4. hoc non ita intelligendum eſſe docet, quaſi in ipſo puncto mortis Chriſti indiuiſibiliter lex illa vetus ceſſauerit, ſed punctum mortis latiùs accipiendum eſſe, vt comprehendat totum illud temporis interuallum mortis, & ſepulturæ Chriſti vſquè ad momentum reſurrectionis incluſiuè; quoniam, inquit, in reſurrectione fuit myſterium noſtræ redemptionis completum iuxtà illud Apoſtoli ad Romanos cap. 4. verſ. 25. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*; nec non etiam in lege veteri ſignificata, & prophetata eadem Reſurrectio; alijs Doctoribus non placet.

Lex antiqua omnino abrogata, & quo tempore.

33 Primò, quia, vt Chriſtus ſimpliciter in Cruce dixit: *Conſummatum eſt*; ita ſimpliciter etiam SS. Patres ſignificant, tunc fuiſſe finem impoſitum officio legis; cui etiam conſonat, quòd tota ferè epiſtola ad Hebræos ait Apoſtolus, nouum Teſtamentum fuiſſe, morte ipſius Chriſti intercedente, confirmatum, & vetus ex conſequenti abrogatum, & mortuum. Ad Epheſios 2. diſſolutum medium parietem, quo populus Iudæorum ſeparabatur à

populo

Digitized by Google

populo Gentilium, & ex vtroque populo vnam, & eamdem conflatam fuisse Ecclesiam; & ad Galatas 3. Redemptos eos, qui erant sub seruitute legis; ideoque Lex ipsa tunc cessauit, & abrogata est, quando præcisè Christus mortem subijt, qua propriè, & formaliter non tantùm à peccato, sed etiam à seruitute legis Redempti dicimur.

34 Secundò, quia Christus per meritum passionis, & mortis, non autem per suam resurrectionem exoluit pretium redemptionis nostræ. Post mortem enim eum ampliùs viator non esset, nihil promeritus est, sicut rectè probat S. Thomas super caput 4. epistolæ ad Romanos lect. 4. Vndè cùm finis legis veteris fuerit mysterium redemptionis nostræ, quatenus illa, non quomodocumque, sed satisfactione, & merito Christi erat perficienda, non debet eius duratio extendi vsquè ad momentum Resurrectionis, vt vult Sotus; alioqui non tantùm vsquè ad illud, sed etiam vsquè ad Ascensionem, & Aduentum Spiritus Sancti, deberet à præfato doctore concedi, quòd lex vetus viguerit, adeoque vim obligandi per se habuerit; nam hæc quoque mysteria aliquo modo pertinent ad nostram Redemptionem, fueruntque in lege veteri promulgata, & prænunciata. Non hæc igitur, sed illa, quæ Christi meritum, & satisfactionem continebant, & à quibus proindè obseruatio legis suum habuit valorem, finem, ac terminum ipsius fuisse dicidenda sunt. Hinc Angelicus Doctor loco citato ad Romanos expressè docet sensum Apostoli non esse, quòd per Resurrectionem obtinuerit nobis Christus iustificationem, sed talia ab eo dici per quamdam similitudinem Resurrectionis Christi, & iustificationis nostræ.

35 Notandum Tertiò quòd Lex vetus, quo ad præcepta Ceremonialia, nedum iam antiquata, aut mortua est, sed mortifera, ita vt absquè peccato obseruari non possit, quod patet contrà supradictos Hæreticos ex communi Ecclesiæ sensu. Ecclesia enim Romano Catholica, quæ sola vera est Christi Ecclesia semper credidit, vt quid de fide, legem veterem praecepta Ceremonialia, seu ritum diuini cultus in ea præscriptum, nedum mortuam fuisse, nihilque ad gratiam, & salutem prodesse, verum etiam mortiferam esse, peccatumue inducere eius obseruationem, post sufficientem legis nouæ promulgationem. Vndè à Generali Synodo Florentina, præsentibus, atque consentientibus Armenis Legatis, in Decreto pro Iacobitis, res ita definita fuit. *Sacrosancta Romana Ecclesia, Domini, & Saluatoris nostri voce fundata, firmiter credit, profitetur, & prædicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: Quia iuxtà verbum Domini, non quod intrat in os, coinquinat hominem, illamque Mosaica legis ciborum mundorum, & immundorum differentiam ad Ceremonialia asserit pertinere, qua surgente Euangelio transierunt, & efficacia esse desierunt.* Et infrà: *Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse, denuntiat, quam societas admittit humana; nec inter animalia discernendum per quemcumque siue virum siue mulierem, & quacumque genere mortis intereant: quamuis pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari, & Ecclesiastica disciplina possint, & debeant multa, non negata, dimitti; quia iuxtà Apostolum omnia licent, sed non omnia expediunt.*

Lex vetus non solùm mortua est, sed mortifera.

36 Ipsamet definitio habetur in fidei professione, relata à Baronio tom. 6. Annalium in fine. In altera quoque fidei professione Armenolatina, iussu Vrbani VIII. edita, quæ ijsdem Armenis, alijsque Orientalibus Christianis emittenda proponitur, idem continetur; facta Synodi Florentinæ mentione. *Profiteor, quæ in Florentina Synodo definita sunt: videlicet Legalia veteris Testamenti, seu Mosaica Legis Ceremonias, Sacra, Sacrificia, & Sacramenta Domino nostro Iesu Christo adueniente cessasse; & post promulgatum Euangelium sinè peccato obseruari non posse: eiusdem etiam legis veteris ciborum mundorum, & immundorum differentia ad Ceremonialia pertinere, quæ surgente Euangelio transierunt.*

37 Hæc autem fidei Catholicæ veritas patet etiam ex pluribus noui Testamenti locis, & præcipuè ostenditur in cap. 15. Act. Apostol. vers. 5. vbi dicitur: *Surrexerunt quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos: præcipere quoque seruare legem Moysi.* (Vers. 6.) *Conueneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.* (Vers. 6.) *Cùm autem magna conquisitio fieret. Surgens Petrus dixit ad eos. Viri fratres,* &c. (Vers. 10.) *Nunc ergo, quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque Patres nostri; neque nos portare potui-*

potuimus? (Vers. 11.) *Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.*

38 Videndus etiam est Apostolus qui ad Galatas cap. 3. & 4. de duobus testamentis, veteri, & nouo loquens; sub figura duorum filiorum Abrahæ, scilicet, Ismaelis, qui ei ex Agar ancilla, & Isaac, qui ex Sara, vxore libera, natus fuerat, ait eijciendam esse legem veterem, quæ tanquam ancilla fuit legis Euangelicæ, sicut eiecta fuerat Agar Saræ Ancilla; demùm cap. 5. vers. 1. concludit: *State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri.* (Vers. 2.) *Ecce ego Paulus dico vobis; quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*: idest si circumcisionem vt necessariam ad gratiam, & salutem sumatis, non potestis gratiam, & salutem Christi consequi; & iterum vers. 4. *Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini*; idest contenditis per eius obseruationem iustificari, & idem dicit ad Ephesios cap. 2. ad Colossenses cap. 2. Prima ad Timotheum cap. 4. ad Titum cap. 1. & ad Hebræos cap. 7. 8. & 9. Insuper & lib. 6. constit. Apostol. cap. 12. & 14. habetur. Circumcidi non debet, qui legem Christi accipit. & de pœnit. dist. 2. c. 28. *Circumcisio.* Circumcisio nunc non prodest quidquam.

Vers. 11.

39 *Circumcidetis carnem præputij vestri.* Non in alia parte quàm in præputio circumcisionis locus assignatur, quia in hoc membro effectus peccati inobedientiæ se primùm manifestauit; & quia hoc membro generamur, & transfunditur peccatum originale quod circumcisione priùs curabatur. Præputium enim nihil aliud est, quàm cutis, quæ glandem pudendi vestit; Gal. 5. Metaph. cap. 13.

Quare circumcisio mandata in præputio.

40 *Vt sit in signum fœderis inter me, & vos.* Ista circumcisio erat signum in habentibus eam, quòd ipsi erant de populo Dei, & quòd cum vero Deo fœdus pepigerant, vt eum speciali cultu venerarent. Inquit S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 4. col. 281. lit. D. *Cùm Apostolus dixerit Paulus, quia Abraham signum accepit circumcisionis; vtique signum non ipsa res, sed alterius rei est: hoc est, non veritas, sed indicium veritatis. Denique ipse exposuit & expressit, dicens, signum, accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei. Vndè non incongruè intelligimus quia circumcisio corporalis signum circumcisionis est Spiritalis. Ergo signum mansit donec veniret veritas. Aduenit Dominus Iesus, qui ait, Ego sum via, veritas, & vita. Qui non partem exiguam corporis in signo, sed totum circumcidit hominem in veritate: Signum destruxit, veritatem induxit*: Quia posteaquam venit quod perfectum est, quod ex parte erat, euacuatum est: & ideò cessauit circumcisio partis, vbi refulsit circumcisio vniuersitatis. Iam enim non ex parte, sed totus homo saluatur in corpore scilicet, & anima.

41 *Infans octo dierum.* Quia infans Vers. 12.
ante octauum diem nimis tenellus est, & incertum etiam est an sit vitalis futurus, vt ex Galeno docet Franciscus Valesius Sacræ Philosophiæ cap. 18. ideò Deus Abrahamo decretat circumcisionis tempus octauo die faciendæ. Quo die (quia fabulosè, & commentitiè à Iudæis nostri temporis affirmatur Angelum de quo Malachias cap. 3. vers. 1. agit dicens: *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis*, esse Eliam; & eundem ibi vocari Angelum testamenti, vel fœderis, quia Elias habuit Zelum pro fœdere Circumcisionis (& ideò) nunc cùm puerum Hebræi aliquem circumcidunt, adornant sellam Eliæ, putantes Spiritum eius præire ante puerum Circumcisum, quasi zelantem pactum Circumcisionis.

Quare infans octo dierum, & non antea circumcidendus.

42 *Omne masculinum in generationibus vestris: tàm vernaculus, quàm empititius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra.* Hic locus triplici sententia exponitur: Alij putant tàm seruos, quàm famulos liberos iussos circumcidi. Aliqui nullum adultum seruum hic obligari ad se, vel suas proles circumcidendas, nisi ipse spontè in id consentiat. Tandem alij existimant omnes seruos etiam adultos, non autem famulos iuberi circumcidi; nam Hebraicè habetur: *Omnis seruus domi natus, & emptitius, qui non est de semine tuo, circumcidendo circumcidetur.* Omnes istæ sententiæ habent suos auctores, & rationes. Prima est Caietani, Lippomani, Lyrani, & S. Ambrosij. Secunda est Pererij, Soti, Alensis, S. Bonauenturæ, Ruperti, ad quam inclinat etiam Suarez 3. parte quæst. 70. artic. 2. disput. 29. sec. 2. Tertia est Abulensis, & a Cornelio a Lapide alijs præfertur.

43 *Eritque pactum meum in carne ve-* Vers. 13.
stra in fœdus æternum. Aduertendum est quòd ly æternum, perpetuum, & simi-

similia non debent intelligi de perpetua absolutè, & nunquam finem habitura duratione legis veteris; vndè quando in Sacra Scriptura dicitur æternum, perpetuum, seu sempiternum esse aliquid, intelligendum est de illo, cuius terminus non præscribitur, etsi non perpetuò, sed longo solùm tempore duraturum sit, vt durauit lex vetus. Sic enim in vers. 8. huius capituli dictum est; daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ,& omnem terram Chanaan in possessionem æternam. Et tamen constat, terram illam à Iudæorum possessione iam pridem ablatam fuisse.

Ly æternum, & perpetuum, quomodo intelligendum.

Vers. 14. 44 *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo:* Doctores omnes Catholici hic dicunt, quòd accipitur anima propriè, vt significat partem, & est sensus, quòd illa anima peribit de populo suo, idest post mortem non aggregabitur ad populos suos, scilicet, populos sanctorum. Sic enim dicitur de quolibet viro iusto, quando moritur, congregatus est ad populum suum. Et si arguas (Inquit Abulensis ibidem cuius sunt verba) de Ismaele, quod dicitur de eo infrà 25. cap. aggregatus est ad populum suum. Respondetur, quòd Ismael secundùm Hebræos in fine vitæ suæ pænitentiam egit de peccatis: ideò inter sanctos computatus est.

45 *Quia pactum meum irritum fecit.* Nihil aliud est pactum Dei irritũ facere, nisi non recipere remedium institutum ad liberandum à culpa primi pacti irritati, (nempè de præcepto ab Adamo violato) & hoc est non circumcidi. Et S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap.27.super hæc prædicti vers. verba sic scribit. *Potest mouere, quomodo intelligi oporteat, quod dictum est, masculus &c. Nam cùm hac nulla culpa sit paruuli, nec ipse dissipauerit testamentum Dei, sed maiores, qui eum circumcidere non curarunt: quomodo dixit animam eius perituram: nisi quia etiam paruuli, non secundùm vitæ suæ proprietatem, sed secundùm communem generis humani originem, omnes in illo vno Testamentum Dei dissipauerunt, in quo omnes peccarunt? Testamentum autem primum quod factum est ad primum hominem, profectò illud est;* Qua die comederitis, morte moriemini. *Cùm autem lex postea fuerit data, & dicat Apostolus:* Vbi non est lex, nec præuaricatio; *quo pacto verum erit, quod legitur in Psalmis:* Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ? *Nisi quia omnes legis alicuius præuaricati sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam paruuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, vndè illis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur? Profectò eo modo, quo sunt peccatores, etiam præuaricatores legis illius quæ in Paradiso data est, agnoscuntur. Ac per hoc quia circumcisio signum regenerationis fuit, non immeritò paruulum propter originale peccatum, quo primum Dei dissipatum est testamentum, generatio disperget, nisi regeneratus liberet. Proindè verba illa Dei sic intelligenda sunt, quasi dictum esset, qui non fuerit regnaturus, interibit anima eius, quia testamentum meum dissipauit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccauit.* Sic S. P. N. Augustinus. Caietanus verò pag.86. impressione superiùs cit. dicit: *Qui carnem præputij sui non circumcidet, destruetur anima ipsa de populis suis: pactum meum fregit. Quadrat in primis ratione vt non puniatur nisi qui culpam commisit, ac per hoc soli adulti puniantur: quoniam infantes nullam possunt culpam committere. Quadrat etiam litera. Clausus masculus. Appellant enim Hebræi incircuncisum clausum: & pelliculam circumcisionis appellant clausuram, eò quòd claudat glandem. Superfluè siquidem in hac lege diceretur clausus, nisi ad restringendum legem ad adultos. Quilibet enim masculus nascitur clausus: sed non quilibet adultus ex semine Abrahæ, adultus futurus erat clausus: imò communiter circumcisus. Si quis autem adultus circumcisus sit, hic directè comprehenditur sub hac lege: dicente clausus masculus, qui non circumcidet carnem præputij sui, vel cuius caro præputij circumcisa non fuerit, proculdubio voluntariè. Quadrat, & rationi subiuncta: Videlicet, pactum meum fregit. Constat siquidem quòd actio ista, quæ est frangere pactum meum, non habet locum in infantibus, sed tantùm in adultis: in quorum potestate est seruare vel violare circumcisionis fœdus diuinum. Siuè actiuè itaque siuè passiuè legatur, ligat tantùm lex ista adultos: clariùs tamen si actiuè legatur. Apposita autem pœna ad præsentem vitam spectat; nam apud Hebræos anima pro vita vsurpatur. Et iuxtà Hebræum pluraliter legitur de populis suis: ad significandum quòd huiusmodi pœna mortis corporalis non promulgabatur pro tunc, sed pro futuro tempore, quo semen Abrahæ in multos populos diuisum foret; quod tunc fuit quando post egressum ex Ægypto filij Israel ingressi sunt terram promissio-*

Quid sit pactum Dei irritum facere.

missionis ; & per diuersas ciuitates sparsi constituerunt plures populos, partes tamen vnius totalis populi Israel. Ad illud itaque tempus refertur hac pœna, destruetur anima ipsa de populis suis, præcepit siquidem Deus tempore Abraha, vt, cùm aduenerit tempus quo semen suum erit in terra Chanaan obtinens ciuitates, non patiantur adultum aliquem incircumcisum, sed si quis non vult circumcidi exterminetur vita eius.

Vers. 15. 46 *Dixit quoque Deus ad Abraam: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.* Sarai *domina mea*, vel *Princeps mea*. Sara absolutè significat, *dominam, aut Principem*. Sarai vnius hactenus mariti, & familiæ fuit domina: iam verò erit Sara, idest absolutè Princeps, & domina; quia gentium plurium mater exsurget. S. Hieronymus, & Isidorus apud Glossam dicunt: *Errant qui putant primùm Saram per vnum R, scriptum fuisse, & postea additum esse alterum R, & quia R apud Græcos, C, significat, multas super hoc nomine suspicantur ineptias; & cùm vtcumque velint vocabulum commutatum, non græcam, sed hebraicam debet habere rationem. Hebræum est enim. Nemo enim altera lingua quemlibet vocans, Etymologiam vocabuli sumit ex altera. Sarai ergo primum vocata est* שרי *per scin, res, iod. Sublata ergo Iod, addita est* ה *he litera, quæ pro A legitur, & vocata est* שרה *Sara. Antea enim dicebatur princeps mea, quasi vnius familiæ mater, postea absolutè princeps, omnium scilicet gentium princeps futura. Quidam pessimè suspicantur eam priùs Lepram fuisse vocatam, & postea principem, cum Lepra* צרעתי *Sarai dicatur, quòd in nostra lingua videtur habere aliquam similitudinem, sed in Hebræo penitùs est diuersa; Scribitur enim per Zade, & Eyn, & Res & Thau, quòd à tribus superioribus idest Scin, Res, &, He, quibus scribitur Sara, manifestè distat.*

Vers. 16. 47 *Et benedicam ei:* idest multiplicabo eam dando ei vim generatiuam, vel saltem dando ei, quòd actualiter gignat, quia potentiam generatiuam habebat; non tamen gignebat, quia erat potentia impedita per indispositionem sterilitatis, & per senectutem, quia iam, *Desierant fieri muliebria*, vt patet infra cap. 18. vers. 11.

48 *Et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum*. Idest licèt ego benedicturus sum Ismaeli, specialiter tamen benedicam Isaac complendo in ipso repromissiones factas tibi & hunc ex Sara habebis. Caietanus vero dicit. Cui benedicturus sum: *Iuxtà Hebræum habetur. Et benedicam eam. Refertur siquidem etiam hæc altera benedictio ad Saram, significando benedictionem multiplicationis futuræ per illius filium. Vndè & ad ipsam Saram referunt duo subiuncta: videlicet:* Eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. *Vt intelligat Abraham promissiones sibi factas implendas per Saram, & non per Agar.*

49 *Eritque in nationes*. De Isaac ortæ sunt tres Nationes, scilicet Idumæi, quantùm ad Esau, & Amalachitæ quantùm ad quendam nepotem Esau, qui vocatur Amalech filius Eliphaz primogeniti Esau, & patet infra cap. 36. Et Israelitæ, quantum ad Iacob.

50 *Et reges populorum orientur ex eo*. S. Ioannes Chrysostomus legit: *ex illo Reges gentium egredientur*. In istis tribus supradictis nationibus erant tres Reges ad minus, & aliquando plures, sicut in Hebræis Rex Iuda, & Rex Israelis, quòd Idumæi haberent Regem patet infra 36. cap. cùm dicitur vers. 31. *Reges autem, qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent regem filij Israel fuerunt hi*. De hoc etiam in libris Regum, & Paralipomenon, quòd ante Amalachitæ habuerint Reges patet de Rege Agag, quem comprehendit Saul, quia ille erat Amalachita, vt patet 1. Regum cap. 15.

51 *Cecidit Abraham in faciem suam*. Chaldæus habet. *Et gauisus est*. Idest Abraham humiliauit se vsquè ad terram, vt daret Deo gratias pro tanto promisso beneficio; pro quo gaudens risit. *Ex hoc actu ridendi* (inquit Caietanus) *iuncto actui prostrationis propriæ super faciem suam, insinuatur quòd Abraham non erat in Ecstasi, sed in vsu sensuum, & membrorum externorum; iam enim bis in hoc colloquio prostrauit se: & hac secunda vice adiunxit risum*. Vers. 17.

52 *Et risit:* S.P.N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 31. impress. alibi cit. col. 3. pag. 206. explicans dicit: *Risus Abrahæ exultatio est gratulantis, non irrisio diffidentis*. Et patet qui si risisset, quasi irridendo, vel desperando increpatus fuisset, sicut vxor increpata fuit seq. cap. Risus autem est concitatior quidam animi ex re iucunda motus, ad conceptum intùs gaudium explicandum. Secundùm vero Cassiodorum super Psal. *Risus est vox confusa lætitia, insultationem immoderata hilaritate denuntians*.

53 *Dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius?* S. P. N. Augu-

ſtinus ſupra datus dicit; *Verba quoque illa, ſi mihi centenario naſcetur filius, non ſunt dubitantis, ſed admirantis*. Iſta autem verba intra ſe dixiſſe Abraham credendum eſt, ſed tantum eſt, ac ſi extrà protuliſſet, quia Deus non magis ſic, quàm ſic intelligit, cùm omnia ei æqualiter nota ſint, & nota ante eum, & nuda oculis eius, vt patet ex cap. 4. ad Hebræos. Vnde benè explicat SS. Parens, quòd iſta non dubitantis, ſed admirantis verba fuerunt; mirabatur enim Abraham intra ſe dicens; ò Domine Deus omnipotens tantam gratiam facies mihi, vt habenti iam centum annos naſcatur filius?

Deo omnia ſunt manifeſta.

54 Notandum, quòd non eſt intelligendum Abraham tunc centum annos habuiſſe, quia ſupra dictum fuit quòd nonaginta nouem annorum erat, quando iſta viſio facta fuit; ſed hoc refertur ad tempus futurum, quo filius naſci debebat; quaſi dicat ego nunc ſum nonaginta annorum, & nouem; Si igitur gignere debeo filium, ad minus, quando ipſe natus fuerit, ego centum annorum ero. Sic Abulenſis, Pererius, & alij.

55 *Et Sara nonagenaria pariet?* Patet ex hoc conſequenter, quòd Abraham erat maior decem annis Sara, quia vocat ſe centenarium, & ipſam nonagenariam. Sciendum ergo eſt, quòd non erat tunc Sara nonaginta annorum; ſed octoginta nouem: in anno tamen ſequenti, quando fœtum ad lucem emitteret, tunc completura erat nonaginta.

Verſ. 18. 56 *Dixitque ad Deum: Vtinam Iſmael viuat coràm te*. Hoc dixit, veritus fortaſſe ne Deus tolleret ſibi Iſmaelem, quando optabiliorem ſibi melioremque prolem daturus erat. Aut tanta Dei benignitate, ac munificentia factus alacrior, & audentior ad optandum, petendumq; rogat, vt qui maiora promiſit, minora ne deneget, & ad cumulum promiſſi beneficij, & gaudij, accedat incolumitas, & proſperitas Iſmaelis. Illud *viuat coram te*, vel eſt, te conſeruante, & proſperante ipſum; vel, tibi placitus, & acceptus, tuæque voluntati, ac præceptis obtemperans.

57 Vel: *Dixitque ad Deum vtinam Iſmael viuat coràm te*: ideſt, promittis ò Domine, me ex Sara filio donandum, cum me iam ex Agar parentem effeceris. Indignus ſum tanta beneficij multiplicatione; nec noui filij anxius ero, ſi à te accipiam, vt Iſmael quem dediſti mihi, ita iuſtè viuat, vt tuis oculis ſemper placeat. Tunc quidem me abundanti familia filiorum donatum reputabo.

58 *Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium*. Alij, *verè, in veritate, eccè, imò*; אבל *Abal*. non ſolùm Verſ. 19.
verè, vel in veritate, ſed & eccè, etiam, imò ſignificat, & ſic alij expreſſiùs promiſſionem Dei, quod futurus eſſet pater, & Sara mater Iſaac, dixerunt: Caietanus verò explicat: & ait Dominus ad Abraham: *Iuxtà hebræum habetur, & dixit* אלהים *Iam reddita eſt ratio ex materia fœderis quare Moyſes vtitur nomen* אלהים, Sara vxor tua. *Deficit vna dictio. Legendum eſt, Sed Sara vxor tua pariet tibi filium. Aduerſatiuè reſpondet interpretationi Abrahæ circa ſenſum verborum diuinorum, manifeſtando quòd Sara vxor eius pariet ei filium*.

59 *Vocabiſque nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum*. Iſaac interpretatur *Riſus*, à radice צחק *Iſachal*, ideſt riſit, ita dictus eſt Iſaac, ob riſum, & gaudium Abrahæ, cùm audit à Deo eum ſibi naſciturum. Poſteà Sara pariter ridens, & gaudens de nato hoc ſibi filio, hoc nomen iam datum iterat, & confirmat cap. 21. verſ. 6. dicens: *Riſum fecit mihi Deus: & quicumque audierit corridebit mihi*. Iſaac à Prudentio eleganter denominatus fuit *Senile Pignus*; nam fuit ſenis Abrahami vnicus hæres.

60 *Super Iſmael quoque exaudiui te*: Verſ. 20.
ideſt ſicut tu rogaſti me, vt viueret coràm me, ita & exaudio te. *Benedicam ei* dando poſteritatem quantum ad omnia; *& augebo* in bonis exterioribus. *Et multiplicabo* in prole, *duodecim duces generabit*, quorum nomina ponuntur infra cap. 25. Iſti duces filij eius fuerunt, & vocantur duces (inquit Abulenſis) quia tantum in prole creuerunt, quòd antequam morerentur tanta multitudo erat eorum, quòd duces conuenienter vocabantur. *Et faciam illum creſcere in gentem magnam*. Agareni enim deſcendentes de Iſmaele in valdè grandi magna multitudine ſunt vt ſuperiùs non ſemel diximus.

61 *Pactum verò meum ſtatuam ad Iſaac,* Verſ. 21.
quem pariet tibi Sara tempore iſto in anno altero. Cum Iſaaco meum eſt pactum ſtatuendum non cum Iſmaele; Chriſtus enim ex Iſaaco, non ex Iſmaele eſt naſciturus. Sic colligitur ex Caietano, qui pag. 87. dicit: *Quamuis effecero Iſmaelem tàm magnum, fœdus tamen meum non cum ipſo, ſed cum Iſaac firmabitur; vt*

longè

Digitized by Google

longè maior prænuncietur Isaac quàm Ismael.

Vers. 22. 62 *Cùmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ab Abraham.* Alij, *absoluit ad loquendum, &c.* scilicet cùm absoluisset sermonem de præcepto circumcisionis, & de fæcunditate Saræ. *Ascendit Deus ab Abraham*, idest disparuit apparitio, & visio illa Angeli vice Dei loquentis.

Vers. 23. 63 *Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ*, Idest seruos natos in domo sua &c. narratur hic prompta executio facta eodem die quo habuerat visionem, *Et hinc colligitur*, inquit Caietanus, *quòd nocturna, seu matutina fuerit hæc visio prænarrata.*

Vers. 24. 64 *Abraham nonaginta, & nouem erat annorum quando circumcidit carnem præputij sui.* Dicit Rabbi Aben Ezra, *quòd multum Deo gratulandum est, quia antè generationem Isaac fecit Abraham circumcidi, vt Isaac in puritate conciperetur de semine benedicto.* Sed ista nihil sunt, quia circumcisio, aut proderat secundùm se ad bonitatem seminis, & hoc falsum est, quia bonitas sua, vel malitia accipitur ab interiori temperie membrorum, à quibus descinditur, & alimentorum, a quibus causatur superfluum digestionis, nihil ergo facit in se ipsa cùm sit priuatio, & aliquid valdè remotum. Si accipiatur bonitas seminis, quantùm ad Dei gratificationem, hoc nihil est, quia ante circumcisionem credidit Deo Abraham, & reputatum est ei ad iustitiam sinè circumcisione: ergo placuit, vt inducit Apostolus ad Romanos, & Actuum Apostol. cap. 10. dicitur fide purificans corda eorum, vbi probat Beatus Petrus, quòd Deus sinè circumcisione purificat, & gratificat sibi corda nostra per fidem.

Vers. 25. 65 *Et Ismael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ.* Ex hoc obseruant Agareni, quòd circumcidant filios suos in tertiodecimo anno. Sed in hoc transgrediebantur regulam de circumcisione datam, scilicet, in octauo die: nam quòd fuerit Ismael Circumcisus in anno tertiodecimo non fuit exemplum, vt in anno tertiodecimo circumciderentur cùm data fuerit lex, quòd infans octo dierum circumcidetur, sed hoc accidit ex euentu, quia tunc eodem modo arguere deberent Iudæi debere se circumcidi anno nonagesimo nono, quia, tunc circumcisus est Abraham, sed non fuit sic. Hoc colligitur ex Abulensi, Lyrano, & Estio qui hæc habet: *Hinc scilicet Ismaelitæ, siue Agareni, qui se Saracenos vocant, & Mahometicam sequuntur Religionem, etiamnum multi decimotertio ætatis anno circumciduntur. Non tamen omnes Mahometani seruant hunc morem, sed quidam seriùs, quidam tardiùs circumciduntur, vt fit; quando relicta lege Dei quisque sibi vult legem fingere.* Id confirmat etiam Ioseph lib. 1. cap. 12. Caietanus verò dicit: Narratur ætas Abrahæ, & Ismaelis; verùm in Hebræo non legitur quòd Ismael impleuerat tredecim annos (vt sinat vulgata æditio) sed quòd Ismael erat filius tredecim annorum.

In quo anno Abraham circumcisus fit.

66 *Eadem die circumcisus Abraham, & Ismael filius eius.* Hic ostenditur prompta obedientia Abrahæ in adimplendo circumcisionis præceptum, nam ipso eodem die, & se, filiumque suum Ismaelem circumcidit. Vers. 26.

67 *Et omnes viri Domus illius tàm Vernaculi, quàm emptitij, & alienigenæ pariter circumcisi sunt.* Idest non solùm illi, qui Iudæi erant, sed etiam de quacumque gente natus esset, & qui inter Hebræos morarentur, necesse erat circumcidi, aliàs non admitterentur ad cibos Iudæorum, vt ad Agnum Paschalem comedendum: De quo habetur largè Exodi cap. 12. Caietanus inquit: *Narratur, quòd non successiuis diebus, sed vno eodemque die Abraham, & Ismael, & vniuersa familia masculini sexus circumcisi sunt. Corrige tamen literam dicentem, & Alienigenæ. Legendum est. Et emptus argento à filio alienigenæ; non enim significantur alienigenæ alij, quàm emptitij.* Vers. 27.

ANNOTATIO MORALIS.

Vers. 1.

68 P*Ostquam verò nonaginta, & nouem annorum esse caperat, apparuit ei Dominus*: Hic Deus accedens ad Abraham recepit promissionem de habendo filio, mutato etiam eius nomine; per quod signatur, quòd homo accedens ad seruitutem Dei, & ad morum perfectionem recipit promissionem de habendo risu æterno, & mutationem nominis, de quo dicitur Oseæ cap. 1. vers. 10. *Et eris in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: filij Dei viuentis*. Vides mutationem nominis? Primò enim non populus Dei; postea filij Dei dicuntur.

Homo accedens ad seruitutem Dei accipit promissionem, & quam.

69 *Ego Deus omnipotens*: Iam in literali expositione ostendimus, interpretari: Ego sum Deus *Saddai* idest liberalis, copiosissimus, ditissimus, & munificentissimus. O' cor humanum quo aspiras? Quid quæris, quid appetis, quid cupis? Vana huius mundi apparentia, fucata, insatiabilia? O' inane desiderium! Verte verte, ad *Saddai* tuum æternum Dominum; Ipse veræ vitæ omnisque appetibilis boni est viuus fons; Si gloriam cupis, audi Psalmistam Psal. 111. vers. 3. *Gloria, & diuitiæ in domo eius*. Si pulchritudinem desideras; audi Matthæum cap. 13. vers. 43. *Iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*. Si sapientiam amas, audi Apostolum ad Romanos cap. 11. vers. 33. *O' altitudo diuitiarum Sapientiæ, & scientiæ Dei*. Si cupis sapores, delicias, vinum, audi Citharedum Psal. 16. vers. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*. Et Psal. 35. vers. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*. Ergo dic cum S. P. N. Augustino. *Inquietum est cor meum Domine donec requiescat in te*; & cum S. Ludouico. *Diuitiæ meæ Christus, desint cætera. Omnis copia, quæ Deus meus non est, mihi inopia est*.

Omnia in Deo, extrà Deum nihil.

70 *Ambula coràm me, & esto perfectus*. Septuaginta habet, & *esto irreprehensibilis* ambulans coràm me. Nam qui studet præsentiam Dei præ oculis habere, sic assolet sensus internos moderari, vt ad egregias virtutum exsurgat actiones. Insuper *Ambula coràm me*: oportet benè agere, & vt benè agamus, oportet considerare, quòd coram Deo ambulamus; *Magna est nobis necessitas* (inquit Boetius in consolatione philosophiæ) *benè agendi, si dissimulare non volumus, quia cuncta agimus antè oculos iudicis cuncta cernentis*.

Præsentia Dei in anima fructus eximij.

71 Vel dic: *Ego Deus omnipotens: ambula coràm me, & esto perfectus*. Hìc describuntur tres status incipientis, proficientis, & perfecti, seu tres viæ purgatiua, illuminatiua, & vnitiua: *Ego Deus*, eccè status incipientium: *Ambula coràm me*; eccè status proficientium: *Et esto perfectus*; eccè status perfectorum. Nota: Perfectionis quatuor gradus: & consistit totum perfectionis pondus in despiciendo mundum; Anima enim tunc perfecta est, quando ab ipsa mundus perfectè despicitur; sicut docuit Christus Lucæ cap. 18. vers. 22. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo*. Primùs ergo est in affectu voluntatis: secundùs, in affectu alienationis: Tertius in profectu erogationis: quartum in prouentu sperandæ retributionis. Quia sicut ait S. Gregorius in moral. *Velle, mente ire est*: volentem enim sequitur opus: alienando prorsùs mundum despicimus: erogando, proximum diligimus, dum necessitati ipsius de nostro subuenimus. Indè, sperando nos habituros præmia in cælo, thesaurizamus, & sursùm cor eleuamus; sicut Sancti Martyres (Psal. 125. vers. 6.) *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos*.

Tres status perfectionis.

Perfectionis quatuor gradus.

72 *Ponamque fœdus meum inter me, & te*. Considera quomodò Deus antè hanc promissionem fœderis, Abrahamo perfectionem indicit: esto perfectus: vndè dic: Ex nostra quippè operatione assolet diuinæ promissionis ratitudo pendere. O' quoties Dei promissa ad effectus non perducuntur, quia nostra obstaculum apposuere piacula! Vers. 2.

Assolet & nostro opere ratitudo promissionis diuinæ pendere.

73 *Cecidit Abram pronus in faciem*. Boni cadunt in faciem humiliando se in conspectu Dei; vndè inibo S. Ioannes Chrysostomus dixit: *Quæ figura indicauit gratitudinem. Non solùm enim tunc non fuit factus arrogantior, nec superbiebat propter fauorem Dei, quem experiebatur,* Vers. 3.

batur, sed & multò magis humiliabatur. Grata enim anima quantò maiori fruuntur fiducia, tantò maiorem Deo reuerentiam exhibent.

Boni vident vbi cadunt, secùs verò mali.

74 Nota quòd Boni vident vbi cadunt (& ideò dixit ad Philippenses Apostolus de se cap. 3. vers. 13. *Quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum* :) idest, in anteriora se extendentes, posteriorum obliti, hinc Abraham; *Cecidit in faciem*. Mali verò cadunt retrò, non videntes vbi cadunt: de quo casu infrà cap. 49. vers. 17. dicitur: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò.*

Vers. 4. 75 *Dixitque ei Deus: Ego sum*: æternus, & immutabilis in promissis: Iusto enim quid promittit æternus Deus; nisi æterna bona immarcescibili æternitate capienda? Malo autem quid aliud ni pœnas æternas interminabili æternitate sufferendas? O fælix præmij, ò pœnæ infelix æternitas? stat Deus in promissis immutabilis. O æternitas! *Incuruati sunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius*, inquit Abacuc cap. 3. vers. 6. Colles mundi, corda sunt peccatorum per superbiam eleuata: ista ergo incuruantur, cùm æternitatem meditantur, idest humiliantur, & sic humiliata saluantur. At non solùm pœnarum æternitas recogitata, à vitijs nos arcebit, sed etiam æterna gaudia, quæ humili, sincero, & simplici homini, in cœlis parata sunt, & visibilium fallacitas, quibus inhiat caro nostra, pro quo etiam Rhytmi sequentes iuuabunt.

Æternitatis descriptio.

Hæc voluas animo: stat certa ęternitas.
Aut cœlo recreans felix æternitas.
Aut flāmis crucians tristis æternitas.
Honores fugiunt, manet æternitas:
Opes deficiunt, viget æternitas.
Voluptas desinit, durat æternitas.
Mūdana pereunt, perstat æternitas.
Et pro tā vilibus, tàm sæua æternitas.
Pro tā fragilibus, tā firma æternitas.
Pro tàm fallacibus, tā vera æternitas.
Pro tàm fugacibus æterna æternitas.
Quis pro tàm breuibus, æterna deligat?
Pro vano suauio, tormenta redimat?
Quæ sęua æternitas, ęternū renouat?
Nullaque ęternitas, ęternū mitigat?
Quid ergo fimus, puluisque extolleris?
In locos noxios, cur sic effunderis?
Qui forsan hodie, viuis eriperis?
Et duro Iudici damnandus sisteris?
Quid mūdū respicis? sunt cūcta vanitas.
Quid fidis opibus? non est stabilitas.
Momentis singulis terret æternitas.
Quoquò te verteris, adest æternitas.
Hìc Baccho, Venere, luxuque pasceris.
Hìc bonis omnibus, pro voto frueris,
Momento pasceris, momento frueris,
Ibi perpetuis flammis torqueberis.
Tunc fies ignium fomes perennium
Ludus carnificū; semper torquentiū
Dolorum pelagus, nunquā cessātium
Heu, quæ mutatio rerum præsentiū!
Quis ista cogitans, non totus horreat?
Quis hęc intelligēs, nō mēte paueat?
Quem nō æternitas, tā dira moueat?
Vt tandem sapiat, & vitam corrigat?
O longa nimium, pœnarū immensitas!
O vera, & effera flāmarum atrocitas!
O ineffabilis dolorum acerbitas!
O finem nesciens, æterna æternitas!
Felix, quem timidum reddit æternitas!
Æternum proderit talis timiditas.
Hinc enim pietas, hinc morū Sāctitas.
Hinc tādem sequitur felix æternitas.

76 *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te*. S. Antonius de Padua Serm. 1. de vno Confessore, retentam eiusdem nominis Abraham significationem intelligit, & applicat diuersimodè dicens, Ecclesiastici cap. 44. vers. 20. *Non est inuentus similis illi, qui conseruauit legem excelsi*, dicitur de Abraham, qui interpretatur *Pater multarum gentium*; per quem donum fortitudinis intelligitur, quę multis idest carnalibus gentibus dominatur viriliter. Hic benè conseruat legem excelsi, dum vinculo mandatorum Dei sensus suos ligat ab illicitis cohibendo. *Lex* enim *à ligando* dicitur Esaię cap. 8. vers. 16. *Liga testimonium, signa legem in discipulis meis*, idest cogitationibus disciplinatis, & sic in plebem Domini, & fortiter agendo bona, & patiendo mala, assiduè sibi merita cumulat. Prouerb. cap. 10. vers. 4. *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat*. Et cap. 14. vers. 4. *Vbi plurimæ segetes, manifesta est fortitudo bouis.* Vers. 5.

77 *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham.* Explicat huius rei secreta D. Antonius Vlyssiponensis in sua mystica in Genesim expositione: Sed audiant Prælati quæ muneris sui sunt. *Quando Dominus fecit Abraham Prælatum*, Thaumaturgus Lusitanus inquit, *Quando scilicet fecit sibi promissionem de multiplicatione seminis sui auxit ei nomen, vocando eum Abraham, qui interpretatur Pater multa-*

rum

rum gentium, quod importat solicitudinem: Abram interpretatur excelsus, vndè accepit solicitudinem, & dimisit celsitudinem; & ita debent facere Prælati, sed oppositum operantur; quando enim efficiuntur Prælati, dimittunt solicitudinem, & accipiunt celsitudinem. Hæc D. Antonius. Verùm qui Præsul est factus, ne sibi dumtaxat placeat de nomine Prælati, meliores quæso assumat cogitationes: Prælatum nomen est magis oneris, quàm honoris, solicitudinis, & curæ schema, non celsitudinis, & eminentiæ, quia si tantùm oculos in dignitatem intendit (quisquis Prælatus est) non de re, sed de sola magni nominis vmbra gloriatur.

Nomen Prelaturæ magis oneris est, quàm honoris.

Vers. 6.

78 *Faciamque te crescere vehementissimè*. Lippomanus in Catena ibid. ita hunc locum, & ex Hebræo exscribit, & ex multorum sententia exponit: *Ego te multiplico valdè valdè, non tuapte virtute multiplicaberis. Ideoque in nonagesimum nonum sterilitatis te distuli annum, vt experiaris impotentiam tuam: nam sinè me semper sterilis futurus eras cum coniuge tua Sarai. Fructus itaque tuus mihi imputandus est, non tibi*. Scilicet cùm eximius hominis fructus, non homini, sed Deo imputatur totus, tunc, tunc quidem homo *crescit vehementissimè, & multiplicatur valdè valdè*. Abdicatio boni operis, qua illud vni Deo imputatur, est maximum hominis incrementum. Non à propria hominis, sed ab vnius Dei spectata gloria, hominis virtus fastigiatur ad summum. Quando Abrahami opera vni Deo adscribuntur, & illius gloriæ imputantur, si excrescit ad gratiam, sic adulta adipatur virtute, & excelsè incrementatur, vt tunc opportunè dicatur, *multiplicare valdè valdè, & crescere vehementissimè*.

Cùm homo ad vnius Dei gloriam in opere spectat tunc crescit vehementissimè.

Vers. 7.

79 *Et statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus; & seminis tui post te*. Deus omnium non omnibus se Deum esse manifestat, eorum vtique vitio, qui munificentissimi solis nolunt lumini aperire præcordia.

Deus omnium non omnibus se Deū esse manifestat.

Vers. 8.

80 *Daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ*. Terra quæ parenti fuit peregrinationis, filijs, ac posteris erit æterna possessio. Piorum enim parentum labores, filiorum requie hìc assolent munerari. Laborent ergò piè parentes, vt filij requiescant.

Laborent piè parentes vt filij requiescant.

81 *Et omnem terram Chanaan in possessionem æternam*. Inquit Rupertus. *Sub nomine terræ Chanaan rectè intelligitur illa* terra viuentium, *quæ euomuit maledictum illum Chanaan, qui verè ex antiquo maledictus est, idest, diabolum: quam videlicet terram per fidem prædictum Abrahæ semen possidebit in æternum*. Porrò eroque *Deus eorum*, quia ea lege dabo terram promissionis vtramque, & temporariam hæreditatem, & cælestis fælicitatis æternam, si me vt Deum suum coluerint. Nec enim Dei munera æterna legis violatoribus adscribuntur; temporaria autem plerumque sequuntur iustitiam; & si quando exhibentur iniustis supplicium est vitiorum, non præmium virtutum; quia vberiori iniquitati materiam impertiunt.

82 *Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis*. Docet hic Deus Concionatores sæpè vtilia documenta inculcare: nec enim satis dicitur, quòd ab auditoribus non satis impletur. Hinc voluntatem Dei manifestando clarò, & distinctè Prædicator loquatur; *Quia* (inquit Rabanus in cap. 10. Num. *Qui multitudini verbum Dei prædicat, simpliciter, & apertè debet loqui, vt multi intelligant, & ædificentur, ne si obscurè, & insolenter prædicauerit auditores recedant vacui*. Vndè Apostolus prima ad Corinthios cap. 14. vers. 6. dixit *Fratres si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar, aut in reuelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina* (vers. 26.) *Omnia ad ædificationem fiant*. Quid enim prodest locutionis integritas, si audientem non ædificat? Qui ergo docet, vitet omnia verba, quæ non docent, est autem optimus docendi modus, quo fit, vt qui audit, veritatem audiat, & intelligat, bonique ingenij insignis indoles in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si non aperiat? & quid obest lignea si aperiat? Nihil enim quærimus, nisi vt pateat, quod clausum est.

Vers. 9.

Concionatores vtilia semper inculcent documenta, quia numquam satis dicitur, quod non satis impletur.

83 *Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum*. Hæc Circumcisio ostendit Dominum nostræ amatorem esse castitatis. Vndè S. Ambrosius lib. de Abr. ibiquè dicit: *Circumcisio Carnis, euidens præceptum est castimoniæ, vt aliquis resecet libidinem carnis, & indomitas luxu, ac lasciuia refrænet cupiditates. Id enim circumcisionis vocabulo præscribitur, vt omnis impuritatis fætor abstergatur, & incentiuum libidinis auferatur*. Et Interlin. cum

Vers. 10.

Castitatis amator Dominus.

cum Alcuino scribit. *Vel in illo membro circumcisio præcepta est, quo libido solet dominari, quo circumcisus castitatem esse sibi seruandam; & impudicitiam recidendam cognosceres*.

84 Vel dic; *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*. Mortificatio carnis ad perfectionem pertinet. Vndè Interlinearis scribit: *Ad omnem perfectionem spiritualem pertinet circumcisio. Circumcidendi enim sunt omnes sensus*.

Vers. 11. 85 *Et circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos*. Origenes homil. 3. moralitatem afferens dicit: *Circumcisio illa carnalis, circumcisionis spiritualis formam gerebat. Vnde & Paulus*, sed qui in occulto Iudæus est, circumcisione cordis in spiritu, non litera, *Circumcisus est corde, qui puram fidem in conscientiæ sinceritate custodit, de quo dici potest*, Beati mundo corde, &c. *Qui verò obscænis desiderijs, & fœdis cupiditatibus æstuat*, qui mæchatur in corde, &c, *hic incircumcisus est corde*.

Vers. 12. 86 *Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tàm vernaculus, quàm empticius circumcidetur, &c*. S. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 11. *Mysticum intellectum suggerit dicendo. Si ad singula referas vernaculi sunt motus naturales; pretio empti ratione, & doctrina adquisiti: egent autem illi, & hi, tanquam virgulta, purgatione, & incisione luxuriæ*. Verùm esto, naturales motus, qui belluinam sapiunt conditionem, correctionem postulent, sed quam ob causam motus ratione, & doctrina adquisiti, eandem desiderare videantur? Quem enim in finem scientia, & iudicij subseruiat regula, nisi vt in motibus nihil appareat distortum, nihil vacuum, nihil abundans? Num rectè igitur D. Ambrosius consulat præter indisciplinatos motus, etiam rationalium faciendam incisionem? Optimè quidem Sanctus Doctor: Nam quantumcumque aduelet ratio, & doctrina conetur, metuendum semper; nam aduersarij tanta est in fallendo subtilitas, vt etiam doctrinæ se ingerat, & procuret solerter inducere, vt doctrinæ natum ex visceribus intelligatur, quod exitus rerum deceptionem, & errorem fuisse ostendit, nisi enim, cum doctrinæ imaginibus ludificet, nihil faciat, quod namque apertè constat errorem haberi, quisque facilè vitat, vbi veritatem præstigiæ mentiuntur, ibi Magisterij acris interueniat diligentia, necessarium: rectè igitur, & ipsosmet doctrinæ, & rationis partus examinandos esse, & quod super effluat, præscindendum esse, adhortatur.

Non solùm vernaculi, idest motus naturales, sed etiam empititij, idest, ratione, & doctrina acquisiti, a quibus cauendū est, etiam, circumcidi iubentur.

Vide supra vers. 4. vers. 7. vers. 9. & 10. Vers. 13.

87 *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit*, Parentum nimia erga vulnerandos filios indulgentia, assolet in ipsis acriùs puniri. Supplicium leue pueritiæ non inflictum sæpè capitali filiorum supplicio in ætate adulta compensatur. Hinc ab ineunte ætate in virtute educandi sunt pueri; vndè D. Basilius in regulis fusiùs disputatis, interrogatione 15. *Quamobrem* inquit, *animus dum tener est adhuc, & ritu ceræ quæ ipsa impressas in se formas quascumque facillimè recipit, mollissimè redit, confestim ab ipso initio omni rerum bonarum imbui exercitatione debet. Quo videlicet vbi postea rationis vsus accesserit, & habitum illum rerum dijudicandarum ætas maior attulerit, pietati iam ab ineunte ætate assuetus, nullo impedimento cursu vtatur faciliore. Cùm & ratio quid expediat, admoneat, & ad id assequendum facilitatem præbeat consuetudo*. Vers. 14.

Filij in virtute à pueritia educandi.

88 *Dixit quoque Deus ad Abraham; Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram*. Cùm nomen viri augetur, nomen vxoris & augeri oportet. Abram Abraham appellatur? Sarai Sara vocitetur Ne vllum augmentum aspiciatur in marito, quod ad vxoris non transeat augmentum. Vt taxentur mariti, qui cunctas sibi, spreta vxore, adscribunt commoditates. Vers. 15.

Nullum in marito aspiciatur augmentum, quod ad vxoris augmentum non transeat.

89 *Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo*. Priùs quidem Sara à Deo benedicitur, quàm filij nascituri promissio fiat. Crediderim, ideò fortasse plurium fœminarum produci, quia Dei affectæ sunt maledictione. Si iniustitia laborant, si voluptati studium impendentes maledictionem Dei incurrunt: quomodo à Numine læso sperant donari fœcunditate? Vers. 16.

90 *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit*. Abaham quia iustus habuit posteritatis lætitiam; *Et tu*, inquit ibidem Mediolanensium Pastor, *Si perfectus fueris, habebis posteritatis lætitiam, exultationis hæreditatem sicut Abraham, centenario numero perfectus*. Vers. 17.

91 *Dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? Et Sara nonagenaria*

Digitized by Google

ria pariet? Rupertus ibidem: scribit: *Non dubitando, sed suam ipse felicitatem ineffabiliter admirando. Plauè reuerentis, & puderati animi est, confitentis, illud quod promittebatur, longè abundantiùs esse quàm petere ipse auderet. Sanctorum mysticè hac vox est;* putasne centenario nascetur filius? *Cùm floreret rerum status temporibus regum nobilium, non venit Christus; sed cùm ablatum est sceptrum de Iuda, & dux de femore eius. Tunc enim quasi quoddam senium erat Abrahæ. Putasne ergo nunc veniet qui mittendus est? Dicebant sancti illius temporis; putas, videbo? putas, durabo? Putas hic me inueniet illa natiuitas? Eorum huiusmodi suspiria Simeonis expectatio satis indicat, qui in desiderio cordis sui responsum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem nisi priùs videret Christum Domini.*

Vers. 18. 92 *Dixitque ad Deum: Vtinam Ismael viuat coràm te.* Tunc debent pij parentes existimare se filios habere, quando vident eos coràm Deo procedere. At improbi filij abnegant se parentes existere.

Vers. 19. 93 *Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac,* &c. Hic habes quomodo gratitudo Deum excitat ad muneris celsioris collationem. Hinc dixit Cass. in Psal. *Meliora meretur suscipere, qui collata bona de corde non probatur amittere:* Insuper Mellifluus Doctor super Cantic. serm. 13. admonet nos dicens: *de omni bono apparenti à nobis referantur Deo laudes: idque non fictè, quemadmodum ab hypocritis, nec sola consuetudine sicut à sæcularibus, sed nec quadam necessitate, vt iumenta ferendis oneribus applicantur: sed sicut decet sanctos, sinceritate fida, deuotione solicita, hilaritate grata, sed non dissoluta.*

Gratitudo excitat Deũ ad conferenda maiora.

Vers. 20. 94 *Super Ismael quoque exaudiui te: Ecce benedicam ei, &c.* S. Ioannes Chrysostomus moralitatem afferens in hunc locum sic dicit: *Considera hic in iusto impletum illud* (Matthæi cap. 19. vers. 29. Qui reliquerit patrem, & matrem, vel domum, aut fratres, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.) *Si quis enim vult benè intueri, quoniam iustus reliquit domum paternam præcepto Domini obediens, non solùm centuplum accepit, sed decies millies millecupla. Quod si hic tanta consecutus est, quis enarrabit quæ post hæc consecuturus sit. Hæc audientes discamus promptam Dei præceptis exhibere obedientiam, & nunquam in laboribus virtutum, vel dormitare, vel tepescere.*

Pro Deo omnia relinquenda.

95 *Duodecim duces generabit.* Interlin. & Rabanus dicunt: *Ex duodecim enim patriarchis geniti, & in duodecim tribus sũt diuisi: vel duodecim duces, duodecim Apostoli sunt, qui de Iudaica plebe fuerunt.*

96 *Pactum meum statuam ad Isaac.* Vers. 21. Nota *ad Isaac* pactum Dei, non autem ad Ismaelem statuitur. Quid significat enim Isaac? *risus*. Quid Ismael? *ferus*. Benè ergo Christus diues in misericordijs non ex feritate, sed ex risu nascendus promittitur. Quid nam feritas Ismaelis nisi iracundiam generaret? Filij enim parentum assolent mores exprimere.

Filij mores exprimunt parentum.

97 *Cùmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit Deus ad Abraham.* Vers. 22. Ascensus iste notat, quòd quantò magis homo diuina perscrutatur in corde suo, tantò magis incomprehensibilem se ostendit Deus: Vndè cecinit Sacer Vates Psal. 63. vers. 8. *Accedet homo ad cor altum: & exaltabitur Deus.*

98 *Tulit autem Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, &c.* Vers. 23. Vide quomodo in domo Abrahami, mali & boni simul erant. Vndè dic ad mores, quod societas iustorum, & malorum simul fit vtilis; quod morale ex D. Ioanne Chrysostomo accepi dicente ibidem: *Ea enim de causa communis omnium Dominus permisit, simul versari bonos, & malos, vt boni lucrifaciant malos. Nihil enim adeò gratum est Deo, vt salus animarum, nam sicut peccatores non solùm puniuntur quòd ipsi peccauerunt, sed & quod alijs scandalo sunt: Ità & qui virtutem amplexati duplicem mercedem à Deo accipiunt, tum quòd ipsi virtutem exercuerint, tum quòd alios ad virtutis communionem traxerint.*

Sæpè societas iustorum & malorum simul, vtilis.

99 Vel dic: *Tulit autem Abraham Ismael: vernaculos vniuersosque, & cunctos mares, & circumcidit.* Qui omnes non renuerunt vulnere affici, quod priùs vnico tunc filio videbant infligi. Certè cùm Præsul ad legum impletionem filio non parcit, nullus subditus potest humeros à iugo eximere.

Præsul primus ad exemplar.

100 *Circumcidit carnem præputij eorum statim in ipsa die.* Morale audi documentum ex D. Bernardo Serm. de virtute obedientiæ. *Fidelis obediens,* inquit, *nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem; parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes: totum se colligit vt imperantis compleat voluntatem.* Sic habes quòd obedientia complenda est sine mora.

Obedientia sine mora complenda.

102 Vel dic Circumcidit vernaculos

los Ifmaelem , & omnes mares Abraham . Hoc fignificat quòd nullus excluditur à fpirituali circumcifione : nifi ipfe fpontaneus fe excludat : *Non* (enim inquit Apoftolorum Princeps . Act. cap. 10. verf. 34.) *eft perfonarum acceptor Deus* : (verf. 35.) *fed in omni gente, qui timet eum , & operatur iuftitiam acceptus eft illi*.

Verf. 24. 103 *Abraham nonaginta , & nouem erat annorum quando circumcidit carnem præputij fui*. Ad perfectionis curfum , ad pœnitentiæ iter omnis ætas bona , nam in ætate qualibet funt agēda, quæ decent; fi adolefcens es, pænitere decet, *bonum* enim *eft viro cum portauerit iugum ab adolefcentia fua*, Threni cap. 3. verf. 27. fi vir es, pænitere decet, nam inquit Chriftus Matthæi cap. 11. verf. 29. *Tollite iugum meum fuper vos*. Si fenex, & pænitere decet nam *iugum* Chrifti *fuaue eft*; Ergo fcribit S. Ambrofius lib. 1. de officijs in omni *feruandum ætate puto, vt deceat quod agas, & conueniat, & quadret fibi ordo vitæ tuæ*; qualis nam eft *ordo veræ vitæ tuæ?* Vis fcire, de die in diem ad perfectionem tendere.

Omnis ætati ad perfectionem bona.

Verf. 25. 104 *Et Ifmael filius tredecim annos impleuerat tempore circumcifionis fuæ*. Ætas non facit ad virtutem; Vndè Mediolanenfium Paftor in epiftola ad Virgines tom. 1. de paffione fanctæ Agnetis, refert ipfam fanctam Præfidi inter cætera talia refpondiffe. *Fides non in annis, fed in fenfibus geritur: & Deus omnipotens mentes magis probat, quàm ætates*.

Verf. 26. 105 *Eadem die Circumcifus eft Abraham, & Ifmael filius eius*. Dum præcepta Dei adimplentur dies commemoratur , nam iuftis , & fanctis femper dies eft : hinc non impropriè fcripfit S. Ambrofius lib. fuper Beati immaculati lit. 12. verf. 3. tom. 4. *Sunt quibus femper dies eft : illis vtique, quibus adeft Chriftus : qui dicit, Ambulate dum lucem habetis. Hic eft dies quem vidit Abraham, dies remiffionis peccatorum, de quo legis; hic eft dies quem fecit Dominus, exultemus, & lætemur in eo*.

Iuftis femper eft dies.

Verf. 27. 106 *Et omnes viri domus illius , tàm vernaculi, quàm emptitij , & alienigenæ pariter circumcifi funt*. Vides hìc quantum profuit exemplum Abrahami, ipfo fe circumcidente , omnes ab ipfo circumcidi non renuerunt. Prælatus enim fpeculum eft in quo quod fubditi vident agunt. Hinc S. Hieronymus Epift. ad Heliodorum fcribit: *Domus Epifcopi, & conuerfatio quafi in fpeculo pofita, magiftra eft politicæ difciplinæ : quidquid fecerit, id fibi omnes faciendum putant*. Ab vno rectore cùm populi falus, vel perditio dependeat; vnum Petrum legitur increpaffe Chriftus , quamuis Apoftolos omnes dormientes inuenerit, *Et venit, & inuenit eos dormientes. Et ait Petro, Simon, dormis ?* Marci cap. 14. verf. 37. Quia cùm Apoftolorum Princeps conftitutus Petrus fuiffet, eo fopito reliqui dormierunt : vndè quafi totius focordiæ auctorem Saluator infimulat , & in eum fermonem perftringit, quem cuftodibus præfecerat, & vigilum verticem delegerat. *Primus inire manu, poftremus ponere martem*, Principis eft. Ait Sil. Ital. 1. *Facto non dicta mea, vos milites fequi volo, nec difciplinam modò, fed exemplum etiam à me petere*. Liu. 7. Cæfar cùm victas à Gallo videret phalanges, *fcuto ab nouiffimis vni militi detracto, quod ipfe eò finè fcuto venerat, in primam aciem proceffit. Centurionibufque nominatim appellatis, reliquos cohortatus milites figna inferre* (tantum valuit ducis exemplum vt) *huius aduentu fpe illata militibus, ac redintegrato animo, cùm pro fe quifque in confpectu Imperatoris, etiam in extremis rebus fuis, operam nauare cuperet, paulum hoftium impetus tardatus eft*. Cæfar de bello Gal. lib. 2. Abfit populo peffimus rector, quia *ad exempla viuimus, nec ratione componimur, fed confuetudine abducimur*, ait Seneca epift. 123. pag. mihi 191. aliena cogente malitia optimi mutantur in peffimos. Gregis nomine populum defignauit Antiquitas, quia deerrante paftore, difperguntur oues. Solorzanus pecudibus comparauit; quæ obiectis virgis populeis; & amygdalinis, quas Iacob erexerat in canalibus, vt cùm veniffent greges ad bibendum, earum in confpectu conciperent, edidere partus diuerfo colore refperfos. Iacob eft Princeps, virgæ opera eius , oues fubditi, conceptus cogitationes.

Prælatus eft fpeculum in quo, quod vident fubditi, agunt.

Difcolor vt pecudi virga obferuata fub vndis
Vellere fit foboles verficolore facit.
Sic quibus imbueris Regalia fceptra, colores
Imbuet exemplum plebs meditata Ducis.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XVII. GENESIS.

Verf. 1. §. 1 QVare Deus Abramum admonet hoc consilio. *Ambula coràm me, & esto perfectus?* Forsan ne eā eò quòd Patriarcha coràm Deo ambulasset, indè sequebatur, quòd esset in omnibus perfectus, ac absolutus? Dubium soluit Caietanus dicendo: *Nullum maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, actionesque hominis apparet, quàm ambulare antè faciem Principis*. Si autem versetur in Dei oculis, addit Caietanus citato loco: *Huiusmodi ambulatio ducit hominem ad perfectionem*. Hine Moses non alio fine Sacram Dei ædem, ac sedem, *Tabernaculum testimonij*, appellauit Exodi cap. 27. vers. 21. Vt sciret Hebræus, quòd intra se habebat suarum rerum testem, ac omnium actionum speculatorem; vt indè viam piè institueret, rectèque in omnibus se ageret, cùm sciret, se ambulare coràm sui teste locupletissimo, à cuius aspectu, ac testimonio nihil effugere poterat: Vndè Philo lib. de temulenti. *Solet Moyses*, inquit, *vocare tabernaculum testimonij, siuè quòd Deus virtutis testis est, siuè quòd virtus confirmat animos, & in veritatem quasi pro tribunali reuelans*.

Dei aspectus facit hominum mores perfectos.

Nemo peccat, si Deum sibi testem proponat.

Verf. 1. §. 2 Quare Deus hic dicit Abrahamo *Ambula coràm me*, non addens qua veste, aut ornamento, & in Apocalypsi cap. 3. vers. 4. vestes candidas requirit ab ambulantibus secum: *ambulabunt mecum in albis?* Quia in Apocalypsi sermo est de his, qui lauacro Sacri Baptismatis regenerati innocentiam suam custodiunt incontaminatam. Ecce cur requirit, vt in albis sint, alludens ad antiquum morem, quo baptizatis vestis candida dabatur, qua denotabatur eis semper custodiendam esse innocentiam, vt digni ad ambulandum cum Christo inuenirentur. Rabanus Maurus lib. 1. de Institut. Clericorum cap. 29. Sic ait. *Post baptismum traditur Christiano vestis candida designans innocentiam, & puritatem, quam post ablatas veteres maculas studio Sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet, ad præstandum se ante tribunal Christi*. De hac etiam consuetudine mentionem faciunt D. Ambrosius lib. de ijs, qui initiantur mysterius. D. Dionysius Areopagita cap. 1. & 2. de celesti Hierarch. Socrates lib. 11. cap. 14. non autem sic in Vetere testamento requirebatur à Patribus, de quibus Iacob dixit Gen. 48. vers. 15. *Deus in cuius conspectu ambulauerunt Patres mei*.

Baptizatis vestis candida datur in signum custodiendæ innocentiæ.

§. 3 Quare, si S. Ambrosius ly *ambula coràm me* legit *emerere conspectu meo*, Abrahamo mandatur vt mereatur? Promittebat Deus Patriarchæ ingentem generationem, ac terram Chanaan (vers. 8.) in possessionem sempiternam, per quam terra viuentium communiter intelligitur, meritò ei dicitur, vt mereatur; nam ante acquisitionem præmij merendum, ac insudandum est. Hinc non absquè mysterij profunditate S. Matthæus cap. 1. vers. 1. incipiens temporalem Christi Domini Nostri generationem narrare scribit: *Liber Generationis Iesu Christi*; vbi obseruandum est, quòd primò Iesum dicit, posteà Christum, & non è contrà; quia nomen *Iesus* idest *Saluator*, merita dicit: *Christus* verò dignitatem importat: appellatur ergo primò *Iesus*, & posteà *Christus*; quia de meritis potiùs, quàm de corona, & purpura Saluator noster gloriatur; imò vt ex eo discant fideles merita dignitatem præcedere debere, ideò antequam nominetur *Christus*, idest Rex, nomine *Iesus*, in quo nostræ redemptionis merita demonstrantur, insignitur. Verf. 1.

De meritis potiùs quàm dignitate gloriandum.

§. 4 Quare Abrahamo proponitur: *Ego Dominus omnipotens*, cùm passim legamus in Scriptura promissiones alijs Patribus factas, & tamen hoc eis non est dictum? Mandatur ei: *Esto perfectus*: Aperitur ergo ei omnipotentia mandantis, vt manifestè deprehendat, quòd cuncta à Diuino nutu pendent, esseque habent, vt ita instrueretur, nullum alium timere, nec vereri, nisi solum Deum. In quo timore tota consistit nostra perfectio, quæ ei commendabatur, cùm finè totius legis obseruatione consummatus Dei timor non inueniatur. Vndè ait Diuus Gregorius lib. 19. Moral. cap. 7. *Ille vera-* Verf. 1.

Qui Deum timet, perfectus est.

citer

citer vim diuini timoris intelligit, qui se à cunctis prauis operibus custodit.

Vers. 1.

§. 5 Quare si Sanctissimus Patriarcha Abraham coràm Deo semper ambulauit, dicitur ei: *Ambula coràm me, & esto perfectus?* Quia æterno opus est cursu ad perfectionem tendenti. Quare dixit S. Gregorius Nyssenus de vita Moysis. *Post illos ascensus mirabiles, post gloriosas visiones, post inaudita miracula vix iuxtà finem vitæ consequutus est gratiam, vt disceret Deum sequi.* Sed in Abrahamo comprimit Dominus eorum errorem, vel ignorantiam, qui tutò se sedere putant in via, quia etiam si semper coràm Deo ambulasse, sibi multum deficere ad perfectionem in illis verbis audiuit, vt notauit Procopius ibid. *Aut apparuit*, inquit, *nondum irreprehensibilis, aut vt tali, cui necesse esset operari semper, id quod est inculpabile, qui semper foret irreprehensibilis.* Caietanus verò sic habet. Ambula ante me, & sis perfectus quasi ex tunc modus ei proficiendi præscribatur, & ambulare continuò, & ante Deum ipsum. *Quæ dicta sunt*, ait, *possunt ad literam referri, ad moralem vitam ipsius Abrahæ, & est sensus, profice in studio, ac actionibus tuis tanquam ambulans ante oculos meos; nullum enim maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis apparet, quàm ambulare ante faciem Principis: & fructus huiusmodi profectus aptè subditur*, & esto perfectus; *huiusmodi enim ambulatio hominem ducit ad perfectionem; vndè scriptum est, Beatus vir, qui in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Eo etiam spiritu Dauid dicebat Psal. 16. vers. 5. *Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea:* Itàque & perfici in gressibus suis desiderat, quos imperfectos vsquè tunc plenius cognouerat. *Perfice* (ait Cassiodorus in Glossam) *vsquè in finem: antè non est, nisi inchoatio.* Quidquid Sancti operantur, dum viuunt, & ad perfectionem tendunt, inchoatio quædam perfectionis dicitur, non perfectio, & ideò si semper ambulat, semper inchoat.

Æterno opus est cursu ad perfectionem tendenti.

Præsentia Dei ad perfectionem impellit.

Vitæ, quælibet perfectio, non perfectio, sed inchoatio est perfectionis.

Vers. 1.

§. 6 Quare modò petit Deus Abrahamum esse perfectum, si numquam anteà perfectionis meminerat? Accedebat promissurus, imò daturus filium, à quo nasceretur Christus: & vbi aspicit Christum, iam perfectionem requirit, quæ non est nisi vbi Christus inuenitur. Ad hæc Rupertus in præsenti: *Ambula coràm me*, inquit, *& esto perfectus: Quare hoc hactenùs non dixit, cùm multoties apparuerit, & locutus illi fuerit; Quare? Nisi quia hoc ad mysterium pertinuit, sicut enim natiuitas Isaac typus fuit Incarnationis Christi per quam Sanctorum populus expectatam perfectionem obtinuit; sic tunc demùm debuit hoc dici, Ambula coram me, & esto perfectus, quando eiusdem Isaac generatio parabatur.* Ad Christi vmbram iam necessarium fuit perfectionis meminisse, quæ solùm inuenitur vbi Christus. Dum Isaac natiuitas non paratur, nec mentio perfectionis fit vlla: at nascente Isaac, in quo iam obumbrabatur Christus, statim perfectio requiritur. Semper enim perfectio refertur accepta Christo Domino.

Ibi perfectio vbi Christus inuenitur.

§. 7 Quare toties Dominus cùm apparuisset Abrahamo, & nunquam se omnipotentem dixisset, modò inquit. Ego Deus omnipotens? Et cur, quod antea non fecit, in præsenti se dicit omnipotentem? Meritò se omnipotentem vocat, cùm iubet famulum esse iustum, & perfectum: maximæ enim virtutis, & potestatis signum est, quòd vtaris famulis ministrisque perfectis. Hinc Lucæ cap. 4. vers. 33. *In Synagoga erat homo habens Dæmonium immundum, & exclamauit voce magna* (vers. 34.) *dicens, sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei* (vers. 35.) *Et increpauit illum Iesus dicens: obmutesce.* Quare obmutescere iubet Dominus Spiritum? illum, qui eius prędicabat aduentum? Nonne obsequiũ præstabat Euangelio euulgando? Nonne seruiebat Christo annuntians illum Dei sanctum? Cur ergo illius obsequium abigit Dominus? Ait Tertullianus lib. 4. in Mar. *Illius erat, præconium immundi spiritus respuere, cui sancti abundabant.* Sanè de ingenti copia, & abundantia sanctorum, qua Deus valebat, venit quòd non vellet vti immundis ministris, sed perfectissimis. Quòd enim quis malis, & immundis vtatur famulis, non potest venire nisi de penuria, & indigentia. Qui potens esset, & validus ad ministros faciendos, nunquam non vteretur præstantissimis.

Vers. 1.

Quis sit præsul, ex ministris cognoscitur.

§. 8. Quare Moyses annos vitæ, atque ætatis Abrahami tàm subtiliter, ac distinctè annotauit? Etenim tempus ortus eius denotauit cap. 11. scribens natum fuisse eum septuagesimo anno patris sui Thare. Ætatem eius, qua erat, cùm ex vrbe Haran decessit, primùmque venit ad terram Chanaan,

Vers. 1.

Digitized by Google

indicauit cap. 12. dicens fuisse eum septuagintaquinque annorum. Cùm autem ex Agar ancilla genuit Ismaelem, sextum & octogesimum agebat annum, vt Moses tradit cap. præcedenti; idem porrò commemorat hoc cap. 17. ingressum esse eum nonagesimum nonum annum, cùm legem Circumcisionis à Deo accepit. Iam verò eo centenario natum esse filium Isaac, proditum est à Moyse cap. 21. Gen. denique omne vitæ eius spatium centum septuagintaquinque annis circumscripsit, ac definiuit Moses Gen. cap. 24. Quid igitur sibi vult tàm accurata, & diligens annorum Abrahæ notatio, & descriptio? Videlicet Electorum, & sanctorum hominum omnia sunt apud Deum disposita, ordinata, numerata, & suis quæque finibus destinata; omnia dico facta, dicta, labores, merita, aduersa æquè, ac prospera, annos, & dies, etiam *capillos capitis* (Lucæ cap. 21.) adeò tales homines cordi, & curæ Deo sunt. Contrà verò impiorum, atque improborum hominum omnia sunt in despectu, & quasi obliuione, & pro nihilo apud Deum.

Omnes Iustorum actiones, etsi minimæ à Deo numerantur.

Vers. 2. §. 9. Quare dixit Deus: *Ponam fædus meum inter me, & te?* Dubium si credis hoc, falleris si dubitationem scire desideras audi Philonis elegantiam super hæc verba, scribentis lib. de nomin. mutat. *Eximia porrò beneficentia est, quòd nullum aliud medium interiectum sit inter Deum, & Animum præter Gratiam virginem.* Scilicet inter Deum promittentem, & Abrahæ animum, cui beneficium promittitur, nihil prorsùs medium est, præter promissionem, quam *Gratiam virginem* sententiosè appellat. Nunc dubium audi. Eccur fidelitas rei promissæ præstandæ, *Gratia virgo* nominatur? O quammulta breui sermone strinxit Philo! Profectò nimis tenera est Virginitatis valetudo, & facili sublapsu lubrica; adsimiliter fidelitas in promissis. Et sanè Virginitas acri libidinis fomite, & subdolis concupiscentiæ illecebris oppugnatur, crebris tentamentis inquietatur, & integro corpore, sæpè scortatur affectus ad voluptatem pronus, quin & ex leui occasiuncula non bonam sui suspicionem ingerit, qua in aliorum opinione facilè diffamatur. Ad eundem modum, ait Philo, res promissionis se habet. *Virgo* promissio, seù promissionis fides, nimis delicata est quæ non tantùm, non stando promissis constuprari creditur; sed transacta occasione, nescio qua humanitatis nostræ malignitate, nos promissæ beneficentiæ plerumque pœnitet, contenti largitate sermonis, re infæcundi. Imò & aliena aut suspicione, aut opinione sponsionis non adimplendæ deuenustatur. Itaque inter promittentem, & eum cui promissio fit, intericcta est *Gratia Virgo*. Argutè quidem Philo: Procliuè autem cuique est, alias huius comparationis analogias quærere, & ad informandos mores deriuare. Ratum tamen sit, quàm scrupulosa, tenera, & sacrosancta sit datæ fidei conditio, quæ vel propria mente, aut aliorum non bona opinione quodammodo constupratur. Id sollerter præcauet Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 3. epist. 44. ita scribens ad Arelatenses, qui auara rerum penuria miserè laborantes, de annona sibi à Rege promissa ignobiliter ambigebant: *Releuate nunc animos, inquit, & de nostra promissione recreati, habetote fiduciam: quia non minus est quòd nostris verbis, quàm quod horreis continetur.* Ne venerabilis degeneret promissio vel ora conuertet in horrea.

Promissio. Gratia Virgo sententiosè dicitur.

§. 10. Quare si Deus promissiones Abrahamo iam fecerat nouam pollicitationem modò publicat? Cardinalis Caietanus, vt dubium solutum demonstret dicit. *Subiungitur hic adimpletio fæderis iam initi ...... est enim sensus: Et dabo executioni fædus, quod est inter me, & te: & non est sensus, quòd faciam tecum nouum fædus: sufficit enim illud scriptum superiùs.* Ponere fædus dicitur Deus, cùm olim positum executioni mandat, Non tàm poni dicitur fædus, cùm fædus initur, quàm cùm res fædere promissa adimpletur? Ecquod nam fædus tunc de nouo initur, quando antiqua promissio adimpletur? An id dicitur, quia diuini beneficij acceptio est velut quoddam nouum fædus donandi vlteriora, & ampliora munera? Fædus promissionis iniri perhibetur, cùm antiqua adimpletur promissio, & diuinior liberalitas reddendo plus fuerit onerata? Exindè tunc; tunc sanè, Deus ostentatur omnipotens, hoc est omnipotenter munificus, cùm liberalitatis arbitria hærere non patitur, sed priora dona posterioribus ad largitatem commendantur; & cùm magna donat, ad maiora iisdem donandum, vel inito fædere quodammodò obstringitur. Vers. 2.

Diuini beneficij acceptio quasi fædus ad habenda ampliora.

§. 11. Quare Abrahamo dixit Deus multiplicabo te vehementer nimis? Sed quantum hoc quod Abrahamus multipli- Vers. 2.

tiplicetur? Sanè aiebat Isaias: *Multiplicasti gentem, non multiplicasti lætitiam*. Quando ergo hominum multiplicatio non adeò læta est, cur illam Abrahamo promittit? Non promittitur multiplicatio gentis communis Abrahamo, sed illius gentis multiplicatio, quæ de Spiritu, & virtute Abrahami viuat, adeò vt videantur Abrahami esse multi. Sic Procopius in Glossa inquit: *Quòd multiplicans multos homines faciat Deus, minimè mirandum est. Nam aliæ gentes præter Iudæos extitere populosæ. Verùm Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi futuri sint Abrahami. Nam ex ipso prodituri sunt sancti, liberèque imitabuntur fidem, & opera patrum*. Hæc est gloria Abrahami, quòd de eius fide, & virtutibus multi sument, quo viuant paternarum æmuli virtutum.

Ex effectibus, & opere Christianus cognoscitur.

Vers. 3. §. 12 Quare antiquitùs Deus apparens in tanta erat reuerentia, vt Abraham eum videns pronus in terram cecidisset, modò veniens in carne nostra opprobrijs, morte, ac cruce afficitur? Perbellè S. Petrus Chrysologus serm. 131. *Si toties, ait, Deus ab hominibus in figura hominis videtur, quid est, quod Iudæus modò hominem videns Christum, sic exasperatur? Nisi figura honor, veritas putatur iniuria*. Olim exhibebat se Deus in apparentia corporis humani, apparentique humano corpore; postmodum verò venit ad nos in veritate, ac realitate ipsius carnis, & dum corpore apparenti, ac aereo vtebatur, in magna reuerentia, ac existimatione erat apud omnes; at verò, cùm in proprietate, ac veritate descendit ad nos, tanquam si esset orbi iniuriosus, odio habetur, ac crucifigitur. Species, & vmbra apud principes mundiales honorem vendicat; solida autem veritas iniuria appretiatur: *Nisi fortè figura honor, veritas putatur iniuria*. Ad Pharaonem ingrediuntur Moyses, & Aaron; in signumque suæ à Deo delegationis proijcit Moyses virgam suam, quæ versa est in colubrum. *Vocauitque Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones*. Exodi cap. 7. vers. 11. & statim subditur in textu: *Induratum est cor Pharaonis*. Videns id, quod sui malefici ediderunt, vt notat Abulensis. Sed vnde tantum sibi complacuit Barbarus Rex in Ægyptiorum serpentes, qui tantum sibi displicuit in colubro à Moyse operato? Colubri, quos malefici fecerunt, phantastici, ac apparentes extabant, vt notant D. Gregorius Nyssenus lib. de Vita Moysis. S. Prosper de promissione cap. 15. Iustinus in quæstionibus Orthodoxis quæst. 26. Tertullianus lib. de anima. Rupertus ibid. & alij. At contrà serpens editus à Moyse, verus ac proprius consistebat, & vt verus, odiosus est regi, cuius cor fallacia, ac mendacium seduxerat, & totum ad se arripuerat, & traxerat.

Vmbra, & apparentia apud mundiales in amore est, veritas in odio.

§. 13 Quare Abraham vt Dei nutum accepit, pronus in terram extemplò cecidisse describitur: *Cecidit Abram pronus in terram*; Econtrà verò, vocati ad Christi sequelam discipuli; non ceciderunt in terram proni, sed; *illi continuò relictis retibus secuti sunt eum*, Matthæi cap. 4. vers. 19. Quid hoc est? An verò Deus, dum naturam assumpsit humanam, minori reuerentia, & adorationis cultu dignus censendus erat, vt debitum illi ab Apostolico cætu denegaretur obsequium? Quis dicat? Sed Abraham, statim ac Deum vocantem audiuit; ideò ad terram se prostrauit, quia suæ vocationis mercedem audiuit; *Eris Pater multarum gentium, &c. faciam te crescere vehementer, &c.* Ad hanc deuotæ seruitutis retributionem animum inclinauerat, & ideò corpus quoque in terram deiecit, & mercedem ipsam, idest terram osculatus est. Atqui Petrus, & Principes in Apostolatu discipuli, quia Deum vocantem audientes nihil de adiecta mercede subaudiunt; ideò, animum ad terrenam isthanc mercedem non inflectunt, neque corpus demittunt, sed erecti stantes Deum ipsum pernici gressu sequuntur, & elata voce inclamant; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*. Videlicet, hominis Euangelicam perfectionem profitentis est, non humanæ, sed diuinæ spe retributionis, Deo bonorum omnium auctori maximo famulari. Hinc Mellifluus Doctor epist. 253. obseruat: *Quòd iustus, non ad annum, vel ad tempus instar mercenarij, sed in æternum diuino se mancipat famulatui*. Qui se totos Christi seruituti in lege gratiæ, ac libertatis deuouerunt, non inclinant cor suum, nec corpus suum ad Dei famulatum spe transitoriæ istius voluptatis; sed vno Dei amore, qui vberrima est mortalium merces, lacessiti. *Quandò facis bonum opus* (inquit S. P. N. Augustinus cit. in Polyanthea) *propter vitam æternam fac: si ideò facis, securus facies: hoc enim mandauit Deus*. Abraham, licet Deo acceptus, sub iugo tamen seruilis legis adhuc degebat; & ideò

Vers. 3.

A Deo vocati spem æternæ retributionis habeant, dum obediunt.

Digitized by Google

ideò vt seruilem retributionem sibi à Deo repromitti audiuit; *faciam te erescere vehementer; eris Pater multarum gentium*: tunc diuini beneficientiam Numinis, prostrato ad terram corpore, adorauit; *cecidit pronus in terram*.

Vers. 3. §. 14 Quare in hac visione cecidit Abraham pronus in terram, cum in alijs non cecidisset? Et quidem si ideò pronus in terram cecidit, quia secundùm Abulensem, magnitudine visionis fuit perterritus, quæ imperfectum adhuc Abrahæ statum excedebat, & plura illi spondebat, quàm humana mereretur infirmitas; multò magis concidere debuerat, & exterreri nocturna visione, & mediæ noctis horrore conspecto, vel saltem, quòd semen illi adeò multiplex promittebatur vsque ad consummationem sæculi nunquàm cessaturum, *sic erit semen tuum*. Ergò saltem ex magnitudinem mercedis diuinitus repromissæ, quæque humanum captum ex merito superabat Abraham, non verò adigi ad Cœlum suspiciendum, ad astra coruscantia numerandum; *Suspice cœlum, & numera stellas*. Mysterium attingo si pronum ideò in terram cecidisse crediderim, quod Incarnationis Dominicæ Sacramentum ea visione dilucidè cognouerit diuino doctus oraculo Sanctissimus senex; atque adeò pronus in terram, effusam Numinis beneficentiam adorauerit, & diuinos ante pedes humillimè prouolutus, vel ipso silentio suique ipsius exinanitione, pro collata humano generi, cuius pater euaserat, cælesti adeò mercede, gratias rependeret. Nec prius quam nonaginta annorum, & nouem grauis apparuit, & viginti quatuor annorum orbes in cælestis Theologiæ disciplina confecit; Deo Doctore; diuinam Sapientiam imbibit; perfectus euasit; obtinuit, vt ineffabile incarnationis mysterium olim sub inuolucris figurarum repromissum apertiùs audiret; & multò quam antea euidentiùs palparet; *Postquàm verò nonaginta, & nouem annorum esse caperat* (en ætas prouecta) *apparuit ei Dominus* (en Magister) *dixitque ad eum* (en tradita disciplina) *ego Dominus omnipotens*; atque adeò mihi cuncta possibilia sunt, licet humano captu difficilia. *Ambula coram me*, meam tene doctrinam, & procul Syriorum, & Chaldæorum nugas amanda, *& esto perfectus*, non ampliùs tyro, non ampliùs nutans rudisque in sana doctrina discipulus, verùm intelligens, & perfectus. Audi iam; animo intende, & accipe. *Ponam fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer nimis*. Hoc oraculo, non dubium, quin aperte Incarnandi Verbi beneficium repromissum Abrahæ intelligatur; nam verba illa: *inter me, & te*, humanam, diuinamque naturam in vna personalitate increata vniendam significant; vndè ex Chaldæo habetur: *Inter verbum meum, & te*; Per fœdus autem diuinum, vnio hypostatica exprimitur. Tanti igitur mysterij Sacramentum vbi perfectus discipulus penetrauit, protinùs in genua fuit, protinùs cecidit in faciem.

Abraham Incarnationis mysterium ænigmaticè cognouit.

§. 15 Quare dixit Dominus Abrahamo ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium nil aliud distinctiùs addens? Vers. 4.
Ambiguum valde est apud expositores, adspectu ad quos dicatur Abrahamus *Pater multarum gentium*, an adspectu ad Israelitas, Agarenos, & reliquos illustrium Populorum Principes, quos ex Cetura suscepit? an ad cæteras nationum gentes, quæ toto orbe vastissimè patent, & quæ ab Abrahamo non trahunt originem? Adducam eruditissimi Lippomani ibid. in Catena verba; quæ hunc locum ad rem præsentem idoneæ exponunt: *Iudæi* גוים *goim* (idest, *gentes*) *nominant omnes præter se. Horum igitur omnium Abraham pater datur, qui, & recumbent in regno Dei cum Abraham, Isaac, & Iacob; ipsi verò iuxta carnem tantùm filij Abraham eijcientur foras*. Sanè mirissima est hæc benedictio Abrahæ facta, cum illi dicitur; *Erisque pater multarum gentium*. Nimirùm Abramus hic à Deo constitutus Pater reliquarum gentium Præter Iudæos, quæ potissima est Abrahæ soboles. Erit ne Abrahamus magis pater eorum, qui sunt minùs eius filij; Extranei à se erunt Abrahæ filij, & proprij filij ex eius semine nati, erunt Abrahæ extranei? O' arcanas pietatis cognationes! O' bonam etiam gubernatoris eruditionem! Bonus Princeps Dei apud nos Abrahum, qui sibi propinquos velut extraneos habet; & extraneos, de fidei merito quasi propinquos recognoscit, promouet, & honoribus consultissimè auget.

Abraham magis pater eorum, qui minus sunt filij eius.

§. 16 Quare Abrahamo nomen hic gloriosiùs extenditur, & augustiori vocabulo, gloriosiorique Elogio Abraham appellatur? Considera verba vers. Vers. 5.
26. *Eadem die circumcisus est Abraham*; & die, quòd dubium solutum manet; Nam

Nam tunc plus habet nominis Patriarcha, dum minus carnis: Dum circumcidit, quidquid habere vetat præceptum, nominis æternat elogium: nec iam delebitur nomen præceptorum obseruantia stabilitum, & carnis circumcisione firmatum. Opportunè Interlinearis: *Mutato affectu mutatur nomen*. Consentit D. Hieronymus apud Glossam: *Dicunt Hebræi, quòd Deus ex nomine suo, quod apud illos Tetragrammaton est, H literam Abrahæ addiderit: dicebatur autem Abram, quod est pater excelsus, postea dictus est Abraham*. Creuit de virtute nomen, & dum carnalis circumciditur affectus, gloriæ nomini accrescit cumulus. Iam è contra nomina decurtari obscurarique, dum terrenis quis studet affectibus, probat Ephron. Sara moritur, & Abraham speluncam Mambre respicientem emit ab Ephron: *Respondit Ephron: Domine mi, audi me: Terra, quam postulas, quadringentos siclos argenti valet: istud est prætium inter me, & te: sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum*, Gen. cap. 23. vers. 14. Affectat generositatem, vt cariùs vendiderit: offert liberaliter sepulchrum; sed profert pretium, vt Abrahamus non imminuat pretium liberaliter offerenti sepulchrum: ergo vt noueris, dum studet cupiditati, nomen imminui, & gloriæ elogium decrescere, cùm iterum fiat venditoris mentio iam in textu Hebræo vna litera à nomine demitur: *Sepelierunt eum Isaac, & Ismael filij sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron*. Gen. cap. 25. vers. 9. In textu hebræo aufertur à nomine *Vau* ו, & licet eadem sit pronunciatio, aperta est nominis imminutio. Notauit Lyra ad Genesis cap. 23. *Dicunt Hebræi, quòd ipse Ephron ostendit in principio se multa agere pro Abraham, & tamen in fine nihil fecit, sed terram suam cariùs iusto pretio vendidit: ideò posteà remota est litera Vau de eius nomine*. Se affectauit amicum, vt cariùs venderet; vtque Abrahamus ipsa vrbanitate illigatus non posset vllatenus resilire; verùm dum auget cupiditate pecuniam, nominis imminuit gloriam, vt constet nominum elogia conseruari, augerique fæcundis virtutum vndis, & pestiferis aduri vitiorum flammis. Itaque Abrahamus amplificauit nomen Dei iussis obtemperans, carnemque præcidens, Ephron imminuit cupiditati, & pecuniæ inseruiens.

Mutato affectu mutatur, & nomen.

Vers. 5. §. 17. Quare dum æquè euariantur nomen Abrahami, & (infra cap. 31. vers. 28.) nomen Iacobi, *nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*: tamen vtriusque non est æqua in nomine constantia? *Par est autem* (inquit Philo lib. de Nom. mutat.) *in quæstionem vocare, cur Abrahamus quidem, ex quo tempore non permutauit, hac eadem appellatione semper honoretur, nec amplius priori nomine nuncupetur: Iacobus vero cognominatus Israel, nihilominùs ipse rursùs Iacobus deinceps plerisque in locis appellatur*. Scilicet immobili nomenclaturæ constantia Abrahamus gentis decus, & princeps Patriarcha, adspectu ad nepotem Iacobum nobiliter honoratur. Nam vt ipse Philo paulò antè obseruauit, *Nomina sunt notæ rerum*: exindè Abrahamus semper idem, nunquam alius inuariata appellatione honoris causa nuncupatur. Iacobus verò, qui iam vir simplex habitans in tabernaculis; iam simplicitatem velut desuescens, agere *fraudulenter* (vt loquitur Isaacus) probè noscit, quò fratris sibi benedictionem acquirat; non vno nomine deinceps nuncupatur, vt demutationem à se ipso, velut *rei notam* in nomine insculptam præferat, prælustri Abrahami elogio adspectu ad nepotem Iacob. Vir vnus, & certus habentur Abraham, vel de nominationis constantia sic notus: Homo quodammodò incertus, & multiplex habetur Iacob, de incerto iam Israelis, iam Iacobi nomine; siquidem *nomina sunt notæ rerum*. Hinc nominis constantia Abraham honoratur; secus Iacob, qui de Arcana fraudulentia nominis inconstantiam, velut fraudis notam mutuauit.

Nomina sunt notæ rerum.

§. 18. Quare de nomine suo fecit Deus Abrahami nomen; dum litera H, addita de nomine diuino sumpta communiter exponunt Doctores cum D. Hieronymo, Ioanne Fero, Lyppomano, & alij? Literam de suo nomine Deus communicare voluit cum nomine Abraham, vt ostenderet omnia sua, & se ipsum illi semel communicare. Nec dubites, in quo enim Dei nomen debitè fulget, in illo sunt omnia, quæ illo nomine continentur, quæ ab illo tuo etiam percipere spera. Ait Dominus Matthæi cap. 16 vers. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, &c.* Vocabatur quidem anteà Simon, modo ei Christus imponit nomen Petri. Et quanta hæc gloria Simoni, quòd vocetur Petrus? Erat petra vnum è Christi nominibus, de quo ait Apostolus 1. ad Corinthios cap. 10. vers. 4. *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus*. Vers. 5.

In quo Dei nomen fulget, in illo sunt omnia, quæ illo nomine continentur.

Quan-

Quando autem Christus sub nomine tuæ, & vmbra petræ largo flumine omnes satiabat: ideò Simoni inditur nomen petræ, vt ostenderentur in illo similia bonorum fluenta, quibus satiari possent vniuersi. Ex quo ait Origenes homil. 1. in Matthæum: *Omnes enim, qui imitatores sunt Christi, similiter petræ cognominantur quemadmodum Christus, & de omnibus talibus bibunt spiritualem potum homines spirituales*. Et quidem quando Christus Dominus sub nomine, & vmbra petræ dulcissimos effundit riuos, de quibus Israelitæ vniuersi cum satietate bibant, similiter, qui per infirmitatem vitæ in illo Christi nomine communicant, sic & attributa Christi participant, vt fluentis plenissimis exundent, de quibus cæteri bibant. Difficilè enim requirentur Dei virtutes, & diuitiæ in eo, in quo aliquod Dei nomen dilucidè rutilat.

Vers. 5. §. 19. Quare centenario homini datur nomen conflatum ex diuino? Vt ostendatur quàm fœdum sit homini cordato, & maturo quòd pro alio nomine stet, quàm pro diuino. Plenus est mundus factionum, & concertationum quibus se homines à parte tenent magni alicuius nominis viri, cuius insigniti nomine viriliter pro illo desudant. Hæc immaturæ mentis certamina sunt: atqui maturus homo est, & prudens, sibi maximè fœdum putet alio nomine insigniri, quàm diuino. Quò spectans S. Gregorius Nazianzenus orat. 32. ait: *Qui tamen modo sacrum hoc bellum feram (Ita vt iam in duas contrarias partes oriens, & occidens secreti atque diuisi sint. Quousquè hæc audientur, meus, & tuus, antiquus, & nouus, facundior, ac spiritualior? Senectutis me pudet, cùm aliorum nomine censeor, qui à Christo salutem accepi*. Erant tunc temporis Episcopi orientales, & occidentales inter se diuisi, & factionariorum nominibus insigniebantur, hinc indè vt pugna fuerit quotidiè siuè pro parte doctoris huius, aut illius. Pugnæ sanè pueriles, & quæ minimè canos, & prudentes homines decent. Vt meritò dicat Theologus. *Senectutis me pudet, si aliorum nomine censeor; qui à Christo salutem accepi*. Qui Christi nomine insignior, sub quo mihi salus est, & spes æternæ vitæ, pudendam rem faciam, & indignam homine maturo, si de alterius nomine me insigniam. Et clariùs Nazianzeni Scholiastes ibi: *Erubescerem, inquit, canitiem meum, si cùm Christus mihi salutem attulisset; à Christo tamen nomen non ducerem, sed à quodam magistro, vel Petrianus, vel Paulianus appellarer*. Hùc respiciant cordati, & maturi viri, & erubescant aliud nomen respicere quàm nomen diuinum.

Non alio nomine gloriandum est homini, nisi diuino.

Absit gloriari nisi in Christo.

§. 20. Quare promittuntur Patriarchæ ex semine suo Reges egressuri, & quinam sunt isti, qui sub regum nomine Abrahamo pollicentur? Hi nimirum, de quibus immediatè subditur in textu: *Statuam pactum meum inter me, & te; & inter semen tuum post te in generationibus suis*. Qui sunt nimirùm, iusti, & pij, legem, ad pactum Dei obseruantes: non enim regum nomine veniunt, qui à virtute, & æquitate exulant, sed qui illius sunt æmulatores magni. Sic explicat Rupertus lib. 5. in Genes. dicens: *Reges hic rectè accipiuntur, qui apud ipsum pro fidei merito noti sunt. De quibus ipse in Euangelio: Dico enim vobis*, ait, *multi reges, & iusti voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*. Non extrà intentum expendendus est ritus, quo Israelis reges vngebantur. Sic ex mandato Ioiadæ Sacerdotis creatur Ioas rex. *Produxitque filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, feceruntque eum Regem* 4. Regum cap. 11. vers. 12. Vbi Glossa Interlinearis ait: *Diadema erat insigne capitis regum, testimonium autem, Lex, qua doceatur: qualiter viuet, & quid aget*. Idem docet Caietanus. *Testimonium, id est, phylacterium, in quo erat summa legis scripta: & per hoc insinuatur mos coronandi Regem; vt videlicet diademate ornaretur pro dignitate regia; diuinæ autem legis studium ad seruandam eum profiteretur*. Similiter idem habent Lyranus, Abulensis, Hugo, & alij. Imò pulchrè Theodoretus in 4. Regum quæst. 34. ait: *Perspicuum est, quòd sanctificationem vocauit vnguentum, nempè Chrisma; testimonium autem coronam regiam, quæ significaret regem*. Ex more ad ostendendam regiam dignitatem, in diademate summa legis ponebatur scripta: & Theodoretus valdè notanter legis testimonium regiam coronam vocat; quia si adsit legis obseruatio, regalis dignitas fulget: si verò illius intersit violatio, omninò regalia insignia obscurantur, pereunt, ac deficiunt: sicque tandiù purpurata nitet maiestas, quamdiù perdurat iustitiæ vigor, à qua potiùs, quàm ab auro, & gemmis diffunditur. Angelorus dat calamum super 4. Reg. cap. 11. *Vt eum ipsa regni habitu simul disciplina legis Dei seruanda committeretur;*

Vers. 6.

Verè reges qui virtutem sequuntur.

Legis obseruatio, regis corona.

& qui

& qui se prælatum populo regendo videret, ipse, & regendum, diuinis legibus subdi debere, meminisset.

Vers. 6. §. 21 Vel dic cum supra citato Ruperto. *Reges hic rectè accipiuntur, qui apud Deum pro fidei merito reges sunt.* Operosa est Dei fides, Domini adauget familiam, gentes multiplicat, & singulorum animis regnum indit. O quantum valet fides ad suscitandum regnum in hominibus! De fideli populo locutus Dominus ad sponsam Cantic. cap. 7. vers. 5. *Comæ capitis tui sicut purpura Regis.* Nihil in fidelium Ecclesia adeò exile, adeò minimum, quod regio splendore non fulgeat: vel capillus minimus totam regiam dignitatem imbibit. Hæc verba sic explanat Chaldæus. *Pauperes populi futurum est, vt induantur purpura, propter meritum Abraha, quem regem constituit ab initio.* Nescit stagnari fidei purpura, vbi Abrahamum inficit, ad minimum eius filium vsquè transmittitur; quis filius Abrahæ, quis Abrahæ fidem hæreditauit, etsi pauper, etsi humilis, etsi vilis, & non regio splendore Dei oculis nitet? Huc spectabat ipse Dominus apud Isaiam cap. 13. vers. 3. locutus: *Ego mandaui Sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.* (vers. 4.) *Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium: Vox sonitus regum, & gentium congregatarum.* Expende illud. *Vox multitudinis in montibus.* Quibus verbis putat S. Basilius significari numerosam multitudinem, vndeuis gentium congregatam, & eiusdem fidei vocem vnam depromentem. Sed qualis hæc multitudo vulgaris, & ignobilis? Absit: erat enim *vox regum, & gentium congregatarum.* Quippè vbi fides tonabat, non poterant regij splendores non effulgere.

Fides quantum valeat ad suscitandum regnum in hominibus.

Vers. 7. §. 22 Quare Abrahamo promittitur quòd Dominus erit Deus illius, ac eius sobolis? Quænam est hæc promissio? Nonnè Dominus est omnium, Deus? Cur potiùs eis non pollicetur cæleste regnum, ac principatus super vniuersum terrenum ambitum? Quid est *fadere sempiterno, vt sim Deus tuus, & seminis tui?* Spondetur ibi Abrahamo, ac filijs eius Dei cognitio, & fides. Ac si dicat Deus: quamuis omnium Dominus sim, tamen specialiter hoc fædere posthac ero Deus tuus, ac tuorum posterorum per fidem, & cultum, quibus ab ipsis recognoscar, ac honorabor. In ipsa autem sui fide, tanquam in capite omnia cælestia, ac terrena dona pollicebantur. Sic S. Ioannes Chrysostomus hom. 55. in Genesim. *Et qua virtus testamenti, ait, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te? Hoc enim erit tibi, & semini tuo summa, & caput bonorum.* Vndè conqueritur Christus Dominus de Israel, & ait: *O' generatio incredula, & peruersa, quousquè ero vobiscum! quousquè patiar vos!* Matthæi cap. 17. vers. 16. Sed quid est quòd Christus Dominus, qui maximè laborum passionis, ac mortis erat auidus, iam se ostendit pertæsum: *Quousquè patiar vos?* Non in sufferendis ærumnis pro hominibus; sed in sustinendis eorum incredulitatibus, quibus fuæ gratiæ obicem ponebant, quibusque claudebatur ostium suæ misericordiæ, ne largiter in eos diffunderetur. Euthymius: *Indignatur Dominus, & mortem quarit, eò quòd essent ipsi infidelitate immedicabiles.* Cùm enim tanta ægritudine laborarent, omnino inepti erant ad salutem spiritualem assequendam.

In fide omnia bona communicantur.

Per incredulitatem clauditur ostium diuinæ beneficentiæ.

§. 23. Quare promittit Dominus esse filiorum Abrahæ Deus, dicens *eroque Deus eorum?* Quia obedientes optabat vt essent successores Patriarchæ mandatis suis. Quod colligitur ex homil. 39. pag. 216. S. Ioannis Chrysostomi, qui dicit: *Nihil aliud à vobis requiro, quàm obedientiam, & gratitudinem, & ego omnia quacumque pollicitus sum, opere complebo. Et sic ero eorum Deus.* Vnde ad hoc fit Deus noster, obediendum est nobis præceptis eius, nam obedientia ipsa ad salutem necessaria est. Hinc S. Laurentius Iustinianus de ligno Vitæ cap. 3. de obedientia scripsit. *Sicut sinè duce non consistitur de victoria, ac sinè gubernatore non peruenitur ad portum: ita & absquè obedientia impossibile est in huius vita pelago, non periclitari, ita enim hominem facit triumphare.* Vers. 8.

Obedientia ad salutem necessaria.

§. 24 Quare quando Deus immediatè omnia dicebat Abrahamo, necessum fuit modò illud, *Dixitque iterum Deus,* replicare? Cur sinè hac replicatione non finitur pergere sermo diuinus? Ventum iam erat ad rem durissimam circumcisionis, cui meritò Dei memoriam immediatè præmittit: vt enim res duræ facilè superentur, vnus Deus est spectandus in illis. Tres pueri Hebræi in conspectu Nabuchodonosor adducti, Daniel: cap. 3. vers. 17. iussi sunt, aut statuam regis adorare, aut flammantes fornacis ignes perpeti. Quid pueri in tanta duritie? Fornax ardebat, carni- Vers. 9.

ſices parabantur, at illi vno ore dicebant: *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ò Rex liberare.* (verſ. 18.) *Quod si noluerit, notum tibi sit Rex, quod Deos tuos non colimus.* Eccè tibi contrà Regem, & fornacem, & ignem vnum Deum ſibi ob oculos ponunt, & ſic omnibus malis ſuperiores fuerunt. Ait S. Zeno ſerm. 1. de Daniele: *Denique tres pueri in illo ſacro certamine pra oculis Deum ſibi propoſuere, non flammas, pramium futurum, non pœnam, ſicque inter tetros vndantis incendij globos triumphantes barbarum regem, minas omnes, ipſum quoque ſupplicium docuerunt, ignes ſanctis hominibus non eſſe fortiores.* Dum non aſpiciunt flammas, dum non aſpiciunt fornacem ardentem, nec dolores pęnarum ſed Deum, facilè vniuerſa vicerunt.

In rebus arduis vnus Deus ſpectandus.

Verſ. 10. §. 25. Quare, ſi tot ſæculis ante aduentum Christi iniuit Dominus fædus cum Abraham, Iſaiæ dicitur cap. 42. verſ. 6. quòd Christus datus eſt in fædus populorum, *Dedi te in fædus populi, in lucem gentium?* Quia, etſi prius fuerit initum fædus cum Abraham, in Christo tamen ſtabilitum eſt, & firmatum, atque effectu ipſo ſancitum. Hæc enim ſunt fæderis verba. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.* Quæ adimpleta ſunt in ſemine Abrahæ, ideſt in Christo, in quo benedixit nos Deus omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus. *In ſignum fædens*, circumciſus eſt Abraham, & filij eius circumciſi ſunt, vt ſigno illo profiterentur quem expectabant Redemptorem. Tunc initum eſt fædus in carne, ſed per Christum in ſpiritu, & veritate ſancitum eſt iuxtà quod Apoſtolus ait ad Galatas cap. 3. verſ. 22. *Sed concluſit ſcriptura*, ideſt lex ſcripta, *omnia ſub peccato: vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus.* Credentibus, inquit, non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus: quia non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. Vnde ad Epheſios cap. 3. verſ. 5. ſcribens, ait. *Quod alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius, & Prophetis in ſpiritu,* (verſ. 6.) *gentes eſſe cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium.* Vide qualiter ſecundùm Apoſtolum, promiſſio facta Abrahæ, & ſemini eius, fuerit in gentibus adimpleta: Septuaginta Interpretes transferunt. *Et dedi te in teſtamentum generis.* Et apud Cyrillum additur *mei*. Et in Complutenſi ponitur *Generis Iſrael*. Et poteſt ſumi teſtamentum pro re, per teſtamentum relicta, aut promiſſa. Chriſtus enim per vetus teſtamentum repromiſſus eſt filijs Abrahæ, ideſt, illis, qui per veram fidem ſunt filij eius; & per dilectionem operantur. Tales enim nomen merentur filiorum Abrahæ; tales ſunt generis diuini, quia videlicet, *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; ſed ex Deo nati ſunt.* Ioan. cap. 1. verſ. 13. Vnde & Apoſtolus Act. cap. 17. verſ. 29. *Genus ergo cùm ſimus Dei, &c.* Genus ſumus ipſius, regenerati per baptiſmum in aqua, & Spiritu Sancto.

Teſtamentum ſignificat rem teſtamento relictam.

§. 26 Quare Deus hoc inopinatum ſignum electo Abrahamidum populo peculiariter imprimit? Quid ſpondet, quid denotat hæc præputij circumciſio? In officina concupiſcentiæ è primordiali delicto petulanter laſciuientis, electi à Deo populi character, & velut Sanctitatis notaculum imprimitur? Subtiliter Sanctus Zeno Veronenſis in Serm. de Circumciſione hac ſuper re ita philoſophatur: *Adde*, inquit, *quòd circumciſio iſta non tàm ſalutem pollicetur, quàm locum, caputque criminis monſtrat. Adam etenim cùm hoc membro illicitum pomum decerpſit, ſic in genus humanum ius mortis induxit. Neceſſariò ergò luxurioſo populo Deus hoc ſignum dedit: vt locum matricalis culpa cùm denotat, etiam alia crimina fugienda cognoſcat.* Nimirùm quoniam Adam nimis vxorius, ne ſuas re nutu contriſtaret delicias, præuaricatus eſt; aut quia ex primordiali delicto rebellionem concupiſcentiæ perſenſit; ideò dicit, quòd Adam in paradiſo cum circumciſionis *Membro illicitum pomum decerpſit.* Exindè circumciſio dedicanda erat, quæ *locum matricalis culpa denotaret*. Quaſi concupiſcentia ſit originalis delicti matricalis origo, & reliquorum exinceps criminum quodammodò originale promptuarium. Eheu quot ſcelera ex matrice concupiſcentiæ origine quàm vberrimè exundant! Laurentius Nouarienſis in homil. de Pœnit. tractans illa Chriſti verba Lucæ cap. 7. verſ. 47. ad mulierem effuſiùs peccatricem dicta, *Remittuntur ei peccata multa*, Sic pulchra ecphraſi exſcribit, & exponit: *Propter quod dico tibi remiſſa ſunt illi infinita.* O quàm multa paucis! Verſ. 10.

Circumciſio velut character Populi electi.

§. 27 Quare Deus pro filijs Abrahæ tantùm partem legis mandat, circumcidere ſcilicet, particulam præputij? Cur eis non datur ſtatim tota lex, vt Verſ. 11.

poſtea

postea factum est cum Moyse in Sinai, in deserto? Perfectio, non in parte, sed in toto integro composito consistit. Vide magnum diuinæ sapientiæ oraculum. Erant illi homines valdè rudes, & imperfecti, ideò non statim omnia eis amplectenda proponuntur, sed paulatim per quasquam virtutum partes ad maiorem perfectionem ducuntur. Regulariter enim ita accedit: ad altum cacumen non peruenit, qui omnia simul intendit, sed qui paulatim, ac veluti per partes scandit. Pulchrè Diuus Ambrosius libro 1. Abrahæ cap. 4. sic ait: *Pars mandata est secundùm legem populo Iudæorum illi infirmo, illi, qui Deum suum non cognouit. Vt si puerulum literis imbuas, à singulis literarum elementis inchoandum est tibi, vt à singulis apicibus ad syllabas; à syllabis eum per ordinem ad nomina, orationemque deducas. Nec potest mare quisquam nauigare intrepidus, nisi qui ante in fluminibus nauigauerit.*

Paulatim ad perfectionem accedendum.

Vers. 11. §. 28 Vel dic: *Quia (Abraham) ad perfectum vocatur, oraculum perfectionis accipit. Circumcidatis, inquit, omne masculinum vestrum, & carnem præputij vestri. Perfecta autem circumcisio spiritualis est*, dicit S. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 11. Quibus ideò probat peti ex Abrahamo circumcisionem in carne, quia ad perfectam circumcisionem, nempè spiritualem vocabatur. Sed perfecta circumcisio spiritualis non in parte sed in toto consistit: de qua sapienter S. Zeno Serm. de duplici circumcisione fatur: *Prior circumcisio desecat carnem, secunda animi desecat vitia. Illa ferro, hæc spiritu; illa portionem, hæc hominem totum; illa præputium parua cutis, hæc præputium totius concupiscentiæ sæcularis.* Quando ergo circumcisio perfecta in totius hominis circumcisione consistit, cur Sanctus Ambrosius circumcisionem carnalis præputij vocat *Oraculum perfectionis*, quo Abrahamus ad perfectum vocatur? Meritò vir Sanctus oraculum perfectionis putat illud, quod non omnia simul proponit homini subeunda, sed paulatim partes quasdam virtutum proponit, quibus superatis, ad id, quod perfectius est, facilè poteris peruenire. Qua pro confirmatione accipe supra datam Diui Ambrosij sententiam de puerulo literas addiscente; nam sapientius dici nequit. Vndè crede mihi, oraculum perfectionis est, quod nouitijs particulas propenit virtutum, vt indè facilè veniant ad perfecta, & sublimia.

Ad virtutem paulatim ascendendum.

Vers. 11. §. 29. Quare ab Abrahamo, à quo Deus perfectionem requirebat, non veram circumcisionem afferendam à Christo, sed signum, sed vmbram, sed imaginem requirit, dixit enim Apostolus alibi cit. *Signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei?* Sanè ibi Patriarchæ perfectio fundabatur, qui tantus esset, qui non solùm in veritate substantiæ, sed in vmbra, sed & in imagine virtutum cōformaretur Christo. De se aiebat Sidonius Apollin. lib. 7. epist. 14. *Amas, vt comperi quietos, ego & ignauos. Barbaros vitas, quia mali putentur, ego etiamsi boni. Lectioni adhibes diligentiam, ego quoque in illa parùm mihi patior nocere desidiam. Comples personam Religiosi, ego vel imaginem.* Sic sanctus homo extollebat suum studium circa Religiosas virtutes, quarum non solùm æmulabatur substantias, sed etiam imagines. Pertinet equidem hoc ad perfectum virum, quòd Christianarum virtutum æmuletur vel imagines, vel vmbras.

Perfecti viri est virtutum æmulari imagines, vel vmbras.

§. 30. Quare Dominus Abrahamo dicit vt circumcisionis signum ponat in ea solùm parte, qua est vir: *circumcidetis carnem præputij vestri*: Et Christus sponsus ab anima dilecta quærit vt dilectionis signum ponat super cor, Cantic. cap. 8. vers. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum?* Quia, in signo circumcisionis externa caro signabatur, ibi cordis mentio nulla; sed signum Christi nulli primùm quàm cordi inurebatur. Hinc enim agnoscitur diuinitas præsens in Christo, quòd potiùs in corde figitur. Hac ergo de causa Ioannis cap. 3. vers. 8. dicebat Iesus Nicodemo adhuc legi per Angelos datæ inhærenti: *Spiritus vbi vult, spirat.....nescis vndè veniat, aut quo vadat.* Ex quo Clarauallensis Abbas serm. 32. in Cant. dicit Christiano: *Tu ergo si vocem eius audis, non iam nescis vndè veniat, aut quò vadat, sciens quia à Deo exijt & ad cor vadit.* Equidem qui in spiritus voce, non iam Angelos, vt antiqui meditantur, sed Deum ipsum, vt non ignoramus, quòd Deus à Deo mittitur. Sic etiam non possumus ignorare quòd ad cor vadat humanum. Cùm Dei gressus audias, hoc certum scias illum proficisci ad cor hominis, in quo gaudet morari, vt dicat Prudentius in Præfat. Psychomachiæ: Vers. 11.

Dilectionis signum in corde quærit Christus.

Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est
Parente inenarrabili atque vno satus,
Libum beatis offerens victoribus
Paruam pudici cordis intrat casulam,
Monstrans honorem Trinitatis hospita.

Planè tunc diuinitatis hospitium clarè monstratur, cùm hominis corda illi parantur.

Vers. 11. §. 31 Quare in parte occultissima, & ab oculis remota signum circumcisionis ponitur, dum ait: *Circumcidetis carnem praputij vestri, vt sit signum faderis*; Et Christus ab anima in patentissimo brachij loco amat vt signum poni, Cantic. cap. 8. vers. 6. *Pone me vt signaculum super brachium tuum*? Quare ergo vulnera circumcisionis in abscondita ponit parte, se autem in brachio in manifesto asserit? Quia vt Iesus vulneratus est pro delictis nostris, sola eius vulnera abscondi non debent, sed omnibus ob oculos apertissimè versari. De agno typico cauebat Dominus Exodi cap. 12. vers. 9. *Non comedetis ex eo crudum quid, nec aqua coctum, sed assum tantùm igne.* Et cur de solo agno illo cauetur, ne coquatur in aqua, sed igne torreatur? De alijs sacrificijs, vbi esca parabatur, aqua coquebantur, quo respexit illud 1. Regum cap. 2. vers. 13. *Quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua* (vers. 14) *Et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, vel in ollam &c.* Nullum ibi verbum de victimis assis, sed vniuersæ erant coctæ. Quando ergo vniuersæ carnes coquebantur, quare Dominus de solo agno agens, cauit ne aqua coqueretur? Quæ aqua coquebantur carnes, abscondebantur in olla, ibique absconditæ ignis patiebantur ardorem. Vt autem agnus ille expressissimum signum erat Christi passionis, sic cautum est, ne instar carnium coctarum absconderetur, sed instar carnis à se obuolueretur ob oculos. Non enim debent Christi passiones abscondi, sed versari ante oculos hominum. Quò spectans Eusebius Emissenus homil. fer. 2. Paschæ ait: *Non comedetis ex eo crudum aliquid, nec coctum aqua, sed assum tantùm igne. Non sunt enim hæ carnes crudæ, quia passus est Christus; nec in aqua coctæ quia non occultè, sed palàm, & omnibus videntibus est crucifixus: latent enim carnes, quæ in aqua coquuntur, apparent autem quæ assantur. Talis igitur passio Christi, quia cunctis videntibus est crucifixus. Redolet caro, cùm assatur, redolet passio Christi.* Fugit equidem Christi passio absconditum, quin potiùs, vt carnes assæ sese aspectu produnt, & odore: sic Christi passio, & aspectu, & fama amat ab omnibus percipi, & cognosci.

Vulnera Christi non sunt à nobis occultanda.

§. 32 Quare in hoc membro præputij instituta fuit à Deo circumcisio? Tripliciter huic dubio respondetur vt colligitur ex à Lapide. Primò, quia in hoc membro Adam primò inobedientiæ suæ effectum, & carnis rebellionem sensit. Secundò, quia in hoc membro generamur, & transfunditur peccatum originale, quod circumcisione priùs curabatur. Tertiò, vt significaretur Christus Redemptor, & noui fæderis institutor generandus ex Abrahæ semine. Vel quia indicabatur quòd à nobis mortificanda esset concupiscentia quælibet, vitiorumque omnium insolens audacia. Vers. 11.

§. 33 Quare ad hoc vt appareat Abrahami erga Deum obsequium, & subiectio tota, quædam minima particula corporis designatur, & non potiùs instituitur aliquod signum, quod in toto hominis corpore appareat? Loquebatur Deus cum Abrahamo, & qui spiritu Dei aguntur, sic minima tanto affectu præstant, vt in minimis omnia sua præstare videantur, ac sic huiusmodi viri tanto animo minima sua exuunt, ac si ibi vniuersa sua deponant. Vndè S. Athanasius in Catena Græca ad cap. 2. S. Lucę: *Ex quo*, inquit, *audiuit Adam, terra es, & in terram ibis, mortuus, & corrumpi corpus cæpit. Et exinde corporis quandam partem, & quidem eius procreatricem mutilare iussi sunt: praedocti totum esse exuendum.* Expende hęc vltima verba. Vers. 11.

Qui Christum sequere vult tanto animo exuat minimum, ac si omnia deponat.

§. 34 Quare præcepit Deus Abrahamo, vt se, & suæ familiæ masculos circumcideret, & tam vernaculos, quam emptitios? Ad dubium soluendum primò inquirendum est quisnam sit vernaculus, & quis emptitius in Abrahami domo? Respondeo verbis selectissimis disertissimi Mediolanensium pastoris: *Vernaculi sunt motus naturales; pretio empti, ratione acquisiti*: Sic lib. 2. de Abraham cap. 11. Quasi dicat; non tantum castigandi, & reprimendi sunt in homine motus naturales, scilicet passionum insultus, & improbæ appetentiæ, quæ sunt motus naturales, & vernaculi, vtpotè dominati, & enutriti: Sed etiam motus à ratione oriundi, & qui videntur rationi conformes, cohibendi sunt, & circumcidendi. Vellem hanc mysticam S. Ambrosij commentationem retinere, nisi illam suspicerem vtpotè tanti Doctoris. Ratio est cohibenda? circumcidenda ratio est? Quid? sequemur appetitum, non rationem? Quem Vers. 12.

Ratio circumcidenda, & cohibenda est aliquando.

se-

Digitized by Google

sequemur ducem, si rationem non sequimur? Sed multa dissimulanda sunt, & per stultam sapientiam prudenter omittenda, & disertè negligenda. Hanc stultam sapientiam sapientissimus Salomon, quando magis sapit, ediscere satagit: cum seriò tradit cor suum ad sciendam hanc stultitiam sapientem, dicendo Prouerb. cap. 30. vers. 2. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*. O quam sapit, cùm videtur desipere!

Vers. 12. §. 35 Quare, si emptitij serui, virtutum, & scientiarum adquisitos habitus naturales, quos labor, & industria pepererunt, significant, circumcidendi etiam isti sunt? Quia nec solius naturæ munera torpor, & pigritudo corrumpunt, sed artes ipsemet nisi assidua iuuentur industria, ferruginantur, tandemque deficiunt penitùs, vt nunquam intermitti studium, & culturam ingeniorum, maximè opus sit. Vndè datus Ambrosius clarissimè docet: *Si ad singula referas vernaculi sunt motus naturales, pretio empti, ratione, & doctrina adquisiti; egent autem illi, & hi tanquam virgulta, purgatione, & incisione luxuria*.

Vers. 12. §. 36 Quare Deus in noua lege Baptismum mitissimum subrogauit rigidę circumcisioni quæ dum *Infans octo dierum* erat exequi debebat? *Considera* (expendit S. Ioannes Chrysostomus homil. 40. in Genesim) *Dei misericordiam, & ineffabilem eius erga nos beneficentiam, illa enim circumcisio dolorem habet, & laborem, & nulla alia ex circumcisione fuit vtilitas, quòd hoc signo ab alijs gentibus sequestrarentur; nostra autem circumcisio, vel Baptismatis gratia, medicinam habet citrà dolorem, & innumera bona nobis affert, & Spiritus Sancti gratia nos implet, & definitum nullum tempus habet sicut illic, sed licèt, & in prima, & in media, & in vltima atate, hanc non manifestam Circumcisionem recipere, in qua non sustinetur labor, sed peccatorum onera deponuntur, & remissio inuenitur omnium peccatorum, qua per totam vitam gesta sunt*. Perge nunc ad beneficia cætera exaranda, & esto Iudex, num plura tibi, an Iudææ genti obuenerint; nam referre singula, prolixi tædij est, & laboris.

Maiora beneficia nobis, quàm Iudæis olim, contulis Deus.

Vers. 12. §. 37 Quare tàm dirum circumcisionis vulnus tenellis octiduanis adhuc puerulis mandatur? Quos melle, & lacte nutrices excipiunt, quare Deus rigido cultro feriri mandat: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*? Penè antequam lac, excipit gladius infantes, alitur enim virtus infantilis, & crescit in perfectum statum laborum tolerantia. Iordanus Rabenatis Episcopus in Gethica Historia locutus de Scythis ait: *Qui etiam in pignora sua primo die nata desauiunt. Nam manibus ferro genas secant, vt antequam lactis nutrimentum percipiant, vulneris cogantur subire tolerantiam*. Et fallar, si infantili virtuti alendæ lacte potior non sit laborum tolerantia. Crescit fidelium infantia vsquè in perfectum virum, vbi tolerantia laborum incipiat ali. Hinc Apostolus ad Romanos scribens cap. 5. vers. 3. *Tribulatio patientiam operatur* (vers. 4.) *Patientia autem probationem, probatio verò spem* (vers. 5.) *Spes autem non confundit*. Quatuor ponit virtutes respondentes quatuor hominis ætatibus, nimirùm infantiæ, iuuentuti, virilitati, & senectuti. Sed illud notandum quòd patientia in tribulatione ponitur, in primis pro virtutis infantia, vt quæ infantiles virtutes mirum in modum adolescere faciat. Ait Rauennas Eloquentia serm. 10. *Ecce quibus atatibus iustus perfectum roboratur in virum, in tribulatione, in patientia, in probatione, spe. Tribulatio fratres primam iusti viri concutit, & conturbat infantiam; sed cùm inuenerit ista patientem ad maiora adolescentem iam bona indolis tunc erudit*. Facit quidem tribulationum tolerantia, vt infantilis virtus ad maiora sese possit erigere. Quod noscentes prophani etiam de tolerantia, laborum in paruulis suis excitabant imperatu- ras virtutes, vt notauit Sidonius Apolog. in Panegyr. Acuti Augusti, de quo dicit.

Crescit fidelium infantia vsquè in perfectum, vbi tolerantia laborum incipiat ali.

A Tribulatione perfectio sublimatur.

.... Licèt idem gaudia nati
Culparet fata, & pueri iam regna videret.
Sed sibi commissum tanto sub pignore cernens
Mundi depositum, ne quid tibi Roma periret,
Iuuit fortunam studio, lactentia primùm
Membra dedit niuibus, glaciemque irrepere plantis
Iussit, & attritas paruum ridere pruinas.

Hæc Dominatori orbis puero parauit pater cunabula, vt dum niualem rigorem cum lacte gustat, ad eam virtutum magnitudinem perueniat, qua mundum sibi subijciat. Sed illud notandum.

Iuuit fortunam studio, &c.

quam imperatoriæ virtutis fortunam puero occurrentem vidit, eam arte, & studio *iuuit*, quatenùs lactentia pueri mem-

Digitized by Google

ri membra comprimi facit sub rigore niuium. Proh artem augendi infantiles virtutes!

Vers. 13. §. 38 Quare & quomodo Christi testamentum, quo nobis relinquit hæreditatem, vt eternæ felicitatis pignus erit in carne nostra? nam ly *Erit pactum meum in carne vestra*. Origenes legit: *Erit testamentum meum in carne vestra*. Respondet ipse Origenes. *Quomodo erit testamentum Christi super carnem meam requiro? Si mortificauero membra mea, quæ sunt super terram, testamentum Christi habeo super carnem meam, si semper mortem Christi in corpore meo circumferam testamentum Christi est in corpore meo.*

Christi hæreditas cum mortificatione pignus crucis.

Vers. 14. §. 39 Quare (si puer octo dierum natus non circumcidatur, non ex eius defectu, sed ex parentum incuria prodit) lex pœnam non infligit parentibus, sed pueris incircumcisis? Durior sanè est legis pœna in parentes, dum supplicium parat, & extorquet in natos: nil acerbius patri, quàm sui pignoris cruciatus recogitare. *Dicendum erat enim,* (inquit D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 81.) *Qui non circumcideret, exterminatum iri, non autem infantes immaturæ ætatis: ego verò nec literalem quidem sensum improbo; quidem parentibus acerbius est supplicium, cum pueri exitio dantur.* Notat Sacer textus, quod *mortuus est Aram ante Thare patrem suum* Gen. cap. 11. vers. 8. Quare tanquam res valde mira, & noua scribitur, quod Aram superstite parente suo obierit? Res valdè noua extitit. Nam primus filius, qui ante parentem suum naturali morte, & non violenta cecidit, extitit Aram. Quænam tantæ rei causa? Thare, iuxta D. P. N. Augustinum, S. Io: Chrysostomum, Abulensem, Pererium, Cornelium a Lapide; & patet Iosue cap. 24. vers. 2. lapsus fuit in idololatriam: imò, vt vult D. Epiphanius lib. 1. aduersus hæreses, figulino opere ex argilla sculpsit, & efformauit idola: Cum ergo ipse esset ex semine Sancto, ac electo, nempè Sem; & tamen in tã graue scelus inciderit, nullo alio multatur supplicio, nisi hoc tanquam omnium grauiori, vt ipse primus sui pignoris morte puniatur. Sic eleganter confirmat S. Epiphanius citatus dicens: *In tanto hominum numero, scilicet à creatione mundi, nullus adhuc filius ante parentem obierat, sed superstitibus relictis liberis patres ex hac vita migrabant: nam quod Abelem obijcere quispiam posset, nequaquam procedit, cum in violenta morte præreptus fuerit. Postquam verò Thare figulina arte Deum, velut æmulo quodam opposito, prouocare cœpit; dignam factis mercedem reportauit. Et ipse filij iactura quodammodo prouocatus est. Quod quidem consilium Dei scripturæ admirans nominatim bis verbis expressit: & mortuus est Aram coram patre suo Thare in terra natiuitatis suæ.*

Nullus maior parenti dolor quã videre filij mortem.

Pater torquetur durissime filij pœna.

§. 40. Quare dicitur de puero incircumciso *delebitur anima illa de populo suo?* Vers. 14.
Vt dubium explanetur, intelligendum est, quid sit *deleri è populo*? Ostendit benè ex alijs scripturæ locis Bonfrerius, significare morte plectendum: Ergonè infantulus octo dierum ob voluntariam circumcisionis omissionem, prorsusque inculpandam letho condemnabitur? Scio iuniores dicere interpretes interficiendum sanè, at non rationis expertem, sed cùm adoleuerit, nam ad delictum imputatur iudicio præditum contempsisse circumcidi; hęc sanè literæ quadrat opinio, sed modò adquiescamus S. Ambrosio, & Procopio existimantibus infantem arbitrio, & ratione carentem morti deputari ob alienam negligentiam, Parentum videlicet, qui circumcidere noluerunt; verùm illi rectè perpendunt, cùm inuoluntario homicidio asylum essent ciuitates refugij quamobrem non indulgentiam promereantur infantuli, quibus circumcisionis prætermissio inuoluntaria extitit? præbeamus quidem huius signaculi negligentiæ tam graue deberi supplicium, cur non Parentes, qui deliquerunt, damnationem subeunt, & infantulo condonatur? Respondet vterque vt acerbiùs punirentur qui procrearunt; iubetur infantulus interfici; Parentibus enim quasi luctuosius reputatur adimi filijs vitam, quàm si genitoribus adimeretur ob nimiam erga gnatos dilectionem. Sed percipiamus de his ex D. Ambrosius lib. 2. cap. 11. *Graue enim putatur, quod infanti octo dierum negligentia parentum fraudi esset futura, ita vt interiret anima eius, cùm ipsa lex etiam homicidæ (qui tamen non voluntarium facinus necandi hominis impleuerit) ciuitates præscripserit, ad quas confugendo mereatur sanguinis impunitatem; Quomodò ergo aut illic ratio habetur fortuitæ necis, aut hic ratio infantiæ non habetur, in qua crimen, non potuit esse aut dissimulationis, aut voluntatis? nisi fortè putent aliqui, quoniam morte filij grauiùs puniantur parentes.* Huic non absimile illud de Cham, eiusque filio Chanaan Gen. cap. 9. venerando enim genitori suo Noe impius filius *Cham* obrisit; nudatum enim cum reuerentia tegere

Parentes grauiùs puniuntur dum eorum filij mulctantur.

Digitized by Google

tegere despexit, quam ob causam maledictus est à Parente: sed obserua imprecationis formam! *Maledictus* (ait vers. 25.) *Chanaan, serans seruorum erit fratribus suis*; Verùm nonnè sceleris inuentor *Cham* pater *Chanaan*, & non gnatus? quorsùm igitur desæuit aduersùs nepotem? Scilicet grauius erat Cham si filius pęnas exsolueret, quàm si ipse feriretur; ad supplicij itaque rigorem maledictio contra gnatum dirigitur. Vndè S. Chrysostomus homil. 29. in Gen. *Quare cùm peccauerit pater*, inquit, *& prodiderit nuditatem, filius maledictum suscipit? obsecro, attendite diligenter, & solutionem suscipite! Quia pater non minorem cruciatum, & pœnam habuit quam filius; scitis enim, scitis quomodo sæpè numero Patres orant, vt filiorum pœnas ipsi ferant, & quomodo grauius illis est videre filios supplicio affici, quàm si ipsi forent eis obnoxij.*

Vers. 14. §. 41 Quare lex non potiùs vindicat in parentes, quàm in pueros incircumcisos? Et sanè eo grauiùs in parentes exardescit legis vindicta, quò filios mulctat, & affligit. Pelusiotam supra datum audisti, nunc applicationem ex illo deriuantem nota. Proh dolor, & Virginis, & Matris Sanctissimæ, vbi vnigenitum filium tàm crudeli, & infami mortis supplicio videt extingui! *Stabat autem iuxtà Crucem Iesu Mater eius*, Ioan. cap. 19. vers. 25. Nescio an MARIA in hoc sæculo posset torqueri ampliùs, & affligi. Rabidissimus Dæmon in Saulem, vt eum incredibili dolore affligeret 1. Regum cap. 14. id machinatus est, quòd Saulis filius Ionathas legem inculpabiliter frangat, ob quam innocens morte in ipsis Patris oculis mulctetur. Id quod ponderans D. Ioannes Chrysostomus homil. 14. ad populum fatur: *Excogitauit sceleratus ille, & hanc rursùs prophaniorem moliri cædem. Si enim Ionathas sciens peccasset, & iugulatus fuisset, filij cædes tantùm id erat: nunc autem ex ignorantia præuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deindè interfectus, duplicem patri dolorem effecisset, filium enim, & filium qui nihil peccauerat, immolaturus erat.* Verè ò Beata Virgo, & Mater, non simplex est dolor tuus iuxtà crucem, sed dolor est duplex, sed multiplex, quando occidi vides filium, & filium qui nihil peccauerat, & ab his, qui tibi cordi erant, & quos ipse cumulauerat beneficijs, multisque in dies bonis impleuerat. Ergo dic: non nihil magis acerbum, quàm quòd parens videat morientem filium, & vnicum, & amantissimum filium.

Innocentis filij Iesu mors acerbissima omnium dolorum MARIÆ.

Vers. 15. §. 42. Quare nomen quod modò imponitur Isaac nascituro perseuerat absque alia mutatione vsquè in finem vitæ cum illo, quando Abram, & Iacobi nomina habent finem? Nomen Isaac maturauit apparere inter paternas benedictiones, & virtutes, quod autem in virtute apparere maturat, in ea solet apparere vsquè in finem. Ait Procopius in Glossa ibidem: *Vt autem Isaacus sit sanctior, vna cum Patre, & matre benedicitur. Vt legitimè, & sanctus nascatur, nascitur ex vtroque parente benedicto.* Nec in silentio prætereundum, quod indè ex vtero id nomen Isaacus gestat. Hinc eius nomen non mutatur, vt accidit Abraham, & Iacob. Ex maturata benedictione, & sanctitate, cum primo vitæ halito suscepta, habet Isaac quòd nec benedictionis signum, quod erat in Nomine, amittat, perseuerat enim quodcunque virtutis insigne à prima ætate suscipitur.

Perseuerat, quod benè, vel malè à prima ætate suscipitur.

Vers. 16. §. 43. Quare ex Isaaco promittit Deus quòd reges essent promanaturi: *Et reges populorum orientur ex eo?* Iam si huius felicitatis inquiras causam, respondebit D. Paschasius ibid. Isaacum à patris pia voluntate nunquam seiunctum, nec eius iussis refragatum; imò morigerum semper paruisse, & Abrahami placitis se adaptasse: *Audi Isaac quomodo exequitur paternam oblationem vsque ad gladium, & vsque ad ignes.* Totus paternæ voluntati conformatur, totus obedientiæ addictus sibi felicitatem æternat, & prosperitatem firmat, quò notum omnibus fuerit, à parentibus discedentes maturasse sibi infortunium; morigeros verò, & obsequentes parturire sibi gaudium.

Filij à parentibus discedentes sibi infortunia maturant.

Vers. 16. §. 44. Quare ex Isaaco Reges, & ex Ismaele duces exoriundos promittit Deus? Si rationem inquiras, respondet textus Saram ampliori honore tunc donatam, & immutatione nominis magis celsam. Ergo dum à Domino plus honoratur, fructum nobiliorem enititur: iam domina sterilitatem depulit, prolem regiam parturiuit; quia nominis immutatione (nempe *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai; sed Saram, & benedicam ei*) à Domino ampliorem laudem accepit; *Anteà dicebatur Princeps mea*, scribit S. Hieronymus apud Lyppomanum, *Vnius tantùm domus mater familias; posteà verò dicitur absolutè Princeps: sequitur enim: dabo tibi ex ea filium, & benedicam ei, & erit in gentes, & reges populorum erunt ex eo.* Statim, ac Sara

nobi-

nobiliori donata est honore, naturæ leges dedicit, & honoratissimos fructus prodidit: est enim à magnis honorari grandis ad virtutem stimulus, quando pudet honestè ambitiosi tituli infuscare claritatem, & adulterare virtutem. Christus Dominus, vt ad solidas verasque virtutes exercendas blandè homines cogeret, & sinè coactione suaderet, sic aiebat, Matthæi cap. 6. vers. 17. *Cùm ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo*. Rauennas eloquentia serm. 7. expendit non dixisse Domino tuo, quando dominantis auctoritas solet exigere obsequium, & suadere seruis officium: dulcior quidem patris affectus est; sed dominantis acrior est timor; nec solent homines sic respondere beneficijs obstricti, ac timore acerrimo excogitati: ergo non appellet filios; sed seruos, vt hypocrisim abiurare, & simulationem doceat effugere; imò filiorum honore nobilitat, inquit Chrysologus, ne quid de labore periret; sed virtus semper floreret: *Paterno*, inquit, *monuit affectu, ne quid nobis de labore iustissimo deperiret*: fortè si homines audirent, seruuli ingenuitatem deponerent, nec se criminibus infuscare timerent; at dum vei filij honorantur, ne quid virtutis amiserint, persuadentur; *ne quid de labore iustissimo deperiret*. Quo simulationem, mendaciumque seruulorum propria depellat, non vocat seruos, sed filios; vt dum se filios agnoscunt, dedignentur seruorum maculis infici, & mendaci virtutum fuco obscurari.

Magnus ad virtutem stimulus, honor.

Vers. 17. §. 45. Quare Abraham pro tanto beneficio gratias, sicut Agar, magnis vocibus non persoluit; sed cecidit in faciem suam, veluti suam magnam in Deum obedientiam, ac venerationem protestatus absquè verbo vllo? Agnoscebat enim Sanctissimus Patriarcha, quòd vera gratiarum actio, non ore, & lingua, sed actione, & opere exhibetur. S. Ioannes Chrysostomus hom. 19. in Epist. ad Ephesios cap. 5. ait: *Impendamus gratiarum actionem, non verbis, neque linguis, sed rebus, & factis; cogitatione, & corde*.

Vera gratificatio non verbis fit, sed opere, & actione.

Vers. 17. §. 46 Quare exprimitur Abrahamum risisse, dum caderet, cecidit in faciem suam, & risit? Quis enim ridet, dum cadit? Sanè qui gloriatur in humiliatione. *O Virum*, ait Rupertus ibi, *aeterno risu verè dignum, & sempiternæ iucunditati benè præparatum. Qui ita cecidit in faciem, vt rideret, ita risit, vt in faciem caderet*. Itaque risu excipit casum vir coràm Domino Magnus. Non solùm non timet ruinam, & calamitatem, probra, & humiliationem, verùm perfunditur gaudio, cùm se conspicit humiliatum. Non sic inertes, & timidi, & ad omnia pauidi: de quibus Seneca lib. de prouid. cap. 2. *Non fert vllum ictum illæsa felicitas, at vbi assidua fuit cum incommodis rixa* (imò, & risus) *callum per iniurias ducit, nec vlli malo cedit*, (etiam dùm cadit) *sed etiamsi ceciderit de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos, quàm optimos esse, atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat?* Ergo de genu, de casu pugnantes, imò & ridentes optat Dominus esse suos, qui rideant, cùm cadunt, & vera voluptate in casu suo repleantur. Idem autem Moralissimus epist. 76. hæc damna optanda esse proponit his verbis. *Quid? tu existimas tantùm ea optabilia esse, quæ per voluptatem, & otium veniunt? Quæ excipiuntur foribus ornatis? Sunt quædam tristes voluptates, sunt quædam vota, quæ non gratulantium cætu, sed adorantium, venerantiumque celebrantur. Hoc loco mihi Demetrius occurrit, qui vitam securam, & sinè vllis fortunæ incursionibus mare mortuum vocat. In otio inconcussa iacere, non est tranquillitas, malacia est. Attalus Stoicus dicere solebat, malo, me fortuna in castris suis, quàm in delicijs habeat. Torqueor, sed fortiter, benè est. Audi Epicurum, dicet, & dulce est*. Hæc ille. Quid ergo mirum, quòd rideret, dum caderet Propheta, & Patriarcha Sanctissimus. Si dulcis erat Epicuro casus. Si sunt quædam tristes voluptates, quæ risum excitent, non dolorem, aut animi ægritudinem. Quo pacto dixit Origenes de Iob sedente in sterquilinio cap. 2. *Ipse sedebat*, ait, lib. 2. *super aeternis sterroris, plus sibi de ipsis vermibus, atque putredine, quàm olim de Regni gloria complacens, & saniem radebat., & ridebat*.

Sancti ipsam sui humiliationem risu excipiunt non planctu.

Stulti quauis aduersa fortuna concutiuntur, & pereunt Iusti de genu pugnant.

Sunt quædam tristes voluptates in viris fortissimis.

Humiliatio dulcis est viris sapientibus.

§. 47 Quare (si Deum non latuit Abrahamum in cordis secreto risisse præ rei arduitate dubitantem, an eiusmodi pollicitationes implendæ forent) Patriarcham fidei patrem futurum huiusce diffidentiæ non arguit? Nota nota argutum correptionis arbitrium. Porrò infrà refertur, quòd visitauit Dominus Saram sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est; concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus: *Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac*. Gen. cap. 21. vers. 3. Vers. 17.

Isaaci nomen, Abrahami risum vrbanissimè arguit.

O ma-

Digitized by Google

O magnum vocabuli Sacramentum! Scilicet Isaac *Risum* significat, quò ambigentis *risu* patris dubietatē corripiat. Quod Claudius Marius Victor lib. 3. in Gen. modulatè notauit, ita pangens ad illa verba: *Et risit, dicens in corde suo &c.*

Sed tamen ignoscam dubijs, pueroque futuro.
Imponam nomen, quod culpam hanc arguat.

Nempè Abrahamus propè centenarius à Deo audit, Saram nonagenariam ei parituram filium in effœta iam diù ætate; ambigit de pollicitatione dubius in fide, & præ dubietate *ridet*: ergo dum Deus promissionem adimplens suam, promissum illi donat filium, quòd appelletur Isaac, idest, risus, iubet; vt ipsum nomen in tenella infantis carne insculptum, pristinam diffidentiam *risu* expressam iugiter reprehendat, & dubietatem olim suam in puero descriptam crebrò legat, quò vrbanissimè delictum reprehendat: *Ignoscam dubijs, pueroque futuro imponam nomen, quod culpam hanc arguat.* O' moralissimum correptionis ingenium! De impletione sponsionis dubitans, *ridet*; ergo adimpletio ipsa, *risum* gestet in nomine, *quod culpam hanc arguat.* Pulchrè quidem Marius!

Vers. 17. §. 48 Quare Abraham in corde suo (refert Moyses) dixisse: *Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Quia non tàm nasci debebat Isaac sensu cupiditatis, quàm deuotionis affectu. Assimiliter accidit Sanctissimis Ioachimo, & Annæ, qui in effœta senectute Virginem Deiparam feliciter generant, quò purissimam Dei Matrem mundiùs efforment. Quod S. Petrus Chrysologus serm. 91. his verbis luculenter edisserit: *Partus non ablatus est, sed dilatus, donec transiret tempus carnis passio corporis, voluptatis causa, cupiditatis sensus, & totum quod humanam confundit, grauat, & onerat conscientiam.* Scilicet non libidinis est quod Virgo Maria nascitur, sed consultioris prouidentiæ, quæ Marianæ puritati præmaturè aduigilat, vt eius conceptio è sterili vulua, & exhausta senecta, opus sit potiùs gratiæ, quàm naturæ: sitque citiùs deuotionis negotium, & otium precum, quàm *Cupiditatis sensus*. Sic Marianæ puritati vndecumque, atque omnimodè consulitur!

Isaac non tàm natus sensu cupiditatis, quàm deuotionis affectu.

Vers. 17. §. 49 Quare cecidit Abraham in faciem suam audiens futuræ prolis repromissionem? Cecidit non hæsitans, sed de immetata Dei erga se munificentia obstupescens, & cum impari naturæ facultate beneficium conferens. Putasne, inquit, centenario nascetur filius? Pro modulo, quo valuit, beneficium extulit, *Sic enim solent iusti viri ad extollenda beneficia diuina, quasi impossibilia ostendere, quemadmodum Moyses*. Numer. cap. 11. vers. 22. *Dixit Deo pollicenti, numquid pecudes, ac oues, & boues iugulabuntur, sufficient eis, aut omnes pisces maris congregabuntur ad eos? Habent enim Sancti mirabiles modos extollendi Deum in beneficijs, quæ à Deo acceperunt.* Adhuc madet Oleastri calamus.

Iustus ad extollenda beneficia quasi impossibilia ostendit.

Vers. 17. §. 50 Quare cecidit tantus Patriarcha ad hæc repromissa, & cælitùs reuelata, in faciem suam? Sanè adhæc adeò festiua, exultandum potiùs Sanctissimo fuerat Patriarchæ, & diuinæ plaudendum promissioni, vt reuera exultasse putat Dionysius Carthusianus cùm illum audit obijcientem: *Putasne centenario nascetur filius?* Quasi diceret: *Mirabile istud est, & quamuis per naturam fieri nequeat, tamen cum gaudio credo, quòd ego iam centenario, ex coniuge mea Sara nonagenaria, filium procreabo.* Sed adhuc vrget dubium, Cur igitur in faciem cecidit, quòd erubescentis potiùs, & concepti mæroris, non exultantis animi signum est? An quia de successiua prole gnarus, & adhuc proroganda incarnandi Verbi, vlterioris impatiens moræ, adimpletione tristaretur? Diceret Philippus Abb. cap. 3. de Obedientia Cleric. *Feruens desiderio, dilationem vix potest sustinere, nec ei, quicquam sufficit, quamdiù quod desiderat intelligit se non habere.*

Feruens desiderium dilationem vix sustinet.

Sic Redemptor noster Christus Iesus, cùm desiderio desideraret cruentæ consumandæ passionis; etiam in horto ferali scenæ proximus, ita coarctabatur, vt ad patrem oraret æternum. Matthæi cap. 26. vers. 39. *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste*; idest, commentatur ibidem Cornelius à Lapide, *per me transeat, ac deindè à me transeat, & celeriter transeat: illicò fac, vt patiar, moriarque: ardor enim patiendi, non patitur moras; ne horæ quidem, vel instantis, vel instantis vnius:* poterat enim vnum orare secundùm carnem; alterum, secundùm spiritum; & hoc congruit cum reuelatis D. Senensi Catharinæ, ex vita eius descripta per Ambrosium Catharinum lib. 2. cap. 28. & 29.

Vers. 17. §. 51 Del dic: An verò *Cecidit Abraham in faciem suam*, vt se, & genus totum cum eo humanum, vilissimæ humilitatis ostento, tanto indignum profiteretur beneficio, sibi cælitùs reuelato?

Ex Dei comparatione nostra cognoscitur vilitas.

to? Id præstitit & aliàs, id genus infimæ coràm Deo exinanitionis actibus assuetus, vt cap. subsequen. 18. vers. 27. *Loquar ad Dominum, cùm sim puluis, & cinis?* Siquidem, *cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet* Psal. 50. vers. 19. & si Deum consideremus, nostram fatebimur vilitatem, inquit S. Cyrillus Hierosolimitanus cath. 6. Sequitur orationem humilitas, habet Isaacus præsbyter de mundi contemptu cap. 2. qui maior est meriti, eò est humilior, ex Ambrosio Lucæ cap. 5. quò quis humilior, eò, coràm Deo pretiosior, apud Ludouicum Episc. Tolos. Sic Hieremiæ in Thren. cap. 3. vers. 29. *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes*, de Christo conceptum, vt ab eo calix ille transiret: sic & Dauid deprecatus est Dominum, *pro paruulo, & ingressus in hortum iacuit super terram*.

Cur in faciem suam cecidit Abraham?

An verò *cecidit Abraham in faciem suam* pacis terræ osculum figens, quòd nasciturus de terra benedicta filius, in cuius ortu, pax in terra fiet hominibus bonæ voluntatis? Hanc intulit bonus Iesus, & abiturus ex hoc mundo ad Patrem; *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*, in pinguem credidit hæreditatem.

Nonnisi humilibus cæleste regnum datur.

Sed & iterum; *An cecidit in faciem suam* humilis Patriarcha, iam prænoscens, non nisi humilibus cæleste regnum paratum, *qui se humiliat exaltabitur*; & ideò, vt, sicut subaudiens ab oraculo Iunius Brutus, cum assumendum in Regem, qui omnium primus oscula matri figeret suæ, *ille iacens pronus, matri dedit oscula terræ*, & regno statim potitus, ex Tit. Liuio lib. 10. Decad. 1. & Valerio Maximo lib. 5. cap. 3. ita, beatam si pararet Abraham, terram osculando, in cælo mercedem? An verò Christi patientis in horto typum gerens, in faciem suam procidentis, & bene terræ dicentis olim male à Deo dictæ, mox tribulis, & aculeis deifico sanguine expurgandæ? An quòd se tàm ingentis reuelatione immeritum reputaret mysterij, vt præ verecundia, leuare in cælum oculos non auderet, velut alter Manasses *non sum dignus videre altitudinem cœli*, velut & ille Publicanus, qui Lucæ cap. 18. vers. 13. *Nolebat nec oculos ad cælum leuare*, causamque insinuaret cum Regio Vate Psal. 43. vers. 16. quia, *Tota die verecundia mea contrà me est, & confusio faciei meæ cooperuit me?* Sic Abraham coràm Deo, tantum versando Mysterium *in faciem suam cecidit*, more quidem seruorum terga flagellis parantium, non genibus, vt reor, sed pauimento terræ corpore toto hærens, & distentus. Sed quomodo hæc omnia cum risu cohærebunt Patriarchæ, quem mixtum in hac scena commemorat textus cùm sublime adeò reuelabatur mysterium: *cecidit in faciem suam, & risit*. Habet Chaldæus: *& gauisus est*; quidni enim exultaret in Deo salutari suo, aliquando in carne venturo ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, & in extrema inter hæc gaudia, & timorem, & reuerentiam, & infimam exhibens humilitatem? Et hoc Abrahamiticæ virtutis elogium est, inquit alibi superiùs citatus Rupertus *Virum illum æterno risu* exaggerans, *verè dignum, & sempiternæ iucunditati benè praparatum, qui ita cecidit in faciem, vt rideret, & risit, vt in faciem caderet, illius admirans omnipotentiam, cuius in promissione audierat singularem prouidentiam*.

§. 52. Quare Abraham non anteà ausus est ridere, quàm in faciem ceciderit? Et cur casum præmittit risui, nisi ne liberè risus vagetur, sed strictis contineatur carceribus? Ait D. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 11. *Quid est autem, quod ait, & procidit in faciem Abraham, & risit? Et hic reuerentia significatur, quòd timuit Deum velut libero risu lædere, quamuis risus lætitiam declararet viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis*. Lætandum, & gaudendum erat viro iusto in tàm concupito dono à Deo obtento, & dum ridens cadit in faciem, ostendit quantis debeant contineri carceribus humana gaudia, ne liberè euagentur, & Dei incurrant offensam. Hinc Ieremias cap. 31. vers. 21. clamat: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines: dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti: reuertere virgo Israel, reuertere ad ciuitates tuas istas* (vers. 22.) *Vsquequò delicijs dissolueris filia vaga?* Expende, quid reprehendat, & quid consulat, reprehendit equidem solutissimam deliciandi rationem, dum ait, *vsquequò delicijs dissolueris?* Non quòd delicietur, carpit, sed quòd solutè, & liberè, absquè fræno vllo delicietur. Vndè consulit, quid faciat, ad ipsas delicias, ad ipsa gaudia condienda, nimirùm, pone tibi amaritudines, vtique claudantur gaudia nostra, intra amaros, & strictos disciplinæ carceres, & Deum intra gaudia, & delicias habebimus.

Vers. 17.

Humana gaudia reprimenda, ne Dei incurrant offensam.

§. 53 Quare non dicitur Patriarcham nostrum risisse in Ismaelis natiuitate, Vers. 17.

sicut

Verum gaudium est quod venit à Christo.

ficut modò ridet in promiffione fecundi filij? Huc forfan fpectabat Dominus Ioan. cap.8. verf.56. ***Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauifus eft.*** Et quidem vna cum Ifaaci promiffione veniebat promiffio Chrifti de eius etiam femine orituri; quem in fuis pofteris prænofcens Abrahamus, non miror, quòd gaudeat, quòd rideat in corde fuo. Gaudium enim, & lætitia, quæ venit à Chrifto, & cordi ineft, & altiffimas ibi agit radices. Sic dicebat Dominus difcipulis fuis, Ioannis cap.16. verf.22. ***Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veftrum, & gaudium veftrum nemo tollet à vobis:*** Expende verba illa: ***Gaudebit cor veftrum, & gaudium veftrum nemo tollet à vobis.*** Duo enim ex Chrifto nobis dicuntur ventura, nimirùm gaudium corda perfundens, & inde minimè tollendum. Gaudia enim, quæ veniunt à creaturis, vt non penetrant cor, nec ibi radicantur. Sic facilè pelluntur. At quod à Chrifto gaudium eft, & cordis implet intima, & diù durat, quin pofsit tolli indè. Ad hæc dicebat Rupertus lib.12. in Ioannem: ***Et gaudebit cor veftrum, & gaudium veftrum certum, & verum nemo tollet à vobis. Quòd fi corpus occiderint, fic quoque cor veftrum gaudebit, quia gaudium veftrum non in carne, qua poteft occidi, fed in corde vel anima, quam perfecutor occidere non poteft, repofitum erit. Veftrum igitur gaudium nemo tollet à vobis.*** Ea funt gaudia, quæ à Chrifto Iefu in nos defcendunt, quæ non in carne funt, vt euaneant inftar fæni floris, fed peruadunt intima cordis, in animaque mirificè radicantur, vt minimè indè euelli pofsint.

Verf. 18. & 20. §. 54. Quare Deus Abrahamo de Ifmaele dixit, quòd ipfum augeret, multiplicaret, & quòd de ipfo etiam reges promanarent? Quia Deus feruorum fuorum precibus plus dare folet quàm petere fapiant. Abraham fufpirauit vt Ifmael viueret, & Deus vitam largitur Ifmaeli, ***fuper Ifmael exaudiui te:*** & infuper, temporalibus locupletabo fortunis, generofam duodecim ducum prolem habebit, & Agarenorum pofterorum Princeps fiet: ***Benedicam ei: augebo eum, & multiplicabo eum. Quia*** (inquit inibi Oleafter) ***plura, quàm petant iufti, illis conceduntur à Domino.***

Deus feruis fuit dat plus, quàm petere fciant.

Filium poftulauerat Anna 1. Reg. cap. 1. verf. 27. ***Pro puero ifto oraui;*** accepit puerum & Prophetam. Enodari fibi linguam, corde flagranti concupierat, & cum loquendi facultate, vim quoque prophetandi cælitùs reportauit. D. Ambrofio in cap. 1. Lucæ obferuante, ac fcribente; ***Vide, quàm bonus Deus, & facilis indulgere peccatis! non folùm ablata reftituit; fed etiam infperata concedit: ille dudum mutus prophetat.***

Prodigus ille filius Lucæ cap.15.verf. 29. paterno fenfu nimis liberaliter, ac impurè confumpto, fieri vnum ex mercenarijs in Paterna domo degentibus poftulauerat; ***Fac me vnum de mercenarijs tuis;*** & quid ampliùs reportauit, chariffimas inter filios iterum computatus; ***Pater occurrens, non contentus minora concedere,*** (ait idem Mediolanenfium Paftor in Gloffa citatus) ***Priftinæ filiorum dignitati reftituit; nec iam de mercede conductoris, fed de hæreditate facit cogitare parentis.*** Nequam ille feruus Domino fuo debitor, vtilia fibi fpatia ad alienum æs foluendum precabatur, & bonus illi Dominus ***omne debitum dimittit,*** Matthæi cap. 18. verf. 27. Quia fcribit eleganter Aureus Doctor homil. 17. in Gen. ***Bonus Dominus, mifericors, noftrique curam agens, non folùm quantum petijt, fed quantum, nec cogitare quidem aufus fuit.***

§. 55. Quare dicitur exaudiuit Dominus Abrahami preces, fi Ifmael feritati addictus ***coràm Deo*** non vixit? Certè preces iufti nunquam non audiuntur ipforum ad meritum, licèt poftulata cuncta non impleantur. Patri enim cupienti filium probè viuere iam filius vixit probè, quia illi defiderio præmium refpondet vbertim. Verf. 20.

§. 56. Quare in præfenti non difceffiffe dicitur Deus ab Abrahamo, fed afcendiffe? Erat ne aliquid in hoc colloquio, quo Deus deijceretur, & humiliaretur, vt eo finito dici pofset, quòd afcenderit? Sanè cùm in hoc colloquio totus effet Deus in præcipiendo duriffimo circumcifionis mandato, fic humiliter, & humanè fe gerebat, vt meritò poft illud diceretur afcendere. Prudentis enim principis eft humiliter, & humanè fe gerere, cùm dura, & difficilia, & præcipere amat, & perfuadere. Huc fpectat Gloffa Græca dicens: ***Afcendit Deus ad Abraham: Ergo vt ita dicam, defcenderat, & humilem fe circumcifionis legem ftatuens præbuerat.*** Proh diuiniffimam fupremæ maieftatis fapientiam! Non imperatoriam, non herilem, fed humilem fe oftendit cùm dura præcipit, vt fic faciliùs illa reducantur in effectum. Verf. 21.

Prudentis Principis eft humanè fe gerere, cum præcipit difficilia.

§. 57 Quare addit Moyfes. ***Sicut præceperat ei dominus,*** fi Deus non præce- Verf. 23.

perat vt illa ipsa die præceptum impleret de circumcisione Abraham? Quia verè obediens non solùm putat obligare præcepti substantiam, sed ad decentiùs modum quodammodo teneri. Vnde quamprimum dat operam executioni. Hinc S. Benedictus in Reg. dixit: *Perfecta obedientia, sua imperfecta relinquit*. Et Dauid Psal. 17. vers. 45. *In auditu auris obediuit mihi*. Ita Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus, vocati à Christo Domino, continuò *Relictis* omnibus *Secuti sunt eum*. Ita faciunt Angeli de quibus ait Psaltes: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*. Ita faciunt stellæ, quæ, *Vocatæ dixerunt, adsumus*; Et fulmina de quibus Iobo ait Deus cap. 38. vers. 35. *Nunquid mittet fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent tibi, Adsumus?* Audi Ethnicos, Cyrus apud Xenophontem lib. 4. laudat Chrysantam militem, qui in prælio gladium hosti iam incussurus, eum audiret receptui cani, ictum non intulit: & rogatus, cur hosti pepercisset, respondit: Quia *Melius est imperatori parere, quàm hostem interficere*. Audi Cleanthem Philosophum apud Senecam epist. 106.

Veri obedientis mens.

Duc me parens, celsique Dominator poli,
Quocumque placuit: nulla parendi mora est;
Adsum impiger:

Vers. 24. §. 58 Quare Patriarcha non pigritauit vsque Circumcisionis omnium domesticorum perfectionem? Certè se primò vulnerauit, vt exposito Patris, ac Præsulis exemplo facilè filij subditique omnes difficili præcepto submitterentur, nam exemplum Superioris difficilia subditis imperia facilitat.

Vers. 24. §. 59 Quare etiam Abraham Pater ille excelsus, in perfectionis culmine positus subiacet circumcisioni? Et cur in tali ætate nonagintanouem annorum tanquam emeritus saltem non quiescet, sed ijsdem paret legibus, quibus Ismael & incipientes quique? Ita sanè: non enim in tali ætate, non post tot immortalia facinora, & initum cum Deo fœdus, Abraham suæ saluti consultum existimauerit, nisi eandem, quam infans octo dierum, ille circumcisionem experiatur, & easdem veteranus exerceat mortificationes, quas tyro exercuerat. Quis tribuat, vt talibus abundent cænobia? ò Domine, visita vineam, quam plantauit dextera tua, & fac misericordiam cum seruis tuis, vt de istis viris portendentibus nunquam deficiat semen in domo tua. Sed audi Interlinearem apud Lyppomanum ibid. dicens: *Quòd autem tulerit Abraham Ismael filium suum, & omnes vernaculos domus suæ, & vniuersos, quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus suæ, & circumcidit carnem præputij eorum; præfigurauit, quia ad omnem professionem spiritualis pertinet circumcisio. Abraham nonagintanouem erat annorum, quando circumcidit carnem præputij sui; & Ismael filius eius tredecim annos impleuerat tempore circumcisionis suæ*. Aptè illud: *Quia ad omnem professionem pertinet Circumcisio*. Siuè enim Abraham nonagenarius, siuè Ismael nondum ephebus; omnes, quæ circumcidant, habent; nulla ætas, nulla professio à mortificatione immunis: periclitabitur etiam centenarius, si superflua resecare negligat.

Nulla ætas, nulla professio à mortificatione immunis.

§. 60 Quare refert Moyses eodem die circumcisus est Abraham, & Ismael filius eius, & omnes viri domus illius pariter circumcisi sunt? Vt doceret Prælatos ad bonum exemplum. Ea enim vis in Principis, Prælati, seu Superioris cuiuslibet, exemplo est, vt in eandem penè viuendi legem subditos cōponere valeat, qualem ille sibi præscripserit. Id causæ fuit, quare Sichimitæ oblatam ab Hebræis de circumcisione legem lubenti animo admiserint, licèt perdifficile eis pactum, ægrèque ferenda conditio videretur, quia scilicèt eorum Principes præcesserant ad exemplum; assensique sunt omnes (Principibus suis) nullo pænitùs contradicente; Quid enim non præstat bonum Principis exemplum ad dura, & aspera quæque subeunda? Id videre est in Clodouæo ad Christum conuerso, de quo hæc subijcit Baronius sub anno salutis nostræ 499. *Regina*, inquit, *accersiri clàm Sanctum Remigium iubet, deprecans vt Regi verbum salutis insinuaret, quem Sacerdos accersitum secretiùs cœpit instigare, vt verum Deum factorem cœli, & terræ crederet, idola negligeret, quòd neque sibi, neque alijs prodesse possunt. At ille; libenter te sanctissime Pater audiam, sed restat vnum, quòd populus, qui me sequitur, non patitur relinquere Deos suos. Sed vade, & loquere eis secundùm verbum tuum; Conueniens autem cum suis, priusquam ille loqueretur, præcurrente potentia Dei, omnis populus pariter acclamauit; mortales Deos abijciemus, pie rex, & Deum, quem prædicat Remigius immortalem, se qui parati sumus*. Si regis exemplum ad fidem amplectendam non præcessisset, an Christi iugo subdere colla populus non detrectasset?

Vers. 26. & 27.

Ad exemplum Principis subditi mouentur.

C A-

CAPVT XVIII.

GENESIS.

Verſ. 1.  *Pparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.*

2. *Cùmque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adorauit in terram.*

3. *Et dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.*

4. *Sed afferam pauxillum aqua, & lauate pedes veſtros, & requieſcite ſub arbore.*

5. *Ponamque buccellam panis, & confortate cor veſtrum, poſtea tranſibitis: idcirco enim declinaſtis ad ſeruum veſtrum, Qui dixerunt Fac vt locutus es.*

6. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria ſata ſimila commiſce, & fac ſubcinericios panes.*

7. *Ipſe verò ad armentum cucurit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero; qui feſtinauit & coxit illum.*

8. *Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & poſuit coram eis: ipſe verò ſtabat iuxtà eos ſub arbore.*

9. *Cùmque comediſſent, dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua? ille reſpondit: Eccè in tabernaculo eſt.*

10. *Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore iſto, vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito, Sara riſit poſt oſtium tabernaculi.*

11. *Erant autem ambo ſenes, prouectaque ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria.*

12. *Quæ riſit occultè, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?*

13. *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare riſit Sara, dicens: Num verè paritura ſum anus?*

14. *Numquid Deo quidquam eſt difficile? iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.*

15. *Negauit Sara dicens, Non riſi: timore perterrita. Dominus autem: Non eſt, inquit, ita, ſed riſiſti.*

16. *Cùm ergo ſurrexiſſent inde viri, direxerunt oculos contrà Sodomam: & Abraham ſimul gradiebatur, deducens eos.*

17. *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum.*

18. *Cùm futurus ſit in gentem magnam, ac robuſtiſſimam, & BENEDICENDÆ ſint in illo omnes nationes terræ?*

19. *Scio enim quòd præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.*

20. *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis.*

21. *Deſcendam & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.*

Digitized by Google

22. Converteruntque se indè, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat coràm Domino.
23. Et appropinquans ait: Numquid perdes iustum cum impio?
24. Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo?
25. Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum; qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc.
26. Dixitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.
27. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis.
28. Quid si minùs, quinquaginta iustis, quinque fuerint? delebis propter quadraginta quinque, vniuersam vrbem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque.
29. Rursùmque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta.
30. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar: Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si inuenero ibi triginta.
31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti.
32. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.
33. Abijtque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus est in locum suum.

LITERALIS EXPOSITIO.

Verſ. 1. Nu. 1 Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre. Cùm autem apud quercetum Mambre, vbi tabernaculum Abrahami situm erat, Patriarcha more suo peregrinos præstolaretur ea diei hora, qua ob feruorem solis viatores assolent ad hospitia diuertere: ei Numen apparuit.

2 Nota primò quòd hæc Moysis historia, priscos illos ethnicos non latuit. Hinc enim tractum videtur poeticum illud commentum, quod libro 5. Fastorum narrat Ouidius tres Deos, Iouem, Neptunum, & Mercurium, dissimulata Maiestate, venisse ad Hyreum Senem ante casam suam stantem; & ab eo, licèt in speciem tergiuersantes, hospitio acceptos, ac pro tenuitate eius benignè tractatos esse: ob idque filios peroptanti, prolem inusitato modo, ab eis datam esse. Vnde Ouidius impress. Tuscul. anno 1526. pag. 191. & seq. loco cit. sic cecinit.

Iuppiter, & lato qui regnat in æquore frater
Carpebant socias, Mercuriusque vias.
Tempus erat, quo versa iugo referuntur aratra,
Et pronus saturæ lac bibit agnus ouis.
Fortè senex Hireus angusti cultor agelli.
Hos videt, exiguam stabat vt ante casam.
Atque ita, longa via est, nec tempora longa supersunt,
Dixit, & hospitibus ianua nostra patet.
Addidit & vultum verbis, iterumque rogauit,
Parent promissis, dissimulantque Deos.
Tecta senis subeunt nigro deformia fumo,
Ignis in hesterno stipite paruus erat.
Ipse genu nixus flammas excussit ab aura,
Et promit quassas, comminuitque faces.
Stant calices, minor indè fabas, olus alter, habebat.
Et spumat testa pressus vterque sua,

Dum-

Dumque mora est, tremula dat vina rubentia dextra
Accipit æquorens pocula prima Deas.
Quæ simul exhausit, da nunc bibat ordine dixit
Iuppiter, audito palluit ille Ioue.
Vt rediJt animus, cultore pauperis agri
Immolat, & magno torret in igne bouem,
Quaque puer quondam primis diffuderat annis.
Promit fumoso condita vina cado.
Nec mora, flumineam lino cælantibus vluam
Sic quoque non altis, incubuere toris.
Nunc dape, nunc posito mensæ nituere Lyæo,
Terra rubens crater, pocula fagus erat.
Verba fuere Iouis, si quid fert impetus opta,
Omne feres placidi verba fuere senis.
Chara fuit coniux primæ mihi chara iuuenta
Cognita, nunc vbi sit, quæritis? Vrna tegit.
Huic ego iuratus vobis in verba vocatis,
Coniugio dixi sola fruere meo
Et dixi, & seruo, sed enim diuersa voluntas
Est mihi, nec coniux, sed pater esse volo.
Annuerunt omnes, &c. Sic loquitur stulta Gentilitas.

3 Nota secundò, quòd in memoriam huius apparitionis Angelorum Abrahæ factæ iuxtà quercum Mambre, quotannis eodem conuenire solebant Iudæi, Gentiles, & Christiani, ibique quisque suo ritu festa est sacrificia peragere. Verùm Constantinus Imperator sublatis impijs Iudæorum, & Gentilium ritibus, iussit locum purgari, ibique erecto templo ad Christiana Sacra tantùm deputari, & consecrari: Sic narrat Sozomenus lib. 2. cap. 3. & ex eo Cornelius à Lapide, cuius sunt supradicta verba.

4 *Sedenti in ostio tabernaculi sui*. Idest sedebat Abraham ante ostium, vel in ipso ostio patentibus foribus, vel propter æstum ad captandum frigus, vel potiùs ad speculandum, si qui illàc transirent peregrini, ac viatores, quasi hospitalitatis gratiam patentem omnibus, atque obuiam exhibens. Additur *in ipso feruore diei*, idest meridiano videlicet tempore; quo maximè, vt item vespertino, viatores, ac peregrini propter lassitudinem, esuriem, sitim, æstumque, hospitum desiderant. Vndè Mediolanensium Pastor lib. 1. de Abraham cap. 5. dicit: *Hospitalitas talis esse debet, vt prastò sit aduenientibus, & occurrat obuiam, & exploret itinera, & adsit non quærentibus, & rapiat prætergredientes. Sedebat ante ostium in meridie Abraham, videlicet quando alij requiescebant, ille hospitum explorabat aduentus. Meritò illi Deus apparuit ad quercum Mambre, quia fructum hospitalitatis studiosissimè requirebat.*

Abrahami solicitudo erga Peregrinos.

5 Notandum est primò, quòd Hospitalitas, Grecè φιλοξενία, ας, ἡ, & ξενοδοχεῖον, ου, τὸ hospitium dicitur, & ξενίζω, hospitor, & ξένος, ου, ὁ. hospes. Est autem hospes, (secundùm D. Thomam super epist. S. Pauli ad Ephes. 2. lect. 6. col. 1. fin.) qui extraneus à domo, sicut aduena in ciuitate. Hospitalitas verò est facilitas & benignitas in recipiendo extraneos, & aduenas. Ad quam hospitalitatem exercendam bellè cecinit Menander.

Hospitalitas quid sit.

Ξένους πένητας μὴ παραδράμῃς ἰδών.
Ξένοις ἐπαρκῶν τ' ἴσων τεύξῃ ποτέ.
Ξενίας ἀεὶ φρόντιζε, μὴ καθυστέρει.
Ξένοισι πιστοῖς πιστὸς ὢν γίγνου φίλος.
Ξένον ἀδικήσεις μηδέποτε καιρὸν λαβών.
Ξένῳ μάλιστα συμφέρειτο σωφρονεῖν.
Ξένος ὢν ἀπράγμων ἴσθι, καὶ πράξεις καλῶς.
Ξένον δὲ σιγᾶν κρεῖττον, ἢ κεκραγέναι.
Ξένος πεφυκὼς τοὺς ξενοδόχους σέβου.
Ξένους ξένιζε, καὶ σὺ γὰρ ξένος ἔσῃ.
Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον.

Idest.

Hospites pauperes ne subterfugias cùm videris.
Hospitibus succurrens, æqualia consequeris quandoque.
Hospitalitatem semper cura, ne posthabeas.
Hospitibus fidis fidus existens sis amicus.
Hospitium iniuria afficies nunquam.
Hospiti maximè conducis modestam esse.
Hospes existens incuriosus sis, & facies bene.
Hospiti autem tacere melius, quàm clamare.
Hospes natus, hospites cole.
Hospites hospitare, & tu enim hospes eris.
Peregrinatio vitam facit sapientiorem.

6 Notandum secundò quòd antiquitùs, qui nomine Reipublicæ curam habebat hospitandi, vocabatur ξενοπάροχος idest *Xenoparochus*. Hi quoque, qui custodes ædium, vel Archiotæ; vel Logographi, vel Tabellarij, vel Xenoparochi. *in ff. lib. 50. tit. 4. lib. 18. §.* 10. Hoc officium penès Romanos Quæstoris Vrbani erat; quo ab eisdem nil agebatur solemniùs, vndè Regibus, & Legatis ex vltimis terrarum regionibus Romam profectis publicum hospitium, & munera, quæ *Lautia* dicebantur per

Xenoparochi vocabantur olim custodes ædiū.

Quæ-

Quæstorem Vrbanum largè, & hospitaliter erogabantur. Germanis verò hospitij ius sanctissimum vsquè adeò erat, vt arcere hospites inexpiabile nefas diceretur. Idem seruatus fuit inter Lucanos, Calabres, Corinthios, Megarenses, & alios; sed apud veteres nonnullos barbara, & inhospitalis consuetudo extitit, inter quos numerat Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 10. Spartas, Lacedæmones, Athenienses, Carthaginenses, Gamphsantes, Syros, Ægyptios, & Scythotauros. Inter Indos quoque nisi triduò diuertere minimè licebat, nè ciues longo vsu dissimiles mores imbuerent, & in alienas leges, ritusque transirent.

7 Attamen Catholicorum meritoria hospitalitas est cæteris commendabilior, cùm ipsa sit prædestinationis signum, vt docet S. P. N. Augustinus de Verbis Dom. secundùm Lucam serm. 32. dicens: *Si agnoscunt, quod dico prædestinati in vitam æternam, operibus loquantur non vocibus, cogimur loqui vobis, quod non debuimus. Inuenire enim in vobis debui, quod laudaremus, non quærere, quod admoneremus. Eccè tamen breuiter dico non immemor. Agnoscite Hospitalitatem per quam peruentum est ad Dominum. Suscipite hospitem, cuius & tu es comes in via, quia omnes peregrini sumus. Ipse est Christianus, qui & in domo sua, & in patria sua peregrinum se esse cognoscet; Patria nostra sursùm est. ibi hospites non erimus; nàm vnusquisque hic, & in domo sua hospes est. Si non est hospes non indè transeat. Si transiturus est, hospes est. Non se fallat, hospes est, velit, nolit, hospes est; sed dimittit illam domum filijs suis, hospes hospitibus. Quare & in stabulo si esses non alio veniente discederes? Hoc facis & in domo tua. Cessit tibi locus pater tuus, cessurus es locum filijs tuis. Nec mansuras manes, nec mansuris relinquis: si omnes transimus, aliquid quod transire non potest operemur, vt cùm transierimus, & illò venerimus, vndè non transeamus, opera nostra bona ibi inueniamus. Custos est Christus, quid times, nè perdas, quod erogas.* Quomodo autem hospites sint recipiendi, Idem S.P.N. Augustinus epistola 148. & D. Bernardus epistola 241. ad Tholosan. referunt. Ipsa autem hospitalitas commendatur in Sacra Scriptura Deut. 10.19. Esa. 58.2. Matth.25.35. 36.37. Lucæ 14. 13. ad Rom.12.13. 1. ad Timoth. 3.2. Tit.1. 8. ad Hebræos 13. 2. prima Petri 4.9. Iacobi 1. 27.

Hospitalitas prædestinationis signum.

Vers. 2. 8 *Cumque eleuasset oculos, apparuerunt tres viri stantes propè eum.* Isti tres viri erant tres Angeli, qui corpus humanum ex aere formatum assumpserunt vt cum Abrahamo loquerentur. Hic locus illustratur graui explicatione à S.P.N. Augustino, qui lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 29. sic dicit: *Credibile est, Abraham in tribus illis viris Dominum agnouisse: cui per singularem numerum loquebatur, etiam cùm homines esse eos arbitraretur. Neque enim aliam ob causam sic eos suscepit, vt tanquam mortalibus, & humana refectione indigentibus ministraret: sed erat profectò in eis aliquid, quo ita excellebant, licèt tanquam homines, vt esse Dominum, sicut esse assolet in Prophetis, qui hospitalitatem illis exhibebant, dubitare non possent: atque ideò & ipsos aliquando pluraliter, vt homines, & aliquando singulariter vt in eis Dominum appellabant.*

9 Notandum primò quòd Concilium Sirmiense celebratum sub Liberio I. & Constantio Imper. anno Dom. 357. sec. 4. in canone 14. vult medium horum trium fuisse filium Dei. Eusebius verò citatus ab Hugone dicit: *Primo omnium Prophetarum Abrahæ verbum Dei cùm in figura apparuisset humana vocationem gentium pollicetur, & sic apparuit vt filius quem adorauit. Sed quia nusquam legitur patrem apparuisse in subiecta creatura: dicit quòd Angeli apparuerunt in designatione duorum præconum, scilicet, Heliæ, & Ioannis Baptistæ, quorum vnus præuenit primum aduentum, alter præueniet secundum: sinè in designatione Moysi, & Heliæ, qui cum eo apparuerunt in transfiguratione.* Nusquam tamen legitur plenè filius apparuisse in forma humana ante incarnationem. Ideò quod dicit Eusebius, intelligimus sic: Filius apparuit in humana forma, idest, Angelus, per quem figurabatur filius, in carne humana appariturus, & illum adorauit Abraham dulia, vt dicunt quidam, sed veriùs est quòd latria, quia non ipsum Angelum, sed filium in ipso adorauit. Sicut innuit quædam Glossa, & docet S. P. N. Augustinus.

10 Notandum secundò, quòd ab Hebræis apud Lyranum, & Abulensem dicitur, tres illos Angelos fuisse Michaelem (qui missus erat propriè ad nunciandum Abrahæ generationem Isaac, prædocendumque de futuro mox Sodomorum excidio) Alteros duos, Gabrielem, & Raphaelem negotio Sodomorum peragendo destinatos esse. Michaelem verò à dextris Gabrielem habuisse à sinistris Raphaelem. Hinc vnum hunc Michaelem medium, quasi duobus alijs illustriorem, Abraham alloquitur, audit, & adorat. Vnde al-

de alleg. Eucherius lib. 2. in Gen. cap. 27. *In Tribus*, ait, *viris, qui venerunt ad Abraham, Domini Christi praenunciabatur Aduentus, cum quo duo Angeli comitabantur, quos plerique Mosen, & Eliam accipiunt: vnum priscae legis latorem, qui per eandem legem aduentum Domini indicauit: aliam qui in fine mundi venturus est, denunciaturus secundum Aduentum Christi, atque eius Euangelium praedicaturus.*

Tres Angeli significant Christum cum Moyse, & Elia.

11 Notandum tertiò quòd Hi tres Angeli Symbolicè significabant SS. Trinitatem, & medius significabat essentiam diuinam, tribus personis communem; ita sentiunt S. P. N. Augustinus: SS. Ambrosius, Eusebius, Cyrillus; Vnde Abraham tres vidit, & vnum adorauit, vt canit Ecclesia.

12 *Quos cùm vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio Tabernaculi sui*, desiderio, & studio hospitalitatis, quia non solùm eos venientes recepit, sed venientibus occurrit, vt eos induceret ad quiescendum in Tabernaculo suo: *Non otiosus*, inquit S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 5. *Sedit Abraham in ostio Tabernaculi sui: sed longè aspicit, nec aspexisse contentus cucurrit obuiam. Festinauit occurrere; quia non satis est rectè facere, nisi etiam matures, quod facias. Festinanter vtique manducare Pascha lex iubet, vberiores enim fructus habet celerata deuotio.*

13 *Et adorauit in terram.* Idest vnum adorauit quamquam tres vidisset, adoratione videlicet superius dicta in fine num. 9. Vel dic cum Abulense: *Inclinauit se ad terram faciens magnam reuerentiam, vt sic eos faciliùs induceret, erat enim vrbanus valdè.*

14 Habetur in vitis Patrum quòd ab Abrahamo hanc reuerentiam didicit Apollonius Abbas: Ipse enim fratres peregrè venientes excipiebat, adorans eos, & vsquè ad terram se prosternens, & surgens osculabatur, & fratres monebat, vt aduentantes fratres quasi Dominum susciperent. *Nam*, aiebat, *& adorari fratres aduentantes propterea traditio nostra habet, vt certum sit in aduentu eorum, Christi aduentum haberi*; & Abrahami exemplum subijcit. Hac Patrum traditione imbutus S. Benedictus praecipit: *Omnibus venientibus, siuè discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur.*

Exempla SS. Patrum erga Hospites.

15 Nec solùm apud probos viros, & veri Dei cultores, sanctè honorata cultaque est virtus hospitalitatis; sed etiam apud Ethnicos verae pietatis expertes fuisse celebrem huius hospitij fidem, & charitatem, testis est locuples antiquissimus Ethnicorum Scriptorum Homerus. Narrat ipse Vlyssem naufragio iactatum, & in insulam Corcyram eiectum hospitio humanissimè receptum fuisse à Nausica Alcinoi Phaeacum Regis filia; & vt factum, seù historiam, vel fabulam explicet: ipsam Nausicam nudi, & naufragi Vlyssis miserentem haec facit loqui, in Odiss. 2.

Hospitalitatis amatores etiam Ethnici fuere.

„ *Sed hic miser errans huc venit:*
„ *Eum nunc nos ornare oportet;*
„ *A Ioue enim sunt omnes hospites, pauperesque;*
„ *Donum quidem paruum, sed gratum*
„ *Sed ò famulae, date hospiti cibum, & potum,*
„ *Lauate in fluuio, quoniam quienit ventus.*

Et apud eundem Homerum Rex ipse Alcinous, hospites, etiam fortè oblatos, non aliter quàm fratres tractandos esse putat.

„ *Loco fratris*, inquit, *hospes, & supplicator est.*

Nota quod Homerus supra dixit
A Ioue enim sunt omnes hospites;
Huius dicti ratio est, quia prisci illi in Iouis ipsius fide, & tutela praecipuè ac propriè hospites esse dicebant, & ob id Iouem Hospitalem appellabant: quò scilicet Virgilij versus ille Æneid. 1. spectat

Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur.

16 *Et dixit Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*, idest Abraham Deum ipsum in Angelis sentiens, mauult Domino loqui quàm Angelis; ideò dixit *Domine* si inueni gratiam in beneplacito tuo, ne transitoriè fruar visione tui. Hebraicè enim stat *Domini mei* ארני *Adonai* numeri pluralis, tamen vsurpari hic pro singulari debet; & hoc manifestat pronomen, tuis, in oculis tuis. *Quamuis Adonai*, dicit Caietanus ibid. pag. 88. *Sit pluralis numeri significans Domini mei, hic tamen vsurpari pro singulari manifestat pronomen tuis. Vidit siquidem Abraham inter illos tres vnum praecipuum: & propterea ad vnum illum dirigit sermonem. Et quoniam nusquam eos viderat, accensus hospitalitatis amore rogat citando in primis nouitatem beneficij, dicens, si nunc inueni gratiam in oculis tuis.* Vers. 3.

17 *Sed afferam pauxillum aquae, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore.* Tria affert Abraham hospitalitatis officia Vers. 4.

officia viatoribus, lassitudine, fame, sitique fatigatis peroptata, atque vtilia: Et hæc tria, sunt, Pedum Ablutio, Cibum ad reficiendas vires: *ponamque buccellam panis, &c.* & locus ad quiescendum: Vndè *afferam pauxillum aquæ &c.* quasi diceret, Permittite obsecro, ò viri, vt aquam præparem, & vt lauentur pedes vestri moxque sub quercu hærenti tabernaculo requie exigua potiemini. S.P.N. Augustinus serm. 70. de Tempore, & S. Hieronymus epist. 26. ad Pammachium explicant: *Sinite vt ego ipse vobis pedes lauem.*

Priscus mos hospitibus lauandi pedes.

18 Hinc patet priscum esse morem, vt aduenis ex itinere fessis pedes lauentur. Idem fecit Abigail, quæ lauauit pedes seruorum Dauid vti habetur 1. Regum cap. 25. vers. 41. *Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait: Eccè famula tua sit in ancillam, vt laues pedes seruorum Domini mei.* Idem fecit Magdalena Christo Domino Lucæ cap. 7. vers. 44. *Hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit.* Et ipse Dominus Iesus discipulis suis in vltima cæna, Ioann. cap. 13. vers. 5. *Deindè mittit aquam in peluim, & capit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.* *Cùm enim*, inquit S. P. N. Augustinus tract. 58. in Ioannem, *Ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam corde ipso vel excitatur, vel si iam inerat, confirmatur pius humilitatis effectus.* Sub hoc sordido, & seruili præ alijs officio reliqua charitatis, & humilitatis obsequia intellexit etiam Apostolus quando in sua prima epistola ad Timotheum cap. 5. vers. 10. dixit de Vidua: *Si hospitio recepit, si sanctorum* (idest Christianorum peregrè venientium) *pedes lauit.* Vultque Paulus vt illa ipsa præstet vidua per se non per ancillas, inquit S. Ioann. Chrysostomus qui homil. 14. accommodat hæc Religiosis: illos enim esse sanctos, qui se totos Deo dicarunt. Vndè ad eos fouendos, & colendos hortatur diuites dicens: *Perge, quare hospitio suscipe, accede, tange Sacros pedes; longè honorabiliùs est illorum pedes quàm aliorum caput attingere: nam si statuarum pedes plerique tenent quòd effigiem habeant regiam; tu illi, qui Christum ipsum in se habet, pedes non tenebis, vt saluus fias? Sancti sunt pedes, etiamsi viles sunt. At verò profanorum ne caput quidem honorabile.* Tales tempore Aurei Doctores, vt habetur in eius vita fuerunt nobilitate, & Sanctitate illustres fœminæ, & diaconissæ, Procula, Pentadia, & Syluania. De pedum Ablutione vide & Guilielm. Hamerum in hunc Genesis locum; & fusè Iacobum Gretserum in Pedilauio.

19 Dices, si Abraham dixit *Domine* in singulari quomodo in sermocinando cum illis tribus transit à numero singulari ad pluralem, & vicissim à plurali ad singularem? Respondetur Abraham vnum illum, quem, vt præcipuum illorum trium reuerebatur, atque honorabat, singulariter esse allocutum; alijs verò duobus, & si putabat minoris esse dignitatis, communia tamen hospitalis officij ministeria obtulisse: hæc explicatio, & quæsiti solutio deducitur ex S. Ambrosio ibid. dicente de Abraham: *Conuersus ad duos, quos ministros arbitrabatur, etiam ipsis deferre gestit obsequium, non sanè debito seruitutis iure adstrictus, sed blando sedulitatis nomine, vsuque famulatus.*

20 *Ponamque buccellam panis*: In Sacra Scriptura panis nomine omne ciborum genus comprehenditur: Hinc Abulensis dicit: *Per hoc significabat omnes cibos, quos eis daturus erat.* Modestè enim, & humiliter ad panem solùm inuitat, vt ad frugalem more illius temporis mensam adduceret; & confortati resumerent vires. Vers. 5.

21 *Idcircò enim declinastis ad seruum vestrum, qui dixerunt, fac vt locutus es.* Idest diuina prouidentia factum est, vt hac hora transeuntes hac hospitalitatis meæ participes facti, me honoraretis. *Alteram citat rationem* (dicit Caietanus) *ad hoc vt prandeant apud ipsum ex propinquitate viæ qua transibant, vtpotè imminentis supra habitaculum ipsius Abrahæ tanquam ipsa propinquitas inuitet, & ratio sit diuertendi ad hospitium Abrahæ.* Vnde postquam Abraham omnibus obtulerat hospitalitatis officia, illis verbis, *fac sicut locutus*, describitur responsio data communi voto illorum trium.

22 *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei Accelera, tria Sata similæ commisce.* Legunt alij, *Tres modios farinæ repurgatæ, tres mensuras*, idest, vnum ephisatum, quæ vox est Syriaca, Hebraicè סאה *Saach.* Inter aridorum mensuras minor fuit modius, tertia pars maioris modij, qui ephi dicebatur. *Simila* addunt alij *repurgata, purgatissima*, sumitur enim hic simila pro polline, seu purissimo flore farinæ, quæ similia iuxtà Georgij Agricolæ dictum similago vocatur & potissimam nutriendi vim habet. Quanquam Plinius lib. 18. cap. 10. videtur primas partes deferre Pollini: siquidem molitæ Vers. 6.

Modius, quæ mensura.

farinæ

farinæ quatuor partes distinguuntur, Pollen, simila vel similago, secundarium vel Cibarium, & fursur.

23 Satum verò est propriè aridorum mensura, quæ secundùm Zachariam Chrysopolis Episcopum in Commento Euang. cap. 74. continebat modium cum dimidio, ita enim ait: *Satum est genus mensuræ iuxtà morem prouinciæ Palestinæ, vnum, & dimidium modium capiens*. De qua mensura fit etiam mentio Matthæi cap. 13. vers. 33. *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum*. Alij tamen vnum tantum modium, idest viginti libras frumenti capere existimant.

Satum mensura quid propriè sit.

24 *Et fac subcinericios panes*; iuxtà Hebræum habetur, *& fac placentas*. Tales enim panes fieri solent, vbi furni, vel Clibani vsus, aut copia non est, qui sinè fermentatione sub cinere coquuntur. De hoc pane subcinericio, quem Hebræi vocant עֻגָּה *vgga*, quasi dicant *vstulatum*, crebra est mentio in tota Sacra Scriptura.

Panis subcinericius qui.

Vers. 7. 25 *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum tenerrimum, & optimum*, &c. iuxtà Hebraicam veritatem habetur, & Festinauit ad faciendum ipsum. Hebræi omnes actiones opportunas ad præparandum vitulum ad esum, verbo faciendi significant. Vndè, & inferiùs vbi subiungitur quem coxerat, in Hebræo habetur quem fecit.

Vers. 8. 26 *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coràm eis*. Non est intelligendum, quòd integrum vitulum coctum coràm eis posuerit, quia tantus cibus coràm tribus viris abusio erat; sed tulit partem eius abundantem pro eis, & reliquum, dicit Abul. reseruauit pro familia sua, quæ magna erat nimis.

27 *Ipse verò stabat iuxtà eos sub arbore*: Idest Abraham sollicitus ne ipsis aliquid deficeret, & vt eos condelectaret eloquio stabat sub arbore. *Arborem*, scribit S. P. N. Augustinus serm. 66. de Tempore, *incolebat Abraham, sub qua constitutum erat qualecumque effugium, angustum quidem hominis, sed sufficiens maiestati. Dignum enim Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuisset Maiestas diuina pransura*.

Vers. 9. 28 *Cùmque comedissent*. Idest postquam comederunt sed quomodò comederunt, dices, Angeli qui vtpotè puri spiritus comestione cibus carent, quæ propria est actio animalis corpus habentis anima, & vita præditum? Ad hanc soluendam quæstionem accedit Angelicus Doctor, qui prima parte quæst. 51. artic. 2. ad 5. sic dicit: *Comedere est proprium opus animalis: siquidem Dominus post Resurrectionem, in argumentum resumptæ ab ipso vitæ, manducauit cum Discipulis, vt traditur Lucæ vltimo; sed Angeli in assumptis corporibus apparentes, comederunt, & Abraham eis cibos obtulit, quos tamen priùs adorauerat vt scriptum est. Ergo in assumptis corporibus exercent Angeli vitales actiones atque opera*. Proposita quæstione sic ipse respondet; *Non verè in Angelos dici, si propriè loquamur, eos comedisse; siquidem comestio denotat, sumptionem cibi conuertibilis in substantiam comedentis. Quamuis autem cibus à Christo post resurrectionem sumptus, nequaquam in corpus eius conuerteretur, sed resolueretur in præiacentem materiam: attamen corpus eius talis erat natura, in quod posset verè cibus conuerti, ideóque vera fuit comestio. At enim cibus sumptus ab Angelis, nec in corpus ab eis assumptum conuertebatur, neque natura sua conuerti poterat. Quamobrem verè non fuit comestio Angelorum, sed figuratiua spiritalis comestionis. His fidem, & lucem addit, quòd Raphael dixisse legitur Tobiæ* cap. 12. vers. 18. Cùm essem, *inquiens* vobiscum, videbar quidem manducare, & bibere, vers. 19. sed ego cibo inuisibili, & potu vtor. *Abraham porrò Angelis obtulit cibos, existimans esse homines: in quibus tamen Deum venerabatur, sicut solet Deus esse in Prophetis, vt tradit* S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 29. Hactenùs ex S. Thoma.

Quomodo Angeli comederunt apud Abraham.

29 *Dixerunt ad eum: vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: Ecce in Tabernaculo est*: Duo sunt hic aduertenda; primum quòd ipsi Angeli non ignorabant, sed quærebant Saram, vt ad id, quod ipsi intendebant introitus haberetur, scilicet, ad nunciandum conceptum Saræ. Secundum, quòd Sara in tabernaculo erat ex causis supra assignatis; hinc S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 5. eleganter dicit: *Ante Tabernaculum vir hospitum explorat aduentus: intrà tabernaculum Sara fœmina tuetur verecundiam, & opera muliebria tutò exercet pudore. Foris maritus inuitat, & intùs Sara conuiuium adornat*.

30 *Cui dixit: reuertens veniam ad te tempore isto*: Iuxtà hebræum habetur *Reuertens reuertar ad te sicut tempus vitæ*. Duo dicit: reuersionem videlicet suam, & similitudinem adhibet. Et ad signi- Vers. 10.

ficandam certitudinem reditus, affertur similitudo. Et est sensus inquit Caietanus. *Erit reditus meus certus quemadmodum tempus vitæ redibit. Non dicit vita vestra, nec dicit vita mea, sed dicit absolutè sicut tempus vitæ. Promiserat siquidem Deus post diluuium rediturum semper tempus vitæ: & propterea Angelus certificat reditum suum ex similitudine ad certitudinem reditus temporis vitæ.* Abulensis explicationem non admitto, quæ contrà ipsam Caietani videtur, dum Angelo vitæ tempus ponit.

31 *Et habebit filium Sara Vxor tua.* Non dicitur vtrum haberet filium in vtero, vel quòd iam peperit: sed videtur, quòd dicat habere filium, quem iam peperisset, quia Angelus rediturus erat post annum integrum, scilicet eodem tempore, quo nunc venerat. Sara autem post nouem menses parere poterat, & sic videtur, quòd vertente anno iam haberet Sara filium trimestrem.

32 *Quo audito Sara risit post ostium Tabernaculi.* Sara, patet ex hoc, quòd staret post ostium Tabernaculi auscultando, quid de ea diceretur, & audita filij futuri promissione risit, quia ipsa & Abraham.

Vers. 11. 33 *Erant autem Ambo senes, prouectaque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria*; Abraham enim centenarius, & nonagenaria Sara; & hæc vtriusque senectus magnum impedimentum erat ad prolem generandam; ita vt Apostolus vocet corpora Abrahami, & Saræ emortua, vt patet ex cap. 4. ad Romanos vers. 19. vbi dicit: *Et non infirmatus est fide* (scilicet Abraham) *nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.* Quod etiam dicit ad Hebræos cap. 12. Huic ætati prouectæ corpora habenti emortua additur quòd Saræ desierant fieri muliebria, idest, dicit Abulensis ibidem, *Sanguis menstrualis, quo cessante, vel antequam veniat non est apta mulier ad concipiendum, sicut homo antequam natura sit potens ad spermatizandum impossibile est, quòd gignat.*

Vers. 12. 34 *Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?* Vox hebraica עדנה *Hednah* significat tum voluptatem, tum cutis, aut iuuentæ nitorem. Non ausa Sara verbis refellere hospitis promissionis, risu refellit: intra se dictitans: ille, cui iam velut Domino magis seruio; quàm foueo maritum; iam senectute grauis, iam perfectione illustris recessit à Thoro. Nunc autem rursùm iam simul anus voluptati iuuenili indulgebo. Hinc crediderim risum, aut confutationem Saræ (risus enim genus est confutationis, ait Plato in Gorgia) haud ex incredulitate solùm profectam: sed & ex puritatis affectu. Quasi, ipsa iudice, dedeceret canitiem studium voluptatum. Quid magis ridiculum, quàm senectute confectos iuuentæ affectare nitorem? *Canitiem dedecet voluptatum studium.*

Vers. 13. 35 *Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus?* S. Ambrosius hic non solùm Saram peccasse negat ridendo, sed etiam hunc risum prophetiæ plenum fuisse, ac mysterij: *Risum Saræ*, inquit, *indicium futuri mysterij magis, quàm incredulitatis argumentum arbitror. Risit enim, licèt adhuc nesciens quid rideret, quòd publicam esset in Isaac paritura lætitiam. Ideò negauit se risisse, quia ignorauit quid ille risus præsignaret: ideò risit, quia nesciens prophetauit.* Attamen omni venerabilitate, opinione Mediolanensium Pastoris relicta; Illam S. P. N. Augustini, & S. Gregorij sequor dicentium, Saram de prole promissa dubitandam intra se risisse quasi rem impossibilem, scilicet anum, & sterilem parituram. Sic enim habet S. P. N. Augustinus quæst. 36. in Genesim: *Quæritur quare risum Saræ redarguit Dominus, cum & Abraham riserit, nec reprehensus fuerit? Nisi quia risus Abrahæ fuit admirationis, & lætitiæ: Saræ autem risus fuit dubitationis; id verò discerni, & dijudicari ab eo potuit, qui solus nouit corda hominum.* Et in lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 31. Sic ait: *Risit Abraham admirans in gaudio: risit Sara dubitans in gaudio: nam ex Angelica exprobratione apparet, quòd risus ille etiamsi gaudij fuerit, plena tamen fidei non fuerit. Sed mox ab eodem Angelo Sara in fide confirmata est.* S. autem Gregorius id etiam expressè habet in extremo lib. 9. Moralium dicens: *Vndè eadem Sara promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur; correpta, protinus fœcundatur ...... Contrà spem, ex diuina promissione accipit, quòd habituram se ex humana ratione dubitauit.* *An Sara ridendo peccauerit, dum arguitur?*

Vers. 14. 36 *Numquid Deo quidquam est difficile? iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium.* Legunt alij Nunquid à Deo abscondit quicquam separabitur? In Hebræo est יפלא idest *Iepale*, quòd verbum varia denotat, nempè abscondetur, separabitur, mirificabitur, difficile erit. Addit Oleaster. Quod si quis

quis attentè consideret, inueniet propriè significare mirificationem, & ex consequenti abscondere; quòd id, quod est absconditum à nostra notitia sit separatum. Vndè potest hìc verti, numquid Deo separabitur, idest, prohibebitur verbum, vt scilicet non possit illud facere, & sumitur verbum pro re. Vndè, nunquid abscondetur Deo, &c. Idem est, quòd nunquid aliquid erit, quòd effugiat diuinam potentiam? Quod sequitur iuxtà condictum, &c. patet ex supradictis.

Vers.15. 37 *Negauit Sara dicens, non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita, sed risisti.* Hìc manifestè apparet quòd Sara contrà Deum sine aliqua vtilitate mentita est, non tamen puniuit eam Dominus, quia ex passione verecundiæ, & timoris mendacium fecit: ideò subdit scriptura volens eam à pœna immediatè excusare, licèt non à culpa. *Timore perterrita:* Quasi dicat, non ex malitia, sed ex timore loquuta est.

38 Hìc nota, quòd Deus aliquando tunc cùm peccant homines non punit, nam si Deus immediatè punire vellet peccatores, postquam peccatum factum fuit citò, omnes homines morerentur, & totus mundus maneret sinè habitatore: quod iam canens dixerat Ouidius lib.2.Trist. fabulosè de suo Ioue

Deus aliquando non punit tunc cum peccatur.

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat

Iuppiter, exiguo tempore inermis erit.

39 Nota secundò, quòd, Mendacium, est locutio contrà mentem: dicitur à mente, quasi contrà id, quod est in mente loquor. Vel, Mendacium, est falsa vocis significatio, cum intentione fallendi, quod sic debet intelligi; cum intentione fallendi, quæ tunc ibi est, vel postea aduenit. Quandoque enim aliquis aliquid promittit, non tamen voluntatem fallendi actu habet, sed posteà acquirit. Vel, Mendacium, est falsa significatio vocis cum intentione fallendi, seù dicendi falsum. Ita *S. P. N. Augustinus lib. de Mendacio*, de essentia autem mendacij est, vt id quod dicitur sit falsum, vel putetur falsum.

Mendacium quid sit.

40 Nota tertiò quòd Mendacium triplex est, scilicet Perniciosum, Officiosum, & Iocosum. *Mendacium perniciosum* est mendacium quod nocet ex se, cui dicitur, aut illi, de quo dicitur; siuè noceat quo ad animam, & mores, siuè quoad corpus, siuè quo ad res exteriores coniunctas, vel possessas, ita *Gabriel dist.39. quæst. vnica artic.1. lib.3.*

Mendacium quotuplex.

Mendacium officiosum est, quod alicui prodest, & nulli nocet: vt si quis neget scire aliquem inimico cum occidere volenti, sic *Gabriel vbi supra.* Vel *vt ait Confessus.* Est quo homines iuuantur, aut nocitura tolluntur, quæ quidem genera leniùs, aut grauiùs trutina culpæ contractè ponderantur. *Mendacium iocosum* est, quod fit ad recreationem, sinè deceptione eius, cui profertur, vel cum deceptione sinè nocumento notabili, in quo iocantur illi, qui sciunt alterum decipi, & finaliter potest & ipse iocari, vt cum fabulæ dicuntur.

41 Nota quartò, vti in verbis, ita & in factis esse mendacium. V.G., si quis exteriùs se gerat vt amicum, vel probum, cùm sit inimicus, vel improbus, estque hoc mendacium facti quod propriè dicitur hypocrisis. Sic si quis Iudæus Romæ gestet pileum nigrum mentitur se esse Christianum.

Mendacium duplex in verbis, & factis, & quando mendacium facti sit licitum.

42 Nota quintò cum Caietano, facta faciliùs quàm verba excusari à mendacio, vel Hypocrisi. Ratio est, quia verba propriè, & expresè sunt signa conceptuum mentis, & ad illos significandos sunt instituta, facta non item, sed latiorem patiuntur interpretationem. Vndè si milites metum, & fugam simulent, vt hostem pelliciant in insidias, non est propriè hypocrisis vel mendacium; esset tamen mendacium, si idipsum verbo enunciarent dicentes: nos fugimus, quia timemus vestrum, ò hostes, robur. Vndè cùm in facto aliquò iusta est causa veritatem tegendi, & dissimulandi, nulla in eo est hypocrisis, vel mendacium.

43 Nota sextò, quòd Cassianus collat.17. & cap.17. vsquè ad 25. Origenes, Clemens, Erasmus, & alij apud Sixtum Senensem lib.5.annot. 103. putant licere subinde mentiri, & approbant illud Platonis axioma: *Licèt res mala sit mendacium, eo tamen aliquando vtendum est, perindè ac vtimur belleboro, vel alio medicamine.*

Mendacium omnino, & semper est illicitum.

Hic enim error est iam certus, & damnatus ab Innocentio III. *tit.de Vsuris cap. super eo.* Imò ab Ecclesiastico cap.7.vers.14. *Noli*, inquit, *velle mentiri omne mendacium.* Et contrà eum discertè scripsit S. P. N. Augustinus libro de Mendacio, & lib.contrà Mendacium, qui ponit duo Mendaciorum genera, in quibus non magna est culpa, sed quæ tamen non sunt sinè culpa: & citantur etiam hæc S. P. N. Augustini verba in Concilio Toletano VIII. Prouinciali celebrato sub Martino I. P.P. & Con-

& Constante Imperatore Anno 653. sæcul. 7. vide post medium cap. 2. *De incauto iuramento* huius supradicti Concilij.

Vers. 16. 44 *Cùm ergo surrexissent indè viri, direxerunt oculos contrà Sodomam: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.* Abraham hospitalis cuiusdam vrbanitatis officio, honorificè viros illos aliquatenùs comitari voluisse. Nimirùm omnes virtutis hospitalitatis numeros implere, vniuersaque eius munera, & officia cumulatè præstare voluit. Huiusmodi autem munera, & officia tria sunt; vnum blandè inuitare hospites, & humaniter accipere. Alterum affabiliter, & liberaliter tractare. Tertium digredientes amanter dimittere, quin etiam aliquanto spatio, eos prosequi, & comitari. *Describitur*, dicit Caietanus hic pag. 89. *huiusmodi comitatus ad similitudinem mittentis; ad differentiam comitantium hospites, vt se exonerent.*

Hospitalitatis officia tria erga hospites, & quæ.

Vers. 17. 45 *Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum.* Hebraicè המכסה, idest; *Hamecasse*, *nunquid celabo?* Ac si diceret: Cùm Abraham sit mihi familiaris amicus, non est decens, quòd ego celem ei vindictam, quam facturus sum in ciuitatibus Sodomorum, & maximè cum illam terram promiserim Abrahæ. Imò hoc postulat lex amicitiæ.

Vers. 18. 46 *Cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicenda sint in illo omnes nationes terræ*; idest, dum si maiora hæc promisi Abrahamo, cur, quòd minus est, secretum hoc tegam? *dicebat ergo Deus*, (scribit Abulensis hic pag. 493. col. 1. lit. C.) *Si ego facere debeo Abraham in gentem magnam, quare non faciam ei istam gratiam, scilicet, quòd demonstrem, quæ facturus sum in ciuitatibus existentibus in valle Sodomorum, quasi dicat, debeo ei hoc reuelare.*

Vers. 19. 47 *Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & Domui suæ post se.* Hæc est altera ratio cur Deus secretum futuræ vindictæ suæ contrà Sodomam participare debeat cum Abraham; quòd non ipse solùm eximiè pius & religiosus esset erga Deum: sed ad eandem pietatem etiam & filios, familiamque suam instructurus esset. *Vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam*: idest, vt suum cuique tribuerent rectâ iustitia sontes damnando, insontes absoluendo. *Vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus est ad eum.* Idest vt quæ promiserat Abrahæ, & posteris eius per bona eorum opera mererentur ab ipsis. Deus enim quando nobis aliquid dat, vult, vt illud mereamur, & quia nos in nobis tanta mereri non poteramus, sicut ordinat nos ad bonum præmij, vel gloriæ, ita disponit nos ad hoc medio gratiæ, & tunc nobis bona tribuit propter ea, quæ agimus, cùm ipse primo nobis gratiam tribuerit, per quam ista mereremur.

Deus quando nobis aliquid dat, vult, vt id mereamur.

48 *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Humano more*, dicit Caietanus pag. 90. *loquitur hic Sacra Scriptura de Deo, nempè ad instruendos homines, vt non præcipites iudicent, & puniant; sed cùm clamor infamiæ multiplicata, ac peruulgata ad eos peruenerit, descendit inquirendo, & explorando, donec clara luce videant, an sit verum, quod rumore prabuit, & fama detulit. Si enim Deus ipse qui nouit omnia certissimè, similem se inquirentis, & explorantis hominis facit; quantò magis homo quantumcunque aliàs certus debet iudiciario ordine, modoque certior fieri ante sententiam?* Vers. 20.

49 Notandum est primò quid sit clamor iste Sodomorum? *Clamorem*, inquit S. P. N. Augustinus lib. 1. locutionum, *Scriptura solet ponere pro impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abscondatur.* Vnde Vaticani Columba lib. 5. Moralium, cap. 7. & in Pastorali 3. parte cap. 32. *Omnis iniquitas, ait, apud secreta Dei iudicia, habet voces suas. Peccatum namque cum voce, est culpa in actione; peccatum autem cum clamore, est culpa cum libertate.*

Quid sit Clamor Sodomorum.

50 Notandum secundò quòd tria sunt consideranda hic nempè Clamor peccati, Multiplicatio clamoris, & Aggrauatio culpæ; idest Clamor est manifestatio sceleris. Multiplicatio est euidentia clara publicati flagitij vt accusatione non egeret. Aggrauatio autem est longa peccandi consuetudo, tanquam eorum peccatum, sub graui vt ita dicat lapide fuisse. *Ly* etiam *Multiplicatum*, tripliciter sumitur. Primò, multiplicatum quantùm ad frequentationem peccandi. Secundò multiplicatum quantùm ad numerum peccantium. Tertiò multiplicatum quantùm ad alia permulta vitia cum nefando illo scelere coniuncta, quæ apud Ezech. cap. 16. commemorantur.

51 *Descendam, & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* Idest scire igi- Vers. 21.

re igitur volo (humano loquitur more) an verus sit qui ascendit de Sodomitarum crimine clamor. Accedam vt certiùs cognoscam. Verùm huius loci expositionem luculentè declarat, quod à S. Gregorio proditum est in lib. 16. Moralium, cùm enim interpretaretur verba illa Iob quæ sunt in cap. 29. vers. 16. *Et causam quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam*, ad hunc modum super hisce verbis disputat: *Nos sanè hic locus admonet, ne ad proferendam sententiam præcipites vnquam simus; ne temerè ac indiscussè iudicemus: ne qualibet mala audita nos moueant: ne passim dicta sinè probatione credamus. Quod profectò perpetrare verebimur, si auctoris nostri subtiliùs facta pensabimus; ipse quippè, vt nos à præcipitata sententia compesceret, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis eius: mala tamen Sodomæ noluit audita iudicare, qui ait*: Clamor Sodomorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis: descendam, & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam. *Deus itaque omnipotens atque omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat? Nempè vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare. Et eccè per Angelos ad cognoscenda mala Sodomorum descendit; moxque facinorosos percussit.*

Vers. 22. 52 *Conuerteruntque se indè, & abierunt Sodomam*: Idest duo Angeli de quibus dicitur infrà in principio seq. cap. Veneruntque duo Angeli Sodomam. Alius autem Angelus, qui venerat ad nunciandum conceptum Saræ, & quem vocabat semper Abraham Dominum mansit cum Abraham retentus ab ipso. *Et quoniam* (dicat Caietanus) *vnum præcipuè venerabatur*, scilicet Abraham, *ad illum appropinquauit, & direxit sermonem*.

53 *Abraham verò adhuc stabat coràm Domino*. Illud adhuc stabat magnam Emphasim habet; significat enim, licèt Abraham multum antea laborasset, parando hospitibus conuiuium, assistendo prandentibus, comitando abeuntes, nihilominus tamen, quasi nihil egisset, adhuc eum perstitisse, & de integro laborasse, intercedere conantem Sodomorum calamitati, & exitio, & pro eorum liberatione Deo enixè supplicantem: Vndè Chaldæus pro illo *stabat coram Domino*, habet, *stabat*, vel, *inseruiebat in oratione coram Domino*.

Vers. 23. 54 *Et appropinquans*: hoc intelligendum est, quòd Abraham appropinquauit se non tàm passibus corporis, quàm flagrantissimo animi affectu, vehementer miserentis tantorum eius gentis malorum, & pro liberatione valdè soliciti, atque satagentis.

55 *Numquid perdes iustum cum impio?* alij legunt *numquid exterminabis, num in furore tuo consumes?* hebraicè ספה *Sapha*, perderè, sed cum aliquo motu passionis significat. Septuaginta verò Interpretes addiderunt: *Et erit impius sicut iustus*. Quæ in alijs lectionibus non habentur, sed ea addiderunt, fortè maioris præcedentium verborum claritatis gratia.

56 *Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces loco illi &c.* Vers. 24.
idest si apud Sodomam magis criminosam vbi Lothi Sobrini mei familia commoratur caput vtique aliarum ciuitatum, quinquaginta iusti inueniantur; loco illi non ignosces?

57 *Absit à te, vt rem hanc facias, &* Vers. 25.
occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium hoc. Huius sententiæ Abraham persimilis est locus apud Iob cap. 34. vers. 10. vbi sic: *Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas.* (vers. 11.) *Opus enim hominis reddet ei, & iuxtà vias singulorum restituet eis.* (vers. 12.) *Verè enim Deus non condemnabit frustrà, nec omnipotens subuertet iudicium* (vers. 13.) *Quem constituit alium super terram? Aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* Abraham habet se hic ad modum persuasoris, qui non habet fortissimum fulcimentum, & variat terminos, & sic cùm Abraham concludere vellet, quod parceretur loco propter iustos, dicebat *Absit* vt non occidas iustum cum impio, & secundùm veritatem hoc non concludit, quod ipse vult, quia si aliqui iusti essent in illis locis, quotcumque essent, liberaret eos Deus de medio aliorum, & non parceret loco propter eos. Non ergo concluditur intentio Abrahami, scilicet, vt parcatur loco propter iustos, sed orat, vt potest, sicut nos facimus inuoluentes terminos quando putamus audientes non percipere, vt videamur concludere, quod non concludimus.

58 *Dixitque Dominus ad eum: si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio* Vers. 26.
ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. S. P. N. Augustinus quæst. 40. in Genesim hunc explicat locum dicens. Propterea Deum id de Sodomis dixisse, quòd benè sciret eum numerum iusto-

rum

Digitized by Google

rum inibi non esse. Valet igitur hoc Dei dictum ad demonstrandam propẽsissimam Dei voluntatem ignoscendi peccatoribus, valet item ad exaggerandam illius gentis malitiam. Simile legitur dixisse Deum per Hieremiam cap. 5. vers. 1. *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & cõsiderate, & quærite in plateis, eius an inueniatis virum facientem iudicium & quærentẽ fidem: & propitius ero ei.*

Deus semper peccatoribus vult ignosci.

Vers. 27. 59. *Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.* Idest: quasi diceret Abraham ex quo iam cœpi rogare, & petere liberationem harum ciuitatum pro quinquaginta iustis: Licèt *sim puluis, & cinis*, idest factus de puluere, & in cinerem redigendus propter conditionis meæ vilitatem, non deberem coràm tanta maiestate multiplicare verba, sed quia semel incæpi, ideircò continuabo pro quadraginta quinque, &c. Hæc explicatio pro sequentibus vers. 28. 29. 30. 31. & 32. valere patet.

In orationibus humilitas antepo nenda.

Vers. 33. 60. *Abijtque Dominus, postquam cessauit loqui ad Abraham.* Idest Angelus ille, qui loquebatur ista supradicta cum Abrahamo, disparuit postquam colloquia finita sunt. *Nomen est Tetragrammaton*, (dicit Caietanus) *In vniuerso siquidem hoc colloquio Moyses nominauit Angelum loquentem nomine tetragrammaton: Abraham autem nominauit eundem* אדני*. Ille à supremo nomine Dei: iste à Domino ipsius Abraha. Sonat enim pro singulari Domine mi. Obseruantia simul, & fiducia supplicantis, huiusmodi nomen congruebat. Significantiùs autem narratur quòd cùm Deus finisset vltimam responsionem* non delebo propter decem, *recessit non expectans vlteriores preces.*

61 *Et ille reuersus est in locum suum*: Idest Abrahamus reuersus est in locum suum, idest, in tentoria, quæ habebat in conualle Mambræ: iuerat enim cum Angelis aliquantulum contrà Sodomam. Inquit autem Abulensis quòd ratio potissima, *quare Abraham non ausus fuit petere infrà decem, fuit, quia Deus misit in eum terrorem ne peteret. Deus enim secundùm suam certissimam scientiam indicauerat Sodomam, & alias tres ciuitates esse delendas, quia iam erant incorrigibiles, & peccata eorum ad summum deuenerant, ideoque Iudicium illud immutabile erat.*

ANNOTATIO MORALIS.

Vers. 1. 62 A*pparuit autem ei Dominus in conualle mambre sedenti in ostio Tabernaculi sui in ipso feruore diei*: Hìc Abraham docet hospites & peregrinos non solum recipere, sed & quærere; nam inquit S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 5. *Qui scit an Deum suscipias, cùm hospitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hospitium, deum atque Angelos eius suscipit hospitio. Quamuis & cùm hospitem suscipis, Deum suscipit. Sic enim scriptum in Euangelio legis, dicente Domino Iesu: Hospes eram, & collegistis me* (Matthæi cap. 25. vers. 43.) *Quod vni enim horum minimorum fecistis, mihi fecistis. Vnius horæ hospitio, vidua illa, quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum toto tempore famis inuenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, vt nunquam farina de hydria deficeret. Helisæum quoque defuncti pignoris resuscitatione donata, hospitij resoluit pensionem.* Hæc, & plura S. Ambrosius.

Suscipiendi non solum Hospites, sed & quærendi, & cur?

63 Hìc moraliter aduerte quòd tria sunt quæ peregrinantes affligunt. Primò difficultas viarum. Secundò Insidiæ latronum, Tertiò grauitas onerum. De Primò considerandum est quòd quatuor sunt difficultates viarum: Sunt enim viæ lutosæ, scrupulosæ, cliuosæ, & ruinosæ. Lutosæ paludibus voluptatum; scrupulosæ lapidibus scandalorum; cliuosæ prosperitatibus successuum; ruinosæ defectibus aduersitatum. De Lutosis dictum est: *Infixus sum in limo profundi, & non est*, &c. De scrupulosis; *Ne vnquam offendas ad lapides pedes tuos*. De ruinosis, & cliuosis simul: *Ascendunt vsquè ad cælos, & descendunt vsquè ad abyssos.* Debet ergo via esse munda, recta, plana, non tenebrosa non lubrica. Munda sit à carnali contagio, odio, ira, inuidia, detractione; *Vt sint praua in directa,*

Tria affligunt peregrinantes, & quæ.

Viarum Dei quadrifaria difficultas.

directa,

Digitized by Google

directa, & aspera in vias planas; vt non sint tenebrosæ errore, nec lubricæ leuitate, & dissolutione; vt non sit via illorum tenebræ, & lubricum.

64 De secundo considerandum quòd tres sunt insidiæ latronũ. Tẽdunt enim laqueos aliquando in principio viæ, aliquando in medio, aliquando in fine. In principio, vt *Præoccupauerũt me laquei mortis*. In medio, vt *In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi*. De laqueo qui est in fine, dicunt Sancti: *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus*. Primum inuenit Adam: Secundum decem viri, qui veniebant adorare in Ierusalem, quos occidit in media via Ismael de sanguine regio: Vltimum Ioanathas filius Saul, quando in fine victoriæ comedit fauum mellis. De primo dicitur: *Facti sunt hostes eius in capite*. De secundo: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita*. De tertio: *Mulier conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*.

Tres insidiæ latronum.

65 De tertio nempè de grauitate onerum quæ affligit Peregrinos. Alij dicunt esse onera quinque; alij vndecim, vt Isaias; alij tria tantùm, quæ dicuntur onera onerum. De illis quinque, Primum dicitur Lex; vndè Matthæi cap. 11. b. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*. Secundum dicitur iniquitas vt in Psal. 37. a. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*. Tertium dicitur temporalis miseria; vndè: Eccles. cap. 40. a. *Graue iugum super filios Adæ à die exitus de ventre matris eorum, vsquè in diem sepulturæ in matrem omnium*. Quartum dicitur peccatum, inde Isaias cap. 58. b. *Dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe*. Quintum dicitur Iudicium Dei, vel illa æterna miseria; vndè Apostolus ad Galat. cap. 6. b. Vnusquisque onus suum portabit. Apud Isaiam verò vndecim onera hæc, scilicet, Isaiæ cap. 13. a Onus Babylonis; idem cap. 14. vers. 29. Onus Philisthijm; idem cap. 15. a. Onus Moab; idem cap. 19. a Onus Damasci; idem ibidem. Onus Ægypti: idem cap. 21. a. Onus deserti maris; ibidem c. Onus Duma, ibidem d. Onus in Arabia; idem cap. 22. a. Onus vallis visionis; idem cap. 23. a. Onus Tyri; idem cap. 30. b Onus Iumentorum Austri. Hæc ex ipso numero transgressionem significant peccati. Sicut ergo in diuino Eloquio dicuntur simpliciter Cantica, & Cantica Canticorum; ita & onera simpliciter, & onera onerum. Onera simpliciter sunt singula crimina, vel singula tribulationum genera; onera verò onerum, culparum, vel tribulationum immensitas nimia. Vers. 2.

Quot sint onera, quæ grauant Peregrinos.

66 *Cùmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè eum*. Ni eleuasset oculos forsan non vidisset: Sed dic. Et quando munifici pauperum exceptores oculos non eleuant, vt Deum in ipsis intueantur? Ideò renuens pauperes excipis, quia oculis demissis terram Sapientibus aspicis; & non eleuans mentis lumina ad dignoscendum eum, qui aduentas in paupere: scriptum est enim: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

Pauperum amatores semper eleuant oculos, vt in ipsis Deum intueantur.

67 *Quos cùm vidisset cucurrit in occursum eorum de ostio, &c.* Moralitatem affert Loco supracitato Mediolanensium Pastor dicens; *Disce ergo quàm impiger esse debeas, vt possis præuenire hospitem, ne quis præueniat, & te boni muneris defraudet. Copia bona est hospitalitas, habet mercedem suam primùm humanæ gratiæ: deindè (quod maius est) remunerationis diuinæ. Caueamus ne si nos duri, aut negligentes fuerimus in recipiendis hospitibus, etiam nobis post huius vitæ cursum Sanctorum hospitia denegentur. Id enim præmonuit nos Saluator noster dicens*, Lucæ cap. 16. vers. 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Quod ergo alijs denegaueris, id in te ipse decernis: & quod alijs detuleris, eo te facis dignum videri*, Sic S. Ambrosius.

68 *Et dixit: Domine si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*. Vers. 3.
Scio, ex multorum sententia, Abrahamum Trinitatis Sanctissimæ agnouisse mysterium tres contemplatum Personas, vnam essentiam veneratum. Ex ternario ad Trinitatis inuisibilis eleuatur respectum. Assolent enim Spirituales viri ex creaturis ad Philosophiam diuinam ascendere: Vndè ad nostrum intentum S. Ioannes Chrysostomus explicans illud Gen. 1. *In principio, &c.* elegantissimè dixit. *A sensibilibus ad cognoscendum vniuersi Opificem, inducit Moyses, vt ex creaturis mundi fabricatorem discentes, adorent creatorem omnium*. Sic fecit Apostolus cum Atheniensibus, Act. cap. 17. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt. Hic cæli, & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis habitat templis*, &c. Moyses quidem à sensibilibus sic incipit: at Ioannes, ab ipso creatore: *In principio erat verbum .... Omnia per ipsum facta sunt*. Idem fecit Paulus ad Colossenses 1. *In ipso*

Iustus ex visibilibus ad inuisibilia ascendit.

ipso creata sunt omnia, quæ in cælis sunt, & quæ in terra visibilia, & inuisibilia, siue Throni, &c. Moyses quidem cùm primus omnium instituendam suscepisset humanam naturam, docuit auditores prima elementa. Ioannes autem, & Paulus, his quos à Moyse acceperunt, perfectiora tradidere. Moyses docet minimos, Ioannes, & Paulus maiores.

Vers. 4.

69 *Sed afferam pauxillum aquæ, & lauate pedes vestros, & requiescite sub arbore.* Si rogat Abraham, vt ipsi suos abluant pedes, *lauate pedes vestros*, quomodo ipse intendit abluere, *lauentur à me pedes vestri?* (vti legit S. P. N. Augustinus) Profectò actionis illius humilitas Abrahamum ad deitatis fastigium quodammodo euexit ex agnata humilitatis exaltatione; Vndè dum Abraham Trinitatis residentis in pauperibus pedes diluit, Deus ipse abluit.

Humilitas ad Deum eleuat.

70 *Requiescite sub arbore:* Angeli requiescunt sub arbore, quia arboris Crucis prædicatores fuiit Angeli; hinc Eucherius inibi scripsit: *Arbor hæc Sanctissima crucis lignum est, cuius Sacramentum tunc intuebatur Patriarcha, & sub arbore Angeli sedebant, quia & ipsi crucis erant prædicatores. Sub hac ergo arbore, & his Sacramentis, aluntur ministri Christi.*

Crucis prædicatores Angeli.

71 Vel dic, *Requiescite sub arbore*, non alibi vera requies inuenitur quàm sub arbore Crucis, vndè benè dixit Abraham Requiescite sub arbore. Hinc intelliges cur dixisset Dominus Iesus discipulis in Gethsemani dormientibus, Matthæi cap. 26. vers. 45. *Dormite iam, & requiescite.* In horto fertur orans Dominus & assumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi præcepit illis, Sustinete hic, & vigilate mecum: Ipse verò progressus pusillum, quantum iactus est lapidis, positis genibus orauit; post orationem cum surrexisset inueniens dormientes discipulos increpat dicens; quid dormitis? Surgite, & vigilate mecum: Sed mox rediens, & pariter cùm inuenisset dormientes, non increpat, non obiurgat, quid dormitis, sed ait illis dormite, & requiescite; sed cur priùs increpat ne dormiant, modò vt dormirent hortatur, dormite iam, & requiescite? Audi: dormierunt Apostoli antequam crux in calice appareret in horto, & quia extrà crucem, veram requiem nemo potest habere, ideò excitans obiurgat eos Dominus dicens, quid dormitis? Surgite, non potuistis vna hora vigilare mecum. Sed postquam apparuit Crux in calice, tunc dicit illis dormite iam & requiescite: Ideò enim surgite, & vigilate Apostolis suis dormientibus Christus in horto dicebat, quia nondum Crux apparuerat in Calice, sed visa Cruce, dixit eis dormite iam, & requiescite, quia nisi in Cruce vera requies, verus sopor inuenitur.

Vera requies hominis sub arbore crucis

72 Hic notandum est primò quòd sub arbore Crucis citantur sani, suscitantur infirmi, resuscitantur mortui. Hi enim aliquid habent de antiqua Euæ arbore: sani, duritiam, qua tardi sunt in deuotione: Infirmi fatigantur tentatione; mortui delectantur iacere in sua iniquitate. Sed primi per virtutem Crucis citantur, vt in bono proficiant; quibus dicitur Ioannis cap. 12. vers. 35. *Ambulate dum lucem habetis.* Infirmi suscitantur, & vt a tentationibus se excutiant; quibus dicitur 1. ad Corinth: cap. 10. vers. 13. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Mortui resuscitantur, ne quatriduani in sepulchro remaneant; quibus dicitur ad Ephes. cap. 5. vers. 14. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Primorum duritia figurata est in Abraham, qui sub duritia quercus existens, idest, sub ilice Mambre, citatus est angelica visione, quando hic *tres vidit, & vnum adorauit.* Suscitatio ab inquietatione tentationum, figura in Elia iacente sub iunipero, (3. Regum cap. 19. vers. 4.) idest, aculeo tentationum; qui suscitatur Angelica visitatione. Resuscitatio mortui, qui iacet in delectatione peccatorum, figuratur in Nathanaele (Ioannis cap. 1. vers. 48.) iacente sub ficu; vndè vocatus est à Domino; qui diù iacuerat in Legis peccato.

Triplex virtus Crucis.

73 Notandum secundò quòd est, & moralis arbor; scilicet, iustitiæ, sub qua anima refrigeratur. Hæc plantatur in terra bonæ voluntatis, radicatur in profundo humilitatis, crescit per desiderium, expandit ramos per exemplum, dat fructum boni operis, cibat esurientem dulcedine contemplationis, & de hoc ligno dicitur Iob cap. 14. vers. 7. *Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursùm virescit, & rami eius pullulant.*

Arbor moralis.

74 Notandum tertiò quòd tres sunt Cruces. Prima latronis desperantis, secunda orantis, & dicentis Lucæ cap. 23. vers. 42. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Tertia Christi Domini. Primus, crucem meruit, nec profuit:

Tres sunt Cruces, & quæ.

secun-

Digitized by Google

fecundus meruit, & profuit: tertius non meruit, fed profuit. Prima malitiæ, fecunda pænitentiæ, tertia Iuftitiæ. Prima diaboli, fecunda iufti, tertia Chrifti. In vnaquaque ftant quatuor diuifiones. In Cruce diaboli, altitudo, qua extollitur fuper omne, quod colitur: Profundum defperationis, de qua Prouerb.cap.18.verf.3. *Peccator cùm venerit in profundum malorum contemnit.* Latitudo in carnalibus, Longitudo in pertinacia. In cruce iufti, Profundum eft humilitatis; longitudo affiduitatis laboris; Altitudo contemplationis; Latitudo orationis, quæ amplectitur tàm amicum, quàm inimicum. Crux Chrifti habet Profundum timoris, Altitudinem fpei, Latitudinem charitatis, Longitudinem perfeuerantiæ. In prima cruce crucior, ad fecundam tendo, pro tertia fufpiro. Primam teneo, fecundam quæro, tertiam defidero. In prima pæna, quam timeo: In fecunda, pæna, & venia, quam quæro. In tertia, gloria, quam defidero. Dominicæ Crucis profundum habet Iob: altitudinem, Dauid: Latitudinem, Paulus, & Longitudinem, Nabaoth.

Tres cruces habent omnes quatuor diuifiones, fed diuerfimodè.

Verf. 5. 75 *Ponamque buccellam panis, & conforcate cor veftrum, &c.* In Sacra Scriptura, vti fuperiùs diximus, nomine panis omne ciborum genus comprehenditur. Sic enim Euchariſticus panis omnem cæleftem continet abundantiam, cuius dicti innumeræ funt fanctorum PP. fententiæ.

Euchariſticus panis omnia abundè continet.

76 Sed dic moraliter quòd tres funt Panes, iuxtà illud Lucæ cap.11. verf.5. *Amice accommoda mihi tres panes.* Primus eft panis doctrinæ, qui cœlum oftendit, dans nobis fidei firmamentum; fecundus, vehementes ex defiderio fupernorum lacrymæ, per quem cor noftrum in cœlum afcendit, dans præfentis exilij folatium. Tertius, Euchariftiæ (Ioan.cap.6.verf.51.) *panis viuus, qui de cœlo defcendit*: hic viaticum, in regno futurus delectamentum. De primo dicitur Pfal. 103. verf. 15. *Panis cor hominis confirmet.* De fecundo Pfal.41.verf.4. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè: Vbi eft Deus tuus?* De tertio Pfal. 77.verf.25. *Panem Angelorum manducauit homo.* Primus comeditur in Tabernaculo Doctoris: fecundus cum aqua lacrymarum: tertius cum potu dominici fanguinis: In figura primi, erant in tabernaculo duodecim panes propofitionis. In figura fecundi pofuit Angelus panem, & vas aquæ ad caput Eliæ fubtùs iuniperum dormientis. In figura tertij obtulit Melchifedech panem, & vinum Abrahæ de bello reuertenti vt fuperiùs notatum eft cap. 14. verf.18. tit.Annot.Moral.num.103. Vide etiam tom.1.cap.3.verf.19.num.103. pag.38.col.1.

Tres panes quibus refici debemus.

77 *Feftinauit Abraham in Tabernaculum ad Saram dixitque ei: Accelera, tria fata fimilæ commifce &c. Ipfe verò ad armentum cucurrit, & tulit indè vitulum, &c.* Religiofum munus non totum fibi adfciuit Abraham, fed cum Sara diuifit, eique commifit, non vt exeat foras, nec vt hofpitibus occurrat; fed quod intrà tabernaculum manens, ficut eius pudicitiæ decebat, fæmineum officium exerceat, panes præparat. Ipfe verò fibi laboriofum opus extrà tabernaculum exeundi in campum, & ad gregem, totum fibi elegit, & affumpfit. Vndè S. Ambrofius vbi fupra: *Quod pietatis eft*, ait, *vult*, fcilicet Abraham, *effe commune, quod pudoris eft, integrum manet Sara. Ante tabernaculum vir hofpitum explorat aduentus, intrà tabernaculum Sara tuetur fæmina verecundiam, & opera muliebria totò exercet pudore: foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat.* Verf. 6. & 7.

Sit Sara in domo, Abrahamus in agro.

78 Vel dic: In hac vmbra opera, quam Beata Virgo MARIA ad Euchariftiam contulit, præclarè tranflucet. Audiendus eft S. Ioannes Damafcenus orat. 1. de dormit. Virginem in hoc Abrahæ tabernaculo recognofcens, & fic eam alloquens. *Nam tabernaculum*, inquit, *Abraha te apertiffimè indicabat: etenim Verbo diuino in ventre tuo tanquam tabernaculo habitanti, humana natura fubcinericium panem, hoc eft, fui primitias, ex puris tuis fanguinibus obtulit à diuino igne quodammodo coctas, panemque effectas, atque in diuina ipfius perfona exiftentes, & ad veram corporis animati anima rationali atque intellectuali fubftantiam venientes.* Aliter etiam Philofophatur S. Ambrofius alibi datus. Tria fata fimilæ commifce, & fac fubcinericios panes, &c. *Mulier fimilaginem offert, hoc eft, interiora fpiritualis frumenti, vel grani illius, de quo dictum eft, quod nifi in terram ceciderit, nullum fructum affert*; Scilicet hunc panem fubcinericium, ex puris Deiparæ fanguinibus conflatum, Dominici corporis *primitias* appellat Damafcenus. Et Mediolanenfium Paftor, ait quòd deipara *Similaginem offert, hoc eft interiora fpiritualis frumenti.* Deipara ad Euchariſticum Sacramentum offert

B. Virgo MARIA, & Dominici corporis primitias, & interiora fpiritualis frumenti offert.

Digitized by Google

fert Dominici corporis primitias adhuc superstites, & *interiora spiritualis frumenti*. O' grandis opera ad Eucharistiam collata!

Vers. 8. 79 *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coràm eis: ipse verò stabat iuxtà eos sub arbore*. Hic vides quomodo in domo iusti nemo otiosus erat: quisque hospitaliti, similiue pio operi primus Abraham manus admonere satagit. Sanè meæ Religionis Augustinensis Eremiticæ splendidissimum Iubar D. Thomas à Villanoua cùm esset Episcopus, & familiam ad officij honorem haberet, ita cuique per totum diem suas partiebatur operas, easque vtiles, & pias, vt nemo vel quadrantem horæ per diem haberet liberum, & non occupatum; imò & ipse primus ad quæquæ etiam humilia opera incumbebat. Hac de causa eius familia, & Sancta, & pia, & deuota nec non fructuosa sibi, domui, & omnibus erat. Hoc imitentur Principes, & Prælati, otium enim perdit familias, & præsertim aulicas.

Otium perdit familias.

Vers. 9. 80 *Cùmque comedissent, dixerunt ad eum; Vbi est Sara vxor tua? ille respondit eccè in Tabernaculo est*. S. Gregorius in extremo lib. 9. moral. docet, quod fecisse Abraham hic dicitur, figuram eius fuisse quod spiritus noster agere debet; quòd autem scriptum est de Sara, id secundùm tropologicam intelligentiam, documento esse debere quid carnem nostram agere, & quemadmodum spiritui nostro subiectam esse oporteat, ad hunc modum scribens: *Ita carnis cura frænanda est; vt seruiat; nec quasi domina animum vincat, sed subacta mentis dominio quasi ancilla famuletur: vt adsit iussa, & ad nutum cordis repulsa dissiliat: vt vix à tergo sanctæ cogitationis appareat, & nunquam contrà faciem rectæ cogitantis obsistat. Ad hoc significandum, legitur Abraham tribus Angelis venientibus extrà ostium occurrisse: Saram verò post ostium intrà tabernaculum stetisse. Etenim intellectus noster, vt vir, & Dominus noster domus spiritalis debet in cognitione Trinitatis, claustra domus excedere, & quasi habitationis infirmæ ianuam exire: cura autem carnis, vt fœmina, foris non appareat; vt videri iactanter erubescat: sed quasi post tergum viri, sit sub discretione spiritus, solis necessarijs intenta, nequaquam expiens procaciter detegi, sed verecundè occultari. Quæ tamen sæpè, cùm ei dicitur vt de se minimè præsumat, sed totam se in Dei fiduciam conferat, despicit: & cessante studio, adesse sibi vitæ subsidia posse diffidit. Vndè eadem Sara promissiones Dei audiens ridet, sed ridens corripitur; correpta protinùs fœcundatur: & quæ in iuuentute florens, ac vigens fœcundari non potuit, annis fracta senilibus, vt marcescente concepit: quia cùm cura carnis, sui confidentiam habere desierit, contrà spem, ex diuina promissione accipit, quod habituram se ex humana ratione dubitauit. Rectè igitur filius eius dictus est Isaac, idest, risus: quia cùm superna spei fiduciam concipit, quod aliud mens nostra nisi gaudium parit?* Hactenùs Vaticani moralis Columba.

Quid spiritus noster, quid caro agere debeant.

81 *Cui dixit; reuertens veniam ad te tēpore isto, vita comite*. Tempus hic nominatur vt insinuet Angelus iustis, & omnibus in via Dei ambulantibus perdendum non esse tempus; hinc legit litera quædam (vt notat D. Hieronymus in quæst. hebr. citatus à Lyrano) *Reuertens veniam ad te tempore hoc, & in hora hac*; pro *hora*, *vitam*, legimus in Hebræo, vt sit ordo, vel sensus, *Reuertar ad te in tempore vitæ*, quasi dixero, *si vixero*. Hæc autem [illegible] vt cætera. Hei mihi, quotiens dormitauit anima mea præ tædio, diemque ferè totum, ac si reuocabile tempus esset, in inertia consumo? Illud autem miserrimum est quòd hodie non putatur iactura, sed lucrum, si dies qui nobis ad purgationem dati sunt, (iuxtà illud Ecclesiastici cap. 7. vers. 34. *De negligentia tua purga te*) elabantur nobis, dormiendo prætereant, & pereant negligendo. Gentilis, vt aiunt, cùm sederet ad mensam venissetque in mentem nihil strenuum, aut memorabile se egisse illo die, cum gemitu graui, & dolore mensam repulit exclamans, *O amici, diem perdidi*. Nos hodie dicere videmur: Diem lucrifeci, si sinè opere totus per inertiam possit elabi: sic nullus ferè est, qui tempori pretium ponat, qui cogitet apud se, quantùm ad comparandam æternitatem valeat dies vna. Putas ne est aliquis in nobis, qui quotidianam dierum suorum à semetipso rationem exigat? Qui cuiusque diei dispendia, vel emolumenta, sibi diligenter describat? Vt si deprehenderit se hodie negligenter egisse, vindicet in semetipsum, de cætero cautiùs agat? Beatus ille seruus quem cùm venerit dies extremus, inuenerit ita facientem.

Vers. 10.

Tempus non est perdendum.

82 *Erant autem ambo senes, prouectaque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria*. Interlinearis hic moralitatem deducens, dicit: *Ambo senes*, idest, Vers. 11.

Præs-

Digitized by Google

Presbyteri (debent esse senes) *tàm ætate quàm moribus*; adde etiam, & prædicatores, de quibus S. Gregorius in 3. p. Pastor. cap. 26. dixit: *Admonendi sunt, quos ab officio prædicationis imperfecta ætas prohibet, & tamen præcipitatio impellit, quòd pulli auium si ante pennarum perfectionem volare appetant; vndè ire in alta cupiunt; indè in ima merguntur*.

Prædicator moribus, & ætate sit senex.

Et S. Gregorius Nazianzenus in Apologetico. *Eas verò Scripturas, quæ vili inquamento literæ, prætiosa intrinsecùs contegunt Sacramenta, nulli ante vigesimum, & quintum annum discere, vel etiam scire committitur, quòd scilicet sit hoc velut munus quoddam propositum exercitio virtutis, his, in quibus ad illud ætatis, & vita probabilis, & ornatus morum, & intelligentiæ capacitas apparebit qui vtique iam valeant benè ab inferioribus litera, ad superiora spiritus excelsa. Quid ergo? Apud nos inter doceri, & docere nulla erit differentia? Nulla discretio?*

Non prædicandum antè ætatem congruam.

Vers. 12. 83 *Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Notent autem hic mulieres Saræ prudentiam, & mansuetudinem, maritum ex humilitate, *Dominum* suum appellat: quod & Apostolorum Princeps proponit mulieribus imitandum Epist. 1. cap. 3. vers. 1. *Mulieres subditæ sint viris suis*... (vers. 6.) *Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans*.

Mulieres sint viris humilitate subiectæ.

Vers. 13. 84 *Numquid Deo quidquam est difficile? iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vita comite*. Addidit Angelus rursùm, *Vita comite*, vt innuat hominis vitam tanta fragilitate niti, vt non possimus absolutè asserere nos, vel iuuenes vsquè ad annum proximum imò vsquè ad diem, aut horam duraturos. Vndè ad hominem, qui sibi crastinum diem viuere promittebat, deridens eum cecinit Horatius.

Non te promittas duraturum vsque ad proximam horam.

Quis scit an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora dij superi?

& Porsenna mordaci calamo obiurgat Sat. 5. *Iam cras hesternum consumpsimus, ecce aliud cras*. Et meliùs, imò sanctiùs, & Moraliùs Peccatori penitentiæ diem proccastinanti dixit Ser. 104. de tempore. *Cras inquis, ecce quotidie dicis cras, cras, factus es Coruus: Eccè dico tibi dum facis vocem coruinam, veniet tibi ruina*.

Peccator pœnitentiam protrahens Coruus.

Vers. 15. 85 *Negauit Sara dicens non risi: timore perterrita*, &c. Magnum crimen, magna ignorantia, ac audacia deteguntur in muliere: nam Deo, cui omnia nuda sunt oculis eius affirmante, ipsa tamen apertè negare audet: *Non risi*. Perpende tamen quid statim addat Scriptura. *Timore perterrita*. Ad quid hoc ponitur, nisi vt videas, quòd si describitur eius culpa, tamen statim illi annectitur excusatio: negauit timore perterrita, idest percussa, qui illius mentem perturbauit, iudicium illaqueauit, ac considerationem obfuscauit. *Sara præ angustia*, inquit Lippomanus, *fœminarum more mentitur: mulier enim erat, & filia Euæ; sed exsusatur etiam ab ipsa Scriptura, quia timore erat perterrita*.

Scriptura factum Saræ narrans culpam minuit.

86 Vel dic: Hinc subtaxandæ sunt Moniales quæ in auditorijs post ostium tabernaculi, & rident, & mentiuntur; nam probant euidenter se à perfectionis studio recessisse, quæ tot vel leuibus non timent se piaculis maculare. *Quare risit*, quare mentita est *vxor* Spiritus Sancti, IESV sponsa?

Indecens Monialibus in auditorijs ridere, & mentiri.

87 *Cùm ergo surrexissent indè viri, direxerunt oculos contrà Sodomam: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos*. Hic reuelatur Dei misericordia, & iustitia; nam inquit S. Ambrosius inibi, *Sicut visitatio Domini timentibus exhibetur, ita etiam impijs pœna peccati reponitur. Abraham deducendo hospites ad humanitatis gratiam, addebat obsequia. Sodomitæ verò pro pietatis officijs, impuritatis augebant flagitia*. Et Interlinearis. *Cùm Abraham tractauerat de futura misericordia, iam contrà Sodomam iudicium intentatur*. Vers. 16.

Deus misericors; & iustus.

88 *Dixitque Dominus? Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?* Iusti semper illuminantur. *Sicut amicis*, inquit Lippomanus, *præsertim familiaribus secreta à Dominis reuelari soleat; sic viri perfecti, & amici Dei, per donum sapientiæ consummatæ quasi eius consiliarij, ac Secretarij efficiuntur; ita vt Deus incerta, & occulta sapientiæ suæ eis manifestat*. Vers. 17.

Iusti illuminantur.

89 *Cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ*. Tot, & tàm præclara beneficia Abrahamo collata fuere orationis merito, sicuti inquit Aureus Doctor. *In oratione profunda etiam erat, quando reuelatum fuit ei secretum*. Ergo ora, & cum oratione, Abrahami exemplo, iunge bona opera, nam ab oratione omnia bona tua temporalia & spiritualia procedunt. Vndè S. Gregorius super Psal. *Domine exaudi orationem meam* dicit; *Illi à Domino exaudiri merentur, qui diuini Zelo amoris accensi* Vers. 18.

Ab oratione omnia bona.

Oratio bonis operibus socianda.

omnia

Digitized by Google

omnia quæ possunt bona operantur . Nam qui peruersis actioaibus assuetus , operibus iniquitatis inuigilas : nequaquam dignus est exauditionis cùm orat . Si volamus igitur vt ad aures Dei nostra perueniat oratio, stadeamus necesse est, vt ab omni admixtione prauitatis nostra mundetur operatio , vt possimus Dco dicere cum Propheta , & clamor meus ad te veniet .

Vers. 19. 90 Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis, & domui suæ post se &c. Vides , quanti momenti sit parentum monitum erga filios . Quot filij perijssent, si à parentibus Dei timorem edocti non essent . Præterea constat Deum quasi implendæ promissionis conditionem expressisse , *Vt adducat Dominas* , &c. Non sufficit, te à parente iusto , ac sancto originem trahere : oportet Dei addiei timore , vt factæ sanctitati parentis promissiones à Domino suum in te effectum sortiantur .

Bonitas filiorum a parentibus pendet.

Vers.20. 91 *Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomarum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatam &c.* Non tàm videtur Deus de iniquitate, quàm de diffamatione, & publicatione eius conqueri: sæpè enim plus ex scandalo suscitato, quàm de ipso crimine Dominus excitatur ad vindictam . Vndè Origenes super illud num. cap. 31. Vlciscere primùm &c. dixit *Longè grauius est causam præbere peccandi, quam peccare* . Et nota quòd scandalorum genera sunt diuersa; & prima sunt illa quæ diaboli fraus parturit . Secunda quæ generat calliditas humana . Tertia quæ parit in nobis suspicata, & incauta natura .

Plus irritat Dominum ad vindictā scandalum delicti, quàm iniquitas ipsa.

Scandala triplicia.

Vers. 21. 92 *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint; an non est ita, vt sciam.* Ex hoc loco Concilium Lateranense I. (vt refert à Lapide) can.8. monet iudices, ne facilè accusationibus credant , sed eas lentè, & maturè instar Dei examinent & inquirant ; antequam reum condemnent, nam vt ait Seneca lib. 2. de Ira : *Veritatem dies aperit, potestque pæna dilata exigi, exacta reuocari non potest* .

Maturè examinanda crimina lentè ferenda est sententia.

Vers. 22. 93 Conuerteruntque se inde , & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat coràm Domino . Persistenti ergo viro seù domino Abrahamus adstat auditurus : nec discedentibus vrbanissimus Patriarcha vale dicit. Nam qui se in conspectu Domini commorari sciebat : ab omni creaturarum respectu debebat separari . Taxo hinc sacerdotes , qui hærentes Altari huc illuc oculos admouere audent .

Qui in conspectu Domini moratur, a creaturarum respectu debet esse alienus.

94 *Et appropinquans ait: Numquid perdes iustam cum impio?* O quanta iusti fiducia, imò quanta animi compassio: Quodammodo compassionis ebrietate grauatus nesciebat, quid diceret . *Quid facis ò beate?* inquit S. Ioannes Chrysostomus ibid. *Quid opus habet tua exhortatione Dominus vt ne hoc faciat?* Lippomanus rationem reddit, dicens : *Sciendum quòd Deus numquam æterna pæna iustam damnat cum impio , sed in hac vita quandoque iustos occidi cum impijs permittit . Vnde Ezechiel :* cap.21.vers.3. *Dicitur occidam in te iustam, & impium* . Quod facit ad maiorem iustorum mercedem; & vt in hac vita pro suis culpis purgentur, eorumque patientia exerceatur, & fides probetur . Interdum verò eripit iustos, ne cum impijs trucidentur; sicut Loth (vt seq. capite videbimus) cum filiabus . Occulta enim, & incomprehensibilia sunt iudicia eius . Vers. 23.

Iusti tribulantur.

95 *Si fuerint quinquaginta iusti in Ciuitate peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos si fuerint in eo?* Commendabilem existimo Abrahamum, quod pro delendis Vrbibus oraturus, primò pro ciuitate vbi propinquus aderat, exorarit . Primus enim à te propinquis debetur affectus, prima pietatis, seu eleemosynæ actio est impendenda . Vers. 24.

Primò succurendum est propinquis , quam alijs, eleemosynæ subsidio.

96 *Absit à te vt rem hanc facias, & occidas iustam cum impio , fiatque iustus sicut impius, &c.* Quamobrem cupit iniustos quoque seruari? Hunc sensum loquitur . Paucæ salis micæ conseruant à putredine multam carnem, pauca, & parua vincula continent magna ædificia, sic iusti conseruant iniustos : hinc dixit & fiat iustus sicut impius, idest sicut conseruatur iustus, sic & impius . Vers. 25.

Iusti iniustos liberant.

97 *Dixitque Dominus ad eum : si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio Ciuitatis . Dimittam omni loco propter eos .* Hinc apparet, quanta sit apud Deum in gratia vir eximiè bonus, & innocens, quantùmque valeat ad impetrandum à Deo quodlibet bonum , malumue deprecandum . Itaque non raro fit vt paucorum , atque adeò vnus insigni probitate pietateque præstantis viri , plurimorum noxia , & supplicium redimatur . Scitè igitur S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. *Admiranda* , inquit , *est Dei clementia , propter paucorum iustitiam impunitatem toti populo promittentis. Vndè discimus , quantus murus sit patriæ vir iustus , & quòd non debemus inuidere Sanctis , nec temerè derogare . Illorum enim nos fides seruat ; illorum iusti-* Vers. 26.

Quantùm valeat iustus apud Deum.

tia

tia ab excidio defendit. Sodoma quoque si habuisset viros decem iustos potuisset non perire; vide etiam sub initium lib. 5. comment. in Lucam vbi consimilia scribit.

98 Aliter moralem doctrinam præstat S. Isidorus apud Glossam, vbi sic dicit. *Quinquagenarius numerus à quo vsque ad decem descendit, pœnitentiam significat. Vndè & quinquagesimus Psalm. pœnitentialis est. Si ergo conuerterentur, saluarentur. Sed cum Deus aspicit delinquentes nolle ad pœnitentiam conuersi, illicò ardorem immoderatæ luxuriæ igoe gehennæ compescit. Vsque ad decem iustos non perire Sodomam dixit, quia si in quolibet per decem præceptorum custodiam Christi nomen inuentatur, non peribit. Denarij enim numeri figura, & crucem Christi significat.*

Quinquagenarius numerus pœnitentiam signat.

Vers. 27. 99 *Respondensque Abraham ait; Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis.* Vides hic quomodò propriæ humilitatis, vilitatisquè contemplatio, ad omnem animi elationem tumoremque penitùs comprimendum valet plurimum: sed ita profectò se res habet, vt quisque maximis in vitijs, erroribusque ac miserijs versatur, ita quasi densissima obductis caligine oculis, vilissimum, ac miserrimum statum suum minimè videt. Vndè doctissimè S. Gregorius lib. 24. Moralium cap. 27. scribit dicens: *In peccato quisque positus, mortalitatis suæ obliuiscitur: & terram se esse non meminit, dum adhuc per superbiam inflatur. Post conuersionis autem suæ gratiam, cùm humilitatis spiritu tangitur, quid aliud se, quàm cinerem esse recordatur? Iam in cinerem Dauid conuersus fuerat cùm dicebat* (Psal. 102.) Memento Domine, quòd puluis sumus. *Abrahum quasi iam in cinerem reuersus, dicebat*: Loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis. *Nam etsi viuentem carnem eorum nec dum in terram mors resoluerat; hoc tamen illi apud se erant, quòd se absquè dubitatione futuros præuidebant, &c.*

Propriæ cognitionis vilitas magnum virtutis fundamentum.

100 Vel dic: Quòd sui cognitio, & se ipsum noscere multum valet ad perfectionem acquirendam, & verè quid vilius homine abiectiusque? Quid? *Scito*, inquit Auctor lib. de spiritu, & anima apud S. P. N. Augustinum cap. 51. *Quoniam homo es, cuius conceptio culpa, nasci miseria, viuere pœna, necesse mori. Attende ergo sollicitè quid agas, & quid agere debeas.* Et S. Bernard. in carm. *Vndè superbis homo, cuius conceptio culpa; Nasci pœna, labor vita; necesse mori?*

Nil homine vilius, & homo quid sit.

101 *Quid si minùs, quinquaginta iustis quinque fuerint? delebis propter quadragintaquinque, vniuersam vrbem? & ait non delebo, si inuenero ibi quadraginta quinque.* Hinc vt nobile & moralissimum habeamus documentum, dubium formandum est, nempè. Vers. 28. & seq.

Quare Abraham viros iustos memorans, in quorum gratiam, vt parceret Deus Sodomitis, flagrantissimè cupiebat, & vehementer ei supplicabat, nec supra quinquaginta homines iustos ascenderit, nec descenderit infra decem; non ineptè, nec inscitè, vt mihi quidem videtur, causam & rationem Thomas Anglicus in cap. 18. Genesim breui & distincta oratione exposuit, dicens: *Cur Abraham certa quadam gradatione pretum à quinquaginta peruenit vsquè ad decem? Nonne melius, & facilius fuisset, à principio rogare pro decem? Respondendum est: Abraham tum propter Dei reuerentiam; tum propter magnitudinem rei postulandæ, non esse statim ausum petere pro decem: verùm Deo concedente in quinquaginta, audaciorem esse factum ad petendum prò quadragimaquinque, & sic deinceps vsquè ad decem. Præterea Deus occultè mouebat animum Abrahæ ad petendum eo potius modò quàm alio; quod vellet formulam præcationis eius spiritualibus quoque mysterijs deseruire. Etenim sex illis numeris, quos Abraham commemorauit 50. 45. 40. 30. 20. & 10. designantur omnia genera, omnesque gradus iustorum, quotquot nunc in terris sunt, aut fuere olim, aut futuri aliquando sunt.*

Cur Abraham viros iustos nec supra 50. nec infra 10. commemorauerit?

102 *Nam quinquagenarius numerus denotat, plenitudinem gratiæ Spiritus Sancti, & supremum, iustorum vitæ genus in perfecta Dei contemplatione, qualis esse in terris potest, & ardentissimo eius amore collocutum. Supra hunc perfectionis gradum, non est ascendere altius dum hic viuitur. Ad hoc genus vitæ pertinet quod de Maria dixit Dominus* (Lucæ cap. 10.) Mariam optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. *Descensus à quinquaginta ad quadraginta per duos quinarios, significat inferius quoddam genus iustorum in exteriores actiones positum, simile ministerio Marthæ, cui dixit Dominus*: solicita es, & turbaris erga plurima.

Numerus 50. quid denotet, & 45. 40. 30. 20. & 10.

103 *Verùm duplex est genus vitæ actiuæ, in qua se iusti exerceat. Est enim quoddam principaliter quidem actiuum, sed aliqua tamen ex parte contemplatiuum, quod per numerum quadragintaquinque adumbratum est. Nam quadraginta, est numerus operationis, & laboris; additus verò quinarius, quo ille appropinquat ad quinqua-*

Duplex genus vitæ actiuæ.

Digitized by Google

quaginta, significat participationem quandam contemplationis. Alterum est genus vitæ actiuæ designatum per quadragenarium numerum: in externa solùm actione, & corporalibus ministerijs occupatum, & per corporalis misericordiæ opera, iuuandis hominibus destinatum.

Tres modi obseruandi decalogum, seu tres modi gradus eorum qui eum obseruant.

104 *Sequitur deinceps à quadragenario numero descensus ad denarium per tres denarios. Et denario quidem significari obseruationem decalogi, per se manifestum est; triplicata verò denarij repetitio, siuè diminutio à quadraginta vsquè ad decem; indicat tres modos obseruandi decalogum, vel tres gradus eorum qui eum obseruant.*

105 *Primus gradus est eorum, qui ducuntur ad præceptorum diuinorum obseruationem, solo Dei, puraque amore, quòd ipsé dignissimus per se sit, vt eius voluntati obtemperetur, eiusque præcepta diligentissimè obseruentur.*

105 *Medius gradus eorum est, qui ad exequenda Dei præcepta alliciuntur, & feruntur contemplatione, speque ingentium vtilitatum, atque animi voluptatum, quæ obseruationem diuinæ legis consequuntur.*

106 *Tertius, atque infimus obseruatorum decalogi gradus, eorum est, qui seruili quodam timore diuinæ vindictæ, terroreque supplicij æterni, quo præuaricatores diuinæ legis puniendi sunt, ad custodienda mandata Dei, quasi compellantur, & trahuntur.*

Vers. 32.

107 *Et dixit non delebo propter decem.* Quòd vsquè ad decem iustos, si inueniantur, non perituram Sodomam Dominus dicit, & hoc innuit mysticè: quòd si in quolibet per decem præceptorum custodiam, Christi Crux inueniatur, non periret. Denarij enim numeri figura Crucem Christi demonstrat, quia X. litera, qua denarius exprimitur, in figura Crucis formatur. Vide Eucherium in hunc Genesis locum.

Vbi Christi Crux ibi nullum periculum.

Literæ, & numeri X. Mysterium.

108 Vel dic: *non delebo propter decem*: hic peccatorum describitur durities. *Non necesse erat*, inquit S. P. N. Augustinus, *Deo tàm sceleratis hominibus parcere, ne eum illis perderet decem iustos, eùm posset, iustis indè liberatis, reddere impijs digna supplicia: sed ad ostendendam malignitatem multitudinis illius.* Etiam Lippomanus consimilia scripsit inibi dicens: *Certat hic, certat profectò Clementia Dei cum humana malitia, & præsumptione nostra, nec se duriorem patitur inueniri, quam exigat nostra necessitas, & sperare nos docet supra mensuram.*

Peccatorum durities.

109 *Abijtque Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham &c.* Vt moralitatem habeamus formandum est dubium. Quare Abrahamus nullam de eripiendo è flammis Lotho mentionem intulit? Certè quia sciens eum Deo placere, specialem Dei erga illum prouidentiam agnoscebat. Peculiaris enim est Dei prouidentia erga iustos. Et si quæris: si tres viri Beatissimam Trinitatem exprimebant, quænam Persona apud Abrahamum abstinens à Sodomæ via remansit? Crediderim filij Personam; nolentem vtique perdendis hominibus interesse qui humanitate indutus venturus erat, vt homines ab æterno liberaret incendio. Dum hæc scribo, non ignoro actiones ad extrà toti Trinitati Personarum esse communes. Vers. 33.

Specialis Dei prouidentia erga iustos.

Persona filij videtur abstinere à via Sodomæ conflagraturæ.

110 Nota tres esse optimos, & efficacissimos apud Deum deprecatores atque intercessores pro venia peccatoribus impetranda. Primus & principalis intercessor est ipsa Dei bonitas, & Clementia, qui sua apte natura promptissimus est, ac propensissimus ad ignoscendum; ad puniendum verò lentus admodum, & cunctabundus. Secundum locum tenent viri pietate, & sanctimonia præstantes; quorum apud Deum gratia, & auctoritas, ad demerendum peccatoribus criminum veniam valet plurimum. Tertius, & sanè potentissimus intercessor est, bona quædam peccatoris animi affectio: si liquido is agnoscat flagitia sua: si ex animo, ac feriò doleat, ac detestetur: si firmissimè statuat apud se, ab omni deinceps flagitio purum se atque integrum conseruare. Ea quippè peccatoris mens atque propositum ad iram Dei placandam vim habet maximam.

Tres sunt apud Deum efficacissimi intercessores pro venia peccatoribus impetranda.



D V-

DVBIA SACRA
IN CAPVT XVIII. GENESIS.

Verſ. 1. §. 1 QVare, ſi pauperes, & egenos hoſpitio recipere volebat Abrahamus, eos è propinqua ciuitate non conuocat, & ad ſe inuitat; ſed tantùm aduenas, & peregrinos quærit, & non in alio tempore, ſed in ipſo meridiano feruore diei? Abraham, vt benè diuina charitate erat inſtructus, non quoſcumque pauperes tantùm quærit, ſed eos maximè qui multùm egeſtate opprimuntur, vt ſunt externi, & aduenæ, & hos non quolibet tempore, ſed eo potiſſimùm, quando temporis calamitas, & ardoris ſolis inclementia nimiùm vexat, & affligit, & tunc eos expectabat, vt hoſpitio, ac menſa ſuſcipiat, & vt à tanta temporis iniuria ſubleuarentur. Sic affirmat eleganter Aureus Doctor ibidem: *Hoc valdè, ſcribens, auget hoſpitalitatem, & virtutem iuſti; in meridie hoc faciebat; meritò, quoniam ſciebat quod quibus eſt itineris neceſſitas, eo tempore maximè indigent cura, proindè tempus hoc, vt idoneum elegit; lædens eos, qui præteribant, venabatur.*

Vbi maior eſt neceſſitas, ibi magis ſubueniendũ.

Verſ. 1. §. 2 Quare Abrahamus in huiuſmodi hoſpitio tantum promeruit; nam hic plus quodammodo promiſſionis accepit, quàm dum in holocauſtum filium obtulit? Hoc enim tugurio tres Angelos in totius Trinitatis figuram recepit: promittitur ei filius Iſaac, numeroſaque progenies, & quod plus omnium, Chriſtus Dominus. *Benedicenda ſint in illo omnes nationes.* Inſuper & in hoc hoſpitio conſtituitur ab intimis Dei ſecretis: *Nunquid celare poſſum Abrahamo quæ geſturus ſum?* Vnde ergo tantum promeruit? Dominum hoſpitio recepit in ipſo feruore diei, hoc eſt, meridiano tempore, vt eſt omnium expoſitio; tunc Domino miniſtrauit, & ad armentum cucurrit: & qui, dum alij relaxationis tempus habent, expers quietis laborat; cùmque alij cibo, & potu recreantur, atque paſcuntur, ipſe ſedulus ſtat in obſequium Dei miniſter, facillimè fauorem, & gratiam apud Dominum impetrat. Præſto eſt Mediolanenſium Paſtor libro 1. de Abraham cap. 5. ſic ſcribens: *Ante oſtium ſedebat Abrahamus, ſedebat meridie, quando alij requieſcebant, iſte hoſpitum explorabat aduentum, meritò illi Deus apparuit.*

Qui in opere charitatis laborat, dum alij deſides ſunt, multum promeretur.

§. 3 Quare, ſi Abraham (vt docet S. P. N. Auguſtinus quæſt. 34. in Geneſim) cognouit eſſe ipſum Deum, diuinam maieſtatem, quàm cœli capere non poſſunt, audet inuitare ad tàm humilem locum, & etiam vni homini anguſtum? Agnoſcebat optimè Sanctus Patriarcha diuinum ingenium, quòd potiùs delectatur fide pectoris noſtri, quàm amplis, ac ſumptuoſis oſtentationibus regalis, ac magnifici palatij; & cum Abrahamus ſe vidiſſet tanta fide ditatum, non timet Deum in pauperem locum adducere. Dubium ex ingenioſo S. P. N. Auguſtini acumine ſerm. 66. de tempore ſic perbellè reſolutum legitur. *Locum arboris incolebat Abraham, ſub qua conſtructum erat qualecumque ſuffugium, anguſtum quidem homini, ſed ſufficiens maieſtati, dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuiſſet diuina maieſtas pranſura.* Vilem illum locum homini anguſtum, magna fides Abrahæ regalem aulam Deo dignam reddebat, omni auro, & gemmis exornatam. Vides, quantùm Deus vult animum noſtrum. Vnde qui ſumptuoſos apparatus Deo exhibent; & illi cor negant, de Centurione euangelico audiant S. P. N. Auguſtinum ſerm. 6. de verbi Domini dicentem: *Non erat magna felicitas, ſi Dominus Ieſus intraret in parietes eius, & non eſſet in pectore eius? Magiſter quippè humilitatis, & verbo, & exemplo, diſcubuit, & in domo cuiuſdam Phariſæi nomine Simonis; & cùm in domo eius recumberet, non erat in corde eius; vbi caput filius hominis reclinaret.* Verſ. 1.

Vera cordis fides magnũ palatium Deo præparat.

Parùm eſt Deum habere in domo, ſi non ſit in corde.

§ 4 Quare Abraham cùm eſſet vir potentiſſimus tanta erga peregrinos, ignotoſque viros ſubmiſſione ſe habuerit? dicit enim Scriptura: *Cucurrit in occurſum eorum, & adorauit pronus in terram.* Abulenſis difficultatem explanans ſcribit: *Inclinauit ſe ad terràm faciens magnam reuerentiam, erat enim vrbanus valdè.* Quamuis tres illi viri peregrini eſſent, & multa egeſtate laborantes, facie tamen, ac corporis geſtu, eminen- Verſ. 2.

In dignitate non est omittenda vrbanitas.

tes viri videbantur, & graues; ideò Iustissimus ac mansuetissimus Patriarcha, quamuis princeps fuisset, tamen vrbanitatis gratia eos omni est veneratione prosecutus. Solemnis apud Aegyptios, vt scribit Herodotus lib. 2. erat consuetudo, vt etiam nobilissimi, cùm maiores natu, atque magistros obuios haberent, eis via locoque cederent, ac aduenientibus assurgerent, locumque darent.

Vers. 2.

§. 5 Quare, si Abrahamus stabat, vt videns venientes peregrinos in domum suam introduceret, eos vidit non à longè, sed propè se? Tres viri illi Sancti erant Angeli, vt est sententia S. P. N. Augustini, Ruperti Abbatis, D. Algeri, & aliorum, qui ad Patriarcham veniebant, vt eum, ac domum eius multis donis replerent; indè non à longè, sed propè videntur; Angeli enim Sancti, vt beneficia nobis conferant, semper sunt propè, & numquam a longè. Perpende, quantùm nobis prosit Angelorum patrocinium. Cùm esset Christus in horto, maximo mærore afficitur, vt ipse ad discipulos suos dicat Matth. cap. 26. vers. 38. *Tristis est anima mea vsquè ad mortem*. Tristabatur Dominus non propter se, sed propter discipulos, vt explicant D. Hieronymus ibid. & S. Hilarius proximè citandus, propter nempè scandalum, & perturbationem Apostolorum; Quibus ipse dixerat: *Omnes vos scandalum patiemini, in me in nocte ista*. Tunc progressus orat ipse, surgensque ab oratione, cùm venisset ad discipulos suos inuenissetque eos dormientes ait, Matth. cap. 26. vers. 41. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*. Mandat vigilare aduersùs tartareas potestates, quæ maximè eis insidiabantur. Iterum orauit secundò; & reuersus ad discipulos, cùm eos inuenisset dormientes, saltem præsentia sua reprehendit eos, quod ipso vigilante, illi dormirent, Marc. cap. 14. vers. 40. Orat tandem tertiò Dominus; apparet *Angelus de cælo confortans eum*. Tunc facta hac tertia oratione, scribit S. Matthæus cit. vers. 45. Ait illis Dominus: *Dormite iam, & requiescite*.

Angeli sunt propè nos ad auxiliandum.

Quare qui modò mandabat vigilare, & orare, iam ad requiem, & dormitionem exhortatur? Præclarè promissus D. Hilarius lib. 10. de Trinitate expendens quòd post multam Domini precem Angelus astitit confortans eum, sic ait: *Missa enim ad Apostolorum tuitionem Angelo, & per eum confortato Domino, ac pro his tristis esset, iam sine tristitia metu existens ait: dormite iam, & requiescite*. Attentè pensita verba, quæ post pauca subijcit S. Doctor. *Nam ex nihilo dormientium adhortatio subsecuta est, nisi quòd, cùm absuturus ab his esset, & indulti Angeli confortatus auxilio, securitate custodia custodiendos permittebat in somnum*. In tertia oratione venit Angelus confortans eum, proponens discipulorum trophæa, *misso ipso ad Apostolorum tuitionem*. Tunc ait illis Christus, *Dormite iam, & requiescite*. Quandiù ipsi, vt Apostoli, ac discipuli, sub Domini disciplina ac cura degebant, pro eorum salute omnium Saluator maximè anxiabatur. At verò cùm iam sub Angeli tutela apparent tunc Christus ad honorandos Sanctos Apostolos, atque significandum, quantum eorum patrocinia nobis prosint, ait illis, *Dormite iam, & requiescite*. Cùm enim illi Angelorum tutela communiti existerent, iam nulla aduersùs eos tartarea potestas prævalitura, nullumque impendens malum illis formidandum esset; indè tanquam ab omnibus custoditi obdormire mandantur. *Securitate custodia custodiendos permittebat in somnum*. Quid mirum sic ab Abrahamo non à longè se propè videntur Angeli, dum etiam dormientes Apostoli propè Angelorum tutelam habent, propè ipsorum aspectus fauorabiles vident?

Sub Angeli tutela mandat Dominus discipulos dormire, vt securos ab omni malo.

§. 6 Quare tàm magnus Patriarcha prosternens se in terra in signum magnæ reuerentiæ tres illos iuuenes hospitio recepit? Tàm insigni virtute erat præditus Abrahamus, vt quemlibet inueniret se præstantiorem, ac excellentiorem arbitraretur: indèque à se tanquam ab inferiori, omni reuerentia prosequendum fore existimabat. Adimplebat iam vir eximius in se documentum Apostolicum. Ad contemptionem, & inanem gloriam vitandam scribebat ad suos discipulos Paulus (ad Philipp. cap. 2. vers. 2.) vt alios, *Superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum*. Vbi D. Anselmus: *Optimè docet*, ait, *quomodo vitans contentionem, & inanem gloriam, & quomodo arbitrentur alios superiores, scilicet, si considerauerint, non sua bona, sed aliorum*. Vers. 2.

Etiam inferiores se sunt omni reuerentia prosequendi.

§. 7. Quare Abrahamo candenti sole tres Angeli obijciuntur numero discreti, sed mysterio vniti: *Apparuerunt ei tres viri stantes propè eum*; & infrà cap. seq. vers. 1. Lot gemini obijciuntur, illique sub vesperum: *Veneruntque duo Angeli* Vers. 2.

Digitized by Google

geli Sodomam vespere? Cur numerus alibi imminutus, & alibi incrementatus: quare alibi tenebrescente vespere, & alibi ardente Sole? Ipsa Sara quæstioni respondet: nam dum renuit castæ voluptati indulgere, indicat integro matrimonio Abrahamum, ipsámque matrimonij delicijs caruisse: *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Qui renunciauerant voluptatibus, tres Angelos intuentur; à Lotho duo tantùm, & sub vesperum spectantur: quasi fuerit castitatis prærogatiua plus de mysterijs cælestibus agnouisse; & clariùs, quæ viderit, spectasse. *Ex hoc patet*, inquir Alphonsus Tostatus, *quod diximus supra 15. capite, quòd postquam Sara excessit tempus, vsquè ad quod secundùm naturam concipere poterat, & muliebria ei fiebant: non fuit cognita à viro suo, sed de communi consensu abstinebant; & hoc erat eis sanctum, & laudabile.* Voluntarius spado pro cupiditate cælesti saluo matrimonio Abrahamus abstinentiam tolerauit: ideò plus dilucidiusque præ Nepote vidit: apud castrum hospites diuertunt cælestes non compulsi; sed spontanei: diuertunt apud Lot; sed quasi coacti, & vrbanitate compulsi: *Compulit illos oppidò.* Coniugalis castitas non fuit impedimento cælestibus; maior tamen puritas mysterijs nobilitatur clarioribus. Apud Abrahamum diuertit Trinitas, à Loto excipiuntur ministri: vt noueris pro castitatis modo spectari cælestia, clariusque agnosci diuina. Hoc idem probat Moyses pastor quondam in Arabiæ montibus, & postea populi imperator, & ductor: hic cùm bona fide ageret in deserto gregem, omnium ætatis suæ pastorum in curandis ouibus solertissimus: dum nulli labori parcit, vt lætiora, irriguaque pascua quæsierit, incidit in grande quoddam prodigium: nam rubus frutex inualidus, & spinosus flammis cinctus efflorescebat, & veluti fæcundis riuis irrigatus micabat: flammis coronabatur ardore flammarum sopito: quia internè Numinis ornabatur simulacro: inuolat Pastor; sed arcetur: Exodi cap. 3. vers. 5. *Ne appropies huc*: Qui modò retardatur, posteà montem adire iudetur ibid. cap. 19. vers. 3. *Moyses ascendit ad Deum: vocauitque eum de monte de monte.* Idem vocatur, & accedere prohibetur.

Sara, & Abrahamus vsu coniugij abstinebant.

Et cur qui ad colloquium in monte admittitur, ne rubo appropinquarit, sistatur? Quia anteà matrimonij legibus addictus, iam verò renunciatis voluptatibus segregatus. *Postquam prophetauit Moyses*, scribit Epiphanius lib. 3. aduersùs hæres. cap. 78. *Non ampliùs vxori coniunctus est: habebat enim vitam Domino vacantem: quomodò enim potuisset in monte Sina quadraginta noctes, ac quadraginta dies degere, si nuptijs addictus fuisset, aut quomodò posset quadraginta annos in deserto ad dispensationem Dei paratus esse, & sacerdotio vacare, & quomodo mysteria explicare, & colloquia cum Deo perficere, si nuptijs coniunctus fuisset?* Dum renunciat carnis illecebris, vocatur; dum non renunciat, longiùs arcetur: quasi pro castitatis mensurâ sacrorum dispensetur notitia, & approximandi taxetur etiam distantia.

Voluptates renunciandæ vt ad altiora spiritu ascendamus.

§. 8 Quare Abrahamus, qui magna erat stipatus seruorum caterua (ita vt trecentos domus suæ vernaculos contrà quinque reges armauerit: qui pro vxore filio suo quærenda seniorem domus suæ seruum in Mesopotamiam misit) aliquem ad hos tres vocandos viros non mandauit, sed ipse celeriter in eorum occursum festinauit? Eleganter tissimè dubium soluit Lyppomanus ibid. dicens: *Cucurrit, ne quis alius charitatis officium præriperet.* Quæ ad domus auctoritatem maiestatemue spectabât, vni famulo committere non dubitat; quæ verò charitatis erant, per seipsum exequitur. Vers. 3.

Charitatis officia per nos ministrentur.

§. 9. Quare, si Abrahamus hospitalitatis beneficium conferebat, protestatur illud accipere? Ait enim: *Domine si inueni gratiam.* Domini ingenium hauserat magnus ille seruus eius: & ideò donum, quod largiebatur, sibi persuadebat accipere; ac proindè dum domum suam in hospitalitatem offerebat, non iudicabat se aliquid dare, sed quid magnum recipere. Hæc est, mens S. Ioannis Chrysostomi qui homil. 41. in Genesim, sic eleganter scribit: *Si inueni gratiam in oculis tuis, hoc est, admirabile beneficium, das, non accipis, verè enim eiusmodi res est, quæ magis accipit, quàm dat.* Vers. 3.

Iuxta dum dat, sibi persuadet recipere.

§. 10. Quare Abraham agens cum tribus, cùm ablutionem pedum offert, in singulari loquitur: *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum*: Et Loth referens sermonem ad duos, in plurali profert verba: *Obsecro, domini, declinate in domum?* Quænam tanti arcani est ratio? Abrahamus; vt iam euectus ad summum sanctitatis apicem, illud magnum ablutionis pedum obsequium quod multis parabat, Vers. 3.

Animus liberalis magna dona in paucum reputat.

ita paruum, ac minimum appendebat, ac si vni tantùm persolueret. At Loth, vt non tàm perfectus, quòd multis præparabat, multa esse obsequia, est attestatus. Ad ostium dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ pulsans stat Christus Cantic. cap. 5. vers. 2. *Aperi mihi, soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Per rorem, ac guttas noctium cælestes gratias interpretantur S. Gregorius Nyssenus homil. 11. in Cantic. Catena trium Patrum S. Ambrosius lib. 3. de Virgin. Sed quomodo cælestes gratiæ, quæ in tanta abundantia communicantur Ecclesiæ, vt dicat Regius Vates Psal. 45. vers. 4. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei* guttæ appellantur, quæ vt explicat Catena trium Patrum, sunt stillationes quædam minutissimæ? Quomodo ergo hæc conueniunt? Psalmographus flumina dicit, & Christus eorum largitor, guttas, seu minutissimas stillationes appellat, qui eas in Ecclesiam suam mittit, & exindè multitudines cælestium aquarum in cunctos redundant. Aponius ad citatum locum Canticorum, sic scribit: *Quia inquit, rore sapientiæ, & scientia plenum est caput meum, aperi ergo mihi, piè, castèque viuendo, vt ad ingressum meum descendat in te ros, per cuius roris venam fontes, & flumina de tuo corde procedunt.* Sic eruditè Aponius.

Christus ingentia dona sua guttas appellat.

Vers. 4. §. 11 Quare Abraham Angelos hospitio recipiens sub arbore requiescere facit, & sub eadem quercu conuiuium parens vitulum apponit? Arbor illa erat ilex, seu quercus, dicit S. P. N. Augustinus serm. 70. de tempore, & ex eo Abulensis, & alij. Vitulus verò appositus in mensa Christum in Eucharistia præfigurabat, sic explicant S. Isidorus, S. Ambrosius, & alij apud Lyppomanum. Sed (ecce proprium dubium) quare sub ilice, cuius fructus in porcorum alimoniam cadere solet, Angelis ab Abrahamo paratur cæleste conuiuium? Anastasius Sinaita in libro, qui dicitur, Viæ Dux, dubium resoluit dicendo: *Vt iam sub quercu non bruta animalia, sed in cælesti mensa Angeli sedeant.* Homines, vt immunda animantia in humo pascebantur, & vbi ad cælestem mensam deuentum est, sublimantur, vt iam Angeli inueniantur.

Vbi homo ad Eucharistiam accedit Angelus fit.

Vers. 4. §. 12 Quare, si tot, & tanta animo præparabat Sanctus Patriarcha, in obsequium Angelis pollicetur, non aquam, sed *paxillum aquæ*? Insuper & ad lauandos pedes; vt notat S. Ioannes Chrysostomus non dicit aquam calidam, sed aquam: offert buccellam panis, seu fragmen panis, qui iam largam rerum copiam disponebat? Abrahamus liberalitate, ac magnitudine præclarus; vt liberalis, ampla, & ingentia præstabat; vt verò valdè magnus, tantam rerum abundantiam deprimit, ac attenuat, veluti nihilum reputans, S. Ioannes Chrysostomus ibid. dicit: *Abrahamus, quæ illis exhibiturus sit, extenuans res, & nihil esse vocans.* Lyppomanus inquit. *Liberalis hospes attenuat verbis officij impensas.* Recensentur Dauid à Nathan propheta multa, & magna dona, quæ Deus liberali manu illi contulit, & postea nomine ipsius Dei dicitur Dauidi 2. Regum cap. 12. vers. 8. *Si parua sunt ista, adijciam tibi multò maiora.* Ad quæ verba ait Abulensis quæst. 4. *Quòd si ipse Dauid indicaret in aliquo casu, illa esse parua, adijciam maiora.* Ex quo mihi insurgit dubium, an Dei beneficia sint magna, vel parua, Cur committitur Dauid iudicandum? Quare Deus sua infinita Sapientia hoc statuit, ac decernit? Ad quid Dauidis sententia exquiritur? Multa, & ampla beneficia Dauidi largitus est Deus; à Saul odio liberauit, ad coronam regni euexit, numerosa filiorum turba locupletauit, gloriosisque inimicorum trophæis insigniuit; hæc omnia ei à manu Dei erant concessa; & vtpotè dona propria, si ab ipsomet domino appenderentur, quodammodo nostro dicendi modo, considerata sua celsitudine, ac magnitudine, suoque erga hominem eximio amore, non tàm lata, & ampla censerentur; eligatur ergo Dauid, cuius iudicio res committatur, qui eorum præclaram eminentiam veneretur; nam si mensurentur per immensam Dei largitatem, qui valdè magnus, & mirabilis est in donis suis, aliquantulum parua iuxtà suam benefaciendi voluntatem, dicerentur.

Multa Dei dona præ magnitudine liberalitatis suæ dicuntur parua.

§. 13 Quare, si Abrahamus Dominum Angelorum, ac Angelos agnoscebat, panes apponebat? Ipse enim, vt valdè præclarus scientia, ac sapientia optimè perspicuum habebat, quòd nec Angeli materiali cibo vtuntur; ad quid ergo huiusmodi oblati panes? Dubium hoc est S. P. N. Augustini quæst. 34. in Genesim sic expositum, Quæritur si Angelos intelligebat, quomodo potuerit ad hanc humanitatem inuitare, quoniam refectio mortali carni necessaria Vers. 5.

est

est non immortali Angelorum. Vidit Sanctissimus Patriarcha Deum in domo sua cum Angelis, Dominum cum ministris, anceps, & perplexus hæsit, an ille aduentus esset ad aliquam beneficentiam, vel pœnam, ad donum, vel supplicium aliquod inferendum, vt res esset vndique tuta, & secura, ac immunis ab omni periculo, determinat offerre ei panem Eucharistiæ typum; sciebat enim quòd huius Sacramenti præsentia totius iustitiæ, seueritas abigitur, omnisque pietatis, ac clementiæ benignitas conciliatur, ac allicitur, & ideo pro timore excludendo, vt misericordia certissimè adesset panes offert in Eucharistiæ vmbram.

Vbi vmbra Eucharistiæ, declinatur ira Dei, & eius beneficentia descendit.

Vers. 6.

§. 14 Quare Abrahamus relicta Agar ancilla, dilectissimæ Saræ coniugi committit dicens: *accelera, tria Sata simila commisce, & fac subcinericios panes?* Hoc munus certò magis spectabat ad ancillas, quàm ad dominam: & cur magis ad Saram quàm ad Agar committitur? Agnouerat ipse: quòd negotium illud magnæ, & illustris virtutis erat, pro quo magnum donum, & præmium erat persoluendum; cùm ergo Saram multum diligeret, vt sociam vitæ suæ: voluit etiam eam habere, vt sociam meriti, ac mercedis; hoc confirmat Aureus Doctor adhunc locum scribens: *Quoniam sciebat boni operis magnitudinem, volebat vita sua sociam esse retribuendarum mercedum participem.*

Iustus vult suos habere socios, in merito, & præmio.

Vers. 6.

§. 15. Quare Abraham si Angelos cognouerat, offert aquam ad abluendos pedes? Quid habet ablutio cum Angelis, qui sunt meri spiritus? Pro huius dubij solutione intelligenda; memento superiùs nos dixisse ex SS. PP. auctoritatibus mensam Abrahami super quam vitulum parauerat Patriarcha, & panes figuram Eucharisticæ mensæ reportare. Hoc supposito, ad solutionem ergo optimè ait Abrahamus; *Afferam pauxillum aquæ, vt lauentur pedes vestri.* Angeli, etsi purissimi spiritus, vt ad Eucharistiæ mensam conueniant, oportet, vt abluantur; nam in Angelis suis reperit prauitatem, vt indè tu habeas magnam disciplinam, quali pectore eam debeas sumere; nam si puritas Angelica, vt ad typum hujus Sacramenti accedat, magis, ac magis, vt ita dicam, debet mundari, ac purificari; quantò magis tu, qui non figuram, sed ipsummet Sacramentum sumis, & intrà te recipis? Hinc intelliges ad quid Christus Dominus suorum discipulorum pedes lauauit surgens à cœna legali vti habetur Ioannis cap. 13. vers. 4. *Et capit lauare pedes discipulorum?* Communiter dicitur, quia volebat Dominus sacram Eucharistiam instituere, & suis Apostolis ministrare; atqui omnes ipsi Apostoli, vno excepto Iuda, erant in gratia, sancti, ac puri, vt colligitur ex ipsis verbis Christi Ioan. cap, citato vers. 10. *Et vos mundi estis, sed non omnes; sciebat enim, quis nam esset, qui traderet eum; propterea dixit; non estis mundi omnes.* Si ergo omnes erant in gratia, & omnes erant sancti; excepto Iuda; ad quid eorum pedes lauantur? Tanta mundities, ac puritas requiritur ad hoc cæleste conuiuium, vt etiam, ipsa sanctitas, ac puritas Apostolica videbatur exigua; & quòd magis, ac magis purificari, ac sanctificari debeat; magna erat sanctitas Petri, magna puritas Ioannis, magna Innocentia Iacobi, magna integritas Andreæ, Thomæ, Simonis, & aliorum; tamen vt diuini pabuli participes fierent, iudicauit æterna Sapientia Christi Domini Nostri quòd magis, ac magis debebant lauari, mundari, ac purificari.

Communicaturus puritatem Angelicam transcendat.

Puritas Apostolica, exigua ad Sacram Eucharistiam.

Vers. 6.

§. 16. Quare Abraham postquam Saræ mandauit, vt panes conficeret, statim cucurrit, & non expectauit, quid Sara responsi daret? Dicit enim Scriptura: *Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes, ipse verò ad armentum cucurrit.* Sanè sanctissimus Patriarcha optimè nouerat, quòd suo proposito exemplo, dum ad armentum cucurrit, in Sara ac familia nihil erat cunctandum, vt fieret, quod ab ipso iussum erat. In hac consideratione est Origenes homil. 4. in Genesim: *Ipse cucurrit*, ait, *vxor festinat, puer ac celerat, nemo piger in domo iusti.* Nam cùm ille curreret ad armentum, nullus poterat esse in domo, qui non laboraret.

Dum præsul laborat etiam subditi insudant.

Vers. 6.

§. 17. Quare si Abraham, & seruos & ancillas habebat, ad armentum ipse properat, & Saræ committit similam commiscere? Nonnè indecorum tali fulgentem maiestate, ipsum de agricolarum more, ex vsu, & consuetudine pastorum ad stabulum currere? Bubulcorum id est, nempè, vitulum accersere, non eius qui diademate fulgeret. Saltem cur non respicit ætatem & Saræ coniugis, & suam? Erat nonaginta annorum Sara tunc: parceret itaque vetulæ, quæ robur amiserat, & laborem ex mandris puellarum alicui commendaret? Equidem Abraham, & vxor illius ab adolescentia excelluere hospitalitatis

talitatis

talitatis gratia: & quoniam non tàm homines in tecta admittere, quàm Deum ipsum arbitrabantur, cùm seruitio ædes plenæ essent ipsi suis manibus omnia agere, nec vile iudicare ministerium, quod ob gloriam Creatoris exercebant. In hac igitur misericordia, quoniam, & iuuentam, & robustam ætatem consumpserant summa cum laude, ne iam senescentes viderentur ab antiquo recessisse honore, manibus suis conuiuio necessaria apparant. Bonus adolescens Abraham, nec peior senex. Alij vetustate sua, & multa potentia indigna reputent, quod manciporũ est, per se, & pedes venientium peregrè lauare, & cibos coquere hospitibus, Abrahamus inter decora, & encomia numerabit; nolit vitæ nouissimam periodũ dissimilem prioribus annis; ætas quantum vigoris eripuerat corpori, menti adiunxerat. Scribamus de S. Ioannis Chrysostomi textu, qui hom. 41. in Genesim sic scribit. *Quare enim, dic mihi, nulli famularum hoc præcipit; Sed mulieri tàm prouectæ ætatis? nonaginta enim annorum erat: non rebellas mandato Sara; sed parem alacritatem etiam ipsa affert: audiant viri, audiant mulieres: viri quidem, vt sic suas contubernales erudiant, vt si quando spirituales lucrum incidat, ne per famulos hoc perficiatur, sed per se ipsos faciant omnia: mulieres autem, vt festinent iuuare viros in tam bonis operibus, & non erubescant, aliquos excipiendo hospites propter Christum, illis congruum præbere ministerium, & per se ipsas afferre: sed imitentur sacram vetulam, in tanta senectute libenter suscipientem, & absquè famularum opera perficientem.*

Etiam vile sit, non vile est ministerium quod ad Dei gloriam exercetur.

Vers. 6. §. 18 Quare Abraham coctos tres panes sub cinere præstat tribus Angelis? Vt mensa præparata ternario testaretur arcanum, typo, quod latebat: *eò quòd* (solutio est D. Ambrosij lib. 1. de Abraham cap. 5.) *latere debeat omne mysterium, & quasi aperire Dei silentio, ne profanis temerè diuulgetur auribus.*

Cur tres panes in mensa apposuit Abraham.

Vers. 7. §. 19 Quare, si ipse Patriarcha tàm festinus ad gregem tendit, ipse etiam vitulum non tulit, sed hunc deferendum puero commisit? Vitulus ille, vt iam alibi diximus, Christum Dominum in conuiuio Eucharistico repræsentabat; & licèt ipse Abraham esset fide præclarus, tamen vtpotè senex statum veteris hominis adumbrabat. Datur ergo vitulus puero, in quo puerili ætate, innocentia, simplicitas, castimonia sinè corruptione veteris hominis exprimebatur. Non enim accipitur hic vitulus sola fide, sed vlteriùs, exigitur omnis virtutum decor, ac pulchritudo. Hoc totum venerabili calamo affirmat eleganter supra datus Mediolanensium Pastor scribens: *Vir currat ad boues, sumat vitulum, & Sacramentum Dominicæ Passionis festinato impiger studio, non lento otio remissus, accipiat: tradat illud puero, qui innocentiam teneræ seruet ætatis, dolum nesciat, referire non nouerit, incorrupti corporis castimoniam custodiat.* Vndè ad rem nostram notandum est quòd ad celebrandum Pascha mandauit Deus filijs Israel Exodi cap. 12. vers. 3. *Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas*; Quare potiùs agnum, quàm aliam pecudem? Quia Agnus iste Sacræ Eucharistiæ typum gerebat. Voluit ergo Deus, vt ipsa victimæ naturâ, qualem exigebat animum accedentis, innueret. Agnus simplicitatem, innocentiam, ac pudicitatem notat; hanc amplecti debet animus talem escam recepturus, vt illi sit proportionatus, & habilis, vtque tali cibo saginatus proficiat, ac viuat. Nam si cibus est comedenti improportionatus, non nutrimentum, sed nocumentum affert. Aureus Doctor homil. 1. de Passione: *Ad hodiernum conuiuium*, inquit, *qui frequentia solemni conuenitis, & cum Christi discipulis immolationem agni Pascha facere consueuistis; syncera quæso, & plena charitatis viscera diuinis exhibete mysterijs, nulla sit in mente duplicitas, ne liuoris libidine interior homo fuscetur. Agnus comesus agni innocentiam præferat, nec immaculata ouis membra lupina transfundat in viscera*: Hæc S. Ioannes Chrysostomus.

Ad Eucharistiam recipiendam virtutum decor requiritur.

Innocentia Agni ad Eucharistiam.

§. 20 Quare Lothus angustiorem (vt habetur seq. cap.) apposuit mensam duobus, cùm Abrahamus apposuerit lautiorem tribus? Ad Dubium intelligendum; notandum quòd post prandium Abrahæ, iam non tres Angeli, sed duo Sodomam ingrediuntur, quos Loth auunculi pietatem secutus comiter ad cænam inuitat; Domum intrant, & azymis recreantur; *Ingressis domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt*; & ibi notauit Lyppomanus Lothum non adeò splendidum, vt Abrahamus, instruxisse conuiuium; hic namque nec lac apponitur, nec vitulus paschalis defertur; *Frugalius*, ait, *quàm Abraham, Angelis Lot conuiuium instruxit, azyma coxit.* Igitur clarificato dubio, ad solutionem Vers. 8.

res-

respondeo: Innuit ni fallor, rationem textus: Abraham namque non amplam domum; sed tabernaculum sub arbore habitat angustum; Lotus verò ampliorem domum: ait namque: *Ingressis domum illius fecit conuiuium*: Qui ergo sibi pauperior, peregrinis fuit largior: qui paupertatis leges, non adeò religiosè secutus, minùs hospitibus generosus: Accipe S. P. N. Augustinum in sermonibus de tempore serm. 66. *Lucum arboris incolebat Abraham, sub qua constructum erat qualecumque suffugium; angustum quidem homini; sed sufficiens maiestati; dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas diuina pransura*. Abraham cibos apponit multiplices, & toto sapore conditos. quia ipse non amplam domum; sed tabernaculum habitabat angustum: at Lot frugaliùs Angelis præparauit conuiuium: quia laxiorem habitauerat ipse domum; *Multa millia seruorum*, scribebat Seneca epist. 18. *Multa millia pauperum faciunt*. Dum plures pompaticè viuunt, & constipati seruorum grege procedunt, nil habent, quod peregrinis erogent, quod miseris tribuant: quia ambitiosus omnia consumit fastus, & absumit appetitus. Adde de Christi Domini imitatione adaugeri diuitias, & de austeriori corporis tractatione abundare facultatum pauperibus copias.

Quàm plures pompaticè viuentes nil habent quod pauperibus tribuant.

Vers. 8. §. 21 Quare Abraham tribus viris peregrinis conuiuium parat non quidem in domo sua sed foris? Et cur non lares Abrahæ, qui proximi erant, introgressi sunt: Nam licèt in aprico sub camporum aspectu, quos natura lætis florum coloribus variauit, propè auium concentus, iuxtà iterlabentium aquarum penè eruditos sonos, vesci iucundum sit: sed hoc ad vesperam sanè, cùm Zephyri perflare incipiunt, vmbræ crescunt; non autem ad meridiem in ipso feruore diei, qua hora aduenerunt præfati tres viri. Quidem Benedictus Pererius Abrahamum excusat, quòd Tabernaculi spatia angustiora essent, neque eius ornatus, qui tam plenos caperet hospites; atquin hoc dubium satis; nam sub id temporis diues satis, & abundans erat Patriarcha, qui scilicet iampridem bello Reges aggredi non est veritus, numeratis in pugnam vernaculis suis trecentis decem, & octo: Ergo in mysterium illud quidem, sed quale tandem? nempè vitulo eo tenerrimo Saluatoris corpus Sanctissimum designatum Isidoro Hispalensi teste, Commentario in Genesim cap. 18. *Iste autem vitulus tener saginatus, Domini Iesu Christi est corpus; hic est vitulus Dominici corporis, qui pro peccatore in Euangelio occiditur*. His cognata Sanctus Ambrosius supra datus & Venerabilis Beda ibid. Diximus autem, vt hic condignè manducetur vitulus, foràs exeundum esse, deserendam esse carnis habitationem; & vbi Dominici corporis epularum figura, non intrà lares discumbitur, sed foris publicis in semitis arboris iuxtà truncum.

Vt condignè Dominicum corpus manducetur, deserenda est carnis habitatio.

§. 22 Quare si Sara ridendo delinquit effugit pœnam, & Lothi vxor Angelis stipata exemplum mansit in statuam salis conuersa vt seq. cap. habetur? Mira res: vel inter scelestissimos mansit illæsa, quæ perit foras educta, Fortè docere nos voluit Scriptura, quantum mulieri subsidium sit à Domus secreto, quamquam obnoxia viuat, vel Angelis stipata, extrà domus claustra, periculo Sara supplicium non tulit, dū ipsis Angelis abscondita, & tabernaculo clausa: *Vbi est Sara vxor tua?* Rogantibus Abrahamus respondit: *Ecce in tabernaculo est*. In tabernaculo leuiùs peccator, extrà vrbem grauiùs delinquitur: Lothi vxor extrà domum præceptum temerat, salisque statua publicitatis periculum, curiositatisque detrimentum sine voce cunctis declarat: Sara dum absconditur, fæcundatur: *Ecce in tabernaculo est, erat enim simplex*, scribit inibi Lyranus, *& verecunda, & ideò se non exponebat aspectibus hominum*. Non attendit ob nimiam ætatem iam transiliuisse periculum; sed mulieribris conditionis statum: Fœminas docuit senio etiam confectas tabernaculi agere custodiam, & adornare verecundia cautelam.

Vers. 9.

Fæmina abscondita maneat, vt viuat, ne vagans pereat

Fæmina etia vetula fugiat hominum aspectus.

§. 23. Quare Sara in Tabernaculo stabat, dum ab Abrahamo tres illi Angeli sub humana specie hospitabantur, absconsa, ita vt illi interrogarent *Vbi est Sara vxor tua?* Mirum sanè est, & valdè mirum quòd Sara, etsi olim pulchra, iam grandæua, coràm honestissimis hospitibus, quos domi alebant, nusquàm apparuisse dicatur; sed post ostium tabernaculi absconsa resederit, etiam postquam pij hospites, vbinam esset interrogarunt, vt illi fausta prænunciarent. Inurbanè videtur actum inciuilitate rusticana, & adhuc Sara post tabernaculi ostium delitescit, verecundiæ citiùs quàm vrbanitati consulens, aliqua inciuilitate pudoris modestiam exaggerans. Argutè S. Ambrosius,

Vers. 9.

Sit pudica fæmina non satis vrbana, vt sit satis verecunda.

sius,

Digitized by Google

fius, lib. 3. de Virgini, visitationes feminarum teriores esse cupit, ne vbi etiam abest libido, verecundia desit; *Teritur enim, inquit, officijs pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia soluitur: dum affectatur vrbanitas interroganti non respondere; infantia, respondere fabula est: Deesse igitur sermonem virgini* (cuilibet etiam pudoratæ feminæ) *quam superesse malo....Pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem*. Quid elegantius? Subindè affert Rachaelis exemplum, quæ cum ignoto tunc Iacobo, officia vrbanitatis incautè exhibuit, fletu illicò castigauit. Fletum non Iacobo, sed Racheli adscribens, ita fatur: *Quid Rachel? Quemadmodum extorto osculo fleuit, & gemuit? Nec flere desijsset nisi proximum cognouisset*. An non vides, quàm sit vrbanitas in feminis verecundiæ periculosa? Dum aliqua inciuilitatis nota inuritur verecundia, pudoris nitor micantiùs scintillat. Sit pudica femina non satis vrbana, vt sit satis verecunda. Exlex est pudor ab his cultæ ciuilitatis nugis, verecundiæ priuilegio. Quid disertæ vrbanitatis pretio, verecundiæ elogium nundinaris? Vrbanitatis commercium non fit sinè pudoris iactura. Hanc sententiam Virginibus Deo sacris, Mediolanensium Sanctissimus Pastor destinat.

Vers. 3. §. 24. Quare si Abraham tres obuios habuit Angelos, ait, *Domine* in singulari? Quidquid inibi referat S.P.N. Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 29. S. Ioannes Chrysostomus cum alijs; *Quid potest esse admirabilius?* Efferam cum Anastasio Abbate lib. contrà Iudæos, *Quid, quod magis Trinitatem declaret? Cùm enim, ait, apparuerunt tres viri, diuersitatem personarum declarat: cum verò ait*, Domine, *naturam vnam, vnumque dominatum. Quòd si dicas, vnum Deum esse; alios verò duos Angelos; deliras; quando enim serui cum Domino, sedere permissi sunt?* Strictiùs ergo Catena Græca ibid. *Vidit Abraham tres Angelos, typum Sanctissimæ Trinitatis, qui cùm essent eiusdem, si dixerim, substantiæ, eodemque honoris obsequio digni, eosdem, tanquam Deum adorat*; neque solùm, sed & tres subcinericios panes, comesturis illis vnumque vitulum apponit; *Tulit Vitulum, quem coxerat*, vt repetitis figuris, vnum in Trinitate, & trinum in personis Deum, cui famulabatur, iterum præmonstraret. *Tres mensuras similaginis promit, vnum immolat vitulum, satis credens vnum esse sacrificium, trinum munus, vnam hostiam, trium gratiam*; pulchrè S. Ambrosius lib. de fide Resurrect. & alibi; *Sara, inquit, vnius simila tres mensuras faciens, typum Ecclesiæ habet, cui dicitur; Lætare sterilis, quæ non paris. Hæc enim, quæ intimo spiritu fouet fidem, eiusdem diuinitatis asserens. Trinitatem, pari quadam mensura, ac reuerentia, Patrem, ac Filium, ac Spiritum Sanctum adorans, maiestatis vnitatem concelebrans, personarumque proprietates distinguens, hac fidei assertione, deuotionem tuam conspergit*.

Deus vnus in Trinitate, & in vnitate trinus vmbraticè ostensus.

§. 25. Quare si Abraham, & Sara senes nonagenarij erant, imò & coniux sterilis, dicitur, *& habebit filium Sara?* Miraberis sanè, & cum Sara ridebis; quòd ab hominibus sterilibus, & à senio confectis, ac è membris emortuis vitalissimum generationis opus sperari posset? Vnde seniles artus, sic potuerunt repuerascere; imò viuificari? Perpende in eorum domo celebratum esse conuiuium, vbi vitulus tenerrimus vmbra Sacræ Eucharistiæ appositus est; non ergo mirum quòd à cælesti conuiuio, vitarum fontes emanent, & artus iam demortui, ac senio confecti in vitam excitentur, sic enim à cælesti mensa omnia reuiuiscunt, vt mors ipsa conuertatur in vitam, & ex putridis cadaueribus homines reformentur vitalissimi. *Domibus*, sic eleganter Rauennas eloquentia scribit serm. 69. *ad Abraham velut hospes aduentat inuitatus tota dignatione succedit, oblata non respuit, apposita velut esuriens, & lassus assumit. Hinc est quòd emortua mox senis membra reuiuiscunt, steriles vetulæ iam viscera suscitantur extincta, & natura in viuo cadauere persepulta, proditura suum resurgit authorem, & generat plurimos per vnum*. Ex quo sapienter coniicit D. Amedæus homil. 1. de fructibus Sanctissimæ Virginis MARIÆ, quòd ex eo Adamus in morte incidit, quia comedit de ligno scientiæ boni, & mali, non verò de ligno vitæ, quod Sacram Eucharistiam adumbrabat, quia si de illo comederet nunquam mortem gustaret. Sic ait citatus Pater: *Inter has, & horum media consurgit arbor, quam diximus, salutifera generans cibum vitæ, & manna cæleste, Manna habens omne delectamentum, & omnem suauitatem, ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum*. Hoc remedio se poterat munire Adam aduersùs mortem à serpente quæsitam, si nimirùm vnam vmbram Eucharistiæ attingeret, ac gustaret.

Vers. 10.

Ab Eucharistia mortui excitantur in vitam.

Vmbra Eucharistiæ à morte nos defendit.

Vers. 10. §. 26. Quare ly, *reuertens veniam ad te tempore isto*, à Lyppomano vertitur: *Redire redibo ad te, sicut hora vitæ?* Tempus

pus ne viuit? Qua, rogo te, vita viuit tempus? Num vita hominis in illo viuentis? Opinor, etiam sic tempus emori. Heu tot annorum cadauera! At vix vna hora viua potiuntur tot homines qui seriò aiunt Sapientiæ cap. 5. vers. 13. *Nos nati continuò desiuimus esse*. O mortuas mortalium horas planè æternas! O vix vnam horam viuam mortalium! Sed aduerte quod & additur. *Vita comite*: quid est vita comite? Dubitat ne Angelus de æui sui perpetuitate? Scio recentiores Interpretes sensum verborum aliorsùm detorquere. Sed vnus pro omnibus S. Hieronymus ita explicat in quæst. Hebraicis, quo pacto Angelus dixerat: Reuertens veniam ad te tempore isto, vita comite: *Reuertar*, inquit, *ad te tempore vitæ, quasi dixerit, si vixero, si fuerit vita comitata. Hac autem antropopathcōs quo modo, & cætera.* Aduertis Angelum humano corpore, vel apparenter assumpto, dum loquitur de reditu ad Abrahamum post aliquos menses, semel, & iterum addidisse *Vita comite*, idest, *si vixero*. Timetne mortem immortalis Angelus, quia ad perbreue tempus, vel phantasiam corporis gestat? Sic mors, apparenter corporali vitæ insidiatur? sic fragilis, & caduca habetur Angeli vita sub mortalis apparentia corporis? O moralissimam hyperbolem!

Homines vix vna hora viua potiuntur.

Vers. 11. §. 27. Quare Abrahamus vir illustrissimus, omni virtute, fide, charitate, ac obedientia per totum tempus centum annorum (in quibus pro tunc vires defecerant) vt sterilis iam reputabatur, quòd pro magno opprobrio, pro tunc appendebatur? Quomodo ergo tantus vir, vt sterilis habebatur, quòd de antecedentibus patribus non inuenimus scriptum; tamen tàm diuturno elapso tempore, dedit Deus Abrahamo filium Isaac, ex quo nasciturus erat Christus, & in quo benedicendæ erant omnes gentes, & vt etiam Abrahamus ob suam singularem fidem diceretur Pater omnium credentium; si ergo Abrahamus cum Sara, vxore sua, sustinuit opprobrium sterilitatis per centum annos, & in hoc patribus antecedentibus poterat videri inferior; tamen postea Deus illustrissima generatione, sic recompensauit, vt fieret excelsior omnibus Patribus, tàm illis, qui ante ipsum, quàm ijs, qui post ipsum fuerunt, cum ob eius illustrissima merita, facta sit ei prima promissio de Incarnatione diuini ver-

Deus differt donum vt multipliciter recompenset.

bi, vt insigniter illius Pater diceretur, simulque Pater omnium credentium per fidem, magisterque pietatis. Indè Dominus differt promissam generationem, vt tantò eum extollat *In promissionibus moram facit, & differt vt hac potissimum ratione Patriarcha pietas demonstretur*. Verba sunt S. Ioannis Chrysostomi homil. 41. in Genesim. Eccè cur eum Euangelica Chananæa muliere (Matthæi cap. 15. vers. 27.) tàm rigidè, & asperè se habet Dominus dicens: *Non sum missus nisi ad oues Israel. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, quàm mulierem maximè dignam beneficio agnoscebat, dum exclamauit; *O mulier magna est fides tua!* Quia disponebat Dominus, vt dilatio beneficij maximè cederet in mulieris gloriam, vt non solùm filia sanitatem reciperet, sed vt etiam eius fides maximè esset exaltata, ac proclamasset, cunctis esse in exemplum, ac virtutis doctrinam, illiusque magisterium. *Sciebat* (sic bellè confirmat aureus Doctor homil. 44. in Genesim) *Dominus reconditam margaritam, quam latere nos nolebat. Idcircò differebat, nec responso dignabatur, vt posteris omnibus, mulieris sedulitas, magna fieret doctrina*.

Deus differt vt maiori gloria sit beneficium.

§. 28 Quare per tot modos declaratur Saræ infæcunditas? Nota promisit Deus Abrahamo filium ex coniuge Sara, & ait textus *Erant ambo senes, prouectaque ætatis; & desierant Saræ fieri muliebria*. Caietanus habet: *Desierat esse Saræ consuetudo mulierum*. Per triplicem ergo phrasim Saræ infæcunditas exprimitur. Primò senex, secundò prouectæ ætatis, tertiò fieri muliebria. Et sat non erat dicere, quòd prouectæ esset ætatis, vel quòd ei desierant fieri muliebria? Nil superfluè ponitur, ait interlinearis: Vt commendaretur miraculum, si pariat. Vt Dei miraculum in concedenda prole ex Sara sit euidentissimum absquè vlla suspicione, tot verbis Saræ sterilitas inculcatur. Vers. 11.

Dei non occultanda miracula.

§. 29 Quare, si risit Abraham, risit, & Sara de filio coniugibus promisso, increpatur Patriarcha quòd vxor Sara riserit, qui ob proprium coràm risum minimè increpatur? Quod in quæstionibus super Genesim acutè notauit S. P. N. Augustinus talibus verbis: *Quare risit Sara, &c. Arguitur Sara quia risit, & non Abraham, cum tamen superiùs similiter riserit & ipse*. Addit inibi Lyppomanus: *Sara autem ridendo, & dubitando peccauit, & tamen Angelus non statim eam increpauit, sed primò eius ma-* Vers. 12.

ritum sciscitatus est, cur ipsa risisset. Scilicet parùm fuisset, quòd Angelus sciscitaretur maritum familiæ rectorem, de subiectæ vxoris delicto, nisi causam perquireret delinquendi. Sic vxorum conscientia debet esse peruia maritis? Nec motiuum vxoriæ culpæ debet latere maritum? (hæc obiter perstrinxerim.) Et sanè cùm Abraham fuerit paterfamilias, & familiæ rector, tametsi eius risus absquè increpatione ferè negligitur; de subiectæ Saræ risu etsi occulto (risit enim apud *semetipsam*, vt exponunt SS. Hieronymus, & Chrysostomus) incunctanter arguitur, & rigido examine, vxorij risus causa ab eo disquiritur. Nimirùm adsimilis risus ei non imputatur, tametsi ipse riserat; at subiectæ Saræ risus non modò illi imputatur, sed & iubetur causam reddere, & motiuum euulgare, ob quod subiecta ei Sara, etiam occultè, & apud semetipsam, deliquerit. *Arguitur Sara, quia risit, & non Abraham, cùm tamen superiùs similiter riserit & ipse ...... Angelus eius maritum sciscitatus est, cur ipsa riserit.* Hem, sic subiectæ domus rectori, familiæ delicta imputantur?

Vxorum conscientia maritis peruia debet esse.

Vers. 12. §. 30 Quare risit Sara cùm potiùs esset lamenti causa filios parere, & partus doloribus subijci? Prouectæ iam ætatis Saræ atque vetula cogitur iuuencularum subire onera, & ridet? Quod grauius vectigal? Scilicet pares sarcinas facere annis fractos, cum adolescentiæ robore strenuis, & vigentibus! Sed quidem in Isaac Christus præfigurabatur; Sara canitie in domo Dei venerandas denotat animas: ô quale spectaculum est in cænobio, non debilitari longo tempore, non senectutis infirmitati cedere, sed meritis, & annis graues Christum bajulare non minori oblectamento, & iucunditate, quàm in viridis iuuentutis flore! Probè igitur Sara non indoluit, sed gauisa est, nihil expauescens ad nouem mensium in vtero sarcinam, ad partus descrimina, ad lactationis iniurias! *Ecce prima deuotio* (inquit S. Zeno Veronensis sem. 1. de Abraham) *Libenter excipere, quod serò datur, & in tristissima senectute susceptæ sollicitudinis mole gaudere; nam & risit Sara munus iuuentutis subiens in senecta, vnde nomen accepit infans*; Splendidè etiam de Sara atque Isaac Philo Allegoriarum secundo libro, virtutem ex Sara intelligens, cui numquam molesta sarcina modò bona, qualis Isaac, sub qua qui gemit, tepidum se esse demonstrat, nisi fortasse & peius aliquid: *Nam hic molestè* (loquitur de insipiente) *videt, audit, gustat, olfacit, & quocumque sensu vtitur: è contra virtutem inuenies cum ingenti gaudio gestare vterum; & bonum partum cum risu, ac animi tranquillitate parere, & fœtum hinc vtrique parenti hilaritatem afferre, &c.* Deinceps fusè Allegoriam prosequutus.

Magnum ad virtutem assequendam spectaculum est in Cænobio videre senes mortificationi, vt iuuenes incumbere.

§. 31. Quare dum Zacharias Præcursoris pater de se dicit, quòd sit senex (Lucæ cap. 1. vers. 18. *Ego enim sum senex*) castigatur (vers. 20. ibid. *Et ecce eris tacens*) dum verò Sara de se asserit. *Num verè paritura sum anus?* nullam pœnam recepit? Respondeo quia Sara antea occupata fuerat in peregrinis recipiendis, ac eorum cibis præparandis. Et quæ in misericordiæ operibus fuerat occupata, nil mali poterat experiri: nam sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Vers. 13.

Qui in operibus virtuosis occupatur nil mali experiri potest.

§. 32. Quare Dominus Saram de risu non reprehendit, sed ad Abrahamum ait: *Quare risit Sara?* Cur non ait ad illam: quare risisti? sed hoc ait viro suo. Diuino sanè consilio. Nam à mundi exordio datum est viro imperium super mulierem: *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tibi*, Gen. cap. 3. vers. 16. Ne ergo dominium, super mulierem, viro datum, Dominus vsurpare videretur; ideò non eam ad se aduocat, ac reprehendit, sed viro permittit, vt functiones suas adimpleat, atque vt eam arguat, & illius risus suggillet. *Quare* (ait Hugo de S. Victore in annotat. in Genesim) *risit Sara vxor tua? Virum increpat, quòd eius est, castigare vxorem suam.* Vers. 13.

Vxores subditæ viris.

§. 33. Quare iterum dixit Angelus: *iuxtà condictum reuertar ad te hoc eodem tempore vita comite?* Accipe supra datum S. Hieronymum *Vita comite*, idest, *si vixero*, & dic, quia Angelus si formam hominis assumeret timeret quodammodo, ne morti subiaceret. An verò Hyperbolicè loquutus Angelus, sic rigidè, ac indifferenter in homines armatum insinuans potentissimæ imperium mortis, vt si quem Angelum offenderet, non apparenter quidem, sed verè corporatum, ab eo non desisteret inuadendo? Quid mirum? & tamen ab hac morte quietem habent homines veram. Hæc seria cogitatione versarent, valde optarem, nostri reges, Principes, ac sæculi Magnates, in hoc mari mundi magno remigantes, altaque Vers. 14.

Morte cogitata omnia prosperantur.

mente

mente retinerent, nostrorum metam dierum, post mare hoc tandem transmissum, mortem esse, portumque quietis, de qua breui carmine Andreas Alciatus, de suo canit adhuc sepulchro, grandioribus in marmore characteribus in hæc insignito.

Hic portum attigimus, spes, & fortuna valete

Ludite nunc alios, nos tenet alta quies.

Vt nostris eruditi monitis, sic portum attingant vitæ extremum suæ, vt placidè conquiescant, de quo Plinius lib. 25. Natural. histor. cap. 23. & lib. 28. cap. 1. *Ea vita conditio est, vt mori plerumque etiam mortuis portus sit, & præcipuum naturæ bonum*, ad quod & Boetius velut nostrorum mercedem inuitat laborum lib. 3. Met. 11. in hæc occinens.

Huc omnes pariter venite capti
Quos fallax ligat improbis exteris
Terrenos habitans libido mentes.
Hic erit vobis requies laborum
Hoc vnum miseris patens Asylum.

Ita prosperè continget in morte Regum, & Principum, & omnium, si futuræ imagine mortis impleti, viuere nouerint vt morientes, & vixerint, vt morituri, sic enim monebat Siluius Palladius in suo Epitaphio

Fui, non sum; estis, non eritis
Siluius Palladius
Vt moriens viueret
Vixit, vt moriturus.

Vers. 15. §. 34. Quare in Scriptura non solùm defectus Saræ scribitur, quòd riserit, & negauerit, sed etiam statim exprimitur eius excusatio, timore perterritæ? Quod notauit Lyppomanus. *Non leuis fuit*, dixit, *sed terribilis Domini correptio ad Saram, sed excusatur etiam ab ipsa Scriptura, quia timore erat perterrita*. Elegit Dominus Saram, vt esset vxor Abrahami, ac Patriarcharum, & totius populi electi mater, & quem Deus tanto honore sublimauit, ne aliquo crimine deturpata sit, eam à crimine excusat, ac purgat. Docens nos, ne, quando aliquem honorare velimus, dedecoremus.

Quem vis honorare caue ne dedecores.

Vers. 15. §. 35. Quare Angeli grauatè ferunt quòd Sara rideat, risum, hoc est, Isaacum parituræ? Isaac autem *risum* significare, nemo est tàm biblicè imperitus qui nesciat. Imò rideat Sara antequam Isaacum, idest, risum concipiat; rideat cùm vterum gerit, Isaaci grauida; corrideant illi quotquot prægnantem vident, quotquot peperisse audiunt, cernuntque in senecta diù iam effæta, risum lactare. Sed negauit Sara, dicens: non risi: timore perterrita. Quid metuit? Cur timet? Pulchrè Hebræus Philo ibid. *Sara se risisse negauit, veritane gaudium, quod vni Deo conuenit, solius Dei rem vsurpasse videretur.* Scilicet cùm gaudium Deus largiùs donat, cùm Abrahami familia risu lætanter hilarescit, de optatissimi Isaaci ortu, quo tota domus gaudijs exundat; tunc velut gaudij auarus, expostulat de Saræ risu, & quasi Saræ risum inuiderit, illum sibi nuncupatim vsurpat, quasi illum vberiùs vsurpet, cùm largiùs donat.

Gaudium humanum solius Dei est, & quasi rem suam Deus vsurpat.

Vers. 16. §. 36. Quare Angeli deducuntur per viam ab Abrahamo ne abberrent? dicit enim Scriptura. *Hi cùm surrexissent indè, direxerunt oculos contrà Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens eos*. Angeli sancti, in quibus iuxtà multorum sententiam, vnus erat Deus qui omnibus ducatum præstat; requirebant ductorem, ne à via aberrarent? Minimè sanè, præcipuè cùm Abrahamus in Angelis Deum recognosceret. Ea mihi nunc est ratio, quòd Deus voluit à iusto deduci, eique veluti obedire, vt iustum honoraret. Vnde S. Ioannes Chrysostomus homil. 42. in Genesim ait. *Vide Domini misericordiam, quanta obsequela vsus est! simul & iusto honorem impendit.*

Deus vt iustum honoret quasi ei obedit

Vers. 16. §. 37. Quare si Angeli Sodomam petebant ad quid notat diuinus spiritus, quòd in illam direxerunt oculos, qui enim aliquo tendit, eò oculos conuertit; quorsùm ergo exprimitur ly *direxerunt oculos contrà Sodomam?* Secundùm suam radicem non solùm denotat quocumque modo aspicere, sed attente, & multa efficacia, cùm enim irent ad sententiam ferendam, ac ad supplicium infligendum infami ciuitati, dicitur quòd *direxerunt oculos*, vt eos multa consideratione, ac examine cuncta inspexisse innuatur. Pondera, quòd *direxerunt oculos* non tantùm cùm ingressi sunt Sodomam, sed cùm egrederentur è domo Abrahæ, quæ iuxtà Andriomach, & alios, plusquàm vna Leuca distabat à ciuitate, quia iudex totam rem debet rimari, non solùm è proximo, sed etiam è longinquo, ac remoto, tanquam à sua prima radice; & processerunt ad hoc negotium non vnus Angelus, sed tres, quia quamuis iudex sit pollens scientia, veluti Angelus, tamen in inuestiganda causa, debet agere non vt vnus, sed vt tres, & plures: sic tàm circunspectè peragunt in hoc negotio Angeli Dei ministri, quam-

Iudex profundè multipliciter rem desentiat.

quamuis multiplicatus clamor Sodomæ ad eum peruenerit. Vndè ait ad rem nostram non impropriè Innocentius III. in quadam decretali: *Quòd si per clamorem, vel famam ad aures Superioris peruenerit defectus alicuius, nec semel tantùm, sed sæpè, quod clamor, & diffamatio innuunt, quòd & debet coram Ecclesiæ superioribus veritatem diligentiùs perscrutari, & si rei poposcit æqualitas canonica, vltio fiat de culpa delinquentis.*

Vers. 17. §. 38. Quare si Abraham tàm à Deo sublimatur & promissionibus, & præsentia, se terram & lutum profitetur? Quia Iustus exaltatus humiliatur. Hoc rectè expendit Aureus Doctor in cap. 1. Isaiæ ad illa verba: *Væ mihi quia tacui*. Sic eleganter scribens: *Tales sunt omnes sancti, si quando quopiam cumulatiori potiuntur honore, tunc demissiùs se deijciunt; ad hunc modum se gessit Abraham, sermonem enim faciens cum Deo, se vocabat terram, & cinerem.* Quod patet: Tres pueri in fornace Babylonica inclusi ad diuinas laudes inuitant omnes creaturas, etiam valdè humiles, vt gelu, frigus, terram, & omnia animantia tàm terrestria, quàm aquatilia; se quoque eidem choro, omnium tamen vltimos, ac nouissimos, addiderunt dicentes Danielis cap. 3. vers. 88. *Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino*. Et cur non potius omnium primi ad hanc harmoniam prouolarunt? Videbant ipsi, quòd creaturæ tam cælestes, quàm terrestres, ei inseruiebant, Angelus descendit de cælo, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem. Ignis eos non tetigit; tenuis aura recreabat in medio fornacis, supra totius naturæ cursum; quomodo ergo cuncta etiam abiectissima sibi ipsis præferunt? Quantò magis iusti; natura admirante, super vniuersa erant eleuati, tantò se omnibus inferiores, & abiectiores agnoscebant: indè in hoc choro sibi vltimum assignant locum: hoc acumen est Theodoreti orat. 3. ad hunc locum dicentis: *Quia se ipsos vltimos eorum omnium, quæ creata sunt, existimabant, & omnium hominum abiectissimos*. O verum humilitatis exemplum!

Iustus exaltatur humiliatur.

Vers. 17. §. 39 Quare Abraham non alio quidem tempore quàm cum familiariter cum Deo loquebatur: *Loquar*, dixit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis?* Ad cur hanc de se vilitatem non agnoscit, non fatetur, cùm plurimas huius vitæ miserias expertur, cùm in Ægypto peregrinatur, cùm extrà patriam fame, inopia, insidijs, pluribusque alijs laboribus exercetur? Ratio planè est, quia ad illius supremæ maiestatis præsentiam, humanæ infirmitatis conditio clarior innotescit. Ita confirmat ibidem Hebræus Philo: *Qui ad Deum accedit, & illius felicitatem agnoscit, & suam inopiam. Nam & Abraham postquam ad Deum accessit proximè, mox cognouit se esse terram, & cinerem.* Numquam meliùs temporalia bona, quàm ex cognitione æternorum patefiunt: tunc manifestior deprehenditur horum vilitas, quando illorum dignitas attentiùs cogitatur. Sic & Dauid. *Credidi*, inquit, *Propter quod loquutus sum, ego autem humiliatus sum nimis*. Psal. 115. vers. 50. Quasi diceret, mihi per fidem diuina mysteria, æterna bona, cælestia præmia, pluraque alia supernaturalia arcana innotuere. *Credidi*. Sed quo metam profunda contemplatio induxit? Planè ad loquendum, & confitendum. *Propter quod loquutus sum*. Quid nam verò? Illane cælestia bona, quæ mente assequutus fui? Absit. Nam illa arcana verba non licet homini loqui. Ergo quid? meam sane vilitatem, & humilitatem. *Ego autem humiliatus sum nimis*. Nam illa supremæ bonitatis cognitio me ad meam infirmitatem, & inanitatem, non solùm cognoscendam, sed etiam manifestandam impellebat. Ita D. Chrys. ad eam Psalmum: *Quisquis*, inquit, *indicibilem Dei maiestatem oculo cordis contemplatur, & cognoscit Deum, homine tantò sublimiorem, quantò cælum formica sublimius: nihil mirum, si obstupescat intra se, & dicat, Ego autem humiliatus sum nimis*. Quod statim prædicto Abrahami exemplo confirmat. *Vndè*, inquit, *& Abraham in comparatione Dei, & terram esse, ac cinerem dicebat*. Et vlteriùs probat à contrario. *Contrà verò*, inquit, *quia nascitur Dominus, nascitur superbia, scriptura testante* (Eccles. cap. 10. vers. 14.) *Initium superbia est nescire Dominum*; sic enim legit S. Ioannes Chrysostomus, quod in vulgata est, *apostatare à Deo*. Itaque qui æterna bona cognoscit, terrena, vt vilia & inania contemnit.

Ad supremæ maiestatis præsentiã humanæ infirmitatis conditio clarior innotescit.

§. 40 Quare Dominus Abrahamo exitium sodomitarum reuelauit? An vt exoraret? Frustrà quidem erat oraturus, sed non frustra exercendæ charitatis diuo offertur materia. O quàm arctæ amicitiæ signum, cùm Deus dat tibi segetem meritorum, cùm laboribus exercet, cùm præsentat afflictum, Vers. 18.

vt af-

Digitized by Google

vt affici possis compassione. Vel dic Dominus Abrahamo dixit *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum*, &c. Quia Patriarcha pater futurus erat omnium nationum, quas directurus erat in benedictiones diuinas, sic Deum tenuit, vt illi magnalium suorum Thesauros aperiret. Hæc est enim Dei notissima æconomia, quòd sese aperiat, vel obstringat homini iuxtà maiores, vel minores fructus, & vtilitates ex illo in alias profecturus.

Lex amicitiæ postulat secretorũ communicationem.

Vers. 19.

§. 41 Quare dixit Deus Abrahamo: *Num celare potero. Quæ gesturus sum?* An non plura, ipsaque per illustria merita abundè in Abrahamo eminebant, quibus præfatam gratiam accipere mereretur? Quin & illos etsi ignotos, ex itineris æstu, & inædia velut nimis defatigatos, liberalissimè exceperat non hic fauor oportuniùs foret hospitalitatis stipendium; Gratitudinem beneficio adnectere ingenui animi potiùs documentum foret, quàm ob futura exinceps merita præmaturè gratiam elargiri. Quid nouo beneficio Abrahamum obligare cupiunt, cùm liberalissimæ hospitij gratiæ nec dum plenè satisfecerint? Tantane meritorum excellentia apparet in Abrahami suasorio virtutum sermone ad posteros, vt recentis hospitij, & antiquæ fidei, & nuperrimæ semper pietatis velut obliti piæ ad virtutes adhortationis duntaxat meminerint? Et sanè Religiosior hæc suadela, qua suos ad omnem pietatem instruet, instruendorum potiùs multiplex meritum haberi posset, quàm vnius adhortatoris virtus; cum de non bono vitijs corde, bonum sermonem hypocrhisis aliquando concinnet. Ecquod tantum virtutis meritum in hac Abrahami ad posteros exhortatione prælucet, vt quasi meritorum eius cumulus æstimetur, vt tanta illi gratia beneuolentiùs exhibeatur? Audi Emissenum eleganti ingenio, & calamo homil. 4. de Epiphania ita scribentem. Studete, inquit, filios ad domini seruitutem, quæ nobis sola est causa viuendi, non lingua erudire, sed vita: audiant vos, videant vos: vt quæ iusta, quæ honesta, quæ sancta sunt vobis sectantibus, & amantibus, in amore consuescant (attentiùs inspice, & reuerentiùs suspice verba quæ subdit Emissenus, ipso dignissima, & ad rem præsentem in paucis tempestiua) *Duplex vobis commodum erit, cùm salus ad filios vestros de vestra salute transferit: vt cùm per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur, hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur: & magis dum transfertur, acquiritur: at miro modo, & transmittitur, & retinetur, siquidem salubri iucundoque commercio, & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est: scio, inquit, quia Abraham præcepturus sit filijs suis, vt timeant nomen meum.* Pudet, & piget rudiori stilo cruditam Emisseni elegantiam deuenustare; purpuram suam de soloce nostra resarcire viderer. Procliue est cuique prælucentes clarè sententias ad rem obseruare; nemini illas pro dignitate expendere.

Meritum quod semper durat est filijs virtutes imbibisse.

Magis exemplo quã verbo instrui tur.

Vers. 20.

§. 42. Quare ad insinuandum quòd clamor Sodomorum ad Deum vsquè ascenderit exprimitur ly Dominus, dixit itaque Dominus? Caietanus sollertiùs perscrutans hebræum verbum quod subest pro ly Dominus, dubium soluens ita scribit. *Tetragammaton est, ad insinuandum quòd ipsum principium essendi, est etiam principium destruendi Sodomam & Gomorrham.* Primum, & summum principium essendi, est etiam principium destruendi salacissimos sodomitas; valdè exaggeratur supplicij acerbitas, cùm non à Deo vtcumque; sed à Deo, vt est primum, & summum principium essendi, infligi perhibetur.

A primo & summo essendi principio libido punitur.

Vers. 20.

§. 43. Quare dicitur, quòd clamor Sodomorum multiplicatus esset, & peccatum eorum aggrauatum? Erantne Sodomis iusti aliqui, qui iustitiæ zelo flagrantes, vltrices Deo funderent preces, & precario clamore flãmarum nymbum è cælo exposcerent? Negant meritò Interpretes, qui Sodomorũ peccata linguata putant, & quæ ingenti clamore suppliciũ acerbius exposcant: ambigunt tamen quænam sint hæc clamosa peccata, quæ ænormitate cælum tundant, & præproperam duriùs vindictam à Deo extorqueant? S. Gregorius lib. 5. moralium cap. 7. *Peccatum*, inquit, *cum voce, est culpa in actione; peccatum cum clamore, est culpa cum libertate; & iactantia.* Quasi impudens in peccando licentia impunè exlex, & inuerecunda de scelere perpetrato iactantia, sit peccati ad Deum clamor, qui vindictam inclamet, & festinatam vltionem extorqueat. Addit S. P. N. Augustinus in Locutionibus indidem: *Clamorem Scriptura solet ponere pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore absondatur.* Quod explicatiùs, & opportuniùs edisserit nuper laudatus Gregorius in Pastorali

Quid sit peccatum linguatum.

Digitized by Google

florali par. 3. cap. 32. vbi ita scribit: *Clamor Sodomorum &c. Cùm enim prauus quisque impudenter innotescit, quò liberiùs omne facinus perpetrat, eò etiam licitum putat: & quod licitum suspicatur, in hoc proculdubiò multipliciùs mergitur. Vndè scriptum est; Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Peccatum enim suum absconderet Sodoma, si adhuc cum timore peccaret. Sed funditùs frena timoris amiserat, quæ ad culpam nec tenebras requirebat.* Itaque eò nequitiæ deuenit Sodoma scelestissima, vt licentia peccandi flagitijs diu adsueta, enormius peccatum sibi fore licitum reputaret, imò & se de impudentiori procaciter nequitia iactaret sumptuosiùs; quasi flagitiosiùs delinquere, foret nascendi gratia, & potentiæ gloria. Hoc malitiæ pelagus naufragijs hiat his, qui funditùs frena timoris amiserunt; qui nec verecundia nec timore, quem à se longiùs excusserunt, reguntur. In hoc nequitiæ barathrum præcipitant, qui Dei timorem, tamquam bonum morum aurigatorem, nec sciunt, nec volunt. Hùc hùc diuini timoris absentia infeliciter deducit, trahit, præcipitat. O' caue!

Absente Dei timore in omne facinus erumpitur.

Vers. 21. §. 44 Quare ab Angelis, postquam à domo Abrahami procul abeunt, tunc de subuersione Sodomorum pertractatur? Cur non quandiù in ipsa domo commorantur? Sicut de prole habenda factum, cùm hoc negotium de Sodomis pertineret ad Loth consobrinum eius. In domo aderat mensa cum pane, & vitulo in tytum corporis Christi, vt ex D. Ambrosio, ac alijs Patribus iam supra dictum est. Ad præsentiam autem tanti Sacramenti omnis ira diuina sopitur, ac præteritur, & solùm dona, ac benedictiones commemorantur. Fauet hic Glossa Interlinearis: *Cum ergo surrexissent viri, indè direxerunt oculos contrà Sodomam. Quia cùm Abraham tractauerant de futura misericordia, iam contrà Sodomam iudicium intentatur.*

Ad præsentiam Eucharistiæ diuina ira prætermittitur, & dona largiuntur.

Vers. 21. §. 45. Quare dicit Deus (cum omnia illi nuda, & aperta sint) descendere velle vt videat Sodomorum crimina? An fama Sodomitici sceleris Angelorum ore in cælos sparsa, mendax esse poterat? Deus ne, quæ ipse audit, refutat, & credere visis satiùs, & tutiùs censet? Num diuinæ aures audiendo falli possunt? sapienter Philo inibi: *Descendam, & videbo: Vt doceamur moneamurque, nequis homo de absentibus rebus, & incertis putet se posse certam coniecturam facere, sed propiùs introspecto negotio diligenter cuncta perlustret: Visus enim certus potiùs quàm fallax auditus, testis adhibendus est, quapropter in optimè constitutâ Republica lege cautum est, ne quis audita dicat pro testimonio, quia iudicium auditus naturaliter facile est corruptoribus.* Quare concludit: *Ad manifestam veritatis perceptionem longè minùs quàm visus idoneus habeatur auditus, cùm sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam cur descendisse dicatur Deus.* Facundè pariter, ac moralissimè Philo.

Non auditur, sed visus ad testimonium adhibendus, quare?

§. 46 Quare Sanctus Patriarcha auditas filiorum calamitates (Gen. 15. vers. 13.) veluti contemnens ora premit, & pro Sodomorum miserijs tàm vehementer aperit? Dicit enim Scriptura, Abraham verò adhuc stabat coràm Domino &c. Cardinalis Cusanus l. 11. excitat. *Plus, ait, pro alienis, quàm pro filijs loquitur?* Tacet ad filiorum captiuitatem, in homines enim, ac filios suos tyrannis erat exercita; pro Sodomorum autem miseria erat, audiuerat namque in Deum esse peccatum, & ideò viscera eius vehementiùs sunt commota. Vers. 22.

Abraham cur pro Sodomitis orat, & pro filiorum captiuitate taces?

§. 47 Quare, si puluis, cinisque Abraham, demeretur colloquium, non veretur accessum? Supra dixerat *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.* Et modò de eo dicit scriptura: *Appropinquans ait: Numquid perdes iustum cum impio?* Certè Abraham à se ipso diffidere videtur. Huc vsquè adstabat reuerenter distantior, ergo modò non approximet propinquior; se namque dejicere, proximiùsque accedere est verbis opponere facta, aut factis eludere verba. Imo ob id accessit propinquior, inquit S. Basilius Seleucus, quia se deiecit depressior: ea namque est humilitatis conditio, vt dum alas velociùs agitat versùs ima, ascendat ad superiora, & arcano prodigio eisdem gressibus; quibus videbatur petere ima, conscenderit celsa. Attende D. Basilium orat. 28. *Quantò fastum comprimit, tantò gratiam attrahit, & modus amplificandæ gratiæ, est humilitatis vis.* Ea est vis humilitatis, inquit, vt eius sectatorem, promoueat, &, dum se furatur dignitati, dignitati amplificatum restituat, & cæteris anteponat. Videbatur Abrahamus à cælesti maiestate vti puluis, cinisque remouendus; accessit tamen propior, dum humilior, & qui lauta mensa peregrinos pascens aliquantulum distabat. Semotus, humilitatis merito iam approximat naturæ terminos super- Vers. 23.

Humilitatis ea est conditio vt dum magis descendat, tanto plus ascendat.

supergressus, & quantum homini fas, Domini colloquio dignus: *Modus amplificandæ gratiæ est humilitatis vis*.

Vers. 24. §. 48. Quare Abraham diuque pijs altercatus interrogationibus Deum, nec verbum tamen vnum de cognato Lot, nec pro eius interpellat salute, ne vniuersalis supplicio incendij comburatur? Verebatur Sanctus Patriarcha si pro cognato deprecaretur, non Dei quidem in vrbium incolumitate puram à se quæsitam gloriam, sed peculiaria commoda ob parentem vindicatum; quò itaque erga Numen liberalis appareat, dum non suum bonum spectat, sed Dei tantùm honorem, omisit instare pro Lot. At videamus Sodomæ exitum: consumptis habitatoribus & loco, seruatur Lot; cuius obsecro ob gratiam? Percipe ex capite decimonono seq. vers. 29. *Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Lot de subuersione vrbium, in quibus habitauerat*. En iustus fuerat Lot, en misericors, nam ad hospitium inuitauit Angelos, & tamen neque pietati ipsius, neque amori in hospites, quòd seruatus sit, tribuitur, verùm meritis Abrahæ; sed num Patriarcha pro Lot intercesserat? Imò profectò, quia non intercessit. Intuens enim Deus liberaliter omninò fecisse Abraham dum cognati salutem velut negligit, quò Dei solam ambire gloriam appareat, ipse etiam liberalitate vicissim certat; quare licèt Abraham non exorauerit, illius ob causam Lot seruatur, eximia proculdubio liberalitas Numinis, cùm ne quidem preces aliquas exiguas fundenti, id quod optatissimum esse possit, conceditur. Nam quid iucundius Patriarchæ, quàm fratris filium tàm diris eripi malis? Rupertus Abbas lib.6. in Gen. cap. 4. ad rem dicit: *Quia videlicet, quod extrà laudem iusti iudicij Dei homo sapiens à Deo suo petere nec vult, nec debet; adeò non suam quæsiuit voluntatem, vt quantumcumque haberet curam pro nepote suo Lot, nullam tamen os eius de illo fecerit mentionem*. Atque Oleaster in cap. 19. Gen. in illud recordatus est Deus Abraham &c. scribit: *Misericordior est Deus in consanguineos iustorum, quàm ipsi sint in eos; non legimus Abraham pro nepote orasse, & legimus*. Deum eius gratia eum ab incendio liberasse.

Non prius, sed solius Dei honor quærendus.

Iusto quid non concedit Deus etsi non petat?

Vers. 25. §. 49. Quare Deus non reprehendit Abrahamum ei consiliantem dum dicit: *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio*? Nemo enim ex humanis principibus, imò ex minoribus præfectis, æquo vultu, & ore pacifico, hæc vltronea consilia densè aggesta, forsan toleraret; sed tædio intempestiuæ, & contentiosæ admonitionis, fastidiosè admonitorem abijceret. Quid homo suggerat, quod consultissima Dei perspicacia non præuideat? Quid, quòd eius fugiat prouidentiam? Imò quis non fastidiret hominem, toties iustorum numerum ad veniam frustrà minorantem? O! disce hîc in Deo consultissimam humanæ prudentiæ in Gubernatoribus ideam, quam & acutè vidit, & moralissimè Rupertus pandit, dum exponit præfata verba: *Absit à te vt rem hanc facias ... nequaquam facies iudicium hoc*, sic fatur Rupertus: *Proindè mitis, ac misericors Dominus, monitorem hominem non aspernatus, & quodammodò arguentem non dedignatus, eius petitioni admisit*. O hinc discant Prælati, superiores discant, non fastidire, aut dedignari pium admonitorum zelum; sed de pacatæ prudentiæ genio, eorum monitis adnuere, consulto politiæ obsequio! O bonam Abrahami admonitoris morositatem, quæ hanc Principibus, & Superioribus eruditionem elicuit de diuinioris prudentiæ adytis exemplarem! Dei Angelus, Dei vicesgerens, vel Deus ipse apparentem hominis formam assumens, non ex audientiæ incerto (loquitur humano more) sed de oculorum euidentia, Sodomæorum flagitia seueriùs punire decernit: & Abrahamus in admonitoris se officium iniussus ingerit; semel, iterum, tertiò, & vltrà etiam, supplicium auertere pia satagit admonitione, etsi humili, contentiosa satis, & quæ hominum mitissimum quemque ad fastidium, iracundiamque prouocaret. *At mitis, & misericors Dominus, monitorem hominem non aspernatus, & quodammodò arguentem non dedignatus, eius petitioni adnuit*, vt mansuetudinis formam superioribus offerat, ne vel ad morosam admonitorum importunitatem aliquandò nauseent. Gratis auribus cuiusuis monita excipiant, ne fortè de supercilij fastuosi horrore, salutari sæpè admonitione fraudentur, magno regiminis impendio.

Mitissimus Deus Gubernatorii idea, Admonitorem morosum sustinet.

§. 50 Quare Abraham inquit Deo, *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram*, nequaquam facies iudicium hoc? Deus seueriùs castigare Sodomæos decreuerat, etsi rei merita id exposcerent; Abraham piè quidem pius consiliarius, Vers. 25.

Digitized by Google

liarius, qui vel irato Principi maluit de leoitate adulari, quàm intentatos fouere iustitiæ rigores. Sed ad examen vocanda est Abrahami ratio quæ supplicij acerbitatem auertit: *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram*. Imò quia Deus omnipotens omnipotente iustitia iudicat omnem terram, negligere non debet impunita tot Sodomorum flagitia: Pereat potiùs vnus, aut alter innocens, forte nocentior futurus, ne cunctus populus vitijs insolescat. Audiendus est Mariana antiqui æui recens scriptor: *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram: Quasi dicat: Non est iudex superior, ad quem sit prouocatio, ideò mitis esse debes*. Vide nouum in Deo lenitatis titulum. Quasi vastior ditio, amplior iurisdictio, & maior indè potentia, iras Principis auertat, supplicij seueritatem mitiget, & lenocinetur pietati. Suprema potestas, à qua nulla est appellatio, iure suo clementiam exigit, maioris, & amplioris potentiæ titulo. Scilicet non tantùm misericordia, sed & potestas summa Dei, diuinæ iustitiæ rigores temperat, & allicit ad clementiam. Consultissime ergo dixit Abrahamus *Non est hoc tuum: qui iudicas omnem terram*: Nam maior potestas irremediabili plaga ferit, à quo non est prouocatio, nec executionis procrastinatio, sit consultior sententia: qui omnia potest, cunctatiùs io supplicijs infligendis procedat: oe maior potentia inconsulti furoris, nulla vi remediabilis, suspecta sit: ne vt iustitiam afferas, apud homines omnipotentiam deuenustes. Minùs licet, cui omnia licent: nec quidquid fieri licet, facere expedit.

Sit consultior sententia, ne sit precipitior.

Vers. 26. §. 51 Quare tot ratiocinationes inter Deum, & Abraham de supplicio Sodomæ, & Gomorrhæ ciuitatibus infligendo? Quia Deus quasi nesciens impietatem Sodomorum iustos requirebat, vt suam clementiam sceleratissimis illis hominibus ostenderet. Et quid non pateat Deus etiam nequissimæ ciuitati in qua fuerint viri iusti? Israelitæ nequissimi sæpè irritauerant Dominum, vel pro aqua, vel pro panibus, vel pro carnibus. Interea Deus attulit illis coturnices, vt ait Numer. cap. 11. vers. 18. *Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis* (vers. 19.) *non vno die, nec duobus, sed quinque, aut decem, nec viginti quidem* (vers. 20.) *sed vsque ad mensem dierum*. Magna hæc Dei beneficentia in homines perditissimos, qui denique interimendi erant ob flagitia sua. Sed quando interimendi erant ob flagitia, cur eos statim in primo, aut secundo die datæ carnis illos non peremit? Cur maluit carnes dare mense integro? Erant etiam in populo viri iusti, quibus vt benefaceret Dominus non dubitat & largitatem suam extendere ad impios, nunquam enim non veniunt impijs commoda ex iustorum consuetudine. Sic Abulensis quæst. 81. in fine; *Fuit hoc, quia Deus voluit alleuiare labores quorundam bonorum, quia inter Hebræos erant aliqui viri iusti, & quamuis illi non peterent carnes, recrearentur tamen datis carnibus; & quia dari ad vnam diem parua recreatio erat, voluit Deus dare carnes ad mensem integrum*. Propter recreandos iustos mense integro sustinuit Deus, impios illos cumulans beneficijs.

Deus suam clementiam vt ostendat iustos inter exlegeres inquirit tanquam eius vindictæ frena.

§. 52 Quare Abraham se cinerem, ac puluerem dicit? Quia vir iustus vsque ad cineres se deiecit, & ex ipsis cineribus tantam flammam charitatis excitauit, vt æterni luminis charitatem imitari videretur. Ad hoc tendit S. Laurentius Iustinianus Veneti solis splendidissimum Iubar de charitate cap. 3. sic loquens: *Ignis in puluerem redigit, illud idem facit charitas, loquar ad Dominum meum, ait Abrahamus, cum sim puluis, & cinis*: Eccè charitatis ignis nescit crescere, & inardescere, nisi ex humilitatis cineribus, & abiectionibus. Vers. 27.

Ex humilitate charitas prodit, ac crescit.

§. 53 Vel dic: Quorsùm iustus Abraham, cùm videt iam iam iniustos Sodomitas de cælesti incendio iustè sufflamatos miserè decinerescere, quasi ipse etiam eisdem pariter inuolueretur ignibus, cinerem se appellat, nisi vt meritas impiorum pœnas, ipse piussimè subiens, diuinum furorem ignium minacem auertat, & veniam impijs deprecetur, scilicet videat Deus in innocente immerito meritas nocentium pœnas, quo spectaculo pleno pietatis, & pijssimi ingenij pleno, Dei iras mitiget pia veniæ deprecatione. Quo arbitrio Lotum suum cum tota familia incendio exemit. Vers. 27.

§. 54 Quare dixit Dominus Abrahamo: *Non delebo si inuenero ibi quadraginta quinque?* Quid maius dici potuit de homine iusto? In Dei familiare colloquium admittitur, cum Deo quasi cum amico, & familiari loquitur, eius temperat iram. Vnde hoc? Id faciebant supradicta Patriarchæ verba *cùm sim puluis, & cinis*. Accipe pulcherrima, & elegantissima Diui Basilij Seleucien- Vers. 28.

leucienſis verba, qui adhæc dicit orat. 28. *Congreſſa eſt aliquando cum Deo creatura, colloquebatur, & oratio vtriſſim ab vtriſque ſinè honoris diſtrimine ferebatur, ac cernere erat rem inuſitatam, linguam è luto auſam cæleſtia loqui, & Deum impigrè reſpondentem homini terreno. Hæc enim parta ab humilitate lucra homines in altum euehunt, & Deo perſuadent, vt cum hominibus verba faciat. Quando igitur Abraham ſuo illi ſermoni prætexuit: ſum puluis, & cinis, tunc naturæ agnitione naturæ terminos eſt meritò ſupergreſſus*. Quid pulchrius? Non parua expectes ab eo, qui ſe paruum putat, & ſuam publicat infirmitatem. O'vtinam, ſic & ego, ſic & omnes facerent!

Ab eo qui ſe paruum putat, magna expecta, & maxima.

Verſ. 31. §. 55 Quare Abrahamus *Semel* ſe locuturum affirmat: & non potiùs ad quinque iuſtos proceſſit? Certè putauit apud iuſti nepotis domum procul dubio decem ad minùs iuſtos inueniendos. Aſſolent etiam famuli, ac ſerui heri moribus aſſimilari. Quis ergo dubitet, ex Sancto Lotho totam familiam didiciſſe iuſtitiam?

Verſ. 32. §. 56 Quare dixit Deus non delebo propter decem? Quomodo enim ſunt intelligendi iſti decem *Iuſti*? Non conuenit inter Expoſitores, an hi decem iuſti propter quos veniam pollicetur Deus, inueniendi ſint in tota illa regione, an in vna principe totiùs regionis metropoli, nempè Sodoma. Hoc dubium ſcitè proponit S. P. N. Auguſtinus lib. 1. quæſt. Vet. Teſtam. quæſt. 40. *Quæri ſolet*, ait, *vtrum quod de Sodomis dixit Deus, non ſe perdere locum ſi inuenirentur vel decem iuſti, ſpeciali quadam ſententia, de illa ciuitate, an de omnibus intelligendum ſit generaliter, percere Deum loco in quocumque vel decem iuſti fuerint*? Reſpondet Sapientiſſimè S. Pater Eccleſiæ Sanctæ Eximius Doctor, id non eſſe intelligendum de tota Pentapoleos regione, vrbeculas, oppida, ac vicos complectente; ſed de vna vrbe Sodoma totius prouinciæ Metropoli: *In qua quæſtione*, inquit, *non eſt quidem neceſſe, vt hoc de omni loco arripere compellamur. Verumtamen de Sodomis potuit, & ſic dici, quia ſciebat Deus ibi non eſſe vel decem: & ideò ſic reſpondebatur Abrahæ, vt ſignificaretur, nec tot ibi poſſe inueniri ...... Tale aliquid eſt apud Ieremiam vbi ait*: Circuite vias Ieruſalem, & videte, & quærite in plateis eius, & cognoſcitè ſi inuenietis hominem facientem iuſtitiam, & quærentem fidem, & propitius ero peccatis eorum: (cap: 5. verſ. 1.) *Ideſt, inuenite vel vnum, & parco cæteris: ad exaggerandam, & demonſtrandum quod nec vnus ibi poſſet inueniri*. Hic nimirùm proſcribitur Curialium vita, & magnarum vrbium habitatores protunduntur, dum ad inueniendos decem pluresue iuſtos, excipiuntur regionis ciuitatulæ, vici, oppida, & caſæ rurales; quibus ruſticana ſimplicitas, & cultioris politiæ exors, innocentiæ pars, ſeù occaſio eſt. In autem vrbe, prouinciæ Metropoli, nec *decem* iuſti poſſunt inueniri. Quid eſt, non poſſunt? O' vocem audacter peramplisſimam! Sic Curiæ negotia iuſtitiæ obſtrepunt, & innocentiam corrumpunt? Ne autem cauſeris Sodomam quaſi vitiorum etiam metropolim, adducit etiam S. P. N. Auguſtinus Ieroſolymam populi Dei regiam Curiam, non abſimili, imò & peſtilentiori contagio laborantem; ne putetur gentis, ſed magnæ ciuitatis moribus, qui plerumque Curialium mores toxicat. Sic eſt arduum ſectari iuſtitiam homines iam expolitos, & ipſa vrbanitate deceptos?

Curiæ negotia iuſtitiæ obſtrepunt, & innocentiam corrumpunt.

§. 57 Quare, quando modò excidio parando magis appropinquabat, Verſ. 35.
non dicitur expreſſiùs abiiſſe contrà Sodomam? Nunc ventum erat ad hoc, vt ſodomitarum tanta explicaretur impietas, vt nec decem iuſti inueniri inter illos ſperarentur. Excidium autem tàm impijs hominibus illatum non ab aduerſaria Dei ira, ſed à miſericordia eius, & gratia, vt quid ſalutare prouenit. Sic in 1. Regum cap. 17. verſ. 50. vbi Philiſtæi narratur interfectio: *Præualuit Dauid aduersùs Philiſtæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſtæum interfecit*. Quid miſerius homini impio eſſe potuit, quàm vita priuari? Sed rem meditatus D. Baſilius Seleucus orat. 26. ait: *Paſtoritijs lapidibus Goliath appetitus violenter occubuit. Nam ſimul Dauid, ſimul gratia lapidem iecit*: Dixiſſet in rem conuenientius; ſimul diuina ira, ſimul Dei ſeueritas, & rigor, ſimul iuſtitia puniens lapidem iecit, qui impium morti dederit. Quid gratiæ cum lethali vulnere, cum morte, cum excidio? Planè homini adeò quàm excidium non tàm ab ira, quàm à gratia, quàm à pientiſſima Dei miſericordia venit, quæ præcipitem belluam tenuit, ne abiret in peius.

Homini ſatis impio excidium prouenit non tàm ab ira Dei, quàm à miſericordia eius.

§. 58 Quare Abraham non proſe- Verſ. 33.
quutus eſt ad Deum preces, vt parceret Sodomitis ſi minores quàm decem iuſti deprehenſi fuiſſent? Cur iterum non ingeminat Domine, ſi quatuor, vel quinque inuenti fuerint, obſecro, ne

ne irascaris? minimè verò, sed orare cessauit, & abijt in locum suum. Cur ita? Refriguit ne senis optimi charitas, qui non longè aberat ab incendio, proximè cælitùs excitando? Quinam, pende, futuri erant decennario numero minores, iusti, nisi charissimus Nepos Lothus, cum vxore, ac filiabus eius? En igitur mysterium; en arcanum bellè reuelatum Sacramentum. Si pro quatuor, vel quinque iustorum meritis institisset, fortè creditus esset, non pro publica Sodomorum incolumitate, diuinas importunè aures fatigasse, sed priuata domesticorum vtilitate traductum, ad preces promisse; qua in re, rem illi, cordi fuisse, non publicam, sed priuatam. A solicitando ergo vlteriùs Deo, destitit, ne sinistrum quid simile de sene, quis, omnium integerrimo suspicaretur. *A Deo, non suam quæsiuit voluntatem, vt quamtumcumque haberet curam pro Nepote suo Loth, nullum tamen os eius de eo faceret mentionem*; neque enim priuatæ vtilitatis commodum, publicæ præferendum. Sic eleganter affirmat Rupertus lib. 5. in Gen. cap. 5.

Priuatæ vtilitatis commodum, publicæ præferendum.

Vers. 33. §. 59 Quare exprimitur hìc *Abijtque Dominus, postquam cessauit loqui*; Et statim in capitis sequentis initio: *Venerunt*, dicitur, *itaque duo Angeli Sodomam?* Vt dubium intelligas, expende; Tres venerant ad Abrahamum, nimirùm Dominus, & Angeli duo, tresque se aduersùs Sodomam iratos ostenderunt. At in re supplicij, cùm Sodomam perdendam accedunt; Dominus abit, prorsùs disparet, soli duo Angeli cernuntur, qui mala inferant. Et cur etiam Dominus pœnæ inferendæ non adfuit? Cur ab ipso supplicij puncto discessit? Crediderim discessisse, quia impiorum supplicium magis indè exacerbatur, quando nihil duriùs in malis est, quàm Deum abesse. Quò videtur respexisse S. Gregorius Nazianzenus in 18. Iambico de virtute fatus.

Supremum malum inter calamitates est impijs, quòd videantur à Deo derelicti.

Qui vinculi; & nexus nuit
Rebusque sese mancipians totum inferis
Carnisque seruus, perditè, & fluxa expetens,
Felix sit ipse in fluxis licèt.
Leues se ob vmbras efferens, & somnia,
Ob luxum opèsque humidas, & celsos thronos
Heu quanta moles verberum hunc illic manet
Quorũ supremum est deijci à summo Deo:

Planè inter verbera, inter tormenta, & calamitates à Deo in impios missas, illud supremum malum est, quòd illic non adsit Deus, sed miseri videantur, & sint à Deo deiecti, & derelicti.

§. 60. Quare Abraham ciuitatem pariter cum Angelis non intrauit, præsertim cùm ibi habitaret Nepos eius Loth? Sciebat iratum contrà vrbem Numen perdere illam decreuisse, & quamquam piè crederet Dominum pro benignitate sua cum tempore moniturum, vrbe vt excederet, sciens tamen consiliorum Dei magnam esse abyssum, noluit periculo se exponere; sic quidem Abraham, sed Loth qualiter? Sanè manifestè edoctus ab Angelis delendum esse locum illum, etiamnum cunctabatur ad tutiora profugere: *Quamobrem dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, eduxeruntque eum, & posuerunt extrà Ciuitatem*, sequenti c. vers. 16. Quare tàm timidus Abraham, tàm constans, & impauidus Loth? Numquid non iustus vterque? Fateor; verùm sublimior multò virtus Abrahæ, quàm nepotis, qui licèt Dei seruus in ciuitate nimium voluptuosa morabatur: quò igitur altior cuiusque iustitia, eò minùs præsumit, & suis fidit meritis; hinc est, quòd Lot, cuius in virtutibus remissior splendor, audet magis, nec periculum nisi compulsus vitat; Abraham qui perfectior est, ferè vbi non est timendi ratio trepidat: Vndè Tuitiensis Abbas lib. 6. in Gen. cap. 10. *Dissimulante*, inquit, *illo, videlicet, quamuis comparatione Sodomorum iustus esset, adhuc tamen à perfecta iustitia minus habens, & minoris fidei, quàm Abraham, amœnitate Sodomorum tenebatur; & irriguis panè Paradisaicis aruis, & idcircò quasi non satis intelligeret quod dicebatur, cùm percelleretur nuncio instantis periculi, dormitantes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti.* Vers. 33.

Perfectioris viri est trepidare, vbi ferè non est ratio timendi.

C A-

CAPVT XIX.

GENESIS.

Vers. 1.  Eneruntque duo angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis: adorauitque pronus in terram.
2. Et dixit obsecro, domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in vium vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in platea manebimus.
3. Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum: ingressisque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma: & comederunt.
4. Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum illius à puero vsquè ad senem, omnis populus simul.
5. Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei: Vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.
6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait.
7. Nolite, quaso, fratres mei, nolite malum hoc facere.
8. Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.
9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursùs: Ingressus es, inquiunt, vt aduena, num quid vt iudices? te ergo ipsum magis quàm hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissimè: iamq; propè erat vt effringerent fores.
10. Et eccè miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium.
11. Et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsquè ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.
12. Dixerunt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuorum? Generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac.
13. Delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coràm Domino, qui misit nos vt perdamus illos.
14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, & egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.
15. Cùmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.
16. Dissimulante illo: apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi.
17. Eduxeruntque eum, & posuerunt extrà ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas.
18. Dixitque Loth ad eos: Quæso Domine mi.
19. Quia inuenit seruus tuus gratiam coràm te, & magnificasti misericor-

diam tuam, quam fecisti mecum, vt saluares animam meam, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar.
20. *Est ciuitas hæc iuxtà, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: numquid non modica est, & viuet anima mea?*
21. *Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es.*
22. *Festina & saluare ibi: quia non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen vrbis illius Segor.*
23. *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor.*
24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gommorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.*
25. *Et subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terra virentia.*
26. *Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis.*
27. *Abraham autem consurgens manè, vbi steterat priùs cùm Domino.*
28. *Intuitus est Sodomam & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.*
29. *Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat.*
30. *Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo.*
31. *Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxtà morem vniuersæ terræ.*
32. *Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.*
33. *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: & ingressa est maior, dormiuitque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.*
34. *Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro.*
35. *Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormiuit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.*
36. *Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo.*
37. *Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum vsquè in præsentem diem.*
38. *Minor quoque peperit filium & vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsquè hodie.*

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1. Vers. 2. & 3. Num. 1. VEneruntque duo Angeli *Sodomam vespere, &c.* Vsque ad vers. 3. inclusiuè, quæ refert Moyses vide explicata in superiori capite, nempè vers. 1. 2. & seq. solùm est discrepantia in hoc, quòd ibi Angeli fuerunt tres, hic *duo venerunt*; ibi in ipso feruore diei, hic *Vespere* eiusdem diei, quo cum Abrahamo pranderant; ibi

Ibi Abraham sedebat in ostio tabernaculi in conualle Mambre, hic Lot sedebat *in foribus ciuitatis*. Dicunt inibi Hebræi quòd Lot sedebat in foribus, quasi principalis Iudex inter alios iudices, qui tunc temporis sedebant in postis ciuitatum vt patet ex Deuteronom. cap. 21. & 22. Sed hoc non consonat literæ sequenti in eodem capite vbi dicitur ab ipsis Sodomitis ipsi Loth vers. 9. *Ingressus es, inquiunt, vt adueua, numquid vt iudices?* Vndè apertè colligitur hebraicum esse commentum.

Hebræorum error de Loth.

Vers. 2. 2 *Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum illius à puero vsque ad senem &c.* Idest transacta iam aliqua noctis parte, postquam ipsi cænauerant, & quieuerant, & populus non venit immediatè, vt intrauerunt viri in domum Loth, ne fugere possent, sed voluerunt comprehendere eos dormientes, vel cænantes; ita quòd effugere non possent.

3 *A puero vsquè ad senem*. Ista est hyperbolica locutio: sicuti dicitur quod astra ferit clangor, & illud

Aurea fæmineus perstringit sidera clamor. Vt patet Alexandreidis lib. 3. de captione ciuitatis Tyri, in qua fæminæ clamabant, & dicebatur clamor earum percutere astra, quia magnus valdè erat: vndè cùm hoc inuerisimile appareat. Dicendum cum Abulense: *Nominat hic pueros, & senes, & non nominat viros, quia atus virilis est potentissimo ad actus venereos, atas autem puerilis & senilis sunt inhabiles, non ergo fuit necesse viros nominari; quia satis constabat, quòd illuc irent cùm non essent pueris, & senibus sanctiores, & atus magis ad hoc impelleret. Sed ad notandum pessimam, & infandissimam istius ciuitatis consuetudinem ponuntur pueri, & senes, qui aliàs inhabiles sunt.*

4 Vel dic *à Puero, vsquè ad senem*, quia isti non erant incontinentes, nam non ex passione hoc faciebant, sed intemperatissimi, quia hoc ex totali electione faciebant, & pueros suos ad hoc edocebant primo eos pati facientes in primæuo ætatis flore, donec satis barbati essent: deindè reciprocè, dicit Tostatus, & agebant, & patiebantur: & ideò adhoc assueti conuenerant ad vallandum domum Lot.

5 Nota quòd istum modum etiam tenuit Orpheus, qui fuit primus Poetarum, & Theologus vocatus, quem ego infandissimam bestiam iudico nominandum: cùm enim nubere nollet in Thracia, in qua ipse genitus erat, postquam Euridicem vxorem suam ab inferis reuocare non valuit, per triennium ab omni tactu fæmineo abstinens ad vltimum in labem istam infandissimam corruit, quasi per sexcentos annos post subuersionem istarum ciuitatum, & homines terræ suæ docuit ista operari persuasionibus trahens. De quo Ouidius Metamorphos. lib. 10. sic ait.

Orpheus non Theologus, sed Bestia infandissima.

Ille tamen Thracum populis fuit auctor amorem
In teneros mutare mares, citraque iuuentam,
Ætatis breue ver, & primos carpere flores.

6 Nota secundò, etiam Seneca ait, quòd tempore suo, quando in ciuitate Romana totalis intemperantia vigebat, postquam viri defatigati erant exhaustis medullis laborantes, faciebant paruulos pueros, & puellas coràm se concumbere, vel saltem hoc tentare, vt sic ipsi turpissimi ad libidinem mouerentur. Vndè benè dicitur *à Puero vsquè ad senem. Præstruitur his verbis*, ait S. Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 6. *Diuini Iudicij aquitas: ne fortè quis diceret: Quid peccauerunt pueri, vt omnes excidio inuoluerentur? Ita nullus illic iustus fuit. Audi scripturam testificantem*: Quia circundederunt domum ab infante vsquè ad senem, totus populus pariter. *Nulla atas erat culpa immunis, & ideò nullus immunis fuit exitij: & qui possibilitatem perpetrandi criminis non habuit, habuit affectum: effata vires senum, sed mens plena libidinis.*

Impudicicia ætatis virilis rarò in senecta reformatur.

7 Verùm diceremus, quod de pueris refertur, intelligendum esse de ijs, qui iam peruenerunt ad annos discretionis; scilicet, per ætatem, iam vitij virtutisque capaces. Nam confirmat Caietanus ibidem pag. mihi 92. dicens; *Quod autem dicitur à puero, intellige annos discretionis habente.*

8 *Vocaueruntque Lot, & dixerunt ei: vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos.* Idest Appositos, ò Loth, iuuenes expone, quos hospitio fruituros recepisti primæ noctis instantia, vt scilicet eis turpiter abutamur. Et hæc est publicatio, seu clamor delicti, quèm ad Dei aures ascendisse præmisimus. Vers. 5.

9 *Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.* Idest Loth clauso ostio ad se ne intrarent Sodomitæ, & raperent viros, mansuetis verbis, vt eorum irrationabilem impetum mitigaret, dixit nolite, quæso, nolite hoc Vers. 6. & 7.

hoc

hoc malum facere.

Vers. 8. 10 *Habeo duas filias, quæ nec dum cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei.* Hìc Loth, vt liberaret Angelos, quos viros credebat, offert duas filias eius Sodomitis, dicens *abutimini eis*; vbi notandum est, quòd Lot dabat filias suas non ad vtendum, sed ad abutendum, quia sciebat, quòd non naturali modo, sed in vase indebito eas erant cogrituri, sicut in viris facere consueuerant, & hoc notat cum dicit, *Abutimini*.

11 Nota quòd secundùm D. Thomam 2. 2. Sodomia est turpitudo in masculum facta: quæ duplex est perfecta, & imperfecta. Perfecta, est congressus duorum eiusdem sexus, scilicet maris, cum mare; fœminæ cum fœmina. Imperfecta, est congressus cùm debito quidem sexu, maris nempè cùm fœmina, sed extra vas.

Quid sit Sodomia.

12 Nota secundò quòd hoc peccatum siuè fiat in viro, siuè in femina in vase indebito vocatur contrà naturam, quia natura instituit, vel ingeniauit istum actum ad multiplicationem indiuiduorum, & conseruationem specierum, & quia coeundo cum viro, vel cum femina in vase indebito, nullo modo ordinatur ad generandum, nec ordinari potest per naturam, ideò vocatur contra naturam. Si autem aliquis coeat cum propria Matre, quòd satis est horribile, & infandum, & rectæ rationi repugnans, non dicitur agere contrà naturam, quia indè gignere potest, vt genuit Oedipus Rex Thebarum ex Iocasta matre sua; vt ait Seneca Tragedia 5. & Statius Poeta in lib. Thebaidos.

Quare vocetur Peccatum contra naturam.

13 Quærendum hìc occurrit, An Loth peccauerit, offerendo filias suas Sodomitarum libidini, quò eos à violandis, nefario scelere, hospitibus auerteret. Omissis omnibus sententijs, & omni reuerentia relictis, opinionem S. P. N. Augustini hac super de resequor, & refero. Primùm enim S. Pater in lib. quæstionum in Genesim quæst. 42. super hoc ipso facto Loth disputans, ambiguè loquitur, non decernens vtrum Loth fecerit illud consulte, ac deliberatè, an potiùs perturbato animo, menteque confusa; sed vtrouis modo id egerit, non videtur approbari, ac laudari à SS. Parente & eximio Ecclesiæ Sanctæ Doctore: *Meritò*, inquit enim, *super illo facto Loth quæritur, vtrum admittenda sit compensatio peccatorum, vt nos faciamus mali aliquid; ne alius grauius malum faciat: an potius perturbationi Loth, non consilio id tribuendum sit. Sed nimirum, periculosissimè admittitur omnis hæc compensatio peccatorum. Sin autem perturbationi humanæ tribuitur, & menti tanto malo permotæ; id sanè nullo modo imitandum est.*

An Loth licitè tradere volebat filias suas Sodomitis.

14 Secundò, idem S. Pater Noster in lib. de mendacio cap. 7. factum hoc Loth non sinè laude eius commemorat dicens. *Si Loth cùm ita iustus esset, vt Angelos etiam hospitio suscipere mereretur, stuprandas filias Sodomitis obtulit, vt fœminarum potius ab eis corpora, quàm virorum corrumperentur: quantò diligentiùs atque constantiùs animi castitas in veritate seruanda est; cùm veriùs ipse animus corpori suo, quàm corpus virile fœmineo corpori præferatur?*

15 Tertiò enim in libro contrà Mendacium cap. 9. apertissimè sententiam suam indicauit Sanctissimus Parens, scilicet, magis inclinans ad vituperationem eius facti, quàm ad approbationem. Sic autem scribit eo loco: *Quis dubitet esse grande peccatum, si pater filias suas prostituat fornicationibus impiorum? & tamen extitit causa qua vir iustus Loth hoc se debere facere existimaret; quando Sodomitis nefario impetu in hospites suos irruentibus filias suas obtulit. Quid hic dicemus? Nonnè ita scelus Sodomitarum horremus, vt quidquid fieret, ne illud fieret, arbitremur fuisse faciendum? Mouet etiam maximè persona facientis, quæ merito iustitiæ liberabatur à Sodomis: vt quoniam minùs malum est fœminas, quàm viros perpeti stuprum; etiam hoc ad iustitiam Loth pertinuisse dicatur, quòd in filiabus hoc maluit fieri, quam in hospitibus suis; non tantùm id volens animo, verùm & offerens verbo; & si illi assensi fuissent, impleturus & facto. Sed si hanc peccatis aperimus viam, vt committamus minora, ne alij maiora committant, lato limite; immò nullo limite, sed conclusis, & remotis omnibus terminis, infinito spatio, cuncta intrabunt, atque regnabunt peccata. Si ergo peccare non debemus, ne grauiùs alij, vel in nos, vel in quoslibet peccent, considerandum est in eo, quod fecit Loth, vtrum sit exemplum, quod imitari, an potius quod euitare debeamus. Putandum enim est, cùm tàm horrendum malum suis cerneret impendere hospitibus, quod ipse cuperet repellere, nec valeret, sic eius animum potuisse turbari, vt vellet facere, quod non humani timoris nebulosa tempestas, sed diuini iuris tranquilla serenitas si consulatur nobis faciendum*

dum

dum non esse clamabit: & iubebit potiùs, vt sic nostra peccata caueamus, ne vllorum prorsùs alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippè ille vir iustus timendo peccata, quæ nisi consentientes inquinare non possunt, perturbatus non attendit suam, quo voluit subdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in scripturis sanctis legimus, non ideò quia facta credimus, etiam facienda credamus: ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla. Itaque rectissimè quispiam tunc dixisset sancto viro Loth: Age quidquid potes, ne fiat quod meritò times: sed non te timor iste compellat, vt facias, quod si filiæ tuæ in se fieri voluerint, facient cum Sodomitis, te auctore, nequitiam, sin autem noluerint, patienter à Sodomitis, te auctore, violentiam: Noli facere magnum scelus tuum, dum magis horrescis alienum. Quantumlibet enim distet inter tuum, & alienum; hoc tamen erit tuum, & illud erit alienum. Hanc S. P. N. Augustini sententiã sequuntur hoc loco Glossa interlinearis, Lyranus, Thomas Anglicus, Abulensis, Lyppomanus in Catena, Ioannes Ferus, & Sotus lib. 6. de Iustitia, & Iure quæst. 1. artic. 5.

16 Quærendum hic est secundò an Pater ius habeat exponendi corpora filiarum alienæ libidini, ob deuitandum ingens quodpiam scelus. S. P. N. Augustinus cùm rem hanc in lib. contra Mendacium cap. 9. commemorasset, nihil super ea re statuit, sed indiiudicatam reliquit in medium, accuratiùs vel à se in alio loco, vel ab alijs pensitandam iudicandamque. Verba S. Patris ex eo loco, huiusmodi sunt: *Nisi fortè pro defensione huius viri (Loth) in eas se quispiam coarctet angustias, quia iniuriam pati culpa non est, maluisse virum iustum filias suas sinè culpa iniuriam pati, quàm hospites suos, eo iure quo filiarum Dominus erat, & nouerat eas non peccare, si id in ipsis fieret, quod inuitè fieri in se sustinebant: In filiabus autem non peccantibus, nec ipse peccabat, quia non eas peccare, y si opprimerentur inuitæ, sed peccantes ferre faciebat, tamquam si ab improbis, vt sui serui cæderentur, offerret Dominus, ne hospites suos pati cadis iniuriam fineret. De qua re non disputabo, quia longum est, vtrum Dominus iure sua potestatis rectè sic vtatur in seruo, vt seruum suum cædi faciat innocentem, ne in domo sua amicus etiam ipse innocens à violentis improbè vapulet.* Verùm procul dubio non potuit Lot paterno iure potestateque filias suas nefariæ libidini bijcere, quò detestabiliorem libidinem

An Pater habeat exponendo corpora filiarum.

ab hospitibus suis auerteret, tum quod ea ratione perditum iuisset bonam famam filiarum, ob defloratam, & amissam virginalem integritatem, & pudorem; quam etiam ob rem ab ijs viris, quibus iam illæ fuerant desponsæ, meritò earum coniugium repudiandum erat: tum etiam ob grauissimum periculum, ne intimo animi sensu assentirentur illæ libidini alienæ, quam patiebantur, scilicet ob voluptatis delectationem in eo actu admixtam. Quid quod maior erat culpa, Loth filias suas in tantum, & pudoris, & pudicitiæ discrimen committere, quàm finere hospites suos flagitiosè violari? Immò nulla in eo culpa eius re futura erat, si non alia id ratione, quàm filiarum stupro impediri potuisset?

17 *At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursùs: Ingressus es, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices? Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus.* Si Loth Sodomitas non arguebat tanti sceleris, nec ipsi eum increpabant, licèt temerè, ideò dicebant quomodò tu in tantam prorumpis audaciam? Venisti ad nos vt peregrinus, & aduena, & recepimus te in pace, nunc autem, vt Iudex, & reprehendis, & vis iudicare nos? Si ergo viros, quos tenes, non tradideris nobis abutemur te, donec te occidamus, & sic magis te affligemus, quàm viros afflicturi eramus. *Improperant* (dicit ibi. Caietanus pag. 93.) *quòd solus receptus est ad beneficium habitandi in ciuitate, & quòd vsurpauit officium iudicis. Inuertunt enim supplicationem Loth in reprehensionem.* Vers. 9.

18 *Vimque faciebant Lot vehementissimè, iamque propè erat vt effringerẽt fores.* Idest dum Loth volebat eos ab ostio expellere verbis pacificis, ipsi autem accipientes eum vehementer torquebant, alij impellentes eum contrà ostium, vt ianua eis pateret, alij loco virorum, inquit Abul. accipere volebant ad abutendum.

19 *Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium.* Idest Angeli: quia tempus erat vt ostenderent potestatem Angelicam, introduxerunt ad se Lot inuitis omnibus, qui erant circà domum. *Rem inopinatam vide* (inquit Menochius) *hospites sui securi subitò referant ostium, Lothum introducunt, populum depellunt.* Vers. 10.

20 *Et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsquè ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Idest non planè cæci facti sunt sodomitæ, sed offusa Vers. 11.

Digitized by Google

sa caligo, vt fores domus Loth inuenire non possent, imò nec suas, vt habemus in lib. sapientiæ cap. 19. vers. 16. *Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus iusti, cùm subitaneis cooperti essent tenebris vnusquisque transitum ostij sui quærebat.*

Quid sit cæcitas.

Sic enim non erat absoluta cæcitas (vt est in Latino) quæ est carentia potentiæ visiuæ (quia sic non fuissent vltrà solliciti de ostio Loth, & suis ostijs quærendis: sed desistentes à facinore duces potiùs viarum inclamassent;) sed erat ἀορασία (vt est in Græco) seù non videntia, quàm alij ἀορασίαν vocant, qua quis licèt videre possit, & quædam alia videat, hæc tamen hic, & nunc non videt, vel saltem non distinctè discernit: Sic nimirum contigit his sodomitis; Deo non concurrente cum oculis ad receptionem specierum ab ostijs emissarum, aut ad actum visionis eliciendum. Sic affirmat S. P. N. Augustinus tum in lib. quæst. in Gen. quæst. 43. tum in lib. 22. de Ciuitate Dei vbi huiusmodi sunt eius verba: *Cùm aliquid à quibusdam non videtur, quamuis adsit, à quibus alia, quæ pariter adsunt videntur: Græcè dicitur ἀορασία, quòd verbum nostri Interpretes Latinè non valentes propriè reddere, in libro Geneseos cæcitatem interpretati sunt. Hanc enim passi sunt Sodomitæ, quando quærebant ostium iusti viri, nec poterant inuenire. Quasi ea cæcitas fuisset, quâ fit vt nihil possit videri non ostium, quòd ingrederetur, sed duces itineris à quibus indè abducerentur, requisiuissent.*

Vers. 12. 21 *Dixerunt autem ad Loth: Habes hic quempiam tuorum? Generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac:* Angeli benè sciebant quòd Loth duos generos haberet, sed quærebant ab eo, vt eum ad vocandum illos incitarent; & si illi miseri voluissent venire, meritis Loth saluati fuissent, sed peccata sua excæcauerunt eos.

22 De generis quomodo accipiendum sit hoc Angelorum dictum patet, & ex ipsa scriptura mox explicatur, dum commemorat Loth egressum fuisse & locutum ad generos suos, qui accepturi erant filias eius. Sed quid agimus de filijs? An Angeli ignorabant Loth non habere filios? Respondet Estius Angelos locutos vt peregrinos, ac ignaros, etsi Dei nuntios, non enim necesse est Dei internuntios omnia omninò aperire.

Vers. 13. 23 *Delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coràm Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Iuxtà Hebræum habetur, & misit nos יהוה ad destruendum ipsam. *Repetitur enim* (inquit Caietanus) *Tetragrammaton, ad explicandum quòd ille qui est fons essendi curam habet singularium hominum, & actionum humanarum: & non solùm dat esse, sed etiam tollit esse hominum quorundam propter peccata eorum.* Clamor hoc loco phrasi Hebraica pro infamia, & iniquitate impudenti capitur; perindè, ac si diceret infamiam, & rumorem Sodomitarum ad aures Dei peruenisse.

24 *Egressus itaque Lot, locutus est ad* Vers. 14.
generos suos qui assumpturi erant filias eius, &c. Alij, *qui acceperant, qui duxerant filias eius*. In quo videntur dissentire à Vulgata. Aduerte in Hebræo esse לקחי בנתיו *Lokeche Bedetau*: Accipientes, seu acceptores filiarum suarum, vndè non præteritum, nec futurum tempus describitur, sed nomen verbale. Vnde paucis in verbis. Erant illæ duæ filiæ Loth desponsatę ex compromisso, sed nondum in matrimonium traditæ. Hinc legit S. Hieronymus. *Loquutus est ad sponsos, qui accepturi erant filias eius.*

25 *Et visus est eis quasi ludens loqui*: S. Ioannes Chrysostomus legit hìc: *Visus est ridicule loqui*: Attende, & perpende prudens lector, quòd Deus humano more per Angelos suos inquisitionem promissam Abrahæ, an Sodomis essent decem viri iusti, primùm executus est proponendo publicè Angelos suos in specie iuuenum peregrinorum, & inuenit vniuersum populum furentem. Deinde ne quispiam diceret quòd multi viri probi erant in ciuitate qui si moniti fuissent resipuissent, misit per Angelos suos Loth iustum ad monendum eos quos verisimile erat (propter hoc quòd Lot iustus elegerat eos in generos) esse viros probos: vt etiam hinc elucesceret inquisitionem omni ex parte perfectam fuisse.

26 *Cùmque esset manè, cogebant eum* Vers. 15.
Angeli dicentes, Surge, tolle &c. Ciuitates Sodomæ, & Gomorrhæ non fuerunt deletæ per noctem, sed per diem orto iam sole: Loth autem exiuit de ciuitate manè facto ante solis ortum, tota enim nocte manserat in ciuitate deprecans pro populi liberatione; sed non exaudiuit Dominus, quia peccata eorum completa erant, quæ diuinam indignationem merebantur.

27 *Dissimulante illo, apprehenderunt* Vers. 16.
manum eius & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi. Idest Loth moram faciebat, vt Dei pie-

Digitized by Google

pietatem vinceret, quærens misericordiam Dei super populum; sed Angeli vt eum aliqualiter violenter traherent apprehenderunt manum eius, eò quòd parceret Dominus illi. Iuxtà Hebræum habetur: In misereri Iehouah super eum. *Ratio violenta salutis redditur* (inquit Caietanus) *non iustitia mulierum, nec iustitia Loth, sed misericordia summi Dei peculiaris erga Loth; ita quòd ratione ipsius seruabat vxorem, & filias.*

Vers. 17. 28 *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes salua animam tuam, &c.* Idest Angeli positum Loth extra periculum ampliùs non comitati sunt eum, sed imposuerunt tale præceptum nempè salua animam tuam, idest labora nunc vt viuas faciendo, quod dicimus: *Noli respicere post tergum*; idest tu cum tuis filiabus, & vxore noli post te, ad videndum ignem de cælo, respicere. *Nec stes in omni regione circa*, idest circa istam ciuitatem. Vel *circa* potest accipi pro aduerbio, quia præpositiones solutæ à casibus, quibus deseruiunt, aduerbia iudicantur, & tunc non signat, circa habitudinem certi loci, sed est id quod propè. *Sed in monte saluum me fac*, scilicet, qui imminet vrbi Segor; huc enim profuit Loth, vt patebit ex vers. 30.

Vers. 18. & 19. 29 *Dixitque Loth ad eos: quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coràm te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, vt saluares animam meam.* Quamquam essent duo Angeli, tamen Loth singulariter loquebatur, quia vnum Deum in eis cognoscebat mittentem eos; & illum in eis deprecabatur, vt propter gratiam quam fecerat eum saluando inter cæteros de ciuitate, cum vxore, & filiabus eius, si talia magnifica misericordia donauit, etiam concederet alibi pergere, nam in monte illo saluari nequierat, & rationem reddens dixit.

30 *Ne fortè apprehendat me malum, & moriar. Sciens Loth* (inquit Caietanus pag. 94.) *longum esse iter ad montem, & quod in monte non erat habitaculum, timebat incurrere agritudinem aliquam, vel propter fatigationem in itinere quia senex erat, vel in monte, & consequenter mori; ac per hoc non effugisset mortem eundo in montem, & propterea petijt vt seruari posset in propinqua ciuitate in qua erant domus vbi posset incolumis morari.*

Vers. 20. 31 *Est Ciuitas hac iuxtà, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: numquid non modica est, & viuet anima mea?* Idest scio te immissum, vt cunctas nepharias Vrbes euertas, ac igne consumas, sed hæc ciuitas tàm parua est, vt ex paruitate materiæ possit liberari, & in ea saluare me ipsum vt viuat anima mea. *Ad hoc vt exaudiretur, allegauit* (*Loth*) *ex parte ciuitatis tum propinquitatem, tum paruitatem*, ait Caietanus.

32 *Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem pro qua locutus es.* Precibus tuis, inquit Angelus, annuo intercessioni tuæ suam debet Ciuitatula liberationem. Statuerat Deus oratione Lothi Oppido parcere; quare in animum eius induxit, vt pro eo preces effunderet. Vers. 21.

33 *Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcircò vocatum est nomen vrbis illius Segor.* Idest ne moreris in eundo, ideò *festina* ad ambulandum. Et nota quòd festinatio enim motus cogitationes excludit propter duo: Primò, quia anima quando multum intendit vni rei non potest intendere alteri: cùm ergo multum intendit motui non potest multum intendere cogitationi. Secundò; quia ad cogitationem requiritur actus phantasiæ, & virium sensitiuarum interiorum, quæ disturbantur in motu: idcircò ista festinatio multum erat vtilis Lotho, scilicet, & ne, si tardè moueretur, & multum in ambulando tardaret, cogitatio ei insurgeret de respiciendo retrò. Vers. 22.

Motus festinatio excludit cogitationes propter duo, & quæ.

34 *Quia non potero facere quidquam &c.* Huius dicti sensus est, quòd stante illo promisso, quo Deus promiserat se seruaturum Loth in Segor, non poterat Deus subuertere Sodomam priusquàm Loth in Segor venisset. Et ex his patet non inconuenienter dici, quòd Deus per sua promissa, nobis debitor fiat. Atque ita de Deo loquuntur interdum S.P.N. Augustinus serm. 16. de Verbis Apostoli, & in enarratione secunda Psal. 31. item S. Gregorius homilia 37. super Euangel.

Deus per sua promissa nobis debitor fit.

35 *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor.* Idest super orizontem Sodomæ: sol enim semper super terram est, & semper diem facit vbicumque fit, sed illi terræ, cui non apparet, noctem facit. Omni ergo puncto, vel instanti assignato, vel assignabili meridies est, & media nox, & hora tertia, & hora sexta, imò in quolibet instanti necesse est omnem denominationem temporis existere, hoc satis apparet ex figuratione motus solis. Vnde Vers. 23.

ex hac Scriptura habetur quòd Loth qui ante lucem è Sodomis exiuit, orto iam sole peruenit in Segor, cùm iam Sodoma conflagraret, ita Lyppomanus: Igitur videtur quòd summo manè in crepusculo, mox vt Loth egressus est, Sodoma conflagrarit.

Sodoma qua hora conflagrarit.

36 Nota quòd Sol latinè est sic dictus, quòd solus, & vnicus sit in mundo, qui semper luceat diemque aliquibus impertiatur. *Ricciol. lib. 3. de Sole cap. 4. fol. 92. num. 1.* Item Sol Planetarum omnium medius est, & temporum dispensator; vt qui aduentu suo diem, recessu noctem efficiat; Hebraicè enim Sol dicitur *Chammah*, vel *Schemesch* à calore eius nata Sole. De Sole Lucretius lib. 5. sic cecinit.

Largus item liquidi fons luminis, aetherius Sol
Irrigat assiduè cælum candore recenti,
Suppeditatque nouo confestim lumine lumen, &c.

Vers. 24. 37 *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo.* Nota quòd perperàm Strabo lib. 15. suæ Geographiæ probat hoc Sodomæ incendium fuisse terrestre, exhalatum, eructatumque ex terra: sed hæc pluuia fuit cælestis, & diuina.

38 Nota secundò quòd Concilium Syrmiense Anno ab ortu Domini nostri trecentesimo quinquagesimo septimo, Constantio Imperatore, & Liberio Papa congregatum: de cuius congregandi processu exituque legenda est Socratis historia lib. 2. cap. 25. & Sozomeni lib. 4. cap. 5. decreuit verba illa *Pluit Dominus à Domino*, omninò esse intelligenda de Deo Patre, & filio Dei. Dominus enim filius pluit à Domino Patre à quo scilicet, vt substantiam habet ita potestatem faciendi quodlibet. Nam sicut ipse filius dixit Ioann. cap. 5. vers. 19. *Amen, Amen, dico vobis: non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem: quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.*

39 Nota tertiò quòd ignis, secundùm Theologos, & etiam Philosophos, est supremum omnium elementorum. Vndè & ignis ille purus vocatur quandoque cęlum, eò quòd immediatè sit sub cęlo, idest sub sphæra globi lunaris; quandoque autem vocatur ætheris nomine (eò quòd est supra aerem) suprema pars purior, ac tranquillior aeris totum aerem excedens. Secundùm autem Aristotelem Ignis est purissimus, adeò quòd stupam ibi non consumeret, si apponeretur; nec etiam lucet in sua sphæra; quia sic tegeret corpora cælestia: Nec visibilis est; quia saltem noćte ardoris eius videretur lux; sed tantum videtur dum est in materia aliena, scilicet circa nos. Cùm autem vrendo consumit, hoc inquit, non inest ei, secundùm ignis essentiam, sed per accidens, vt dicit idem *Aristoteles lib. 3. de cælo, & mundo*; & sinè materia extra suam sphæram non potest esse, & quantò in materia grossiori fuerit, tantò fortiùs vrit. Vndè in ferro fortiùs vrit, quàm in carbone; & in carbone fortiùs, quàm in stipula, vel stupa. Nam ignis in materia terrea carbo est, in materia aerea flamma est, in materia verò propria, idest, pura, quasi lux in se clara est, non habens respećtum ad aliud, vndè naturam trahat.

Ignis quid sit.

40 Notandum quartò quòd *Sulphur* habet varia nomina θεῖον Græcè, *Souffre* Gallicè. *Schwebel*. Germanicè *Enxufre* Lusitanè. De Græco idiomate testantur Dioscorides *lib. 5. cap. 78.* Galenus *lib. 9. simplicium medicam: cap. de Sulphure, pag. mihi 95.* Plutarchus *lib. 4. Symposiacon, quæst. 2. &* Falloppius *tract. de aquis thermalibus cap. 5.* De Latino, & Italico idest *Sulphur*, & *Solfo*, obuij passim auctores. De Reliquis appellationibus Brasauolus, *in examine terrarum, sub initium.* Galenus, vbi supra, dicit quòd Sulphur omne trahendi vim possidet, estque temperamenti calidi, atque essentiæ tenuis, adeò vt ad multa venenatorum animalium resistat, & Plinius *lib. 35. cap. 15.* testatur ignium vim magnam sulphuri inesse. Vsui est Theologis sulphur ad multa symbolicè significanda, ad virtutes, & vitia spećtantia; de qua re vide Bercorium *lib. 11. Reductorij moralis, cap. 123.* Et Poetarum Princeps Æneid. 3. nescio quid cæleste in sulphure agnoscens, cecinit.

Sulphuris varia nomina.

Sulphuris materia, & natura ex Galeno.

Sulphuris Symbola.

Sulphur cæleste ex Virgilio.

Vix ea fatus erat senior, subitòque fragore
Intonuit læuum, & de cælo lapsa per vmbras
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere sylua,
Signantemque vias, tum longo limite sulcus
Dat lucem, & latè circum loca sulphure fumant.

41 *Et subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem*: idest destruxit igne sul- Vers. 25.

sulphureo prædicto, non solùm Sodomam, & Gomorrham, sed Adamam quoque, & Seboim quæ erant duæ ciuitates coniunctæ Sodomæ, & Gomorrhæ, & totam terram planam in circuitu.

42 Si quæris quanta fuerit regio illius terræ Sodomitico incendio exusta, & vastata. Respondeo, fuisse eam omnem, quam aperuit Mare mortuum: namque eo loco erant celebres illæ quatuor ciuitates. Itaque magnitudo eius cladis æstimari debet ex magnitudine illius maris; de qua Ioseph Hebræus lib. 5. de bello Iudaico cap. 5. scribit: *Longitudo eius lacus est quingentorum octoginta stadiorum; latitudo centum quinquaginta stadijs patet*. Ergo longitudo lacus habet duo, & septuaginta millia passuum, superque quingentos passus. Latitudo autem propè decem, & nouem millia passuum. Et Lacus iste varijs nominibus appellatur in S. Scriptura. Vocatur enim, *Mare campestre* propter planitiem, & æquabilitatem loci quondam amænissimi, & à Iordane vsquequaque irrigati, ac fæcundati. *Mare salis*, vel salsum siue salsissimum, ob saporem salsum, quem ei fecit copiosissimum sal de cælo lapsum. Verùm salsedo, ob exuperantiam, excedit in amaritudinem. *Mare mortuum*, & *mare solitudinis*, quia post memorabilem illarum vrbium deflagrationem, loca circumquaque vicina: terra pestilentium aquarum euaporatione, ita perpetuò inficiantur, vt sterilia pariter, atque insalubria, ob idque hominibus, & animalibus infesta, semperque inhabitata, & deserta sint.

Quantum illius Regionis vastauerit clades Sodomitica.

Mare salis varia nomina, & cur.

43 *Vniuersos habitatores vrbium*: Quia in Sodomis tàm viri, quàm feminæ, & pueri omnes erant inquinati impijssimo Sodomitarum crimine. Viri, & pueri, vt alibi diximus. Fœminæ propter luxum, & superbiam, probabile etiam eodem cum viris fæditatis genere, qua illis licebat, inquinatas fuisse. Nec hoc tantùm igne conflagrarunt Sodomitæ, sed vt habemus apud S. Iudam verſ.7. *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*.

44 *Et cuncta terra virentia*. Idest omnes arbores, quæ tunc erant, consumptæ sunt, tota herba agri, sed postea terra licèt sterili existente ad diuinæ sententiæ iudicium arbores pulchræ sunt, tàm pomi, quàm pices, quæ fructum exteriùs pulchrum ostendentes, interiùs fumo, & fauillis plenum habent. Ita Tertullianus in Carmine de Sodoma, Iosephus, Orosius, Tacitus, Solinus, Plinius, & alij vbi agunt de Asphaltite. Tostatus, à Lapide, Pererius, & Borchardus oculatus testis in descriptione terræ Sanctæ *p. par. cap. 7. & 38.* Insuper & ipse Sapiens Sapientiæ cap.10. verſ.7. *In testimonium*, inquit, *nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore* (intempestiuos, immaturos, imperfectos, euanidos) *fructus habentes arbores*.

Mirabile de fructibus arborum Sodomæ.

45 *Respiciensque vxor eius post se versa est in statuam salis*: Quia respexit, excita strepitu ignis, & sulphuris pluuij, & clamore pereuntium, contrà præceptum diuinum, vel dolendo inordinatè de rebus, quas in ciuitate reliquerat, de excidio parentum, & natalis soli, *versa est in statuam salis*, ad hoc vt esset quasi marmor, & monumentum perenne diuinæ castigationis, quo posteri doceantur Deo per omnia obedire, & seruire, nec retrospicere, vt bonis cæptis desistant. Sic enim in supra dato Sapientiæ loco sequitur, *& Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*; nota quòd memoriam dixit, idest, *memoriale*, nam Græcè est, μνημεῖον, pro, *figmentum*, Græcè est, στήλη, idest *columna*. Vndè Targus Hierosolymitanus scripsit de vxore Loth: *Vt facta sit columna salis duratura vsquè ad tempus resurrectionis, quo mortui reuiuiscent*. Verſ. 26.

Vxor Lot cur versa in statuam salis.

46 Igitur dicendum est huius statuæ sal fuisse metallicum, quod pluuiæ resistit, & ædificijs soliditate sua est vtile, de quo Plinius lib. 31. cap. 7. & Cæsius lib. 3. de mineralibus cap. 2. sectio 5. num. 9. pag. mihi 304. col. 1. dum duratura est vsquè ad iudicium. Tempore Tertulliani erat nam ipse in carm. de Sodoma sic cecinit.

Mira de statua vxoris Lot.

Ipsaque imago sibi formam sinè corpore seruans
Durat adhuc, numquam pluuijs, nec diruta ventis:
Quin etiam si quis mutilauerit aduena formam,
Protinùs ex sese suggesta vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore sexus.
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Vbi nota, dicit à Lapide, ly *Viuens*. Non

Non quòd verè viuat hæc statua, sed quòd fluentis more, quasi menstrua quædam effundat. Borchardus qui vixit ab hinc quatuorcentum annis, testatur statuam hanc sua ætate adhuc extitisse inter Engaddi, & mare mortuum; eamque etiamnum extare docet Adrichomius. Hinc de hac statua salis vxoris Loth est ænigma;

Cadauer, nec habet suum sepulchrum;
Sepulchrum, nec habet suum cadauer;
Sepulchrum tamen, & cadauer intùs.

Ænigma de statua salis vxoris Loth.

quia scilicet ipsa sibi cadauer est, & sepulchrum; vndè de vxoris Lothi statua dicendum;

47 METAMORPHOSIS.

Quam stupes muliebrem statuam
Tanto artificio fictam,
Artifice caruit.
Genita fuit, & sinè scalpello sculpta.
Et, quod impensiùs mirere,
Olim spirabilis, & loquuta.
Breui; Fœmina fuit.
Dicerem, est;
Nisi prodigium videretur,
Fœminam esse, & tacere.
Gorgonium vidisse illam putas?
Aut Ciconum fontem bibisse?
Erras: se ipsa finxit.
Nam contrà diuinum præscriptum
Dum Patriam spectat, se amisit.
Sola igitur Mortalium, nec Imaginis egens, nec sepulchri,
Ipsa suæ stupiditatis Imago,
In semita hæret;
Et in sua statua tumulatur.
Licet igitur intra Metamorphoses numerare
Fæminam ex vera fictam:
Imò nunc veram, quia fictam.
Nam quid in Feminis videas, nisi fictum?
Itaque mentiri solita, seipsam mentitur.
Mortua viuam simulat, vel viua mortuam.
Magis mirere,
Quòd insulsa, salsum migrauit in lapidem:
In sale mortua, quo viua carebat.
Sic solent Fæminæ: sapiunt cùm pereunt.
Ah fuge hunc salem, si sapis, Viator.

Vers. 27. 48 *Abraham autem consurgens manè, vbi steterat priùs cum Domino.* Idest in aurora sequentis diei Abraham pietate motus consurgens (in eo loco vbi priùs steterat cum tertio illo Angelo qui venerat ad nunciandum ei conceptum Saræ) vt videret quid factum esset circa regionem illam pro qua die precedenti Dominum rogauerat, *Intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius*, idest Seboim, & Adamam, & territoria istarum ciuitatum.

Vers. 28. 49 *Viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumum.* Alij legunt pro ly *ascendentem fauillam, fumum, vaporem* קטר *kitor* enim hæc omnia significat. Spectabat igitur Abraham ipsum Sodomæ incendium. *Iuxtà Hebræum* (dicit Caietanus ibi. pag. 95.) *habetur, & vidit, & ecce ascendit fumus terræ sicut fumus fornacis. Perpende quàm celer fuerit subsequutus effectus ardentis terræ, ex pluto igne cum sulphure. Manè siquidem adueniens Abraham ad locum illud vnde prospicere posset regionem Sodomiticam, non vidit ignem, aut sulphur descendere per modum pluuiæ, sed fumum ascendere de terra tanquam ex fornace ardente. Hinc enim insinuatur, quòd pluuia ignis, & sulphuris exiguo valdè tempore durauit, in magna tamen copia fuit: vtpotè extensa per totam illam planiciem, & sufficiens non solùm ad comburendum omnia; sed ad impediendum fugam habitantium. Nam omnes habitatores consumptos esse Scriptura testatur. Fuit igitur huiusmodi pluuia repentina occupans vniuersam planiciem vehementissima, & exiguo tempore.*

50 Cùm

Digitized by Google

Vers. 29. 50 ***Cùm enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus Abrahæ liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat***. Ly ***cùm*** non signat hic quando, sed antequam, quia liberatio Loth non fuit facta, quando destruebantur ciuitates, sed antequam destrui inciperent, vt patet supra, scilicet non potero quidquam facere donec ingrediaris illuc idest in Segor. Sic facilè habetur explicatio huius versiculi. Ly ***Recordatus*** vide quæ iam diximus in tom.1. cap.8. Genesis vers. 1. num.1. tit. Literalis Expositio pag. 131. col. 1.

Vers. 30. 51 ***Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo, &c.*** Idest Loth, & duæ eius filiæ timentes, ne incendij vis ad Segor euertendam auolaret. Ascendit ad montem, ***Quantum temporis*** (dicit Caietanus) ***moratus fuerit in Segor, non est Scriptum. Ratio autem timoris fuit metus ne flamma accensa planitiei extenderetur in Segor, & humana quidem ratione rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem: manifesta tamen diffidentia Lot de verbis Angelicis hinc apparet. Promiserant enim seruare ciuitatem illam. Et mansit in spelunca, ipse, & duæ filiæ eius.***

Vers. 31. 52 ***Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum, &c.*** Volebat maior minori persuadere, quòd coirent cum patre suo, & vsa fuit ijs verbis ***Pater noster senex est***: Ly ***Senex*** ponitur ad suadendum, quòd istud factum de concubitu paterno non deberet dilatari, quia cùm Loth ***Senex*** esset, citò moreretur, vel deficeret in eo vis generatiua.

53 ***Et nullus virorum remansit***. Putabant enim, quòd sicut tempore Noè mundus vniuersaliter fuit destructus per aquam, ità nunc destructus erat per ignem; & sicut tunc Deus reseruauit Noe, & filios, & vxores eorum ad restaurandum genus humanum: ita nunc Angeli Domini reliquerant ipsas, & patrem suum ad suscitandum genus humanum. Origenes autem dicit homil. 5. in Gen. ***Apparet filias Loth didicisse quædam de consummatione mundi per ignem futura, sed tanquam puellas id non integrè, & perfectè intellexisse. Audierant in fine sæculi omnia elementa, ignis ardore decoquenda: videbant ignem, videbant sulphureas flammas, videbant cuncta vastari, matrem quoque suam perijsse: suspicatæ igitur sunt, tale aliquid euenisse, quale contigisse audierant in temporibus Noe: & similiter ob reparandam mortalium posteritatem, se solas cum patre esse relictas: Ergo recuperandi generis humani desiderio inflammantur, atque instaurandi ex se sæculi, dandum esse putant exordium. Et quamuis graue eis crimen videretur, furari concubitum patris, grauior eis tamen videbatur impietas, si humanæ, vt putabant, posteritatis spem seruata castitate deleri paterentur***. Sic Origenes. Attamen Lothi filiæ non sunt excusabiles, nam S. P. N. Augustinus lib. 22. contrà Faustum Manichæum cap. 43. censet, etiamsi sciuissent illæ nullum virorum in terris superfuisse præter patrem suum, nihilominus tamen à concubitu paterno abstinere debuisse. ***Potiùs***, inquit, ***nunquam esse matres, quàm sic vti patre debuerunt. Nempè in tali casu, cura seruandi propagandique generis humani, non ad ipsas, sed ad patrem ipsarum pertinebat? quare eo inconsulto, tam graue facinus aggredi vereri debebant; nec sibi eius vel deliberationem, ac dijudicationem arrogare; sed patris arbitrio permittere. Ac licèt coniunctio patris, & filiæ non excludat finem matrimonij, qui est generatio prolis: ob naturalem tamen indecentiam, & turpitudinem, quam ferè omnes gentes auersantur, & horrent, vetita est lege naturali talis commixtio, nec est ab homine dispensabilis***. Quin etiam S. Ambrosius ipse in Epistola 66. docet, coniugium patris cum filia pugnare cum lege naturali scripta in cordibus singulorum.

Filiæ Lothi de incestu inexcusabiles.

54 ***Veni inebriemus eum vino dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen***. Idest cogitatio, & deliberatio inebriandi patrem, subijt animum maioris filiæ post ascensum montis: non igitur ex vrbe Segor tulerat vinum ad id præparatum: nec in monte talis mixtura, & conditura fieri poterat artificiosè ad inebriandum: sed in Segor emerant vinum, & indè cum victualibus cæteris, ad aliquot dierum victum asportarant, de copia igitur illius vini inebriare cogitauit patrem, non de vino artificiosè condito sicut Hebræi autumant. ***An aliqua*** (inquit S. P. N. Augustinus super ca te) ***Sodomitarum arte pessima, etiam paucis poculis patrem sic inebriare potuerunt, vt illud peccatum cum ignorante, vel potiùs de ignorante committerent? sed mirum si hoc scriptura diuina tacuisset, vel seruum suum Deus sine aliquo voluntatis suæ vitio, perpeti siuisset***. Vers. 32.

55 Quærendum hìc est an ebrietas Loth culpanda sit, an excusanda. Ad quòd soluendum affero verba S. P. N.

Digitized by Google

Lothi ebrietas an culpanda!

Auguſtini in lib. ſupra dato ideſt 22. contrà Fauſtum cap. 43. vbi ſic dicit : *Culpandus eſt Loth non quantùm ille inceſtus ſed quantùm illa ebrietas merebatur; Nam & ebrietatem lex æterna condemnat, quæ cibum, & potum ſecundùm ordinem naturalem, non niſi gratia conſeruandæ ſalutis admittit. Quid enim tandem cogebat, vt Loth filiabus ſuis crebra vina miſcentibus, aut fortaſſe non mixta crebrò porrigentibus conſentiret, aut crederet? An per hoc filias, nimirum triſtitiam fingentes ita voluit conſolari, vt illius deſtitutionis, & materni luctus dolor de cogitatione mentis ebriæ fugaretur; etiam ipſas tantundem bibere exiſtimans, & aliqua fraude agentes ne biberent? Veruntamen etiam talem triſtibus adhibere conſolationem, quomodo virum iuſtum decuerit non videmus.* Idem ſenſit Origenes hom. 5. in Geneſim, & Caietanus. Sed S. Io. Chryſoſtomus homil. 44. in Geneſim ebrietatem Loth omninò à crimine vindicat. S. Thomas 2. 2. quæſt. 150. artic. 4. exponens ſupra dictam S. P. N. Auguſtini ſententiam, pronior eſt ad excuſandam Lot ebrietatem; & S. Theodoretus quæſt. 69. in Geneſim partim incuſat, & partim excuſat.

Verſ. 33. 34. & 35. 56 *Dederunt itaque patri ſuo bibere vinum nocte illa. Et ingreſſa eſt maior, dormiuitque cum patre: at ille non ſenſit, nec quando accubuit filia, nec quando ſurrexit. Altera*, &c. S. Irenæus lib. 4. aduersùs hæreſes cap. 51. ait Loth concubuiſſe cum filiabus, cùm eius rei nullam habuiſſet nec concupiſcentiam, nec voluntatem, nec ſenſum, nec cogitationem vllam. Suffragatur item Aureus doctor huic ſententiæ, tractans illa verba; *Neſciuit quando accubuerit, vel ſurrexerit*; Ita ſcribit: *Vide quemadmodum diuina Scriptura pro iuſto illo ſatisfactionem dederit ſemel atque iterum: Nam priùs dixit, filias deliberaſſe inebriare eum vino, quòd aliter ad facinus illud duci poſse diffiderent. Nunc autem opinor ſuperna diſpenſatione eſse factum, vt ſic ille vino grauaretur, vt omninò ignoraret: ne ſcilicet fieret criminis reus; ea namque peccata nos condemnant, quæ ſcientes, & volentes facimus. Scripturæ autem manifeſtum illi iuſto teſtimonium perhibet, neſcimiſse eum omninò, quod ab ipſo, vel cum ipſo factum eſt.*

57 *Conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre ſuo. Peperitque maior filium, & vo-* Verſ. 36. & 37.
cauit nomen eius Moab: ipſe eſt pater Moabitarum vſque in præſentem diem. Septuaginta vt Ethymologiam nominis exprimerent addiderunt: *Vocauit nomen eius Moab de patre meo*. Hebraicè מאב. A Moab vrbs Arabiæ (quæ alias, vt Euſebius refert, Areopolis dicitur) & regio nomen acceperunt Iſa. cap. 11. Eſt & Regnum filiorum Loth ad orientem Iudeæ ſitum, proximum mari mortuo, & Iordani, eſt præterea nomen Regis 1. Reg. cap. 12. & 20. 1. Paralip. cap. 4. Interpretatur. *De Patre*.

58 *Minor quoque peperit filium, & vo-* Verſ. 38.
cauit nomen eius Ammon, ideſt, filius Populi mei: ipſe eſt Pater Ammonitarum vſque hodie: Ammon Hebraice בן עמי *Ben-ammi*, ideſt filius populi mei, vel, vt Septuaginta, generis mei, quem ſcilicet ex meo genere, & gente, ex mea cognatione, & parentela, puta ex patre, ſuſcepi.

DIGRESSIO TOPOGRAPHICA DE LOTH,

Et toto hoc XIX. Geneſis capite.

Sulphurea, Viator, quam cernis Lacuna, Pentapolis fuit.
Quinque olim Regibus beata ſedes:
Nunc fumoſum famoſi Cupidinis buſtum ſuas faces experti.
Inuerſis huius ignibus reſolutæ nubes,
Imbres in flammas verterunt.
Vt contrà naturam laſciuitum non dubites,
Naturæ legibus ità peruerſis.
Nam contrà Naturæ inimicos, inimicæ fœderantur Naturæ
Ignis, & Imber.
Sic flendos inter luſus.
Ignea procella afflati Ciues omnes;
Præpoſterè arſerunt, vt amarunt.
Imò, geminato miraculo,
Ignis ex aqua fluxit, mox aqua ex igne.

Ambu-

Digitized by Google

Ambustam quippè Regionis faciem
Pigrum deleuit Mare; verò nomine Mortuum;
Cocyto simile, vnde orta Venus.
Itaque profanæ vrbes, post incendium naufragæ,
A Vulcano mortem, à Neptuno tumulum habuere.
De more;
Nam Cupidinis flammas, lacrymarum sequuntur vndæ.
Nulla igitur hic Ceres, nec Cereris Comes:
Cassæ tantùm fruges,
Et poma præstigioso colore blanda,
Experientium fauces putri eludunt fauilla.
In exemplum voluptatis, quæ forit nitida,
In pænitendum mox cinerem vanescit.
Lætior illa insula, Lothi sedes ac domus fuit.
Qui solus æruginoso sæculo purus, igne non eguit:
Solusque superfuit incendio.
Hunc suaui cum Vxore, & Gnatis duabus,
Angeli de Hospitio grati, vindicauere.
Lege data, ne Patriam à tergo respicerent.
Adeò diuina iudicia humanis oculis interdicunt:
Vel auersa Venus miserationem demeretur.
At Feminæ illiciuntur vetando: augente voluptatem periculo.
Curiosior Lothi Vxor, cliuo in isto restitans;
Dum se vertit, in lapidem vertitur salsum.
Digna sigillaria, quæ insulsis mittantur.
Hoc in monte, abstrusus respirauerat Loth.
Filiarum comitatu, vxoris iacturam leniente.
Sat felix, quòd cariora flammis exemerat:
Nescius heu puellarum sinu peiora incendia foueri;
Quæ diù clausa, ruinam faciunt.
Hæ se Virorum generi superstites ratæ,
Virginitatis tædio, maternum Thalamum scandunt.
Nimirum, festiuæ hilaritatis specie Genium soluturæ,
Pleniores calices Patri propinauerant:
Vt Veneri lenocinaretur Bacchus, & ignis in igne fureret.
Hinc nefandæ Bacchantes, ebrij Genitoris implexæ amplexibus;
Fædis liberalibus, fædiora miscent Floralia.
Oh, post illum salem, adhuc fatuæ Sorores!
Debuerant Matri conformari:
Quæ nisi esset statua, nunc fieret.
Verum est quod aiunt, lethalem floribus vitem;
Cum Virgineos necuerit flores.
Infelix Genitor, cui flammæ seruatus?
Ignem fugit, & secum tulit in dolio.
Felix tamen, quòd gemina inter strupra castissimus,
Salua honestate, Filias fecit Matres.
Nam clamdestino vini philtro obstupefactus;
Bacco, nocte, somno, ter cæcus;
Incestum furantes Filias non sensit.
Vt non absurdè asseratur somnus Pasiphaæ Maritus,
Cùm & incestificus esse possit.
Licet hoc etiam miraculis adnumerare,
Carneam statuam, dormiendo gignentem.
Ergo vtraque concepit riualis Soror;
Et vtraque suum peperit Fratrem,
Quorum alter Moabitis, alter Ammonitis, nomen fecit;
Olim Isacidis infestum Genus,
Quale tali thalamo ingignitur.
Perge viator:
Citrà fabulam tres fabulas tenes,
Phaethonta, Nioben, Myrrham.

A N-

ANNOTATIO MORALIS.

Vers. 1. vsque ad 3.

60 *Venerunt que duo Angeli Sodomam Vespere sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit, & iuit obuiam eis*: Nota quòd Vespere erat; Loth surrexit, & coegit Angelos vt intrarent in domum suam; hoc nobis docet, quòd quantò magis instat vesper huius vitæ, deberemus cogere Dominum, orationibus, ieiunijs, eleemosynis, & vigilijs, vt maneret nobiscum: quod confirmatur ex illo dicto S. Matthæi cap. 11. vers. 12. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Et ex facto duorum Apostolorum, qui ibant in castellum Emmaus, de quibus narratur Lucæ cap. 24. vers. 29. *Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*. Sed quia coegerunt die iam inclinata, idest, vespere, quid sequitur? Audi: *Et intrauit cum illis*. E contra verò Iudæi in ramis palmarum occurrerunt Domino, sed minimè receperunt in hospitio, imò cùm tota die prædicasset, in Vespera cogebatur exire, & ire Bethaniam in domum Mariæ, & Marthæ, sic refert S. Marcus cap. 11. vers. 11. *Et circumspectis omnibus, cùm iam Vespera esset hora, exijt in Bethaniam cum duodecim*. Et S. Hieronymus rationem reddens dicit: *Quia nulli adulatus fuerat, in tanta vrbe hospitium non inuenit*.

Instante huius vitæ vespere debemus quasi cogere Dominũ operibus bonis, vt nobiscum maneat.

Peregrini non solùm sunt vocandi, sed cum instantia trahendi.

Vers. 4.

61 *Priùs autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis vallauerunt domum illius à puero vsque ad senem omnis populus simul*. Hinc apparet, quanta fuerit virtus, & sanctimonia Loth, qui vitam agens inter homines summis flagitijs inquinatissimos, ab omni purus scelere, eximiam integritatem, atque innocentiam custodierit. Luculentum sanè iustitiæ eius testimonium, ac præconium perhibuit Apostolorum Princeps epist. 2. cap. 2. vers. 7. *Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit*. (vers. 8.) *Aspectu enim, & auditu iustus erat habitans apud eos; qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant*. A quo fit nobis exemplum, vt etiam inter pessimos, & exleges viuentes vitam immaculatã innocentemque conseruemus. Quantò igitur veriùs in Loth competit, quòd senex ille comicus de filio suo prædicabat dicens, eum, quòd æqualium suorum improborum adolescentium consuetudine nihil fuisset corruptus, spectatæ iam esse virtutis, magnumque exemplum continentiæ. Terentius in Andr. *Nam qui cum ingenijs, ait, conflictatur eiusmodi, neque commouetur animus in ea re tamen, scias posse habere iam ipsum suæ vitæ modum*. Verissimum est illud Platonis dictum in Loth. *In ea gente, quæ plurimum mala est, si quis bonus sit, eum esse quàm optimum*.

Laus virtutis Loth.

62 Vel dic. *Viri Ciuitatis vallauerunt domum*. Viri ciuitatis sunt dæmones, qui vallant nos vndique, rapere cupientes, vt si ad modicum exierimus domum conscientiæ nostræ, statim rapiamur, & corrumpamur ab eis. Hinc S. Petrus admonet omnes Christi fideles suos in epist. 1. cap. 5. vers. 8. & 9. *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide*.

Vigilandum est Diabolo ne rapiat nos.

Vers. 5.

63 *Vocaueruntque Loth, & dixerunt ei: vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? educ illos huc, vt cognoscamus eos*. Isti viri, quibus abuti volunt Dæmones, sunt intellectus, & affectus, qui habent hospitium apud vnumquemque. Intellectum nituntur corrumpere curiositate, affectum voluptate. Sed rogandus est Helias, idest Christus Dominus, vt spiritus eius duplex fiat in nobis, idest Spiritus Sapientiæ, qui affectum nostrum sapore suo imbuat, vt voluptatem oblatam à Dæmonibus non admittat, quia gustato spiritu, desipit omnis caro. Prouerb. cap. 27. vers. 7. *Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet*. Et spiritus intellectus, qui intellectum nostrum illuminet, vt reiecto animi omni errore, & animi omni curiositate, veritatis via teneamus. Et hoc quidem obtinebimus, si sermones Dei humiliter attendamus, quia cecinit Regius Vates Psal. 118. vers. 130. *Declaratio sermonum tuorum, Domine, illuminat, & intellectum dat paruulis*.

Virtute gustata omnia spernuntur.

64 Egres-

Vers. 6. 64 *Egressus ad eos Lot , post tergum occludens ostium*. Occlusit Loth ostium, quia vir iustus dona gratiarum apud se hospitantia, nulla ratione debet exponere, nec in publicum prodere. Loth vt saluet hospites suos, exponit se periculo, & nos vt saluemus dona gratiarum, quæ apud nos hospitantur, debemus nos exponere omni periculo, & labori etiam vsquè ad mortem. Matthæi cap. 10. vers. 28. *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere*. Egrediamur igitur cum Loth per orationes, & eleemosynas, & post tergum ostium claudamus, ne nobis absentibus valeat fur subintrare. Sunt enim Dæmones quasi fures, & si expellis vnum per eleemosynam, aut per ieiunium, alius intrat per vanam gloria, aut per tristitiam. Hinc dicitur Matthæi cap. 6. vers. 3. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (vers. 4.) *Vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*. Et vers. 6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, &c.*

Vir iustus dona gratiarum quæ habet, non debet in publicum exponere.

Dæmones sunt fures, & quomodo.

65 Vel dic: *Occludens ostium post tergum*. Vt doceret nos hospites ab inuadentibus defendere; nam ipse Loth fidem hospitalitatis, periculo suo defendit, conciuium furiam molestè amoliri conatur. Vnus contrà tot viros impios (sicut Abraham contrà tot Reges) pro ostio stat, sola fide armatus. Corpus suum, & vitam opponit periculo pro hospitibus, & victoriam reportat, Domino fideles suos minimè deserente. De iure enim naturæ est, illæsos hospites conseruare.

Hospites defendendi de iure naturæ.

Vers. 7. 66 *Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere*. Correctio humilis, modesta, & lepida est facienda; Vnde S. Ioannes Chrysostomus inibi exclamat dicens: *O iusti longanimitatem! O excellentem modestiam! hac vera virtus est, ita mansuetè alloqui illos. Nullus enim ægrum volens curare, & insanientem castigare, cum furore, & austeritate hoc facit, & animaduerte, quòd eos, qui tàm absurda patrare volebant, Fratres, vocat, eorum conscientias tangere cupiens, & à nefario flagitio volens abducere.*

Correctio humilis esse debet.

Vers. 8. 67 *Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum*, &c. Duæ filiæ Loth, quas exponit pro hospitibus suis sunt caro, & anima, quas debemus flagellis exponere, & contumelijs pro virtutibus conseruandis. Carnem flagellis, animam contumelijs: hinc de vtroque testimonium reddidit Apostolus scribens 1. ad Corinthios cap. 4. vers. 12. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus* (vers. 13.) *Blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsquè adhuc.*

Caro flagellis, Anima contumelijs mortificanda.

68 Hic nota quòd quatuor sunt genera filiarum. Sunt filiæ Babylonis: sunt filiæ Iuda: sunt filiæ Sion: sunt filiæ Ierusalem. De prima Psal. 136. vers. 8. *Filia Babylonis misera*. De secunda Psal. 96. vers. 8. *Et exultauerunt filiæ Iudæ*. De Tertia Psal. 9. vers. 5. *Vt annunciarem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion*. De quarta Cantic. cap. 5. vers. 8. *Adiuro vos filiæ Ierusalem*. Prima in peccatorum confusione: Secunda, se purgat in confessione: Tertia in speculatione: Quarta fruitur Dei visione. Prima enim interpretatur, *Confusio*; Secunda, *Confessio*; Tertia, *Speculatio*; Quarta, *Pacis visio*. Prima ridet errore: Secunda luit mærore: tertia languet amore: Quarta gaudet honore. Prima, Pulchritudo Prouerb. cap. 31. vers. 30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo*. Secunda dicit Cantic. cap. 1. vers. 4. *Nigra sum, sed formosa*. Tertiæ dicitur ibid. vers. 14. *Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra es*. Quarta dicit ibid. vers. 3. *Exultabimus, & lætabimur in te*.

Quatuor genera filiarum.

69 *At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursùs Ingressus es, inquiunt, vt aduena*, &c. Animaduerte illa verba; *Te affligemus*. Nam quod erat cunctò populo voluptas, id Lotho Sanctissimo esset afflictio. Nulla potest iusto maior excogitari afflictio, quàm cogi exprimere, vel sinè culpa specie tenus prauam actionem. Vers. 9.

70 *Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntque ostium*. Hic locus explicatur, & adaptatur moraliter à S. Gregorio 6. Moral. cap. 17. inuidiæ, quam habent iustis hominibus inuidi: *Peruenire ad aliqua, inquit, quæ reprehendant, satagunt, detractionis aditum quærentes; sed quia hunc inuenire non valent, caci exteriùs circumeunt: quod benè exprimitur in Loth historia*. Introduxerunt, &c. *Iustus quisque dum prauorum insidias sustinet, ad mentem reuertitur, & impertorritus manet, corruptores autem mentium contrà vitam iusti, nullum accusationis aditum deprehendunt, sed percussi cæcitate quasi Domum circumeunt. Quia inuidentes facta dictaque scrutantur. Sed quia eis de vita iusti, fortis vndique ac laudabilis actio ob-* Vers. 10. & 11.

Inuidus bonis alien cruciatur.

uiat , errantes nihil aliud quàm parietes palpitant.

Vers. 12. 71 *Dixerunt autem ad Lot : habes hic quempiam tuorum? generum, aut filios,* &c. Propter vnum iustum etiam, & multi aliquando Saluantur. Propter Iustum Noe, & filios in diluuio saluauit Dominus. Propter vnum iustum Moysem toties & Israelem non puniuit Deus. Hinc Aurei Doctoris in cap. sup. Genesim documentum accipe; *Igitur dilecte, quando videris virum vili externo habitu vestitum, virtute verò intrinsecùs amictum, ne vilipenderis quod apparet, sed animi diuitias virtuteque fulgentem venerare.*

Iusti æsti mandi etti viles appareant.

Vers. 13. 72 *Delebimus enim locum istum, eò quòd increuerit clamor eorum coràm Domino, qui misit nos, vt perdamus illos.* Preme ly *Quod increuerit.* Expectauit Dominus donec criminum cumulus perficeretur; perfectus autem nouissima illa obsidendi domus Lothi nefarijssima actione. Qui conscientia effrenata tot quotidie crimina perpetras, quomodo non times, quodlibet piaculum daturum tàm eleuato cumulo perfectionem? Quis scit, num præfinita sit tibi æterna pœna post huiusce criminis patrationem? An putas, permittendum te æternùm impunè delinquere?

Dum non finitur culpis, pœna in pinatè finitur.

Vers. 14. 73 *Egressus itaque Loth, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius,* &c. Mirarer profectò eos Lothum generos elegisse, qui tanta laborarent impietate. Parentis prudentis, ac probi sit filiabus eos eligere viros, qui non tàm polleant diuitijs, quam vigeant pietate. Quid de impudico genero expectas nisi filiæ tuæ contemptum, & luctum interminabilem? Vnde ad rem facit quod scribit Mediolanensium Pastor lib. 1. de Abraham cap. 3. tom. 4. *Discant homines coniugia non spernere, nec sibi sociare impares, ne huiusmodi suscipiant liberos, quos haredes habere non possint, vt vel transfundenda hareditatis contemplatione, si nullo contuitu pudoris mouentur, digne studeant matrimonio.*

Parentes sint prudentes in eligendis sponsis filiabus.

Vers. 15. 74 *Cùmque esset manè, cogebant eum Angeli dicentes: surge, tolle vxorem.* Septuaginta legunt: *Vrgebant Angeli,* Arias, *Vim faciebant Angeli.* Compellebant Angeli iustum, quia apud generos moras trahebat, vt eos ab incendio liberaret, & moratus apud illos in periculo versabatur. In hoc negotio charitatis officia exercebat Loth: quomodo ergo periclitabatur? Tàm periculosè quis agit inter iniquos, vt etiam qui charitatis munus videtur exercere, si aliqualem morulam trahat, à discrimine, ac periculo non euadat immunis. *Adhuc morabatur Loth,* ait D. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 6. *vt persuaderet generis suis, & penè non profectus, non euasisset, nisi vrgentibus Angelis egredi coactus esset.*

Cum malis periclitatur iustus.

75 Vel dic. *Cùmque esset manè cogebant eum:* in qua sanè coactione, inquietam, vt ita dicam, Dei sollicitudinem agnosce, vt è coeno peccatorum, diuinæ beneficio gratiæ, in *manè* illo typicè adumbretur, cum Laureto in sylua Allegor., tandem incolumes euadamus; *manè* cogebant, quia opus diuinæ lucis est, à malis recedere ibid. Glossa: & quidem *manè* non *vespere*, vt sicut, ad hoc, die vrgente, ad auitos accessit de cœlo vindex plectendos parentes; ita moræ impatiens, summo manè accurreret, vt à condigno eximeret supplicio Sodomitas, si Lothi monitis acquieuissent salutaribus.

Manè *pro inspiratione, seu gratia diuina sumitur.*

76 *Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris ac duarum filiarum eius, eò quòd parceret Dominus illi.* In manibus operatio adumbratur; hinc manum intellige morum esse magistram, ac eruditam sublimissimè pedagogam; vt scitè Nazianzenus in Test. Vers. 16.

Vel ne doceto, vel doceto moribus;
Sermone non tàm, quàm manu pictor docet.

Manus operationis est magistra.

Ita, manu sua intelligere fecerunt Lotum Supremi de cœlo doctores Angeli, quorum Salutaria monita intelligere dissimulauit: vbi obseruat Stephanus Cant. in Allegor. Tilmanni ibid. *Qui enim apprehendit manum alicuius, manus eius, manui sua annectit, quod est dare exemplum benè agendi.*

77 *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam: noli respicere post tergum,* &c. hic de salute sermo est, imò & de saluatione indicat Caietanus. *Quòd dicit Salua animam tuam, periculum monstrat propria vite ne pereat.* Montem autem, in quo animam saluandam fore ei Angelus dixit, typum gerere religionis, & status perfecti significat Glossa dum asserit. *Mons altitudinem virtutum significat, ad quam Angelus hortatur secundùm illud, vade, & vende omnia qua habes.* Præceptum verò non respiciendi retrò morali expositione non indiget cùm planissimum sit. Quod vsquè adeò verum esse contendit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Vers. 17.

Salus certa in Religione.

Nec animo redeundum ad veterem vitam.

Clui-

Digitized by Google

Ciuitate Dei cap. 32. vt etiam de redeunte animo ad vitam veterem intelligendum opinetur; *Nisi quia non est*, ait, *animu, redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerationis exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus.*

Vers. 18. & 19. 78 *Dixitque Lot ad eos; quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coràm te, & magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti*, &c. Hic habes quomodo ad actiuam vitam confugiunt qui ad contemplatiuam non ascendunt. *Altitudo montium* (inquit S. Isidorus inibi) *speculatio, vel contemplatio est perfectorum. Sed quia multi illecebras mundi fugiunt, tamen in actione positi, contemplationis apicem subire nequeunt, cum Loth ad montana non perueniunt, sed remanent in ciuitate parua, idest in vita actiua, quæ iuxtà est, quia nec à mundi curis ex tot discreta, nec à gaudio æternæ salutis est aliena. Ad quam, inquit Loth, possum fugere; quia qui ad contemplatiuam ascendere non sufficiunt, ad actiuam vitam confugiunt, in qua saluentur.*

Qui ad contemplatiuam vitam non ascendit ad actiuam confugit.

Vers. 20. 79 *Est ciuitas hæc iuxtà, ad quam possum fugere parua, & saluabor in ea &c.* Hæc ciuitas, parua idest humilis vocabatur; quæ quidem à paucis incolis habitata paucioribus criminibus prouocabat Conditorem. An non Deus flectetur vrbis exilitate ob humilitatis documentum? Adeò Numini placet humilitas, vt vel eius imago illum exci-tet ad misericordiam. Hinc *Dicit Dominus*, refert Isaias cap. 66. ver. 2. *ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?*

Deus afficitur ad pietatem ex humilitatis imagine.

Vers. 21. 80 *Dixitque ad eum: ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem hanc pro qua locutus es.* Habes nunc morale documentum, quòd oratio continua, & humilis omnia obtinet. *Tantum valet*, scribit Lyppomanus, *oratio iustorum apud Deum, vt se impediri dicat ab infligenda vindicta. Vnde & alibi ad quendam iustorum etiam dicit*, dimitte me vt irascatur furor meus contrà eos, *dicit autem se non posse, quòd non vult, fidelium namque votis reluctare non placet Dei clementiæ, nihil enim Deo indignum orant, sed vt sanctificetur nomen suum.*

Oratio continua, & humilis omnia vincit.

Vers. 22. 81 *Festina, & saluare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc, &c.* Pulchrè vrget hæc Dei verba morali expositione Prado in cap. 9. Ezechielis vers. 6. *O*, inquit, *Diuina bonitatis pelagus! nonnè satis erat fidem astrinxisse suam, Dei Angelum erepturum Lotum de Sodoma incendio? Quorsùm tanta cunctatio? Videlicet acceperat Angelus à Deo mandatum non modò saluandi Lot, sed etiam ipsum sospitem, incolumem, tutum, & securum conseruandi*, Non potero, *inquit*, facere quidquam: *at peccata Sodomorum multa sunt nimis.* Non potero facere quidquam: *at impleta sunt scelera impudentium.* Non potero facere quidquam: *at clamant in cælum.* Non potero facere quidquam: *at venisti executurum sententiam absque venia.* Non potero facere quidquam; *Quousquè sese in montem recipiat Lot. Quorsùm tàm insolita prouidentia? Quò nepotem Abrahami serui Dei nec tangat, nec olfaciat ignis, neque occupet, neque verò scilicet pereuntium calamitas. Quàm meritò Dauid canebat. Qui habitat in adiutorio (in tutela, latibulo) Altissimi, in protectione (in vmbra) Dei cæli commorabitur. dicet Dominus susceptor meus (asylum meum, & arx mea) es tu.*

Peccata trahunt Deū ad vindictam.

82 *Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor.* Vide ordinem. Priùs educitur Loth de Sodomis, deinde sole orto ingreditur Segor, postea puniuntur Sodomitæ. Egressio Loth de Sodomis, significat exitum de peccato. Ortus solis super terram, significat filij incarnationem. Punitio Sodomorum, damnationem reproborum. Loth ingreditur Segor orto sole, quia quilibet declinans à vitijs infra limites paruitatis colligitur, & humiliatur, considerans Dei beneficia circà genus humanum. Vers. 23.

Quie humiliatur à vitijs declinat.

83 *Igitur pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo.* Hic ignis, & sulphur Symbola fuere, & prænuntia ignis gehennæ. Ita Laius Rex Thebarum, licèt Gentilis, ignis supplicio in emasculatores, tanquam naturæ iura peruertentes, animaduertendum censuit, inquit Plato apud Cælium lib. 15. cap. 16. Vers. 24.

Pœna prisca Sodomitarum fuit igni.

84 Vel dic, quòd vt pœna responderet, & competeret peccato eius gentis, Deus pluit sulphur, & ignem: Nam quia illi execrata libidine ardebant intùs, atque inuicem; & foris ob infamiam fætebant: idcircò & ignis deflagratione, & fætore sulphuris puniti sunt. Hoc pluribus verbis pulchrè declarat S. Gregorius Magnus lib. 14. moralium cap. 10. dicens: *Quid est aliud sulphur nisi fomentum ignis? Verumtamen sic ignem nutrit, vt fætorem grauissimum exhalet. Rectè igitur in sulphure peccatum carnis accipitur: quòd dum peruersis cogitationibus quasi quibusdam fætoribus men-*

Conuenientia punitionis Sodomorum cum eorum peccato.

tem replet, æterna incendia præparat. Et dum fætoris sui nebulam in mente reprobæ dilatat, contrà eam flammis subsequentibus quasi nutrimenta subministrat. Quod enim per sulphur fætor carnis signetur, ipsa sacri eloquij testatur historia, quæ contrà Sodomam pluisse sulphur, & ignem Dominum narrat: qui cum carnis eius scelera punire decreuisset: in ipsa qualitate vltionis notauit maculam criminis: sulphur quippè fætorem habet, ignis ardorem. Qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fætore arserant, dignum fuit, vt simul igne, ac sulphure perirent: quatenùs ex iusta pœna discerent, quid ex iniusto desiderio fecissent. Sic Vaticani gloriosissima Columba.

85 Nota hic moraliter ignis proprietates: est enim ignis Siccus, Calidus Leuis, mobilis, Acutus, & subtilis. Siccus, vt humidos exiccet: Calidus, vt frigidos inflammet: Leuis, vt graues subleuet: Mobilis, vt pigros excitet: Subtilis, vt grossos extenuet: acutus, vt duros penetret: carnis voluptate humidos, frigidos timore, graues mundi solicitudine, pigros pusillanimitate, grossos sensuum hebetatione, duros obstinatione; Humidos desiccet per abstinentiam, Frigidos inflammet ad pœnitentiam, Graues subleuet ad superna desideria, pigros suscitet ad charitatis opera, grossos extenuet intelligentia, duros penetret amorosa sapientia. Humidos exiccabat, de quibus dicebatur Apocal. cap. 22. vers. 11. *Qui in sordibus est sordescat adhuc*: qui clamabant Psal. 68. 2. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*. Sed siccati dicunt: Psal. 39. 2. *Eduxit nos de lacu miseriæ, & de luto fæcis*. Frigidos inflammat, qui dicebant: *Factus sum sicut vter in pruina*; Iam dicunt: *Inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt: vt iumentum factus sum apud te*, portando onus pœnitentiæ. Graues subleuat, quibus dicebatur: *Filij hominum vsquequò graui corde?* (Deuter. cap. 32. vers. 11.) *Expandit alas suas, & assumpsit, atque portauit in humeris suis*, vt dicant (Isaiæ cap. 26.) *Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabit ad te*; Pigros excitat, qui audierunt: (Prouerb. cap. 20. vers. 4.) *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit in æstate, & non dabitur illi*. Sed iam excitati sunt, dicunt, Cantic. cap. 5. vers. 14. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*. *Tornatiles*, quia sine scrupulo vanitatis. *Aureæ*, propter opera charitatis: *Plenæ hyacinthis*, quia indè expectatur retributio cælestis. Grossos extenuat, quia (Psal. 31. c) *Sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Qui nescierunt neque intellexerunt; in tenebris ambulant*. Iam promittitur eis: (ibid.) *Intellectum tibi dabo; & instruam te*. Duros obstinatione penetrat amorosa Sapientia; ijs dicebatur per Prophetam Isaiam cap. 48. vers. 4. *Scio enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea*. De sulphure, vide Bercorium in locis supradatis.

Proprietates ignis moraliter exposita.

86 *Et subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia*. (Vers. 25.) Eucherius, & Strabus, citati à Lopez in sua mensa ciborum spiritualium tit. Luxuria num. 8. dicunt: *Peccatores carnales diebus Noe aqua diluuij exterminauit. Sodomitæ verò grauiori supplicio ignis scilicet, & sulphuris diluuio perierunt. Illud enim peccatum naturale erat, etsi mensuram excessit: hoc verò quia contrà naturam erat, acrioris elementi vindicatum est incendio. Ideò etiam illic terra aquis abluta reuiuiscit; hic verò flammis cremata, æterna sterilitate arescit*. Vnde non solùm consumpti sunt homines, sed pecora, virgulta, plantæ, arbores & regio ipsa:

Luxuriosorum fætor, fætore punitur.

Peccatum peccato grauius pœna sæuiori castigatur.

87 *Respiciensque vxor eius post se versa est in statuam salis*. (Vers. 26.) Conuersa est in statuam salis, vt alij sapientes ea visa fiant: quod iam dixit S. P. N. Augustinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 30. *In salem conuersa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid. Vnde illud caueant exemplum*.

Cur vxor Lot in statuam salis conuersa.

88 Vel dic vt tali exemplo amissi sensus, & in statuam commutatæ vxoris Loth, qui virtutis semitam inceperunt non respiciant retrò ad mundi voluptates quas reliquerunt; vt fecit vxor Lothi, de qua hæc eloquenter Sedulius cecinit.

Fiant homines sine sensu respicientes retro.

Loth Sodoma fugiens chaos dum respicit vxor
In statuam mutata salis stupefacta remansit,
Ad pœnam conuersa suam, quia nemo retrorsùm
Noxia contempti vitans discrimina mundi,
Respiciens saluandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens vultum in sua terga referre.

Quid terribilius? excludit enim à saluatione Sedulius eos, qui ad contemptum redière sæculum, quia nemo

retror-

retrorsùm noxia contempti vitans discrimina mundi respiciens saluandus erit, & vnde à saluatione eos exclusit, nimirùm, quia vxor Loth conuersa in statuam salis stupefacta remansit. Quod credo contingere etiam secundùm interiorem hominem ijs, qui à Religione decidunt, *Remanent enim stupefacti*. Stupefactus autem dicitur homo sine sensu, qui nihil percipit eorum, quæ ei ad salutem esse possunt, in quo etiam similis apparet statuæ, quæ etsi salis fuerit, nihilominus nullo cæli imbre, nullaque iniuria temporum à duritie sua defecerit, quod adnotat alibi datus Tertullianus in sua Sodoma.

A Religione decidentes, quasi stupefacti.

In fragilem mutata salem stetit ipsa Sepulchrum
Ipsaque imago sibi formam sine corpore formans
Durat adhuc, etenim nuda statione sub Æther, &c.

Vers. 27. 28. & 29. 89 *Abraham autem consurgens manè vbi priùs steterat cum Domino. Intuitus est Sodomam, & Gomorrham ..... Cùm enim subuerteret Deus &c.* Duo moralia documenta hic habentur; primum ab eo quod Abraham repetijt locum, vbi cum Domino fuerat locutus; ibi enim deuotiùs oratur, vbi specialis Dei præsentia exponitur. Vt apud Templum Dei domum commendabilior tibi obijciatur oratio. Secundum ex eo quòd Abrahamus cùm vidit vrbes cunctas conflagrantes, vidit proculdubio Lothum innocentissimum à flamma liberatum. Tàm charus iustus Domino, vt cum commune supplicium intuemur, quodammodo aspicimus iusti liberationem.

Commendabilior apud Templum oratio.

Vers. 30. 90 *Ascenditque Loth de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo &c.* Hic verum sanè est documentum quod ad mores docet S. Gregorius homil. 1. in Ezechielem. *Sæpè*, inquit, *Cùm de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, & secretum vitæ remotioris eligere: videlicet ignorantes, quia si desit spiritus, non adiuuat locus. Eccè Lot in Sodomis Sanctus extitit, in monte peccauit. Et primus ipse parens humani generis, in Paradiso cecinit. Quòd si locus saluare posset, Satan de cælo non cecidisset, quare Dauid nullum sibi extrà Deum cernens munitum, & tutum locum, ipsum sibi Deum fieri locum petijt dicens:* Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum vt saluum me facias. Psal. 30. Sic S. Gregorius.

Si desit spiritus non adiuuat locus.

Vers. 31. 91 *Dixitque maior ad minorem. Pater noster senex est, & nullus virorum, &c.* Hoc est quòd quantò propinquiores sumus fini, tantò crebriùs instat diabolus ad peccandum. Hinc Apocal. cap. 12. vers. 12. dicitur: *Væ terra, & mari quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Nullus virorum remansit in terra.* Cùm vitia sæculares omnes occiderint, quærunt religiosos. Vnde Lucæ cap. 11. vers. 24. dicitur: *Cùm immundus Spiritus exierit ab homine* (quasi satiatus) *vadit per loca arida, & inaquosa quærens requiem, & non inueniens dicit redibo ad domum meam vndè exiui.*

Potentior tentatio Diaboli in fine vitæ.

92 *Veni, inebriamus eum vino dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen.* Oh! quid non facit ebrietas? hæc Noemum in tabernaculo nudauit, hæc & Lothum in spelunca denudauit; Filium ille ebrietatis causa male dixit; cum filiabus iste ebrius malè egit. Hinc benè si quæris quid sit ebrietas, Respondit S. Ambrosius lib. de Elia, & Ieiunio cap. 16. *Est fomentum libidinis, incentiuum insaniæ, venenum insipientiæ. Per hanc homines vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt.* Sequitur S. Basilius homil. in ebrietatem. *Est dæmon voluntarius, malitiæ mater, virtutis inimica; fortem virum reddit ignauum, ex temperante facit lasciuum, iustitiam ignorat, prudentiam extinguit. Quid quæso sunt ebrij aliud, quàm gentium idola? oculos habent, & non vident.* Si quæris quid sit Ebrius: respondet S. Ioannes Chrysostomus hom. 57. ad Populum: *Ebrius est dæmon voluntarius, mortuus animatus, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri approbrium, vbi ebrietas, illic diabolus, ibi turpia verba: vbi saturitas illic dæmones choreas agunt.* Vers. 32.

Quid sit Ebrietas.

93 *Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: Et ingressa est maior dormiuitque cum Patre ..... Altera quoque die dixit maior ad minorem eccè dormiui heri .... dederunt etiam, & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, &c.* Ad quæ verba moralissimè Lippomanus: *Docet hic Spiritus Sanctus, periculosam habitationem viri cum mulieribus extrà matrimonium. Si enim non licuit tutum habitare patrem cum filiabus; & patrem tàm Sanctum, & iustum, quid fiet de miseris peccatoribus, & mulierculis quibusque?* Vel sexus discrimen insidiatur pudicitiæ: nullum est satis tutum luxuriæ asylum: Verùm audiendus est Vers. 33. 34. & 35.

Vel sexus discrimen insidiatur pudicitiæ.

etiam

etiam S. Gregorius homil. 9. in Ezechiel. vbi scribit: *Lot in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit*. Ne vel suffragio libidinis tutò te credas. Timeat etiam cautelæ, cui etiam pænitentia sæpè scrupulosa est. Nulla est salus nostra, nisi plena est. Loth in montis securitate luxuriatur, qui in Sodomæ periculo tutus erat. Qui in montis securitate imbecillè periclitatus est, in Sodomæ: *Periculo inuenit salutem*, S. Paulinus epist. 26. Piæ enim cautelæ negotium est, præproperè occasiones auertere: verùm quando aut obsequij pietas, aut ineluctabilis necessitas, homines ad pericula adegit, vel attentionis cautelæ falce domitrice delinquendi occasiones sollerter amputantur, vel sedula de periculis oratio, cœli auxilia fæcundat, & ope fructificante discrimina compescit. Perbenè Ennodius in Bened. Cer. *Optimi conditoris aperta sunt beneficia: quando ira à pietate non discrepat, quando & artem nos supplicandi docuit, & suis muneribus vult placari*. Dei ira, quæ duras calamitates immittit, aut in periculosa nos discrimina permittit; iræ genium dediscens, de arte obnixiùs supplicandi, *à pietate non discrepat*. O quoties fabricatis oratione armis, de periculo inuenimus salutem! vbi marcescere timebatur, amænior gratia vernare solet. Quis in dira calamitate, aut tentatione spem excutiat, non semel expertus, quòd *de periculo inuenit salutem?*

Ira Dei à pietate non discrepat.

Vers. 36. 37. & 38. 94 *Conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre suo Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab ..... Minor quoque peperit filium; & vocauit nomen eius Ammon*. Prima filia, idest superbia heri dormiuit cum patre suo, & fætum genuit, & vocat aliam, vt & ipsa concipiat ex patre: sic vnum vitium vocat aliud; Hinc Iobi cap. 40. vers. 12. *Nerui testiculorum eius perplexi sunt*.

Vnum vitium aliud vocat.

95 Item duæ filiæ generant Moab, & Ammon, idest Superbiam, & Luxuriam, quia partus sequitur ventrem. Vnde superbia generat superbiam, luxuria, luxuriam. Vnde Ezechielis cap. 16. vers. 44. dicitur: *Sicut mater, ita & filia eius*. Et Deuteronomij cap. 23. vers. 3. *Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini, in æternum*.

Partus ventrem sequitur.

96 Vel dic cum Ruperto lib. 2. in Sophoniam. *Sicut Moab, & filij Ammon de consanguinitate Abrahæ descenderunt, & tamen genus Abrahæ semper oderunt: ita hæretici in Christum se credere dicunt, & tamen Christianorum Catholicam fidem subuertere semper conati sunt. Et quis hoc nesciat quòd de sanguine Abrahæ per incestum nati sunt Moab, & filij Ammon? ...... Et Moab quidem*, ex Patre, *Ammon* populus turbidus, *interpretatur*. *Quis autem populus magis turbidus, quàm hæreticorum cætus, qui alios turbida, & cænulenta potant doctrina, velut turbida aqua? Sunt enim hæretici ex patre Diabolo, æquè vt Iudæi, quibus ipse Dominus: Vos inquit* ex patre Diabolo estis; *igitur vt Philisthijm, ita Moab, & filij Ammon, idest, sicut Iudæi, sic & hæretici in desertum erunt vsque in æternum: quippè qui deserentes Deum, & à Deo deserti, absque dubio peribunt in sempiternum*.

Hæretici Catholicis contrariantur, & peribunt.

DVBIA SACRA

IN CAPVT XIX. GENESIS.

Vers. 1. §. 1 Quare necesse fuit, quòd tantæ euersionis ministri eleganti forma conspicui inter perdendos homines apparerent? Si punitum veniebant Angeli Sodomitas, cur priùs velut pulcherrimos iuuenes oculis eorum se præsentant? Vt videretur misera peccatorum conditio, siquidem iuuenes, quos receperunt, vt suæ lasciuiæ pabula, haberent rigidos suarum iniquitatum tortores, & iuuenes, quos reputabant suæ concupiscentiæ fomenta, essent eis durissimi in suis pænis, & supplicij exequutores ad eorum perditionem, & interitum; & ita immanitas suorum scelerum est punita, vbi delicias quærebat, ibi ignem, & sulphur inuenit. Vnde Saluianus ad nostrum intentum lib. 1. de gubernatione Dei scripsit: *Cùm Angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit; scilicet, vt cùm legeremus, quæ à Sodomitis Angeli pertulissent, etiam videremus*

Vbi homo reputat fomenta concupiscentiæ ibi mors.

remus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem, & libidinum obscanitatem.

Vers. 1. §. 2 Quare Angeli non magis armatos se exhibent, vel cur non potiùs ad instar nigrarum nubium fulminant, sed solùm in peregrinorum facie veniunt? Vt dubium clarescat in quæsito: notandum est quòd duo Angeli qui Sodomam vespere venerunt, in peregrinorum habitu apparuerunt, vt docent S. Ioannes Chrysostomus, S. Thomas, Lyppomanus, & Caietanus qui ait: *Festinauit, inuitauit Lot peregrinos, nesciebat enim illos esse Angelos.* Quo supposito claret dubium cur euersuri vrbem Angeli in peregrinorum habitu veniant? ad cuius solutionem dico: Cum tanquam peregrini, ac extranei aduenient, grauius, & durius supplicium denuntiant, quàm à quocumque milite armato ac nube fulmina coruscante denotari poterat.

Regidum supplicium ab extraneo.

Vers. 2. §. 3 Quare Deus qui vnicum Angelum misit ad ferociam Leonum Danielis sedandam, (vti habetur Dan. cap. 6. vers. 22. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum*) vnicum non miserit ad libidinem Sodomitarum puniendam? Sic gaudet punire, vt punientium gestiat, & numerum adaugere? Imò hic numerus pietatem commendat, & Numinis gubernationem exornat. Sodomorum clamor crimen Sodomitarum diuina ad subsellia detulit, afferente Domino (vt superiùs vidimus cap. 18. vers. 20.) *Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Verùm etsi notitia non potuerit falli, etsi peccati lingua contrà peccatorem falsa non possit proferre; Deus tamen ad præscribendam rectoribus normam, non solùm expectauit experientiam; sed geminum misit Angelum ad cumulatiorem notitiam: satis erat vnicus Spiritus ad exactam criminis explorationem; verùm nec vnico Angelo causam voluit committere, sed gemino delegare. Ergo quasi Deum latere potuerit mittit Angelos, & quasi vnius notitia valeat eludi, misit socium, vt studeat scrutari. Profectò ad afferendum Danieli subsidium satis erat vnicus Angelus, ideò noluit augere numerum ad liberalitatis pompam; imò imminuit ad subtrahendam beneficij notitiam; vbi verò crimen incusabatur, vbi infligenda erat pœna, non vnicum, sed geminum misit perscrutatorem: nam quamuis sufficeret vnicus, ad sententiæ maturitatem seruiuit geminus. Nihil diuinam notitiam præteruolat; at quia in hoc casu volebat Superioribus formam regendi præscribere, Angelos misit ad indagandum, vt ad speciem de indagatione esset notitia certior, & de numero indagantium securior. Discant hinc, qui suæ nimis prudentiæ fidunt, quanta possint vel prudentissimum fugere, & quàm non sit detrectandum consulere experientiam, & mutuari ab alijs notitiam. *Benè*, inquit, Rupertus apud Lyppomanum, *Et duo Angeli venerunt, vt in testimonio duorum iustum staret iudicium: hoc enim ad illud respicit, quod supra dixerat Dominus: descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me opere impleuerint, an non est ita, vt sciam.* Annectit moralissimè Rupertus: *Sicut illa ideircò dicta sunt, vt de inexperta culpa temerariam nemo ponat sententiam: sic duo venerunt Sodomam, vt minùs quàm duobus testibus nullam dammatio terminet accusati causam.* Profectò non defuit in Sodomitarum crimine condemnando legalis iuditij substantia, etsi strepitus iudicialis defuerit pompa: Vt moneantur hinc, qui stylum iudicialem non sequuntur, eam in indagando crimine adhibere diligentiam, sic implere causam, vt, si proferatur in lucem, & iudicialis lex agnoscatur impleta, & causa requisitis legalibus pertractata.

Prælatus non subitò damnet facta, sed exploret experienti, & multiplici ministro.

Iudices in examinando crimine sint diligentes.

§. 4 Quare non ad Lothum tres viri digressi sunt sicut ad Abraham? quò tertius profugit? aut quæ discedendi ratio? nempè ex tribus duo vltores erant spiritus, qui vt Sodoma pœnas lueret, & conflagraret, proficiscebantur; tertius beneficus, & salutaris, percipiamus ab Origene homil. 4. in Genesim: *Primò tamen obserua, quòd Abrahamo cum duobus Angelis etiam Dominus affuit, ad Loth verò duo tantummodò Angeli pergunt: & quid dicunt? misit nos Dominus conterere ciuitatem, & perdere eam; ille ergo suscepit eos, qui perditum darent, non suscepit eum, qui saluaret; Abraham verò suscepit, & eum, qui saluat, & eos qui perdunt:* Verùm de his quæstio est, quam ob causam, ij solùm, quibus nocere atque destruere imperatum fuit, apud Lothum hospitantur, & qui iuuare possit, Abrahæ tantùm lares subiuerit? Puto quidem Abrahamum figuram prætulisse Sanctorum Dei, vt qui remotus à tumultibus sæculi, in conualle propè syluas, & nemora habitabat; sed Lothus & peccatores Vers. 1.

Mundus magis veneratus suos destructores, quàm benefactores.

tores

Digitized by Google

tores & mundi homines repræsentabat, eò quòd licèt ipse iustus fuisset, versabatur tamen in Sodomis; quibus mundus, & vitia significabantur. Cerne igitur peccatorum amentium, hominumque de sæculo; quòd saluare valeat, & non tantùm commodum afferre, sed & iucunditatem maximam, qualis est vita Sanctitati coniuncta; quid enim tàm vtile, & amænum, ac iustitiæ societas? hanc cane peius, & angue exhorruerunt; vbi vepres sunt, vbi ruina, & desolatio, concupiscunt, & desiderant; benè itaque ad Lothum, quo mundi, & vitiorum cultores designantur, non nisi qui pessumdare, atque euertere iubentur, Angeli digrediuntur; mundus enim hostes, & destructores suos magis veneratur.

Vers. 2.

§. 5 Quare Loth cùm vidisset Angelos peregrinorum formam habentes se seruum (hoc enim significat puer, *in domum pueri vestri*) dicit, ac inferiorem gestu corporis exhibet dum se pronus inclinat in terram? Clementis viri magnum ingenium, eos non solùm ad hospitium inuitat, verùm etiam beneficium, quod tanquam Dominus exhibebat, serui nomine, ac notis occultat, atque abscondit, ne aliquo verecundarentur rubore, si ad domum declinarent illius, qui in omnibus se eis minorem exhibebat, ac inferiorem declarabat. Quod notans Aureus Doctor homil. 47. in Genesim sic scribit: *Illos Dominos vocat, & se ipsum seruum vocat: audiamus hæc verba, & discamus: Gloriosus nobilis tam abundans, tantus paterfamilias viatores hospites ignotos, & vt apparebant, viles, & nihil ad se attinentes, Dominos nominat; & inquit: diuertite in domum pueri vestri. Hanc gratiam donate mihi, & petitionem meam ne frustremini*. Dum enim ostendit se gratiam excipere, beneficium abscondit, & ruborem ab illorum facie submouet ac excludit.

Beneficia exhibita occultanda verbis.

Vers. 3.

§. 6 Quare apud Abraham multa elargiuntur dona, apud Loth verò multa infliguntur supplicia, si in vtraque domo Angelis conuiuium, & panis apponitur? In domo Abraham promittitur Isaac, & Christus ex eius semine nasciturus, multaque secreta diuina Patriarchæ reuelantur, iuxtà illud: Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? Apud Loth supplicia. Coniux eius conuersa est in statuam salis, Generi interficiuntur, & tota domus cum eius substantia perit; nam si in domo Abrahæ conuiuium figura erat diuinæ Eucharistiæ, ex quo tot dona redundarunt, etiam in domo Loth eadem figura extabat, cur ibi tot supplicia? Origenes homil. 13. in Leuiticum dubium soluens scribit. *Refertur quòd Abraham Patriarcha Angelos suscepit hospitio, similiter autem & Loth, sed Abraham, qui meritis praecellebat, panes ex simila apposuisse describitur; Loth verò quod non habuit ex farina panes hospitibus apposuit*. Abraham dedit in conuiuio panes ex simila, hoc est ex purissimo, ac mundissimo flore farinæ; At verò Loth non ex purissima, sed ex tota farina, quæ secum habet admixtum aliquid furfuris. Indè in domo Abrahami tot dona pullulant; in familia Loth, tot pœnæ grassantur, qui enim ad cæleste conuiuium sinè alicuius mixtione accedit, multis donis recreatur, qui verò venit cum mundani furfuris permixtione, castigationes, ac rigores in eum infliguntur.

Ab Eucharistia purè sumpta dona, impurè supplicia fluunt.

Vers. 4.

§. 7 Quare, & quomodo in tàm vasta, & ampla Ciuitate duorum virorum aduentus ita notus ac diuulgatus est, vt omnes statim ad Loth domum conuolauerint? Deinde res magnum importat mysterium, quòd vniuersi à puero, & sene nullo dempto, ad iusti viri domum comparuerint. Ad quid hæc tanta exacta descriptio? Abrahamus supra agens cum Deo, multis contendit pro liberanda Sodoma ab imminenti supplicio, ac à sententia Dei in nefandos promulgata. Et tandem ambo pacti sunt, quòd si decem viri iusti fuissent inuenti in ciuitate, Deus à sua sententia abstinendus esset. Scribitur ergo, quòd Loth sedebat in foribus ciuitatis, quando Angeli ad eum venerunt, ex quibus, tamquam è loco publico, statim eorum aduentus publicatus est, & quòd omnes à puero, & sene turmatim in domum Loth ad execrandum scelus perpetrandum concurrerant, vt comprobareтur, nec decem iustos fuisse inuentos, neminemque ex eis extitisse iustum, vt cunctis fiat euidens diuina veritas in verbis suis, ne aliquis contrà eam quidquam valeat oblatrare, aut dicere, Deum promissis non stetisse. Caietanus: *Fuit*, inibi, ait, *inquisitio facta Sodomæ, promissa Abrahæ, an in Sodomis essent decem viri iusti? Concursus enim iste, non hyperbolicè describitur, sed ad manifestandam inquisitionem diuinam; Lege antè scriptum colloquium inter Deum, & Abraham; inuenias, de masculino tantùm genere fuisse sermonem, dum è quinquaginta*

Maximè declaratur Deus verax in suis verbis, & promissis.

vsque

Digitized by Google

vsquè de temiustos descensum est, & propterea virorum dumtaxat hic mentio fit, dicendo à puero vsquè ad senem.

Vers. 5. §. 8. Quare Lothum sanctissimum tamdiu passus est Deus, vt inter Sodomitas moraretur, qui, ne Angelis quidem specie tenus hominem referentibus pepercere, in quos, violentos tentauere conatus, cùm *Vallauerunt domum* eius, *à puero vsquè ad senem*, & ad eos foras educendos, senem optimum adigebant, *Educ illos huc, vt cognoscamus illos?* Dubium hoc breuibus explicat S. Ioannes Chrysostomus ibidem dicens: *Vt sicut medicus morbos eorum emendaret, qui licèt cura sua nihil proficeret, non propterea à cura destitit*; malè habentis benignè miseratus, vt industriæ artis medicamenta, constanti patientia omnia tentans, eius incolumitati consuleret, & saluti.

Vers. 6. §. 9 Quarenam Lothus tota nocte domi occlusus, cùm à populo vallaretur? Quia nouerat oculatus de cœlo senex, diuinæ secretum prouidentiæ; expediendis ad hominum vel desperatorum salutem eliciendum, subsidijs, semper vigil, & nunquam fessus; indè fuit, vt noctem totam illam transigeret, *deprecatus in oratione, pro populi liberatione*, inquit Lyranus; *& licet non eum exandierit Deus* addit Abulensis, *quia peccata eorum completa erant, quæ diuinam indignationem merebantur: Licèt item visum illis esset*, scribit S. Ambrosius lib. 4. de Abraham cap. 6. *quod derideret eos; tamen adhuc morabatur Loth, vt persuaderet generis suis, & penè non profectus non euasisset, nisi vrgentibus Angelis.*

Orandum pro auertenda Dei indignatione, & peccatorum conuersione.

Vers. 7. §. 10 Quare Lothus tàm mitissimè arguit conciues suos, & nomine dilectissimo *fratris* appellet, dicens; *Nolite quæso fratres mei, nolite hoc malum facere?* Quia se præbuit exemplum, correctores docendo, vt dum arguant, suauiter, ac mitissimè corripiant, non corrigant, nam corrigere est seueritatis, corripere amoris, est enim rapere cor, vti ostendimus in tomo primo cap. 2. vers. 18. num. 93. Vnde hanc Lothi correptionem obseruans Aureus Doctor homil. 42. in Gen. *O iusti*, exaggerat, *Longanimitatem! O excellentem modestiam! Hæc vera virtus est, ita mansuetè alloqui illos: nullus enim volens agrum curare, & insanientem castigare, cum furore, & austeritate hoc facit.* Qui medici officium obit (vti est corrector) ait Pineda in illud Iobi commentatus; *Numquid poterit comedi insulsum* cap. 6. vers.

Correctio ex amore procedat.

6. sali, oleum addere oportet, ne plus satis erodat, aut mordeat ægrotantis animum, neque vt ille dixit *Multo sale defricet vitia*. Horat. in Ter. Satyr. 10. *Sale, & cymino tenus amici*, prouerbio locum fecit Plutarch. in qq. Conuiu. *In ore stulti Virga Superbiæ*, inquit sapiens in Prouerb. cap. 14. vers. 3. *Idest* interprete Hugone ibidem, *Superba, & imperiosa correctio. E conuerso in ore iusti, virga mansuetudinis*. Vnde & in Arca, Manna simul, & virga fuit, & in Num. de Virga illa legitur, quòd *Fronduit, & amygdala prosilit*, quæ sunt cibus infirmorum. Ni de seuera correctionis virga, dulcis amygdala prodeat, qui ægritudine languet, impar erit, idoneo sanationis cibo destitutus. Ni sub lingua, lac & mel cum sponsa geras; *mel, & lac sub lingua tua*; Cantic. cap. 4. vers. 11. *Vulnerum, seu peccatorum putredines non tollis*, ait Iustinus Orgel.

Impetuosa correctio virga Superbiæ.

§. 11 Quare offerente Loth duas filias, vt exleges illi eis abuterentur, non acquiescunt imò scelestissimè insolescunt? Dicit enim Scriptura, *At illi dixerunt recede illuc, &c.* Cur non acquiescunt Lothi verbis cùm duas puellas Virgines eorum libidini offerret, sed maiori furore pro iuuenibus exardescunt? Quare non sat illis est fœminea luxuria? Cùm essent iniquissimi mediocria vitia fastidiebant, ad summa, ac extrema euolantes, vt præclarè cecinit Claudius Marius lib. 3. in Genesim dicens. Vers. 8. & 9.

Non parua crimina, sed magna anhelant iniqui.

At ille volens populi mollire furorem
Insani, natas, quibus illibata manebat
Virginitas, offert, quoscumque optarit in vsus.
Ast effrana cohors in deteriora profundi
Lapsa mali, vitio sese immiscere minori
Vile putat, nisi se summis etiam implicet.

§. 12. Quare homines illi nequissimi audent reprehendere & punire hominem iustum dicentes: *Recede illuc, & rursùs: ingressus es, inquiunt, vt aduena; numquid vt iudices? te ergo ipsum magis quàm hos affligemus?* Peracutè S. P. N. Augustinus apud Lyppomanum exponens præscripta verba: *Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus*, ita scribit: *Tantum excæcauit eos pessima* lasciuiendi *consuetudo, vt magis reprehenderetur ab eis reprehensor flagitiositatis, quàm factor*. Benè quidem, & optimè alterutrum alteri correspondet, vt qui quasi ex licito lasciuiunt, & impunè luxuriantur, qui illorum libidinem reprehendit, reprehensione, & punitione dignus censeatur. Vbi vitia inolescunt Vers. 9.

Inter exleges magis reprehenditur reprehensor Luxuriæ, quam factor.

Rr peccat

peccat qui rectè facit; & sola virtus, crimen, & discrimen est. Huc, huc deducit obscæna libidinis consuetudo! sic voluptuosus lasciuiendo præscribit luxus, vt inter homines ratione præditos, quasi rationem salacitate dediscant, non vitij sectator, sed vitij reprehensor, acri obiurgatione, & pœnalissimo supplicio dignus censeatur. *Tantum excæcauit eos pessima consuetudo, vt magis reprehendatur ab eis reprehensor flagitiositatis, quàm factor*. Verùm puritatem illi fugiunt, Lothus amat: Fornicatio apud hunc, & crimen, & discrimen est; apud illos decus, & potentiæ gloria. Ita peccata ista in consuetudinem missa sunt, & tanti sunt qui illa faciunt, vt iam quasi ex licito fieri credantur. Sic Libidinis gloria reconsuescit; sic de concupiscentiæ præstigijs ratio excæcatur; voluptatis lenocinio? O'propudia!

Vers. 10. §. 13. Quare, si cæcitate percussi exleges isti nequeunt aditum inuenire, necessum erat ostium claudere? Ad hæc: si cæcitas infligenda, cur non prius quàm ianua obseretur, infligitur? Cæci, etsi ianua pateat, non inuenient; sed inoculati, etsi claudatur, infringent: ergo tutiùs erat audaciam exoculare, quam tempus in obseruandis ianuis expendere: & cur ianua prius clauditur? Omnis erant Angeli periculi expertes; sed quia vitæ nostræ Doctores, ostium obserarunt, vt nouerimus nullum posse triumphum agere de inimico, nisi ostio diligentissimè clauso, & nullis rimulis peruio: prius portam clauserunt, & iam clausa facilè de inimicis triumpharunt: *Clauserunt ostium: quia aditus*, inquit Interlinearis, *cordis contra prauos motus ratione munitur*. Consonat Vaticani Columba apud Glossam: *Malis aduersantibus intra domum Loth reducitur, & munitur*. Subnectit: *Quia corruptores mentium contrà vitam iusti nullum reprehensionis aditum inueniant, percussi cæcitate quasi domum circumeunt*. Secum habebat Lot Angelos, qui illum defenderent, & tamen dum introducunt, portamque claudunt, nobis suis factis ostendunt omnem occludendum prauis motibus aditum reportare cupienti triumphum: satis fortè non fuerit plures pro se habere Angelos, si domus porta pateret hostibus: ipsi Angeli omnis periculi expertes, ad nostram eruditionem portam diligentissimè muniunt, & iam munita de hostibus triumphum agunt: quasi vel Angelus nequeat triumphare, si aditum constet hostium audaciæ patere.

Prauis motibus occludendus est omnis aditus, vt victoria habeatur.

§. 14. Quare à minimo vsquè ad maximum, omnes cæcitate percussi fuere Sodomitæ? Responsio ibidem patet: Quia viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vsquè ad senem; vbi Aureus Chrysostomus: *A malo conatu neque senes, neque iuuenes abstinebant, ideò omnes excæcati sunt*. Si pueri, si senes in tantam se se licentiam non immiscuissent; si vel isti fuissent eo crimine innoxij, ab illa vtiquè percussione immunes euasissent. Miraris quòd Sodomam igne vindice consumpturus, non fædatas tamen nefando scelere mulieres castigauerit; quia tamen *consentiebant viris agentibus*, inquit Abulensis, *ideò tàm in agentes, quàm in consentientes, eadem pœna dari debuit*. Sicut Her, & Onæ filiorum Iudæ, ob parem, detestandamque carnis molitiem, vt infra cap. 37. vers. 9. *Dignum enim erat, vt quos idem reatus constrinxerat, eosdem etiam germana pœna plecteret*, tradit Hamerus. Vers. 11.

Agentes, & consentientes pari pœna plectendi.

Vers. 11. §. 15 Quare non pari omnes cæcitatis pœna, sed iustum Tobiam (Tobiæ cap. 2. vers. 11.) longè maiori; minori verò Sodomitas, & Syrios (4. Regum cap. 6. vers. 18.) Deus affecit? Siquidem Tobias, cæcus omninò factus nihil videbat; Sodomæ verò ciues, & hostes Syrij non cæcitate tota, sed ea, moderata percussit? Non mitior Sodomorum, non leuior Syriorum militum pœna fuit, si rem pro meritis æstimemus; nam oculos habere, & non videre suppliciorum omnium maximum est; beneficium verò longè præstantius, oculis à Deo priuari, & nihil prorsùs videre. Ex illa pœna, mors æterna; ab hac afflictione, salus æterna comparatur. Tobias enim nihil videns sanctus euasit, quia cæcitate percussus Dei potentiam agnouit; Deum adorauit: Sodomorum econtrà ciues, Syrijque milites leuiori cæcitate percussi, oculos habentes, & non videntes, in peccatis suis pertinaci constantia perseuerauerunt, ostium inuestigabant, ciuitatem petebant, vt conceptum, inchoatumque scelus executioni mandarent, certoquè exitio diem clauderent, illi quidem sulphureo igne consumpti; isti verò in Ciuitatem Samariæ ad hostis arbitrium intrusi; qui si Tobiæ cæcitate laborassent, & oculos non habuissent, pænitentia compulsi, ad Deum confugissent, veniam exorassent, obtinuissent; nihil

In tribulationibus, et si maximus, semper Deus laudandus.

enim

enim contingere homini perniciosius potest, quàm oculos habere, & non videre.

Vers. 14. §. 16. Quare Generi Loth in re tanti ponderis fidem non adhibent probato Seniori, ac Angelis, qui cæcitate percusserunt habitatores ciuitatis, ita vt ostium non possent inuenire? Quare talibus, & tàm fide digna dictoribus non credunt? Mandatum recedendi à ciuitate eorum propriæ affectioni, ac voluntati repugnabat, & ideò non potuerunt ei acquiescere, & ita, ait S. Ioannes Chrysostomus homil. 41. in Genesim: *Cum audirent à iusto terribiles illas minas, quasi subsannabant, & putabant deliramenta esse, quæ dicebantur; veruntamen iustus voluit eos eripere à plaga: at illi noluerunt, sed in moribus suis manserunt.*

Voluntati obduratæ senior pœna.

Vers. 14. §. 17 Quare Lot in tanto discrimine moras traxerit, & in monendo generos tempus consumpserit? Dubium hoc SS. est Patrum. S. Ambrosius apud Lyppomanum causam reddidit, videlicet filias amore illorum; quibus iam promissæ erant, teneri: Ergo vt Pater filiabus omnem erroris occasionem præcideret, omneque pacis, & tranquilitatis scandalum prudenter auerteret, eos secum ducere satagebat, & cum illis filiarum matrimonium solicitabat, ne si alijs dederit magnum filiabus crearit periculum, & pudoris fortè subeant naufragium. Accipe S. Ambrosium: Egressus Lot locutus est ad generos suos, ne deserendo eos erroris filiarum causa ipsi assignaretur. Si pater illorum quos amabant matrimonio priuaret alijs traditurus, forsan dum maritum ingratum, perenne seminat iurgium. Ergo quantum in se fuit, filiarum erroribus obuiauit, & omnem amarulentiæ occasionem præcidit; eos secum exoptat iter carpere: quia filiabus cognouerat iam placere, ne filiæ corporis vitantes incendium, deterioris incendij paterentur periculum. Et quidem aliquando parentum placito plusquàm suo, matrimonio iugatæ non sinè modestiæ detrimento; sponsique probro alios expetunt viros, vim criminantur illatam; & totam turbant familiam. Ex Euripide refert S. Ambrosius apud Glossam ad Gen. 24. nuptam, cùm alias nuptias expeteret, respondisse sponsalia sua patris voluntate peracta: *Illud Euripidæum, quod mirantur plerique: vnde translatum sit, manifestum est: ait enim in persona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias: sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit.* Certus est hanc ad patrem modestiæ, subiectionisque causa sponsalium curam delegasse, dum expetebat alium; & sed nec minùs certum est hanc nonnullas, dum alios expetunt, rationem alia intentione proferre, nempè matrimonium non tàm suo, quàm parentum placito, consensuque peractum, nec velle continuo dolore aduri, vt videantur parentibus adulari. Dum sponsalium pater curam subit, nuptiæ repetuntur: & fortassis licèt hæc pudori consulens ad patrem delegauerit Sponsalium curam, vti primum maritum discupiebat deserere, sic ad secundum deserendum in ipso nuptiarum lumine iam videbatur causam texere, & præparare.

Parentes, dum filijs optatas non dant vxores, æternas matrimonio seminant lites.

§. 18 Quare dicunt Angeli Loth: *Tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes*, vt ab incendio Sodomorum liberentur? Sufficiebat dicere; tolle vxorem & filias tuas; ex alto tamen inspiramine additur; *Filias, quas habes*, id est, vt tui imitatrices, tuæque virtutis sequaces; quod clarius exprimit Chaldæus legens: *Tolle vxorem tuam, & duas filias tuas, quæ inuentæ sunt fideles tecum*. Vt filiæ eius saluentur, non sufficit, quòd filiæ Loth sint, sed vltra id insinuatur ratio specialis salutis, quòd nimirum inuentæ sunt fideles tecum; ideò enim ab incendio tecum salutem habent, ac tantum donum assequuntur; non præcisè ex eò quòd sint filiæ tuæ, sed quia tecum eandem fidelitatem, ac virtutem tenent; & indè benè dicuntur filiæ tuæ, quas habes; quia solùm eos filios homo habet, quando eius fidem, ac virtutem sequuntur. Vers. 15.

Qui parentis virtutum est imitator, illius filius.

§. 19 Quare Lot tot virtutum dotibus exornatus nexuerit moras, properantes intuitus pœnas? Rupertus lib. 6. in Gen. cap. 10. sentit de Sodomorum consortio nonnullam stupiditatem suxisse, prouidentiamque de fumo vicinorum obscurasse; ipsum audi: *Quasi non satis intelligeret, quod dicebatur; cùm percelleretur nuntio instantis periculi, dormitantes oculos auertebat à lumine præsenti*. Imminens adurgebat periculum, & tamen aduersùs ignis lucem caligabat. Quod si de falacium societate hanc improuidam securitatem ebibit iustus, quam putas suget huiusmodi sceleribus maculatus? Experientia compertum est pluribus, qui alterius Vers. 15.

Qui libidini addictus, ad imminens periculum probatur improuidus.

honori præstruebant insidias, & ob voluptatem procreabant offensas, imminere vrgentissima pericula denuntiatum, & tamen stolida animositate, improuidaque audacia pericula despexerunt, & alienas domos frequentarunt, culpam violenta soluentes morte, & dolorem plurimis afferentes strage. *Sic persæpè is* (prosequitur Tuitiensis Abbas) *qui iam cælestia nouit, cui per Euangelium Christi reuelata est ira Dei iamque de spiritualibus instrui meruit, adhuc tamen pernicioso irretitur amore mundi; & à concupiscentia sua illectus dissimulat auditas, & benè sibi cognitas futuri iudicij minas, & æterni ignis pœnas sulphureas, eò intentus, vt concupiscentia sua effecta quoquo modo perfruatur.* Ne vel per breue tempus concupiscentiæ suæ euanido fraudentur gaudio, grauissimo plures scienter exponuntur detrimento; & cùm non ignorent, si hanc aut illam domum ingrediantur, gladium eis, aut tormentum bellicum insidiari, nondum didicerunt salubriter metuere; sed culpæ insania cæcissimè audere.

Vers. 15. §. 20 Quare Loth dissimulauit Angeli conatum, vt exiret de Ciuitate? Præstò est inibi Lyranus dicens: *Quia semper retardabat, quærens misericordiam Dei super populum.* Accedit Carthusianus rationem eamdem adducens de Loth, qui notanter ideò Angelicos dissimulasse perhibetur conatus, & ne recederet à ciuitate morulas adhuc miscere aliquas industria pietate conabatur & ipse, præstolatus, *Si quando Deus mitigaret sententiam, & preces suas pro populo acceptaret.*

Vers. 16. §. 21 Quare dicitur, & necessum fuit Angelos ipsius Loth, & familiam eius manus apprehendisse vt è ciuitatis incendio educerentur? Quia satis non fuit patris apprehendisse manum, vt familia reliqua sequeretur; sed opus fuit quemlibet manu extrahere, & omnes vt pericula frustrarentur, vrgere. Adest Rupertus apud Lyppomanum: *Amanitate Sodomorum tenebatur, & irriguis pœnè paradisiacis aruis, idcircò quasi non satis intelligeret quod dicebatur; cùm percelleretur nuncio instantis periculi dormientes oculos, & amore diuitiarum pressos auertebat à lumine præsenti.* Consonat Aureus Doctor ibidem: *Angeli volentes eorum alacritatem roborare manum eorum apprehendunt, & educunt foras.* Vt leones iusto parcerent, satis fuit Angelum vnicum descendisse. Daniel. cap. 6. vers. 22. *Misit Dominus Angelum suum*, inquit Daniel, *& conclusit ora Leonum:* Huc geminus inuolauit Spiritus, quia non à Leoninis rictibus liberandi; sed à delicijs, voluptatibusque Lothus, & filiæ extrahendi. Mira res: plures scilicet periculorum euasisse minas, & ignium frustrasse flammas: *Angeli volentes eorum alacritatem roborare, manum eorum apprehendunt, & educunt foras.* Miras res: plures conuenisse vel vrgentibus Angelis, vt salutis asylum peterent, & charas voluptates relinquerent: est enim insolitum plures, vel coactos renunciare delicijs, vt spontaneos studere virtuti. Adde ferè semper aliquod impedimentum opponi, ne plures concorditer sequantur virtutem, nullum tamen inueniri, si allexerit lucrum, aut temporale inuitauerit commodum.

§. 22 Quare dicitur Loth non stes in omni circà regione, sed in monte saluum te fac? Verba quæ subsequuntur dubium soluunt nempè. *Ne & tu simul pereas.* Nam vbi hominum frequentia, vbi populorum concursus, conuersatio, & diuitiarum delitiæ, ibi æternæ perditionis occasio. Hinc Regius Vates Psal. 54. vers. 8. dixit de se occinens: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine; expectabam eam, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate*, seu vt legit S. P. N. Augustinus *Mansi in deserto.* Cùm ipse Regius Vates se cognoscat in Eremo, ac segregatus ab hominum frequentia, adhuc non se securum existimat, sed præstolatur Dei auxilium, quo liberatus est à nimia deiectione, ac pauore animi, ac tempestatum huius sæculi æstu. Vndè D. Paschasius lib. 3. in Matth. *Ex quo, ait, liquido monstratur, quòd ideò solitudinem petit, ne mundi premeretur angustijs. Sed tamen, necdum in solitudine liberum se intelligit à periculo, dum adhuc se flagitat liberandum. Quippè quia non ante se hostis erexit ad pugnam, quàm ille vellet exire de sæculo.* Vers. 17.

§. 23 Si ad multos Angelorum mandatum se extendebat, quare non dicunt in plurali, nolite respicere, sed tantùm in singulari loquuntur, ac si cum vna tantum persona sermo esset: *Noli respicere*? Cælestes illi spiritus, diuina sapientia illustrati, cùm agnoscerent Loth cum sua vxore coniugatum, ita eos vnitos supposuere, vt non duos, sed vnum quid reputarent: & ideò quamuis mandatum plures respiceret, ita tamen profertur, ac si cum vno Vers. 17.

Diuitiæ oculos cæcant.

Vbi & Populi frequentia, & delitiæ quam plurimæ ibi æternæ perditionis occasio.

Coniuges sint vniti tanquam vnū quid.

vno ſolo ageretur. *Quemadmodum* (inquit Procopius) *in creationis principio ſolus Adam exiſtimabatur accepiſſe legem, ſiuè praeceptum, quod tamen comprehendebat & vxorem; ſic cùm ad Lothum diceretur, ſaluti tuæ conſulito, ne reſpexeris; non ſolùm Loth dictum eſt, ſed & vxori.* Hinc Tertullianus lib. de Monogamia cap. 1. eleganter dixit *Vnum Matrimonium nouimus, ſicut vnum Deum.* Nam ſicut in vno Deo cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas vnius naturæ diuinæ: ita quodammodo, ac ſecundùm aliqualem loquendi modum, in matrimonio cum multiplicitate perſonarum ſtat vnitas vnius carnis: *Erunt duo in carne vna* dicitur Gen. cap. 2. verſ. 24. (& explicauimus ſuperiùs) Rupertus lib. 2. in Gen. cap. 38. *Coniugij copulam*, ait, *omnium carnalium neceſſitudinum maximam, atque fortiſſimam forè promittit, adeò vt ſimul copulati, iam non ſint duo, ſed caro vna.* Ad hanc autem vnitatem inſinuandam, mulierem Deus, non è terra, ſed ex Adami coſta formauit (Gen. cap. 2. verſ. 21.) vt ſicut in eis eſt vna natura, ita ſit & vna voluntas. Præclarè D. Baſilius Seleucienſis orat. 2. *Neque verò ex terra*, inquit, *ſed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, vt coaptet, & naturæ vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtruatur ad imitationem naturæ.*

Coniuges cùm in natura ſunt vnũ, & vnum ſint in voluntate.

Verſ. 18. & 19. §. 24. Quare titulo *Domini* vocantur Angeli à Loth, & hoc numero ſingulari cùm eſſent plures? Refert enim Moyſes Lot dixiſſe eis: *Quæſo Domine mi, quia inuenit ſeruus tuus gratiam coràm te.* Hoc præclarè notauit S. P. N. Auguſtinus lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 29. *Abraham* (ſic dicit) *in tribus, Lot in duobus viris Dominum cognoſcebant, cui per ſingularem numerum loquebantur, neque enim aliam ob cauſam ſic eos ſuſceperant, vt tanquam mortalibus, & humana refectione indigentibus miniſtrarent, ſed erat profectò aliquid, quo ita excellebant, licèt tanquam homines, vt in eis eſſe dominum, dubitare non poſſent.* Alloquuntur ergo eos Patriarchæ ſingulari numero, quia non ſolùm eos venerabantur tanquam creaturas, ac miniſtros, ſed in eis recognoſcebant, ac colebant Dominum, à quo miſſi fuerant, *Vt in eis eſſe Dominum dubitare non poſſent.* Miniſtri enim in multa reuerentia habendi ſunt, non tàm ob eorum perſonas, quàm ob dominum à quo deſtinantur, cuius perſonam agunt, & repræſentant.

In miniſtro Dominus ſuus honoratur.

Verſ. 19. §. 25 Quare dubitat Lot in monte poſſe ſaluari, *nec poſſum in monte ſaluari?* Quæ difficultas obijcitur Patriarchæ vt in monte ſaluetur, cum hoc ei præciperent Angeli, quorum virtutem, ac potentiã ipſe benè agnoſcebat; vnde ergo timor, vt in montem aſcendat? Propè illum montem inhabitabat Abraham, cuius virtutem ſe eſſe ſuperiorem certò credebat Loth, ac proinde timet ibi commorari, ne in conſpectu Abraham ipſe iniuſtus, & imperfectus appareat, tanquam pœna dignus, & ideò in alium locum longè ab Abraham vult diuertere. Lyranus *Secundùm expoſitionem Hebræorum*, ait, *in monte, id eſt propè Abraham, qui tunc manebat in monte; timebat enim Loth quòd ſi veniret iuxtà Abraham, qui erat Sanctus, eius imperfectio magis appareret, & à Deo puniretur.* Idem habet Lyppomanus.

Conſpectu Abrahæ ſe reputat Lot iniuſtum.

§. 26 Si Angeli deducunt Patriarcham in monte, vt incolumen ab incendio reddant, quare ait Lot non poſſe, ſe ibi Saluari? Aut credere non debebas, ò Lot, Angelis ignes Sodomis minitantibus, aut crede Angelis te in monte ſaluatum iri, atteſtantibus. Audi Lyranum, vt ſupra loquentem. *Nec poſſum in monte Saluari: in monte, id eſt propè Abraham qui tunc manebat in monte: timebat enim Lot ſecundùm expoſitiones Hæbræorum, ne ſi veniret iuxtà Abraham, qui erat Sanctus, eius imperfectio magis appareret, & à Deo puniretur: qui tamen de Sodomis ſaluabatur, in quorum comparatione iuſtus erat.* Simile habetur 3. Regum cap. 17. verſ. 18. *De muliere Sareptana, quæ dixit ad Eliam; Ingreſſus es ad me, vt memorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum.* Hæc Lyra. Sanctus erat Lot, & tamen ſibi cauet à præſtantiori Abrahami ſanctimonia; ne ab ea vtpotè præcellenti dehoneſtetur: nam etiam ſublimior ſanctitas minorat aliorum ſanctitatem, quo ipſa emineat, & excelſior aſſurgat. Imò condemnat. Lucæ cap. 11. verſ. 31. *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum viris generationis huius, & condemnabit illos.* Num gentilis fœmina iudex erit in die iudicij? Nonnè hæc eſt ſingularis Apoſtolorum laus? Quomodò hæc princeps fœmina iudicabit, & condemnabit Hebræam gentem? Beda reſpondet, *Non vtique poteſtate iudicij, ſed comparatione facti melioris.* Eximium Sapientiæ ſtudium huius fœminæ, condemnatio eſt deſidiæ hebræorum; & gens Hebræa dicitur negligentiæ rea, quia Regina Auſtri diligenter Sapientiam quæſiuit: Huius virtus damnatio Iudæorum eſt. *Non ſen-* Verſ. 19.

Sanctus eximius tacitè deuenuſtat remiſſam aliorum virtutem.

Eximia Sanctitas damnat remiſſam.

sententia potestate, sed comparationis exemplo, inquit S. Hieronymus ibi.

Vers. 27. §. 27 Quare Loth cùm de Sodoma exiret non statim montem ascendit, vt in illo saluus fieret; sed in ciuitate paruula quieuit? Quia expauit, & timuit, cùm primùm montis asperitatem conspexit. Sed postea sumens audaciam montem conscendit, & duæ filiæ eius cum eo, *timebant enim manere in Segor*. Non aliter iusti paulatim montem perfectionis conscendunt. Incipiunt enim mandata obseruare, & postea proficiunt, ac tandem consilia tenent, semitas Domini perambulant, & ad montem perfectionis perueniunt. Timendum quippè est valdè manere in Segor: nam in via Dei non progredi, regredi est. Gradatim ergo ad summum perfectionis est perueniendum. Vndè Vaticani Columba homil. 15. in Ezech. in principio Psal. 63. scribit. *Si quidam gradus in cordis ascensione non essent, Psalmista non diceret.* Ambulabunt de virtute in virtutem: *Nec mirum si de virtute in virtutem, gradus sint, quando vnaquæque virtus quasi quibusdam gradibus agitur, & sic per incrementa meritorum ad summa perducitur. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Si enim, & ipsa fides ad perfectionem suam non quibusdam gradibus duceretur, sancti Apostoli minimè dixissent, Adauge nobis fidem*. Et post pauca: *Vltrò terra fructificat ex semine primo herbam, deinde spicam, postea granum in spica*, Et cum ex se produxerit fructus, mittit Dominus falcem, quoniam adest tempus messis. *Herbam quippè producere, & inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere, ad spicam verò herba peruenit, cùm se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in spica fructificat, quando iam in tantum virtus proficit, vt esse robusti, & perfecti operis possit*. Et tunc omnipotens Deus vitam incidit, vt granum suum ad cælestia horrea perducat. Vide multa alia apud S. Gregoriũ, vbi supra.

Ad perfectionem paulatim ascenditur.

Vers. 20. §. 28 Quare Lot, si salutis acceperat tesseram, si incolumitatis promissum, confidentiam timore obscurat, & laboriosè montem inscendit? Si cùm monte incolumitatem Angeli promisissent: *In monte saluum te fac*, ipse paruam ciuitatem, veluti securius asylum delegit; cur monte ciuitatem inconsultè commutat? Notauit S. P. N. Augustinus apud Lyppomanum: *Ipse mons est, in quem spontè ascendit, quò admonente Domino ascendere noluit*. O quanta detrectamus, si iussa, quæ amplectimur spontanea! Caietanus Segor vicinam esse deflagrantibus vrbibus auspicatur, timuisseque Loth, ne protensa ad viciniam, flamma ciuitatem in cineres redegisset, proprioque stragis cinere tumulasset. *Ratio timoris fuit, ne flamma accensa planitiei extenderetur in Segor, & humana quidem ratione rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem*. Loti nutauit tantisper ad speciem confidentia; verùm ex illius diffidentia perutilis nobis promanauit doctrina: timuit vicinorum flamma absorberi, qui Angelico testimonio didicerat asseruari. Ciuitas Segor priuilegio secura; sed flammis vstulantibus satis proxima: ergo rationabili metu fugit, si tantùm spectaris humana: incendium timuit de vicinorum culpa, qui de illæsa propulsarat conscientia. De improbo sæpè vicino totus non semel vicus obturbatur, & discrimini exponitur: abiectæ pudicitiæ muliercula amplæ domus inquilinos infamat, & de contubernio suspectos obscurat. Non solùm diligenda est domus, qua viuas; sed & vicini, quibus conuiuas: nam turbulenti, iracundique vicini flamma aut eiaculatur vicino incendium, aut minitatur saltem periculum: raro vicini domos vstulantibus flammis exarsit, quin & proximam tetris obscurisque maculauerit fumis, si effusis non adussit incendijs.

Multa detrectamus iussa, quæ complectimur spontanea.

§. 29 Quare, postulante Abrahamo vt ira Dei dimittatur à ciuitatibus Sodoma, & Gomorrha; ei non conceditur, nisi ibi inuentus sit certus iustorum numerus; Roganti verò Loth pro Segor, absquè Pacto, vel conuentione, quòd ibi iustus reperiatur, mox indulgetur? Dixit enim Angelus ad eum: *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertam vrbem, pro qua locutus es*; Quod totum in gratiam Loth factum est, vt rectè ibi explicat S. Ioannes Chrysostomus. *Petitionem tuam*, ait, *tibi exhibeo propter te, etiam ciuitati parcam: quasi diceret, non solùm annuo precibus tuis, sed vltra nulla erit pœna habitatoribus infligenda*. Multò Sanctior Abrahamus, quàm Loth; & tamen huic sinè pacto, non verò illi, vna ciuitas conceditur. Vndè tanta differentia? Verum est, quod illustrior probitate Abrahamus; tamen Loth suarum ciuitatum deuastationem videns multa molestia, ac vexatione premebatur; & animus afflictus valdè Vers. 21.

Angustiatus eloquentior in precibus, quàm probus.

efficax

efficax in precibus ; & eloquens in intercessione.

Vers. 22. §. 30 Quare Angeli, vt peccatricem ciuitatem funditùs euerterent, vrgent Loth iustum pergere in locum designatum? O Angeli Dei quid agitis? Cur iubetis, festinare iustum? Si nihil mali inferre potestis miseris, dum iustus non abest, finite, morari iustum, finite, vt lentè, & pigrè discedat, vt longiores dentur indè hominibus induciæ. Deus non iussit, festinare iustum ad exeundum ; imò supplicium differi iussit, & dilatari indulgentiam, donec ipse iustus, exiret. Cur vos Angeli sæuiores vultis in homines existere? Cur cùm Deus lentat, vos acceleratis supplicia, & anxiè indulgentiæ tempora euertere nitimini? Vt notauit S. Ephrem in Loth: *Creator*, ait, *super cælestibus virtutibus iussit, vt tantisper intentas contineant minas, donec ex medio ipsorum iustus saluetur*. Deus Angelis mandauit, vt Loth educerent de Ciuitate; at ipsi cùm essent ministri, non tantùm mandatum voluot adimplere, sed aliquid de suo addiderunt, accelerationem nempè, vt festinanter Loth compellerent exire, vt supplicium accelerarent, & indulgentiæ tempus præoccuparent.

Ministri vltra suam commissionem procedunt.

Vers. 22. §. 31. Si Angeli valdè benigni sunt in homines, non poterant inferre malum vrbibus, donec iustus egrederetur; Quare ergo ita instant, vt festinaodo exeat? Cur ipsum non sinunt plus morari, ac lentè progredi, vt indè maiores induciæ homini concedantur? Deus non iussit, iustum festinare; imò indulgentiam concessit, donec ipse exiret. Cur ergo ita pro discessu vrgent; & eum non permittunt tantisper detineri? Angeli hominibus multum beneuoli, sed cùm ministri extitissent, aliquid de suo in executione mandati interponunt, vt ita se maximè solertes, ac diligentes exhibeant.

Ministri plus dicunt, & faciunt, quam eis est mandatum

Vers. 22. §. 32. Quare & quomodò Angelus impotentem se fatetur ad quidquam contra Sodomam, si Loth ad vrbem Segor non recedat? Quæ vis ergo in fragili homioe, licet iusto; quæ virtus in Loth deprehenditur, vt, oi abire festinet in vrbem, ni sese longe à sordidis submoueat Sodomitis, diuina infirmetur, & impos, vt ita dicam euadat potentia, ad condigna scelerosis peccatoribus supplicia infereoda? Vnius oratio iusti, ac meritum, quandam velut omnipotentiam, quæ diuinam quodammodo potentiam infringat, inuoluunt; & ideò, à Sodomorum consortio arcetur Loth, ne, si plenus meritis orator, pro immeritis accederet, ad immutandam de illis perdendis sententiam obligaret, & diuinam, hoc ipso potentiam, ad eos vlciscendos infirmaret, non diuinæ quidem eiusdem potentiæ defectu, sed meritis viri sanctissimi supplicantis ad quem idcircò Angelus; *Festina, & saluare ibi, quia non potero facere quidquam* &c. idest, illustrat Hugo à S. Caro: *Merita tua exigunt, vt non faciam, donec egrediaris. Poterat igitur per potentiam, sed non poterat per iustitiam*: poterat per potentiam, non poterat per supplicam, precum, piè superbam, probè audacem, humillimè ambitiosam omnipotentiam, quæ murus est ex aduerso iræ Dei opponendus: de quo Ieremiæ cap. 7. vers. 16. dicitur. *Ne obsistas mihi &c. Sicut enim murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso, contraque venienti; ita Dei sententia, sanctorum precibus frangitur*; sensus est S. Hieronymi ad Ezech. cap. 13.

Merita orantis viri iusti ad quæque potentissima.

Vers. 23. §. 33. Quare cùm diuina vltio desæuiret, vt ingenti incendio deuastaret Sodomam, notat Sacer Textus, quòd sol egressus est super terram? ad quid notatur, quòd tàm ingens plaga exorto sole facta est? Erat enim Sodoma valdè florida, ac periucunda, *sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor*. (cap. 13. vers. 10.) Clara die, ac rutilante iam Sole; igne comburuntur ciuitates, vt acerbior esset ciuium pena, dum quis proprijs oculis videret tam pulchrum, ac delectabilem locum, à quo discedebat, ac quem relinquebat. Huc aduoco Abulensis Testimonium. *Fuit pæna ista*, ait, *facta in die, vt infælicissimi illi, qua torquerentur, viderent*.

Acerbus dolor oculis videre, perdere propria bona.

Vers. 23. §. 34 Quare Angeli ad Sodomorum euersionem, vsquè ad ortum solis cunctanter expectauerunt? An noo ipsis magis decorum fuisset sub obscuræ noctis atra caligine durioris supplicij rigores tectiùs occultare? Quid claram diei lucem expectant? Ao vt palàm ab omnibus agooscantur acerbioris penæ exactores seueri, & diuinæ iustitiæ admioistri duriores? Imò id Angeli subterfugere videntur honesto quodam velut pudore castigandi. Ita quidem, & idcircò ad occultandum supplicium, claram diei lucem consultissimè præstolantur. An non ignibus Pentapolis vstulanda erat, & misero flammarum incendio tota ad fauillas redigen-

Angeli solius clementiæ diuinæ ministri censeri, piè exambiunt.

genda? cùm ergo flammarum lux micantiùs in tenebris luceat, vberiore solis luce etiam penalis ignis absconditur, & tectiùs occultatur, quo arbitrio Angeli natura sua placidi, & clementes, quasi vel ipsum iustitiæ bonum erubescant, *Solius Clementis Dei ministri* (vt dixit Sophronius orat. 6.) & videri, & censeri piè exambiant: scilicet, pœnalem ignium lucem, solis fulgoribus infuscant, & abscondunt aliquo acerbiùs castigandi pudore, vt *Solius clementis Dei ministri* appareant. Idest, *Ministri Dei*, qua, *clemens* est, non qua seuerè iustus, & pęnalissimis rigoribus peracerbus scelerum vindex. Vide hic clementer placidum & generosè beneficum Angelorum ingenium.

Vers. 24. §. 35 Quare Dominus pluisse ignem, & sulphur *à Domino* dicitur, cùm sat esset dixisse pluisse Dominum (Cur iterum Ly *à Domino* additatur? Sanè, vtrobique ex Hebræo, Tetragrammaton nomen, vni Deo conueniens, apponitur, & Irænaeus lib. 3. cap. 6. sic textum illustrat: *Pluit Dominus filius, sulphur, & ignem, à Domino Deo Patre*, cùm quo stant S. Ignatius, S. Cyprianus, Tertullianus, D. Athanasius, SS. Hilarius, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, & fauet Concilium Syrmiense Can. 16. *Si quis*, decernit, *illud, quod Scriptum est, Pluit Dominus à Domino, non de Patre, & Filio perceperit, sed Deum Patrem à se ipso pluisse scripserit Anathema sit; pluit enim Dominus filius à Domino Patre*. Et S. Cyrillus, *Dominus*, inquit, *à Deo, idest, filius à Patre iuxtà illud: sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: propterea vnxit te Deus &c. ex huiusmodi enim locis, colligitur Trinitas personarum in veteri Testamento*.

Vers. 24. §. 36 Si multæ ciuitates subuersæ fuere, quare de solis duabus, scilicet, Sodoma, & Gomorrha tantùm fit mentio? Caietanus soluit dubium dicendo: *Numerantur hæ duæ, quia principaliores erant*. Primæ ciuitates hoc fuerunt peccato infectæ; igitur à fortiori inferiores rapuerunt secum, & par in eis pœna fuit. Hoc eleganter confirmat S. Ioannes Chrysostomus, *Serm. de Continentia Ioseph*, exemplo animalium, quæ semper ducem sequuntur suum: *Nam, inquit, Et columba sæpè vna auolante, statim sequuntur omnes, & pullus generosus in equorum armento exiliens secum rapit omne armentum, similiter & auis reliquum gregem; ita & nos* &c. Post ducem, & Regem nostrum semper sequimur. O vide quanti sit momenti bonum vel malum Superioris exemplum! Si bonum dic boni, si malum, verò pessimi subditi.

Est magni momenti bonum, vel malum, superioris exemplũ.

§. 37 Quare gehennale hoc incendium non infimissimæ terrarum cauernæ eructant; sed supernè è cœlo ruere perhibetur? Opinor, Infernum potiùs quàm cœlum gehennales flammas ructarat cognatæ lasciuiæ vindices. Quid cœlo cùm gehennalis flammæ flammea ardenter pluuia? Opportunè indidem Rupertus: *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo*, inquit, *Quare non qualemcumque ignem; sed ignem pluit sulphureum? Quia ergò talem carnis fætorem miserant ad cælum, rectè de cælo fætorem igneum, vel ignem fætidum receperunt.* Nimirùm, sicut castitatis flos Angelos subolet, cœlum fragrat; ita squalidè fætidus luxuriæ ardor cœlos fætidè attaminat. Vltrices ergò vices cœlum seueriùs reciprocat, & æstuantis luxuriæ fætore conspurcatum, ignem fætidum ad vltionem reuerberat, & flammam sulphuream depluit. Quare ad luxuriæ vindictam, non emergit ex inferno inoffenso gehennale incendium; sed ex offenso cęlo fætida ardenter flamma acerbiùs euibratur: sicque dignas de luxurie vindicias agit. Vers. 24.

Fætore luxuriæ offensum cælum, sulphureum ignem depluit.

§. 38 Quare, si pęna ignis, & sulphuris futura destinatur peccatoribus in inferno, nunc ad viuos Sodomitas præmittitur in hac vita? An quia pœnæ, quæ peccati reos excipiunt in futuro, in præsenti sæculo lasciuos contorqueat? Ita *Saluianus lib. 4. de Prouid. diu.* An quia impij in hac vita gehennalibus pęnis incipiant torqueri? Ita *Mellifluus Doctor lib. de Conuers. Cler. cap. 19.* An quia fætidissimum luxuriæ peccatum, perpetuo supplicio vindicandum appareat, quòd adiectum igni sulphur, perpetuò ignes nutriat? Ita *S. Ambrosius*. An quia luxuriæ crimen fætido supplicij genere vindicetur? Ità *Abulensis*. An quia grauioribus delictis grauiores pęnæ respondeant? Ita *Albinus*, & *Strabus*. An vt sulphur inducendo, æterni cruciatus memoriam excitet, quo sedè lasciuientes compescat? Ita S. P. N. Augustinus lib. de Ouibus. Aptè quidem; sed Aptiùs; ideò igne, ac sulphure plecti reor Sodomitas, & Gomorrhæos, vt quo quis peccat, per hoc, & illum torqueri intelligamus. Certè cùm Deus omne genus humanum temporibus Noe delere statueret, aquas dumtaxat adhibuit; cùm Sacerdotes Aaronis Vers. 24.

filios

Digitized by Google

filios cremauit; Cùm Elias proteruos Regis milites igne de cælis immisso extinxit, nec sulphur, nec picem, nec id genus quippiam in supplicij partem adhibuit; cùm autem Sodomam, & Gomorrham vindicauit, sulphur adiecit, vt teterrimo sulphuris odore assumpto, patrati criminis fætorem induceret, & eadem pena vindicaret, quæ Sodomorum, & Gomorrhæorum sceleri responderet. Vndè Albinus ad nostrum intentum argutè scribit: *Sulphureo igne puniuntur, vt putidissimus libidinis ardor, putidissimo flammarum ardore puniretur*. Addit Innocentius III. lib. de contemptu sæculi cap. 25: *Quatenùs pœna similis esset culpa*.

Peccato grauiori par grauior pœna respondet.

Vers. 25. §. 39 Quare exprimitur *subuertit ciuitates has, & omnem circà Iordanem, &c.*? Nonnè sat erat, quòd ciuitates punirentur? Ad quid vltra regiones circumiacentes multantur supplicio? Ex mala illarum ciuitatum vicinitate subijciuntur supplicio, quod euadere non valuerunt, nullum aliud habentes crimen, nisi quòd essent propinquæ peccatricibus ciuitatibus. Saluianus lib. 1. de Gubernatione: *Dum iudicio malos perdidit Dominus, vicinas eius vrbes calesti flamma consumpsit*. Vicinitas mali origo extitit circumiacenti regioni.

Ob malam vicinitatem damnum.

Vers. 25. §. 40 Vel dic: Exprimitur non solùm fuisse consumptos homines, sed pecora, virgulta, plantas, arbores & regionem ipsam, vt hæc omnia vindictam Dei testarentur æternè. Audiendus est Richardus de Lytio Episc. Aquinat. Serm. 9. de timore cap. 30. *Puto quòd sapientissimus Deus statuerit locum illum, vt sic magis occasionem habeant homines cognoscendi potentiam Dei: cùm enim Sodomitas deleuit, non passus est regionem illorum in lacum conuersam vllo nunquam tempore habitabilem fieri*. Sed omninò in medium proferendus Tertul. qui de Sodomis carmine rectè cecinit.

Regio Sodomorum inhabitabilis.

Tota rogus regio est; hinc atro horrore fauilla.
Hinc situ canos cineres incendia signant
.... Facile optima sese.
Promittunt oculis pyra, persica, & omnia mala
Donec carpantur, nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum
Sic igitur calo pariter, terraque sepultis
Nec mare viuit ibi, mors est maris illa quieti.

Ergo hæc omnia vindictam Dei testantur æternè. Aqua, planta, arbores, poma, terra ipsa in salsuginem versa, in simulachrum sunt diuinæ punitionis conuersa. Nè vnquam obliuisci possint mortales illud, quo possint, de illorum periculo cautiores, & prudentiores fieri. *Quia enim homines*, ait Aureus doctor, *qui tantam Ciuitatem habebant multos impietatis fructus protulerunt. Idcircò inquit, & inutiles fructus terra facio, vt & illis abolitis perpetuum sit monumentum sequentibus generationibus*.

Sodoma vindictæ Dei æterna memoria.

§. 41 Quare vxor Lot ciuitates infames ardentes respiciens vertitur in salis statuam, & Abraham easdem aspiciens non punitur? Sed quorsùm ob iniectos oculos in ciuitatem mulier ita damnatur, vt tàm duram subeat pœnam: Abraham verò magno indè opere sublimatur; Quamuis in vtroque ferè similis reperiatur actio; intentio tamen, quæ solet externum factum condecorare, vel denigrare, multùm discrepans erat: nam oculos Abraham in Sodomam leuauit, vt Dei iustitiam extolleret, vxor verò Loth, vt illam accusaret. Quod eleganter ad hunc locum Petrus Paludanus confirmat dicens: *Aliter intuitus est perditionem Sodoma Abraham, & aliter vxor Lotb; nam Abraham intuitus est commendans, & laudans in corde suo diuinam iustitiam se vlciscentem de obstinatis peccatoribus: vxor Lotb, vt approbans Sodomorum nequitiam, & condemnans in corde suo diuinam iustitiam*. Vers. 26.

Non ex factis externis; sed ex intentione totum opus ponderandum.

§. 42. Quare vxor Loth versa est in statum salis, non quando habitat in Sodomis, sed quando ad illam conijcit oculos? Vt hoc documento instruamur grauiùs puniri relabentem in peccatum, quàm in ipsum primò cadentem, vndè S. Cyrillus Alexandrinorum Antistes lib. 5. cap. 17. dixit: *Indè sumendum nobis esse exemplum, ne ad deploratas reuertamur peccatorum illecebras*. Mittebat Semei lapides contrà Dauid, & eum pessima maledictione detestans, dicebat 2. Regum cap. 16. vers. 7. *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial*. Tamen à Rege veniam obtinuit; postea verò negligens mandatum Salomonis exiens ab Ierusalem morte damnatur. 3. Regum cap. 2. vers. 36. Cur in primo delicto habuit veniam, non in secundo? cùm tamen primum ex suo obiecto esset grauius, importabat enim rebellionem, iniuriam, odium, & contumeliam, ac scandalum in regem; at verò in secundo crimine ad excusandum extabat excusatio; ne suos seruos fugitiuos pateretur. Vndè ergo tanta hic pœna? Vers. 26.

Facilius remittitur peccatum quã illius relapsus.

Quamuis secunda culpa ex obiecto esset leuior, tamen ex relapsus circumstantia duriori supplicio punienda fuit. *Quid aliud* (dat manum citatus S. Cyrillus) *nobis hic Semei casus innuit, nisi timendam esse, & grauiter formidandam Dei iram, si iterum, atque iterum eaque iterum eadem perpetremus flagitia?*

Vers. 26. §. 43 Quare pro tàm leui culpa nempè respiciens retrò Vxor Loth tàm grauem pęnam subijt? Quodnam crimen fuit, quod hæc mulier retrospexerit inflictam pęnam Sodomitis, vt tàm rigidam mereretur pęnam; præcipuè cùm multorum sit sententia apud Cornelium à Lapide, culpam hanc fuisse venialem; cur ergo tanto supplicio punitur? Ex multa curiositate respexit mulier Sodomam, quòd non solùm fuit ipsam intueri, sed etiam radicem, ac originem tantæ subuersionis inquirere, ac perscrutari, & cur potiùs tali pęna quàm alia plectitur? Qui in Dei iudicijs se vult intromittere, tàm rigidè punitur, vt alijs sit in documentum, ac exemplum, veluti sal ad aliorum mentes condiendas ac præseruandas. *Non vestrum*, ait Procopius, *omnia scrupulosiùs rimari, & exquirere, si Deus peccatores pęnis implicat, sufficit nosse Deum illos puniuisse, quos pęnas ob scelerum enormitatem dare oportebat, velle perscrutari modum, secundùm quem pęnam luerint, proteruiæ & audaciæ, nec pietatis est.*

Punitur qui Dei iudicia vult inuestigare.

Vers. 26. §. 44 Quare, si Sara errauerat ridendo, & risum negando, & nullam retulit pęnam; Vxor verò Loth hic solum retrò aspiciendo tàm acriter punitur? Et cur Saræ duplex ad speciem erratum non imputatur ad pęnam, cùm leuior ad speciem Lothi vxoris defectus grauem adeò passus sit mulctam. Hospitio Dominum receperat Sara; sed & Lothi vxor: illic explicata fuit mensa; sed & hic azyma cocta: ergo aut simili vtraque pæna plectatur, aut vtraque liberetur. O quàm falsa est Lothi vxor, si de alterius condonatione præsumpsit, cùm ipse qui ibi pepercit benignus, hic punire potuerit seuerus: *Sara promissiones Dei audiens ridet*, Scribit S. Gregorius lib. 9. moral. c. 51. & apud Glossam; *sed ridens corripitur, correpta protinus fœcundatur*. Sara misericordię diuinæ existit exemplum, Lothi vxor seueritatis indicium: *Vxor retrospiciens*, inquit Isidorus apud Glossam, *in salem versa est, exemplum facta scilicet, & condimentum vnde alij saliantur*. Non sapit qui misericorditer alijs dilargita sibi credidit concedenda; cùm gratiæ iustitiæque Dominus pro libito eas administret, & exercuerit, vt placet. O quot fœminæ, dum alicuius peccata norunt impunita, suaque præsumpserunt dissimulanda, pęnam tulerunt audacis insipientiæ, & insipientis audaciæ; non omnibus idem datur, non omnibus resipiscentiæ tempus conceditur.

Ad aliorū criminum impunitorum exemplum, scelera perpetrare, fallax, imò audax argumentum.

§. 45 Quare vxor Loth si castiganda erat non incurrit Sodomiticum ignem: cur non absorpta flammis fuit? Cur tandiù dilata eius ruina? Equidem hoc bonæ vxoris habebat, quòd gaudebat contubernio viri, à quo separari nequibat, nec eius conspectum fugere. Vnde ira Dei tandiù desæuire distulit in illam, quandiù maritum ob oculos habens consortio gaudebat illius; at vbi marito è tergo relicto, reuersa est ad Sodomam, supplicium mortis incurrit. Id attigit D. P. N. Augustinus lib. 2. de Mirabil. Sacræ Script. cap. 11. dicens, *Vt cuius visus non erat immunis, ex culpa consortio mortem effundere non posset, quamuis propter iusti contubernium eruta sit de incendio*. Pepercit Incendium illi, vbi coniugis gaudebat consortio; Sed dedit pęnas criminum, quando oculos auertit à marito. O Sanctum coniugij firmamentum, aduersùs quod non audet vllum supplicium! Vers. 26.

Aduersus bonum coniugium nullum audet supplicium.

§. 46 Quare vxor Patriarchæ versa est in statuam salis? Responsio est in eisdem verbis *Respiciensque vxor eius post se, versa est in statuam salis*. Audisti? respexit; & quò? *retrò* hinc benè qui ambulat in salutis semita, & ad viam perditionis retrò aspicit sic acerbè punitur. Ergo si viam virtutis *Noli respicere post tergum*, &c.; *Hoc quod illi dicitur* (scribit ibid. Mediolanensium Pastor) *omnibus dicitur. Si vis ergo & tu euadere, ne respicias retrò, sed ante aspice vbi Christus est, qui dicat tibi, vade retrò, sicut Petro dicit, vade retrò me, vt Christum sequeretur, Christum videret. Retrò Sodoma plena flagitij, retrò Gomorrha vitijs scatens, criminum regio*. Quoties enim stultus ad stultitiam suam, sicut canis ad vomitum reuertitur, & pristina vitia iterauerit, vel ad ea quæ propter Deum reliquerat, mente fuerit reuersus, exemplo huius vxoris Loth in statuam salis conuertitur, idest, sinè sensu, & sibimet inutilis efficitur, sed alijs prodest, dum finem eius attendētes corriguntur, quemadmodum petram salis lingentibus animalibus pala- Vers. 26.

Reuertenti ad viam prauitatis dignè supplicia inferuntur.

palatum sapidum redditur, & edendi auiditas reparatur.

Vers. 28. & 29. §. 47 Quare dum descendit Dominus in montem Sinai totus mons fumabat; & cùm Abraham aspexisset vniuersam terram regionis Sodomorum vidit illam fumo plænam? De primo dicitur Exodi cap. 19. vers. 18. *Totus mons Sinai fumabat eò quòd descendisset Dominus in igne*, & de Secundo: *Abraham autem consurgens manè..... intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & vniuersam terrã regionis illius, viditque ascendentem fauillam de terra quasi fornacis fumũ*.

Ex defectu orationis, inferni nutritur ignis.

Sed vndè fumus iste tanquam fornacis, & tanquam ex infima abysso procedens, fumus Deo ingratus & hominibus non acceptus. Fumus ille montis Sinai fumus erat Dei conspectu, & præsentia dignissimus, & fumus ab ipso ignito Deo in eo habitante productus. Hic verò fumus totius exustæ regionis vndè proueniet nisi ex alio igne. Nimirum ex defectu orationis, quod vt pateat vide Abrahamum ex eodem loco, in quo priùs rogauerat Dominum, nec obtinuerat, omnem illam famosam, & fumosam respicientem regionem, vt quid respicit fumum, & humum fumigantem? nimirum vt omnibus constaret, terram illam, ideò igne cælesti consumptam, quia etsì iustus pro illa preces multiplicauerat, at illa pro se numquam Dominum perorauerat, rem exagitat Aureus Doctor contrà eos, qui cùm ipsi nihil orent, multum orationibus sanctorum existimant circa suam salutem deferendum.

Nihil prosunt orationes alienæ, si desunt propriæ.

Quod si ipsi negligentes fuerimus, & spem in illis solis collocamus, nostra salutis nihil ampliùs nobis prodest, non quod infirmi sint iusti, sed quia propter nostram desidiam nos perdimus, & vt discas quòd quando negligentes sumus, etiamsi iusti sint, qui pro nobis orant, etiamsi prophetæ, nulla nobis indè fiat vtilitas, audi Deum, omnium ad eum, qui de vtero matris sanctificatus est, Hieremiam Prophetam dicentem, ne ores pro populo hoc, quia non exaudiam te. Hæc ille. Periere ergo miseri, quia orationibus caruere, & fumus eorum ascendit semper, gratus autem fieri non potest, sed importunus, & fætidus nullo igne orationis nutritus, qui etiam dum sinè oratione viuebant simili modo fumabant.

Solus orationis fumus Deo acceptabilis.

Quotquot, ait Philo Alexandr. libro de cælo, *contumaces fuerint æstuabunt, vrenturque intestinis concupiscentijs totos homines semel occupatos depascentibus*. Iusti & sancti viri illo igne à Domino de cælis in terram misso, quem ipse mittere venerat, ardent, & fumant, & ascendit fumus orationum suarum in cælum gratissimus Deo: impij igne prædicto exusti, fumo teterrimo aera implent, à quo cælites cauent, & Deus ipse: solus enim orationis fumus potest illi esse acceptabilis. *Porrò desertum, à quò sponsa ascendit*, ait S. Ambrosius lib. de Isaac, & anima cap. 5. *Mundum hunc intelligimus: quapropter filiæ Hierusalem mirantur quomodo anima, quæ ante in inferno derelinquebatur, ascendat veluti fumus natus ex igne, atque alta petens; tum propterea quòd bonis odoribus flagret, odor autem ille orationis quo redolet suauitatem, qua dirigitur sicut incensum in conspectu Dei, & in Apocalypsi legimus, quòd ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum. Quod incensum tanquam pias precationes suaue flagras vnguentum.*

Animæ bonus odor oratio.

Vides animam ex inferno translatam in gloriam, ex damnatione in salutem, ex morte in vitam solo orationis adiutorio? Et quæ fumabat tanquam Pentapolis, dum non oraret, modò per orationem fumus eius aromatum est, quia bonis flagrat odoribus adhærens sponso.

§. 48. Quare Loth accepta incolumitatis tessera, adhuc timore concussus fugerit, cùm priùs in Segor diuino protectus auxilio manserit? Respondet Caietanus veritum fuisse, ne ardentis ciuitatis longam per planitiem extenderetur flamma, quæ magna illi si non vitæ pericula, saltem aliqua pareret detrimenta: nondum se censebat incolumem, si incendio viueret proximus, ideò ad montis abdita properauit festinus: & quidem vacillans Lothi fides vtilissimam nobis attullit eruditionem, scilicet satis non esse ad incolumitatem properanter vitia effugere; sed necessum ab scelerum confinio distare. Vers. 29.

A vitijs longè, si euasisti, fugiendum.

Opportunè Caietanus: *Ratio timoris fuit metus, ne flamma accensa planitiei extenderetur in Segor, & humana quidem ratione rationabilis fuit timor propter propinquitatem ad terram ardentem; manifesta tamen diffidentia Loth de verbis Angelicis hic apparet: promiserant enim seruare ciuitatem illam*. Angeli ciuitatem omni periculo promiserant eximendam; verùm Lot post diuinam etiam promissionem extimuit flaminam propinquam. Et quidem ipsa diffidentia propinquitatis maximum ostendit periculum, dum Loth de propinquitate timet subire naufragium. O quàm sibi ipsis imponunt, quàmque cupiditati suæ blandiri gestiunt, qui effugiunt vitia, vt con-

ſcientiæ vitent latratus; in vitiorum tamen manent confinio, nec prorsùs amandauerint appetitus. Eccè Loth vel diuina oppignerata ſibi fide ſe non arbitratur incolumem, dum flammæ agnoſcit affinem; extenditur namque aliquando vitiorum flamma, & dum obſiſtitur, ſi non adurit, infuſcat.

Verſ. 30. §. 49 Quare in monte qui in ſalutē Loth à Deo datur in tàm turpia ſcelera incidit? A filiabus ſemel, & iterum inebriatus eſt, cum eiſque valdè turpem inceſtum perpetrauit. Nonnè Loth per multum temporis habitauit in Sodomis, Deum timens, abſque alicuius luxuriæ, & ebrietatis inquinamento? Quid magis voraginem vitiorum ſæculi denotat, quàm Sodomia? Quid magis ſalutiferum apparet, quàm locus à Deo in tutamen deſignatus? Vt hoc nobis ſit documentum, quòd ſæpè honeſtiùs viuitur in inferiori ſtatu, quàm in eminentiori; & qui in ſæculo virtuti incumbebant, in Eccleſiaſtico, ac religioſo ordine aliquando grauiùs delinquunt, & in multò maiora ſcelera ſe præcipitant. Pro quo facit illud quod eleganti ſtylo ſcribit in ſuis Soliloquijs S.P.N. Auguſtinus dicens: *Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe. Vidimus lucem obtenebraſſe, & de tenebris lucem proceſſiſſe, quia Publicani præcedent in regno cælorum; filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.* Hoc S. P. N. Auguſtini aſſertum ſuis oculis vidiſſe teſtatur Abbas Siluanus in vitis Patrum lib. 5. de Compunctione. Ego ad iudicium raptus ſum, ait, & vidi multos de habitu noſtro euntes ad tormenta, & multos ſæculares euntes ad regnum. Heu me Miſer! hæc ſcribens lacrymis potiùs quàm atramento depromo, profundè expendens hæc Siluani verba ſcilicet. *Vidi multos de habitu noſtro euntes ad tormenta.* Et quis ſcit cùm filius regni appaream, Publicanis in cæleſti aula me præcedentibus, an eijciendus ſim in tenebras exteriores? ergo illumina Domine tenebras meas, infunde lumen ſupernæ cognitionis, vt te diligam, teque in æternum Fruar.

Aliquando quis in ſæculo honeſtior viuit, quàm in religione.

Verſ. 30. §. 50 Cur non quieſcit Loth in Segor, quam ipſe poſtulauerat, & verbis angelicis erat ei conceſſa? Fides angelica data, ſecurum munimen erat; ad quid contempta ciuitate, ad montem, quem antea noluit, modò conſcendit? Segor locus voluptatis, ac deliciarum erat; & cùm Lot vidiſſet alios perire, ac aliorum mortes inſpectaſſet, ſtatim delicias, ac oblectamenta huius vitæ abiecit, ab illiſque exiens ad rigorem ſolitariæ vitæ in montibus, ac veluti ad illius aſperitatem confugit. *Sicut priùs* (confirmans ſupradictum Ioachimus Abbas lib. 5. concordiæ noui, & veteris teſtamenti cap. 43. ait) *Angeli præceperant, aſcendit in montem Lot? quia modò homines durum putant attendentes delicias Sodomæ, & Gomorrhæ, quibus nutriti ſunt, & abhorrentes aſperitates montium, vbi deſunt deliciæ Sodomorum: in hora illa videntes omnia eſſe turbata, inueniri ſibi loca quietis, quamuis horrida, pro magnis delicijs computabunt.*

Maximus doctor aliorū ſupplicium.

§. 51 Quare refert Moyſes quòd maior filia Loth dixit ad minorem, Pater noſter &c.? Vt cognoſcamus quàm facilè vitia originem habeant, & fœminæ pronæ ſint ad cohoneſtanda ſcelera. Caietanus ibid. *Quòd meminerint ſenectutis paternæ in promptu ratio eſt, videlicet, vt accelerarent concubitum cum patre: quòd autem crediderint omnes viros mortuos eſſe, muliebris temeritatis fuit. Quod magis vrget ciuitatem Segor inuenerant habitatam; verùm quod pater timuit futurum, leuiſſima mulierum mens indicauit eueniſſe incendium Segor.* Eo in monte nullum præter patrem inhabitare videbant: ergo coniecerunt ſatis leuiter nullum præter patrem hominem incendio exemptum, vt expleuerint appetitum; Satis fuit ea leuis coniectura intemperantiæ fauens, vt certiſſima haberetur euidentia, & honeſta congreſſus cauſa: *Leuiſſima mulierum mens iudicauit eueniſſe incendium.* Sic iudicat mens paſſionibus obturbata, ſic videt appetitus tenebris impedita. Verſ. 31.

Fæmina ad cohoneſtanda ſcelera facilis

§. 52 Vel dic. Vt clareſcat quàm ſolicita ſit multiplicandæ prolis mortalis conditio, vt nedum prolem neſcientes innoxiæ quoque puellæ prolem ambiant, & defuturæ illi, præmaturè conſulere, genio quodam arcano vrgente, pro viribus ſatagant. *Hæc erat priſcorum maxima cura, quomodò genus ſuum, liberorum ſucceſſione dilatarent: proindè dicit, ne noſtri generis tota fiat abolitio, præſertim patre tam ſenio confecto, veni potemus patrem noſtrum vino,* ait S. Ioannes Chryſoſtomus id quod, non vitio puellarum vertendum eſt, ſed ingenitæ illis ad multiplicandum genus humanum propenſioni, Addit Lyranus; *Habuerunt enim piam intentionem, ſcilicet, conſeruationem generis humani, licèt malo modo, ad hoc vellent venire,* Verſ. 31. & 32.

Solicita nimis mortalis conditio ad prolem multiplicandam.

nire,

nire, scilicet, per incestum cum patre, quod suis semper illicitum, & detestabile, Satius pattari tantum nephas ducentes quàm genus deleri paternum; *tunc quidem, quoniam origo, & initia erant, & per generis successionem memoriam suam volebant conseruare, tantum eius rei studiū fuit, iusti filiabus,* idem Aureus Doctor.

Verſ. 33. §. 53 Quare Lot inter Sodomitas eastus fuit, & inter filias incestuosus? Quia illic sobrietatem coluit: hic verò in ebrietatem ruit; vnde Origenes homil. 5. ibid. *Ebrietas*, inquit, *decipit, quem Sodoma non decepit: vritur flammis mulierum, quem flamma sulphurea non vssit.* Nec minus Vigilantiam euertit ebrietas. Vndè Seneca epist. 84. de quodam Phisone temulento: *Meridies*, inquit, *erat eius diluculum*, Imò vt docet D. Basilius homilia decima quarta de ebrietate. *Tota ebriorum vita, insomnium quoddam est*.

Tota ebriorum vita insomniū quoddam.

Verſ. 34. §. 54 Quare maior filia, quæ se iam de Patre concepisse nouerat, sorori persuadet, vt eum genitore dormiat? Porrò si sobolem, seu hæredem quærit, adest Moab, Princeps familiæ soboles, etsi ex infami incestu: si optat parentis Lot monumentum, in vtero gestat Moabum, vbi æternabit patris nomen, imò infamiæ titulum, (quis verò ex infamia captet gloriam?) Profectò mirissimum est, amicam seu scortum procurare adamato viro aliue iunioris fœminæ amplexus. Hæcne amans, an amens? Vbi ambitio singularitatis, vbi impatientia consortis? Planè insolens est scortum lenocinari scorto, vt cùm à se adamato viro luxurietur. Verùm enimuerò fœmina hæc ætate maior, culpa prior, non tàm expetit consortem amoris, quàm malitiæ; nequit esse sola in delicto, quæ fuerat in malitia prior: cædit zelotypiæ furor studio consortis, ne sola dicatur in crimine, si parem malitiam non procurat. Proprium facinus excusare studet sororis facinore. Pietatis nomine meram impietatem sorori suadet, vt ex aliena damnatione excuset suum damnandum flagitium. Opportunè S. Gregorius Nazianzenus orat. de Laud. Basil. *Mihi verò*, inquit, *ad improbos, & malignos oratio est; qui ex eo, quòd alios calumnijs incessunt*, Et criminibus onerant, *vitijs suis opem ferre moliuntur*. Et in re non absimili pergit sic eleganter orat. 1. *Omnes hoc nomine pij sumus, quia alij alios impietatis damnamus. Huc accedit, quòd alij aliorum peccata obseruamus, non vt lugeamus, sed vt exprobremus: neque vt medicinam afferamus, sed vt nouum vulnus infligamus: atque à proximorum vulneribus excusationem vitijs nostri petamus*. Planè sic studiosè id expetit homo, vt ex probo lenonem faciat, quæ est maxima huius perniciosè passionis hyperbole.

Excusationis studiū ex probo lenonem facit.

§. 55 Quare Loth non sensit quando eum filiabus concubuit? Adest responsio euidentissima quia ebrius, cognitione amissa, iam non veretur inuerecunda committere. Et in hoc iam similis factus est brutis, quæ palàm talia faciunt. Propterea dixit D. Basilius. *Ebrietas ex hominibus belluas facit.* Istæ enim non erubescunt, quia non cognoscunt, sic ebrius absorptus à vino *Tunc* (ait Seneca epist. 82.) *libidinosus, nec cubiculum quidem expectat, sed cupiditatibus suis, quantum petierint, sinè dilatione permittit, tunc impudicus morbum profitetur, ac publicat*. Propterea notat quidam Doctor Modernus, quòd, postquam Bethsabeæ, mater Salomonis, vinum immoderatum ipsi, & consiliarijs suis prohibuit, dicens Prouerb. cap. 31. verſ. 4. *Noli Regibus ò Lamuel, noli Regibus dare vinum, &c.* statim subdiderit: *Date siceram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo*. Vbi ait pro *mærentibus*, Origenes, *pereunti*, & subiungitur *bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs*, Vbi per *egestatem*, ait, *afflictionem* intelligi, vt sæpè in Scriptura Sacra accipitur. Et per *dolorem*, intelligi *dedecus*, vnde Psal. 139. verſ. 10. *Et labor labiorum ipsorum*; alij legunt *dedecus labiorum ipsorum*. Proindeque sensum verborum istorum esse, dissuadere ebrietatem omnibus, qui, vino digesto, ad se sunt redituri, & turpia cognituri, & inuerecunda, seu impudica, quæ in ebrietate patrarunt, ne de hoc postea erubescant, & doleant. Verſ. 35.

Ebrius non veretur inverecunda committere.

§. 56 Quare exprimit Moyses, quòd ex filia maiore Loth natus filius vocatus sit Moab ab eadem genitrice? Vt cognoscamus quomodo crimina excæcant oculos, & auferunt ingenium; nam filia Loth dum tenero infantulo nomen Moab imponit, in tenella infantis carne scripsit suæ impudentiæ nomen. Vndè non admiror adultæ puellæ audaciam, aut libidinem, siuè libidinis audaciam: quid non audeat nubilis puella nuptijs desperata? Admiror autem propudiosi incestus gloriosam inuerecundiam, quā nefariæ libi- Verſ. 36. & 37.

Quid non audet nubilis puella nuptijs desperata?

libidinis nomen ſpurio filio impudenter indidit *Moab enim* (teſte S. Hieronymus) *interpretatur ex Patre*, quod Hebraicum nomen *Moab* perſpicuè oſtendit. In occulti ſpelæi receſſu, inceſtum patri ebrietate negotiatur, & temulentiæ inſidijs paternum furatur concubitum. Sat erat occultum facinus partu publicare, quin illud ſcriberet in tenella infantis carne, nomen ſceleris *Moabi* vocabulo inſcribens; vt in filio, inceſtuoſæ matris impudentia pariter cùm flagitio legeretur. Quod ſic inibi expendit Caietanus: *Inuerecunda autem ſatis fuit puella prima, publicans inceſtum in nomine filij, ex eo etiam inſinuans, quàm audax fuerint, priùs conſulendo ſibi, & ſorori inceſtum paternum*. O fęminæ impudentiam de Sodomorum vicinia afflatam! Ablegato pudore, ſic impudenter audet libido, vt nefarium inceſtum honeſtare procuret, & glorioſè publicare exambiat? De Ioſepho patriarcha legimus, quòd vbi poſt diras calamitates feliciter exantlatas, natus eſt ei primogenitus filius; Geneſ. cap. 41. verſ. 51. *Vocauit nomen primogeniti Manaſſes, dicens. Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei*. Et (vt ibi peritè notauit Lyppomanus) *Poſteros meminiſſe voluit Ioſeph beneficiorum Dei, ideò nominum velut in propriam illorum carnem ſcripſit miſericordias Domini*. At puella hæc de Sodomiticæ inuerecundiæ halitu, pudendi inceſtus tacendum nomen velut in tenella infantis carne deſcribit; vt in eius poſteritate flagitium legatur, repetita ſobolis exſcriptione. O ne abijcias verecundiam, virtutum cuſtodem, & tutum aduersùs vitia præſidium! quam ſi excuſſeris, libidinem putabis piam, & laſciuiæ velut lege lata obſequeris.

Verſ. 37. & 38. §. 57 Quare & Moab, & Ammon vocati fuere infantuli filiarum Loth? quia clareſceret quàm damnoſa vel vnius puellæ laſciuia hominibus, populis, & mundo; Nam cùm ſoleat Deus peccatum parentum vſquè ad quartam generationem tantùm meminiſſe; peccata, & ſupplicia Moabitarum, & Ammonitarum vſque in decimam generationem inueniuntur, hinc dicitur: *Ammon, ideſt, filius populi mei: ipſe eſt pater Ammonitarum vſquè hodie*: Non enim laſciuia duarum puellarum contenta eſſet, niſi populoſiſſimas nationes per plura ſæcula inficeret. De quibus ait Theodoretus apud Lyppomanum: *Quia tamen non rectè, ac ſecundùm legem patrem ſuum cognouerunt, inde genus impietatis maximè infamis propagatum eſt. Moabitæ enim Idolo Chamos ſeruierunt, Ammonitæ verò idolo Melchom. Quos etiam diuina lex vſquè ad decimam generationem in Eccleſiam Dei ingredi vetuit*. Sic nouit vel vnius, vel paucorum laſciuia numeroſiſſimos populos & nationes perdere.

Laſciuiæ crimen etiam per plura ſæcula ſtirpem infamat, & cognationem.

§. 58 Vel dic vt cognoſcamus ex his quanta ſit peccatorum inuerecundia. Accipe dati Caietani confirmationem. *Moab ideſt ex patre. Inuerecunda ſatis fuit puella prima publicans inceſtum in nomine filij. Ex hoc etiam inſinuans quàm audax fuerit prius conſulendo ſibi, & ſorori inceſtum paternum*. Minor autem vocauit nomen filij Ammon, *ideſt, filius populi mei. Ex quo apparet verecundia, ac ſenſus huius puellæ. Nam in nomine filij non publicauit inceſtum; ſed manifeſtauit ſe non genuiſſe ex populo damnato à Deo, ſed ex viro proprij populi. Erat enim proprius eius populus Chaldaicus, ſeu transfluuialis.* Sic quantùm inuerecundiæ culpabilis apertè apparet. Maior tantùm verecundiæ ſenſatæ, ſi non abſquè criminis nota, laudabilis cognoſcitur minor.

Peccatores inuerecundi.

§. 59. Vel dic: Hæc tàm propudioſa nominatio arguit procacem puellarum impudentiam, an acerbiſſimam Dei vltionem, infandum ſcelus in filiorum nomine ſeueriſſimè caſtigando? Audiendus eſt S. Ioannes Chryſoſtomus, qui hac ſuper re ſic fatur eleganter: *Nomina ſtatim natis indiderunt, quibus factum ſignificabant; & in filiorum nominibus, quaſi in columna quadam memoriam facti deſcribebant*. Vnde ſi quæris cur nomina harum duarum filiarum non referuntur hic? Adeſt tui quæſiti ſolutio: Nimirùm conſultiſſimè, & ſeueriſſimè tacentur harum mulierum propria nomina, nec cognoſcuntur niſi filiorum appellatione, in quorum nomine inceſtus publicatur, quaſi in columna quadam memoriam facti deſcribentes: Nominis iniuria, ſit tanti ſceleris pœna; enormius flagitium appellationibus potiùs caſtigetur; ſit nomen, non moritura æternæ infamiæ columna, quæ in vocabulo deſcriptum facinus, æternitati probat, probroſa nominis inuidia. Sit res impunis, quando nomen acerbiùs feritur æternatura appellationis infamia. Dicitur Matthæi cap. 1. verſ. 6. *David autem Rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vriæ*. Non leue negotium faceſſit interpretibus, quare Salomonis mater non proprio nomine Berſabee nuncupetur, ſed ex ea quæ fuit

Filij filiarum Lot, inceſtum in nomine deſcriptum præferunt.

fuit Vriæ. Porrò illustre Bersabee nomen satis erat notum, non tantùm Dauidis ætate, sed exinceps, Bibliorum relatione, Reginæ nomen publicante. Nominat Euangelista Rahab Ierichuntinam meretricem, & Moabitidem Rutham, & vnam Bersabee tacet? Glossa ibi sic dubium dissoluit: *Tacet autem Matthæus nomen Bersabee, vt nominando Vriam, reducat ad memoriam illud maximum scelus, quod in eum fecit.* Scilicet grande, multiplex, inhumanum, & propudiosum Bersabee flagitium in nomine castigat Euangelista. Nam Bersabee, non solùm inuerecundæ, & salacissimæ libidinis rea fuit, sed atrocissimæ etiam sui mariti cædis conscia, vt aduertit Remigius in Catena; Ergo Dauid & Bersabee partiuntur enormioris flagitij pœnam. Dauid postquàm per pœnitentiæ squalorem delictum abluerat, mulctatur re ipsa Absalonianæ rebellionis calamitatibus; Bersabee autem eiusdem sceleris rea, & de qua nusquam legitur pœnitentiam egisse, castigatur in Nomine; *Nam tacendo Nomen Bersabee; & nominando Vriam, reducit in memoriam illud maximum scelus, quod in eum fecit.* Inuratur fœdissimi delicti nota, appellationis stigmate, & iniuria Nominis, sit Bersabee æternum sceleris monimentum.

§. 60 Si ex dicto S. P. N. Augustini *est potens ad subuertendum fœmina instrumentum*, Quare non eadem passus Lot, quæ vxor illius? Quamobrem non, & ille coniugi indulsit, atque morem gerens illi, non & respexit ipse post se, & conuersus est in statuam salis? Premam ex Auito Viennensium Archiepiscopo, singularem cogitationem. Putat Fœminæ præreptum tempus, vt marito significaret, aut voce, aut nutu; eadem facienda: itaque mox vt vultum ad Sodomam conuertit, subsequuta est vindicta. Quòd si spatium concessum fuisset alloquendi virum, & hic quoque fortassè succubuisset. Sume ex metro de peccato originali pauca de libro 2.

Si vxor Lot videndo incendiis maritum alloqui potuisset, forsan, & statuasset.

Hoc tamen hic mirum est, quòd Lot non flectitur, ipsam
Nec sociam sequitur, primo constantior Adam:
Quanquam id credo magis factum, quia visa referre
Iam nequit elinguis: quæ si comperta referret,
Forsan, & in similes ausus temeraria traxit,
Credulo vt imposuit virgo primæua marito.

Fortunata Lot vltio, quæ fœminæ spatia loquendi subtraxit: nam, si datum, vt ad decipiendum labia componeret, tanta est potentia muliebris philtri, vt etiam ignes, & incendia spectans, & non vanum inferni simulacrum, Lot blandimentis, & suadelæ eius, quam deperibat, consensisset fortasse.



CAPVT XX.

GENESIS.

Verſ. 1. PRofectus inde Abraham in terram auſtralem habitauit
inter Cades & Sur: & peregrinatus eſt in Geraris.
2. Dixitque de Sara vxore ſua, Soror mea eſt, Miſit ergo
Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.
3. Venit autem Deus ad Abimelech per ſomnum nocte, &
ait illi, En morieris propter mulierem quam tuliſti:
habet enim virum.
4. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait, Domine, num gentem igno-
rantem & iuſtam interficies?
5. Nonne ipſe dixit mihi, Soror mea eſt: & ipſa ait, Frater meus eſt?
in ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc.
6. Dixitque ad eum Deus: Et ego ſcio quòd ſimplici corde feceris: & ideò
cuſtodiui te, ne peccares in me, & non dimiſi, vt tangeres eam.
7. Nunc ergo redde viro ſuo vxorem, quia propheta eſt: & orabit pro te,
& viues: ſi autem nolueris reddere, ſcito quòd morte morieris tu,
& omnia quæ tua ſunt.
8. Statimque de nocte conſurgens Abimelech, vocauit omnes ſeruos ſuos; &
locutus eſt vniuerſa verba hæc in auribus eorum, timueruntque om-
nes viri valdè.
9. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid feciſti nobis?
quid peccauimus in te, quia induxiſti ſuper me & ſuper regnum
meum peccatum grande? Quæ non debuiſti facere, feciſti nobis.
10. Rurſumque expoſtulans, ait: Quid vidiſti, vt hoc faceres?
11. Reſpondit Abraham: Cogitaui mecum, dicens: Forſitan non eſt timor
Dei in loco iſto: & interficient me propter vxorem meam:
12. Aliàs autem & verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris
meæ, & duxi eam in vxorem.
13. Poſtquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc
miſericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur,
dices quòd frater tuus ſim.
14. Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & ſeruos & ancillas, & dedit
Abraham: reddiditque illi Saram vxorem ſuam.
15. Et ait: Terra coràm vobis eſt, vbicumque tibi placuerit, habita.
16. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in
velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt, & quocumque perrexe-
ris: mementoque te deprehenſam.
17 Orante autem Abraham, ſanauit Deus Abimelech & vxorem, ancillaſque
eius, & pepererunt.
18. Concluſerat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Sa-
ram vxorem Abrahæ.

LITERALIS EXPOSITIO.

Vers. 1. Num. I. *Profectus indè Abraham in terram australem habitauit inter Cades, & Sur.* Abraham ex Mambre vbi habitabat, vt vidimus, profectus, venit & firmauit se inter Cades, & Sur. Hæc duo nomina duas significant solitudines sicut exponit S. Hieronymus in lib. de locis hebraicis. Sur solitudo Ægypto iungitur, ad quam populus hebræus, transfretato rubro mari primò peruenit. Altera verò, quæ Cades vocatur, vsquè ad Saracenorum eremum extenditur.

Cades, & Sur quid sint.

2 Notandum est quòd Cades Num. cap. 13. desertum Phara dicitur, & cap. 33. desertum Sin. Appellatur, & Fons misphat. Et interpretatur Cades, *sanctitas, & Fons iudicij*. Quod autem legitur in fine primi capitis Deuteronomij *Sedistis ergo in Cades-berne &c.* legendum tantùm *in Cades*. Cades berne verò interpretatur *sanctitas filij instabilis*, aut *frumenti*, vel *puritatis commota*; Ciuitas est regionis Moabitarum, vici terræ, siuè tribui Iuda versùs Austrum, hoc est meridiem, ad montem Amorrhæorum, limes terræ Deuter. cap. 1.

Cades quot nomina.

Cades-berne quid.

3 Sur alterius solitudinis nomen interpretatur *Angustia*, & hic locus situs est inter Cades, & Barad contrà terminos terræ Ægypti; & Abulensis contrà Lyranum disputans, probat idem esse desertum Sur, & desertum Ethan, eundemque locum duobus illis vocabulis fuisse appellatum. Et hoc probat ex cap. 15. Exodi, & ex 33. Numerorum. Vide Tostatum ibid. pag. 508. col. 2. lit. I. & seq.

Sur quid.

Sur, & Ethan idem desertum.

4 *Et peregrinatus est in Geraris*, idest in terminis Geraræ. Gerare Metropolis terræ Palæstinorum erat, in qua natus creditur Isaac. Et ab hac Gerariticа Regio nomenclaturam sumpsit 2. Paralip. cap. 14. quæ olim terminus Chananæorum fuit ad australem plagam: Gerara, vel Gerare, interpretatur: *Peregrinatio*, vel *Certatio*, vel *Conflictus*, seu *Aduena appropinquantes ad regnum fide, & opere*.

Gerara quid.

Vers. 2. 5 *Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est: misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.* Vide quæ diximus in cap. 12. vers. 13. num. 41. tit. Literalis Expositio, adiungo cum Isidoro cit. ab Hugone Card. *Tacuit vxorem, dixit sororem, ne ipse occideretur, & illa ab alienigenis captiua possideretur, certus quòd à Deo inuiolata seruaretur, sicut apud Pharaonem, &c.* Nota Abimelech nomen fuisse communem appellationem regum Philistææ gentis; ideò in titulo Psal. 34. nomen Abimelech tribuitur Achis Regis Gath; ad quem fugit Dauid. 1. Regum cap. 21. *Tulit eam* idest vt coniugem eam duceret.

Abimelech quid.

6 *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium noctе, & ait illi, En morieris &c.* Vers. 3. Ex hoc habetur dormienti Abimelecho hanc visionem in imaginatione obiectam esse. Et hic aptè quadrat, quod scriptum est in libro Iob cap. 33. vers. 15. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo.* (vers. 16.) *Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina.* (vers. 17.) *Vt auertat hominem ab his quæ facit, & liberet eum de superbia.* (vers. 18.) *Eruens animam eius à corruptione, & vitam illius vt non transeat in gladium.*

7 *En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum.* Non prædicentis est, sed monentis, ne tangat mulierem. Sed quæritur; an Abimelech peccauerit? Et videtur quòd non; quia & ipse dominus dicit; *Et ego scio quod simplici corde feceris.* Pro contraria tamen parte est quod dicitur; *Et orabit pro te*: & rursùm quod ipse Abimelech dicit: *Quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande.* Itaque secundùm aliquid innocens erat Abimelech, & secundùm aliquid culpabilis. Innocens ab adulterio, & adulterij voluntate: Culpabilis autem, quatenus mulierem quamcumque sinè vinculo coniugij sibi sociare voluerit: tum etiam quòd non satis diligenter inquisierit an esset coniugata, sed passus est verbis ambiguis se falli.

Abimelech an peccauerit quando tulit Saram.

8 *Abimelech verò non tetigerat eam, & ait Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies?* Vers. 4. Alij legunt *Non accesserat, appropinquauerat, non fuerat congressus cum ea.* Verbum קרב *karab* non tangere propriè, sed accedere, appropinquare significat; sed inter-

præ honesto modo non fuisse cognitam Saram indicare volens, verbo tangendi vsus est.

9 *Num gentem ignorantem.* Idest me, & meos, qui ignoranter hoc fecimus: non enim putauimus eam esse vxorem illius, *cognouit autem Abimelech* (dicit Abulensis) *per accidens Saram esse vxorem Abraha, scilicet, quia cognouit hanc, & hac erat vxor Abraha: ergo cognouit vxorem Abraha, sed cognitio per accidens non causat voluntorium,* vt patet 5. Ethicorum cap. 9.

Vers. 5. 10 *Nonnè ipse dixit mihi, Soror mea est, & ipsa ait, Frater meus est?* Quasi dicat ex concordi confessione amborum, ego habui iustam causam ignorantiæ. Hinc subiungit *In simplicitate cordis mei & munditia manuum mearum feci hoc.* Idest corde recto, & simplici accipiebam eam, credens eam esse Sororem eius, fuisset enim cor duplex, si sciens quòd esset vxor Abrahæ, accepisset eam publicè, quasi fingens, quòd Soror eius esset: vnde Caietanus hic pag. 96. dicit: *Purum cor mundaque opera se habuisse in re hac testatur.*

11 Nota, quòd iustus totaliter erat Abimelech, quia iustitiæ actus, aut bonitas eius simpliciter consistit in duobus, scilicet, in actu interiori affectionis, vt si rectum iudicium sequentes rectè eligimus, & in exteriori executione, si secundùm iudicatum, & electum, executio subsequatur, vtrumque autem habuit Abimelech: Primum cum dicitur in simplicitate cordis mei, idest, quia ad bonum finem accipere eam elegi; & non in concubinam, vel ad illudendum ei. Secundum, quia ita executus est non accedens vsquè huc ad eam carnaliter, quia nondum eam in vxorem acceperam, sed expectans vsquè in posterum, & sic Sara munda euasit.

Actus iustitiæ in duobus consistit.

Vers. 6. 12 *Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris;* Idest, & ego scio te innoxium ab adulterio; sed non ab iniuria. Tulisti enim inuitam pro tuo imperio; sed vt *non peccares in me te custodiui, & non dimisi vt tangeres eam.* Refert Iosephus, quod Abimelech accæpta Sara ægritudinem incurrit qua impeditus est à coniugio Saræ, & propterea quadrat vt huiusmodi ægritudo significetur retentiua Abimelech à contactu Saræ, dicendo non dedi ad tangendum eam.

Abimelech ægritudine percussus ne Saram tangeret.

Vers. 7. 13 *Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est, & orabit pro te, & viues.* Simile quippiam legitur in libro vbi Deus dicit amicis Iob cap. 42. vers. 8. *Ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam vt non vobis imputetur stultitia.* Caietanus monet ex hoc loco intelligi, diuinas apparitiones, & visiones, quas habuit Abraham, & superioribus capitibus commemorauit Moses, fuisse similes visionibus Prophetarum: ipsumque Abraham fuisse primum Prophetam in Scriptura nominatum: cuius verba sunt: *Hinc habetur quòd visiones diuinæ quas habuit Abraham, intelligendæ sunt similes visionibus prophetarum: & quod Abraham est primus propheta in Sacra Scriptura nominatus.*

Primus nominatus Propheta fuit Abraham.

14 Hic nota primò, quòd vox Propheta, in sacris literis, duplicem habet significationem. Primò nomen Prophetæ significat eum, qui diuina mysteria, & arcana, mortalibus occulta, & humana ratione incomprehensibilia, diuinitùs reuelata cognoscit, atque alijs enunciat. Et quia videt, quæ mortalium nemo videre potest, & ita nouit futura, quasi præsentia videret; propterea qui dicuntur Prophetæ, antiquitùs vocabantur *videntes* vt scriptum est cap. 9. lib. 1. Regum.

Duplex significatio vocis Propheta.

15 Dicitur etiam Propheta qui diuinas reuelationes habet, & cum quo Deus consilia, & arcana sua communicat, licèt ea nec verbis, nec scriptis enunciet hominibus, nec in publicum edat. Huius generis Propheta fuit Abraham: Fuit Itidem Iosue, de quo scriptum est Ecclesiastici cap. 46. vers. 1. *Fortis in bello Iesus Naue, successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum.* Quamquam Iosue etiam priori modo, Propheta dici potest: quippè qui multa sibi à Deo reuelata, & mandata enunciabat, & exponebat populo.

16 Nota secundò, quòd Prophetia dicta est, à *Pro*, quod est procul, *Fanos*, quod est apparitio, quia per illam, quæ procul, & distantia à nobis sunt, videntur, & apparent, indèque Prophetæ dicti etiam sunt, Vates, propter vim mentis, qua ignota penetrant, & percipiunt. Alia etiam est Etymologia, nempè à verbo *Fari*, quod est loqui, quasi ex eo aliquis propheta nominetur, quia quæ procul, & futura sunt fatur. Vel Prophetia, & Cassiodoro, est inspiratio, vel reuelatio diuina, rerum euentus immobili veritate denuncians. Vel ex D. Thoma est supernaturalis cognitio, & intelligen-

Prophetia quid sit.

Prophetæ cur vates dicti.

tia per diuinam inspirationem, & reuelationem habita, de rebus distantibus, seù ignotis.

17 *Si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.* Idest etiam si alia plaga non apponatur tibi, ea, quàm pateris sufficit tibi ad mortem. Et obserua quòd duplex est causa per quam subditi pro Principe castigantur. Vna quia peccatum Principis aliquo modo est peccatum subditorum, cùm ipsi possent Principem ad contraria mouere, & si negligant, peccant; & hoc verum est quantùm ad peccata publica: Altera causa est quia populus aliqualiter est Principis, ideò sicut interdum homo perdit res suas propter peccatum, ita proportionaliter populus punitur propter Regem. Etiam quia propter peccata subditorum interdum eorum Prælati mali sunt, ideò peccata Dominorum interdum redundant in subditos quantùm ad pœnam.

Duplex causa punitionis subditorum pro Principe.

Vers. 8. 18 *Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc &c.* Alij legunt *Manicauit in matutino, surrexit diluculò.* Verbum שכם *Sachem*, manicare, seu diluculò surgere significat. *Hic enim ponitur satisfactio culpæ in hoc quòd Abimelech Deo obediuit, Saram ipsi Abrahæ reddendo, & cum hoc ei munera offerendo, eo quòd Saram sibi acceperat, non enim sufficienter inquisiuit si esset alligata viro, vel non ideò peccauit eam accipiendo.* Verba sunt Lyrani.

Vers. 9. 19 *Vocauit autem Abimelech etiam Abraham & dixit ei: quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti &c.* Expostulantis non interrogantis est sententia hæc. Quanam à nobis ô Abraham es affectus iniuria, vt horribilem vindictam excogitares? *Quid peccauimus in te?* idest, hoc quod nobis fecisti non debuisses facere nobis, nisi in vindictam alicuius magni mali: sed nihil tibi tale fecimus, dicit Caietanus hic: *Insinuatur quòd Abraham reprehensus istis querulis rationibus tacebat: & rex subiunxit, nosse volens causam, quæ motus fuerit Abraham ad simulandum quòd Sara esset eius Soror*: Hinc dicit Textus.

Vers. 10. & 11. 20 *Rursùmque expostulans, ait: quid vidisti, vt hoc faceres? Respondit Abraham: Cogitaui mecum dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto, & interficient, &c.* Directè Abraham respondet quæsito non se vidisse aliquid; sed solùm dixisse inter se, & suos non esse timorem diuini iudicij in loco isto, *Intellige*, (dicit Caietanus pag. 97.) *hoc dictum ab Abraham non asserendo, sed dubitando; & si idololatræ erant præsumendo.* Pro ly *Forsitan non est timor Dei*, Legunt alij, *Verè, in rei veritate non est cultus Dei.*

21 *Aliàs autem, & verè Soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Aduerte quòd illud aduerbium *Verè*, non iungitur cùm sequenti vocabulo, *Soror*, quasi denotetur eam fuisse veram, & germanam Sororem Abrahæ: sed pertinet ad veritatem sententiæ, quàm dixerit Abraham; vt hic sit sensus: non sum mentitus, cùm dixi, eam sororem meam; nam secundùm consuetudinem gentis nostræ, cùm ea sit filia patris mei, verè dici potuit Soror mea. Iam verò illud: *Filia patris mei, & non matris meæ*, hanc habet sententiam; omnes qui erant ex familia Thare, ipsum appellabant patrem, & idcircò inter se appellabant fratres, & Sorores. Audi S. Ioannem Chrysostomum in homil. 45. in Genesim hæc ipsa verba explanantem. *Quia*, inquit, *eundem illa patrem vocat, quem & ego patrem appello, idcircò & ipsam ego sororem vocaui. Erat præterea quædam præcipua, & propria ratio, cur Sara auum suum Thare appellaret patrem, siquidem Aran pater Saræ, multo tempore ante Thare mortem obierat, quapropter Sara, mortuo patre, ipsum Thare non solùm in aui, sed etiam in patris loco habebat. Sed quid illud significat;* Filia patris mei, & non matris meæ? *Hæc videlicet, Thare ex alia vxore generasse Abrahamum, & ex alia ipsum Aran patrem Saræ; quare Abraham, & Sara, eundem virum, idest, Thare appellabant patrem; ille quidem vt genitorem suum; hæc verò, tum quia erat auus, tum quia eam vice patris sui iam mortui colebat. Non poterant autem similiter eandem fœminam appellare matrem, cum alia fuerit fœmina ex qua Thare generauit Abraham, & alia ex qua procreauit Aran patrem Saræ.* Ita etiam S. P. N. Augustinus Tirinus, & alij. Vers. 12.

An Sara fuerit vera Soror Abrahæ.

22 *Postquàm autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem &c.* Idest postquam eduxit me Dominus vel peregrinationem meam cæpi, dixi ad eam, quando terra suspecta fuerit mihi propter tuam pulchritudinem, dic quòd soror mea es. *Si enim*, dicit Abulensis, *dixisset Sara, vxor sum illius viri occidissent eam, & hoc fecit Abraham postquàm exiuit de domo patris sui, scilicet, de Aran, quia discurrebat per* Vers. 13.

Digitized by Google

diuersas terras inter incognitas gentes, quarum mores ignorabat, cùm autem esset in domo patris sui, nihil horum timebat, ideò eam vxorem vocabat.

Vers. 14. 23 *Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram vxorem suam;* Septuaginta legunt: *Sumpsit mille didrachmas, & oues.* Dedit munera Abrahamo, vt honoraret eum, & vt prouocaret ad orandum pro se, quæ munera, iuxtà Abulensis explicationem, fuere omnia animalium genera quibus vita humana sustentatur: hoc intelligitur per ly *oues, & boues. Per seruos, & ancillas* intelliguntur omnia alia bona domestica, vt aurum, & argentum, quæ (reddendo vxorem) dabat ei; nam serui, & Ancillæ dicit Tostatus, *sunt domestica possessiones.*

Vers. 15. 24 *Terra coràm vobis est, vbicumque tibi placuerit, habita.* Abimelech vt Abrahæ magnam gratiam faceret, dabat locum habitandi in toto regno suo, iuxtà Abrahami beneplacitum. Ex quo patet quòd maiorem gratiam fecit Abrahæ Abimelech, quàm rex Pharao.

Vers. 16. 25 *Sara autem dixit: Eccè mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, &c.* Tria sunt hìc consideranda Ly *Argenteos mille*, Ly *fratri tuo*, & *in velamen*. Et ad primum. Hi mille argentei sunt mille Sicli, vt vertit Chaldæus: nam cùm in Scriptura ponitur argenteus, vel aureus, intelligitur Siclus, vti exponit Mariana cap. 6. de Ponderibus.

Siclus quid sit, & quotuplex.

26 Siclus, monetæ species, hebraicè dicta *Sekel* id est pondus. Duplicis erat valoris, siuè speciei; nempè, quæ *Siclus Santuarij* dicebatur, & semiunciam, seu quatuor drachmas ponderis continebat, quod est idem; ideo à Græcis τετράδραχμον appellabatur. Siclus ergo nummi genus est apud hebræos, quales sunt tetradrachmi attici: Sic Ioseph hebræus lib. 3. Antiquit. cap. 9. Idem etiam refertur à D. Hieronymo bis verbis: *Siclus autem idest Stater, habet drachmas quatuor: drachma autem octo latinam vnciam faciunt.*

27 Altera verò Sicli species dicebatur *Siclus communis*, qui duas drachmas, idest, vnciæ quadrantem pendebat, à Latinis *sicilicus* appellatus fuit, vide lib. 21. §. 2. ff. de auro legat: & à Græcis δίδραχμον dicebatur, & duos romanos iulios, seu duos reales hispanicos valebat; cuius speciei monetæ triginta proditori Iudæ in solutionem suæ præuaricationis traditæ sunt, vt Cornelius à Lapide existimat; nàm Budeus de Asse refert vnam ex illis monetis Parisijs vidisse, quæ duas Drachmas pendebat, quod pondus cum alia simili ROMÆ in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem conseruata conuenit. Igitur donum mille argenteorum, quod rex Abimelech dedit Abrahæ non minoris erat, quàm numerorum aureorum, vel potius, vt vulgò dicitur, scutorum quadringentorum.

28 *Dedi fratri tuo*; si Abimelech iam audierat ex ore ipsiusmet Abrahami maritum esse Saræ, cur modò fratrem vocat dicens. *Dedi fratri tuo?* dicit Caietanus pag. 97. *iocando semyronia dixit, fratri tuo.*

29 *Erit tibi in Velamen.* Septuaginta sic legunt *hæc erunt tibi in honorem* (vel pretium Græcè τιμὴν) *Faciei tua, & omnibus qua* (fæminini generis) *Tecum sunt, & omnia verifica*, idest vera loquere. Et videtur significari, hæc data Saræ, & mulieribus, quæ cum ea erant vt Sara magis ornata, ac proindè potentior appareret in oculis hominum, ideoque liberè posset eloqui se coniugatam, ne quisquam auderet viro potenti vxorem eripere. Sequitur: *Et corripuit se.* Sensus est Phrasi Hebraica, & correpta est, scilicet à suo ipsius animo, iam edocta quam periculosum esset se dicere sororem sui mariti esse. Huius versiculi explicatio deducitur à Lectione Hebræa, quæ ibidem sic habet: *Eccè ipsum tibi operimentum oculorum omnibus qui tecum, & cum omnibus, & corripuit se.* De velamine vide quæ diximus superiùs in Literali Exposit. cap. 11. vers. 29. num. 46.

30 Vel dic: *Hoc* idest mille argentei *erit tibi in velamen oculorum*, idest ad tollendam verecundiam, quia verecundia apparet in oculis, & in fronte; ideò homines verecundiam patientes oculos deprimunt, tunc ergo aliquis velamen verecundiæ habet, quando habet aliquid, per quod non verecundetur.

Verecundia sedes vbi.

31 *Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt.* Eccè quod Deus dixerat Regi Abimelech: *Orabit pro te: quia Propheta est, & viues*, id nunc manifesto & indubitabili argumento apparet, & effectu ostenditur. Siquidem orante Abrahamo pro salute Abimelech, & domo eius, continuò ei, & omni eius familiæ perfecta incolumitas, & salus reddita est. *Iuxtà hebræum,* Vers. 17.

scri-

Digitized by Google

scribit Caietanus, *habetur. Et orauit Abraham* אלהים*: & sanauit Elohim Abimelech, & vxorem eius, & ancillas eius. Vt adimpleretur sermo diuinus, orauit Abraham Deum sub ratione iudicis iusti vt innocentes absolueret à vinculis ægritudinis: & iustus iudex exaudiuit eum.* Quo morbo laborauerit domus Abimelech, significauit Moyses dicens.

Vers. 18. 32 *Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.* Videtur autem Deus clausisse os vuluæ, vt fætus iam maturus partui exire non posset; ex quo necesse erat mulieres acerbissimis doloribus cruciari. Et hanc clausuram vuluæ oris, indicat translatio Græca, quæ habet Deum clausisse de foris vuluas mulierum, cui etiam lectioni consonat Chaldaica paraphrasis, in qua legitur, clausisse Deum ostium vuluæ. Aut fortasse, quia in enixu necesse est maiorem in modum dilatari meatus, & distendi os vuluæ muliebris, vt locus egressui fætus ex vtero sufficiens præbeatur; Deus naturalem facultatem ita dilatandi, & distendendi meatus, & os vuluæ, ligatam, & impeditam tenebat. Iuxtà Hebræum habetur: Quia stringendo strinxit יהוה per ommem vuluam domui Abimelech. Et Caietanus habet: *A fæminino sexu describitur plaga communis vtrique sexui: non enim dicitur quòd strinxit omnem vuluam, sed strinxit per omnem vuluam: ad insinuandum impeditum vsum vulua per hoc quòd Deus strinxerat: hoc est facultatem ademerat aperiendi meatus seminandi ad generandum hominem. Et attribuitur hoc flagellum non* אלהים *sed* יהוה*, ad significandum quòd non punitio sed prouisio fuit proficiscens ab ipso fonte essendi. Propter Saram:* Hic deest vna dictio: & legendum est: Propter rem Saræ vxoris Abrahæ.

Quo morbo laborauerit domus Abimelech.

ANNOTATIO
MORALIS.

Vers. 1. 33 P*Rofectus indè Abraham in terram australem:* Visa pœna malorum prouidet sibi Abraham, idest quilibet vir iustus. Vel dic: quòd vno loco fidelis Abraham consistere non debuit, sed fidei, & morum exempla passim circumferre, Dei gloriam factis, ac verbis prædicare. *Sic pij Prædicatores* (inquit inibi Lippomanus) *Euangelij, vno loco pulsi, aliò diuertuntur in gloriam Dei, vnde & Dominus:* Alijs ciuitatibus oportet me euangelizare.

Prædicator vni loco astrictus esse non debet.

34 *Habitauit inter Cades, & Sur.* Cades vt diximus superiùs *Iudicij*, *fons* interpretatur, & Sur, *Angustia*. Iustus ergo benè habitat inter Cades, & Sur, considerans hinc angustias præsentes; indè futurum iudicium. Hinc dolor, indè timor, quasi duæ molæ, inter quas molitur iustus vt fiat panis, & possit comedi à Christo, & Ecclesiæ incorporari. Item per Sur potest accipi dolor de præteritis, per Cades cautela de futuris.

Iustus inter duas considerationes iustior, & quæ sint.

Vers. 2. 35 *Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est.* Quamuis timor ne mulierem amittat Abraham grandis fuerit; quàm sit hoc namque toleratu difficile, sciunt qui vxores habent. Vndè & sapiens Prouerb. cap. 6. vers. 34. dixit: *Furor, & zelus viri non parcet in die vindictæ*, tamen timor mortis illum expulit. Hoc sanè & in corporalibus afflictionibus contingere solet, grauior dolor totos nos sibi vendicat, ita, vt minorem dolorem non sentiamus. Similiter iustus hic Abraham ob dolorem mortis, omnia acerba toleranda censebat. Mors enim ante Christi aduentum terribilis erat, nunc autem contemptibilis, ita vt quam formidabant illi virtute clari, & tanta erga Deum fiducia freti, nunc derideant, & iuuenes, & teneræ virgines. Nihil enim mors est vltrà, quàm somnus, & peregrinatio, & transmigratio à deterioribus ad meliora. Mors enim Domini immortalitatem nobis donauit & mortis dissoluit neruos, & robur destruxit, & quod ante terribile erat, nunc contemptibile fecit: adeò vt multi exiliant, & festinent, cùm hinc migrandum. Vnde Apostolus clamabat ad Philippenses cap. 1. vers. 33. dissolutionem citam sui corporis, vt cum Chris-

Timor mortis maximus.

Mors ante Christi aduentum terribilis.

Digitized by Google

Christo in æternum viueret. *Coarctor autem è duobus: desiderium habeas dissolui & esse cum Christo &c.*

Sanctitas pulchritudinem adauget.

36 *Misit ergo Abimelech rex Gerare, & tulit eam.* Mirum valdè, quòd fæmina nonagenaria, cui iam desierant fieri muliebria, tàm pulchra, & concupiscibilis esset? Quæris cur? Audi; sanctitas Saræ eius auxit pulchritudinem. Præstò est Lippomanus dicens: *Propter eius sanctitatem fuit, quam respiciens Deus, pulchritudinem illius, & carnis teneritudinem ita conseruauit.* Tanta, talisque erat Saræ pulchritudo, quia gratia diuina, quæ illi supra naturæ ordinem fæcunditatem præbuit, pulchritudinem illius, velut aquilæ iuuentutem renouauit.

Quid per Abimelech significetur.

37 Sed quid per *Abimelech* significatur? Interpretatur enim, Abimelech, *Patris mei Regnum*, & significat Iudæos, qui erant regnum patris Christi, scilicet Dauid, iuxta illud S. Lucæ cap. 1. vers. 32. *Dabit illi Dominus Deus sedem*, idest Regnum, *Dauid Patris eius.*

Vers. 3.

38 *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi, en morieris propter mulierem quam tulisti*: Hic Pastor Mediolanensium, & Ecclesiæ Sanctæ Doctor moralissimo calamo, scribit: *Aduertimus hic, adulterium diuino iudicio morte puniri. Nulli licet scire mulierem propter vxorem, ideò coniugij tibi datum est ius, ne in lequeum incidas, & cum aliena muliere delinquas.* Alligatus es vxori, ait Paulus, noli quærere solutionem. *Nec hoc solùm est adulterium, cum aliena peccare coniuge, sed omne quod non habes potestatem coniugij. Tamen locus iste docet, grauius crimen esse, vbi celebrati coniugij iura temerantur, & vxoria pudor soluitur.*

Adulterium Deus acerrimè punit.

Vers. 4. & 5.

39 *Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? &c.* Ægritudine cælitus immissa in puritatis Saræ custodiam, & femina sanctissima Regię obsistente libidini, rex potuit suam promere innocentiam. Syncero, inquit, animo feci, vno, & altero coniuge affirmante, fraternitatis necessitudine, non matrimonij vinculo colligari. A Dei ad iudicium accedentis rigore sola protegit innocentia. Hinc dixit Dauid Psal. 36. vers. 37. *Custodi innocentiam, & vide æquitatem.* Super quę verba in tract. super hunc Psalmum tom. 4. dicit S. Ambrosius: *Qui custodit innocentiam, æquitatem videt; quoniam qui mundus est Deum videt, cuius virga recta est, directa iustitia, vt auersetur eos qui declinauerint ad studia prauitatis.*

A Dei iudicantis rigore sola innocentia protegitur.

Vers. 6.

40 *Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quòd simplici corde feceris; & ideò custodiui te ne peccares in me.* S. P. N. Augustinus in quæst. super Genesim à Glossa citatus dicit: *Quòd dicitur Abimelech pro Sara.* Et peperci tibi ne peccares in me. *Aduertendum est Deum fecisse, quando admonuit vxorem esse Abraha, quàm putabat sororem. Et notandum quòd in Deum peccatur, cum talia committuntur, quæ putant homines, vel non esse peccata, vel leuia haberi tanquam in carne peccata.* Vel dic, quòd Dei pietatis est documentum vulnerare corpus peccatoris: vt animus non vulneretur piaculo. O quàm magna misericordia Domini!

In Deum peccare quid, & quando.

Vers. 7.

41 *Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est: & orabit*, &c. ex hoc colligitur quòd restitutio est necessaria, dum ea, quæ propria non sunt à proximo auferuntur; nam soluitur commissum, cùm restituitur amissum. *Resipiscere* (inquit Lippomanus) *necessarium est agnoscenti errorem, & restitutio ablati pars est pœnitentiæ.* Vel dic: impudentissimus est qui audet cóniugem Sáncti viri sollicitare.

Restitutio necessaria ablati.

Vers. 8.

42 *Statimque de nocte consurgens Abimelech vocauit omnes seruos suos.* Abimelech modò se præbet exemplar veri pęnitentis, nam diuinitùs cognita culpa, non expectauit ad diem alteram sed statim de nocte consúrgens propalauit crimen. Sic enim docet Ecclesiasticus cap. 5. vers. 8. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* (vers. 9.) *Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et S. P. N. Augustinus in lib. de vtilitate agend. pœnit. eleganter scribit: *Sunt multi, quos peccare non pudet; ô incredibilis insania! De vulnere ipso non erubescis, & de ligatura vulneris erubescis. Nonne vulnus fætidum, & putridum est? Confuge ergo ad medicum; age pœnitentiam: dic, iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contrà me est semper. Tibi soli peccaui: quia tu solus sinè peccato.*

Pænitentia fructuosa sine procrastinatione.

Vers. 9.

43 *Vocauit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis?* &c. Vide modestum regem qui regalem celsitudinem, ac libertatem legi subiectam, & adstrictam tenuit: nec putauit licere sibi (quamuis rex esset) quodcunque liberet: Sed legem naturalem, & humanam, ex equo prohibentem omnes adulterio, religiosè custodiuit. Enimuerò sapiente Platone dictum est, probè ac beatè reipublicę argu-

Felix Respublica in qua Principes ipsi Legibus sunt subiecti.

argumentum esse, si leges in ea dominentur, & Principes ipsi legibus subiecti sint. *In qua ciuitate*, ait Plato lib. 4. de legibus, *Lex subdita est, ibi video perniciem ei paratam esse: in qua verò lex domina est Principum, & Principes serui sunt legis, ibi video salutem, & omnia bona, quæ dij benemoratis ciuitatibus dare solent*. O' felix Respublica illa in qua Principes ipsi legibus subiecti sunt!

Vers. 10. & 11.

44 *Rursùmque expostulans ait: quid vidisti, vt hoc faceres? Respondit Abraham, cogitaui mecum, &c.* Prudentis fuit consulere periculo. Non quidem temerè iudicaui, ciues tuos à Dei timore recedere: sed ex agnata humanæ naturæ fragilitate timui, ne voluptati Dei timor submitteretur: & me è vita abriperem, nè coniugium esset crimini impedimentum. O' tempora; quando vt vxor se adulterio contaminet, dantur marito non vulnera, quibus moriatur: sed munera, queis viuere possit! Nullum coniugium apponit impudicis obstaculum; sed non semel acrius excitat ad delictum.

Saræ notabilis vxoria fides.

Vers. 12.

45 *Aliàs autem, & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in vxorem.* Dic moraliter. O quot Principes iam cum vulgarissimis computari non timent mendacia componentes! Quot vrbes solummodò incoluntur à vulgo, quia omnis homo non ex humanitate solùm, sed ex sermone mendax. Abraham, vt à mendacij suspicione se liberaret, genealogiam quasi totam paucis in verbis exposuit; dedeceret enim virum nobilem vulgarissimorum inficii vitio.

Mentiri vitium est vulgarissimorum.

Vers. 13.

46 *Postquàm autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: hanc misericordiam facies mecum.* Postquàm sermo Dei repulsus est à Iudæa, omnes fideles sunt Christi fratres & sorores: vndè & ipse Dominus Iesus Matthæi cap. 12. vers. 50. dixit. *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, & soror, & mater est.*

Omnes fideles Christi fratres, & sorores.

Vers. 14.

47 *Tulit igitur Abimelech oues & boues, & seruos, & ancillas.* Idest Principes gentium, qui priùs ecclesiam tollere conabantur amplissimè ditauerunt: Hinc Isaias dixit cap. 60. vers. 7. *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum maiestatis meæ glorificabo.*

Ecclesiæ Gloria.

Vers. 15. & 16.

48 *Et ait: terra coràm vobis est, vbicumque tibi placuerit, habita:* idest ante oculos, significatur libertas construendi Ecclesias, quam Principes concesserunt, & maximè Constantinus tempore S. Syluestri Papæ I. Vndè & primo lib. Esdræ cap. 7. vers. 21. dicitur: *Ego Artaxerses Rex statui, atque decreui omnibus custodibus arcæ publicæ, qui sunt trans flumen, vt quodcunque petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cæli absquè mora detis, (vers. 22.) Vsquè ad argenti talenta centum*; Et hic dicitur, *mille argenteos*, vtrobique perfectio designatur, quam debet habere Ecclesia in membris suis.

49 *Hoc erit tibi in velamen.* Hoc quod prædicatores Ecclesiæ debent ei incutere verecundiam, sua scelera ostendendo. Hinc Ezechielis cap. 43. vers. 10. *Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis.*

Prædicator quid facere debeat.

50 *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.* Ad quæ verba ita scribit Procopius: *Illud verò mirabile est, quod illa summa non Saræ, sed marito dependitur*. Suspecta sunt munera, quæ vel præsente marito vxor accipit; accipiat maritus quod vxori donatur. O bonam eruditionem, quò donorum exulent lenocinia. Quin & aduerte, quòd cùm munera donanda vxori, marito dantur; non maritum tunc, sed fratrem appellat, ne munerum acceptione dehonestetur mariti vocabulum.

Suspecta sunt dona, quæ præsente etiam marito vxor accipit.

51 *Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasque eius, & pepererunt.* Quibus verbis timori Dei tribuitur conceptus, atque partus gratiæ. Vndè Isaias cap. 26. vers. 17. *Sicut, quæ concipit*, ait, *cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine*: (Vers. 18.) *Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum*. Quæ verba, sic Theodoretus, illustrauit, vel potius Eusebius apud illum: *Timor Domini fecundam reddit animam, & motum concupiscentiæ, qui ex carne consurgit compescit. Mulieris enim vtero similis est humana mens, quæ quidem si recipit è Deo pietatis semina, parit omninò bonos fructus.* S. autem Cyrillus ad hunc modum conuertit: *Propter timorem tuum Domine nos vterum gessimus, & parturiuimus, & peperimus spiritum salutis, quo grauidi fuimus super terram.* Timor ergo Domini animam ingrauidat, & ad partum boni spiritus, idest, charitatis perducit. Ergo Salomon rectè scripsit in Prouerbijs cap. 3. vers. 7. *Time Deum, & recede à malo.* (vers. 8.) *& erit sanitas vmbilico*

Vers. 17.

Timor Domini fecundat animam.

Google

lio tuo, ideſt animæ tuæ: nimirùm fœcundabitur ad charitatem, & reliquos etiam fætus bonorum operum parturiendos.

52 Vel dic: *Orante Abraham sanauit Deus Abimelech, & vxorem, &c.* Ergo exorante Patriarcha, cuncti ſanitate donantur, conualuit Rex, omnis vulua eſt aperta. Vnde dic ad mores, quòd ſi ſterilitate Ciuitas opprimitur, ſi fame ciues affici timent: publica iuſtorum precatio inſtituenda. Sed vt preces Deo gratæ ſint, carnis mortificatio adiungenda eſt, quod expreſſit in carm. Iacobus Bill. Anthol. Sac. dicens:

In communi agrorum ſterilitate publicæ preces inſtituendæ.

Et precibus, ſanctis quænam ſolatio, quinam
Exiſtant fructus, nemo referre poteſt.
At tua ne fructus pede claudo vota ſequatur.
Fac tua cum vitijs vt caro morte cadat.
Ara duplex templi quondam hoc ſinè voce docebat,
Thus vna, at caſas altera habebat oues.
Obtulit hic caſas, pecudes, qui membra necauit,
Qui pia vota facit, Thus dedit ille Deo.

53 *Concluſerat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ. Vide*, ſcribit hic S. Ioannes Chryſoſtomus, *quid valeant preces iusti apud Deum*. Inſuper in homil. 45. notat idem Aureus Doctor quàm iuſtus (verbi gratia) Abraham ſit Deo cordi, & curæ, vt, quia in eum confidit, ipſum non tantùm à morte liberet, ſed & glorioſum diuitemque repentè efficiat. *In hunc enim modum*, inquit, *ſoles Deus agere: non ſolùm à triſtibus liberat eos, qui fortiter ſe gerunt in periculis, in quæ incidunt, ſed & tantam in aduerſis præbet lætitiam, vt in eorum obliuionem omninò veniant, & in multa ſint bonorum effluentia*. Et inferiùs: *Nam ſemper omnia ita facit, & tractat, & ſingula diſpenſat, vt qui ſibi ſeruiunt quaſi luminaria reluceant, & eorum virtutem vbique manifeſtam faciat.* Verſ. 18.

Preces iuſti quantum valeant.

DVBIA SACRA
IN CAPVT XX. GENESIS.

Verſ. 1.

§. 1. QVare dicitur quòd Abraham in terram Gerar deſcenderit? Quia fames vrgebat; Abrahamus igitur baculo in manu aſſumpto ipſe cum vxore ſua, neceſſitate compellente cogitur ad Gerar deſcendere, ibique fortaſſe etiam mendicare: ſed dices nonnè ipſe anteà erat opulentiſſimus, qui cum trecentis vernaculis quinque reges debellauit, lautiſſimo conuiuio Angelos excepit, tàmque ampla erat illius res, vt de eo, ac Lot dictum eſſet: *Nec poterat eos capere terra, vt habitarent ſimul: erat, quippè ſubſtantia eorum multa?* Quomodo ergo redactus in tantam paupertatem, non impatienter ſe habet in illa, nec animi dolorem, quo à tanto diuitiarum culmine ceciderat, oſtendit. In Græco habetur. *Profectus indè ille Abraham*, Expende ly *Ille*: *ille Abraham*: Ac ſi dicatur, idem erat Abraham in diuitijs, ac paupertate, nec diuitijs in ſuperbiam elatus eſt, nec paupertate eſt exaſperatus, vt impatientiam oſtenderet, ac exhiberet, ſed valdè æqualis æquo animo vtramque ſuſtinuit fortunam. Oleaſter ibid. ait: *Mirabilis valdè fuit æquitas, & patientia viri ſancti Abrahæ, qui ex ſummis diuitijs ad ſummam paupertatem deiectus, nihil fuit propterea mutatus; nuper armauerat 300. vernaculos domus ſuæ, quibus Reges Syriæ debellauerat, & nunc baculo in manu aſſumpto, ipſe & vxor eius cogitur ad Gerar deſcendere, ibique mendicare: vbi ſunt illi, qui ablatis ſibi à Deo diuitijs, quas à Deo multas acceperant, murmurant, conqueruntur, blaſphemant, ac deſperant? Diſcant à ſene qualiter vtramque fortunam tolerare debeant.*

Æque ferenda aduerſa, & proſpera fortuna.

Verſ. 1.

§. 2. Quare Abrahamus prioribus relictis ſedibus, in vrbe Geraris habitare maluerit? S. Ioannes Chryſoſtomus inibi ita ſcribit: *Vnde Abrahamus mouit? à loco vbi vniuerſi conditorem cum Angelis ſuſcipere ei conceſſum erat*. Et quo indè pergit? In vrbem Gerara, *in Gerara*, inquam, *quæ prouocatio, et inquietatio* interpretatur, teſte Lippomano: aut quæ *feruorem tribulationis* ſignificat, vt mauult Anſelmus Laudunenſis. O arcanam Abrahami ſapientiam! Amęniſſimam Palęſtinæ regionem deſerit,

Occaſio periculi ſit ſecundorum mater.

ſerit, veteres cum indigenis neceſſitudines abrumpit; amica cum Deo, & Angelis colloquia, & cœli delicias in hac vita ſugit, & auidè quærit *Gerara*, ideſt, *prouocationem, inquietitudinem, feruorem tribulationis?* Miriſſimum planè commercium! Hoſtilis prouocatio, anxia, inquietitudo, & æſtuans tribulationum feruor; regionis amænitatibus, amicorum neceſſitudinibus, & tot cælitum fauoribus præferenda ſunt: dicere eum Ennodio liceat in Panegyr. non ſuo Theodorico, ſed noſtro Abrahamo: *Sub te vidimus euentus optimos de aduerſitate generari, et fieri ſecundorum matrem, occaſionem periculi.*

Verſ. 2. §. 3 Quare ſi Pharao (vt vidimus ſup.c.12.v.16.) ictibus duriſſimis flagellatur ob Saræ raptũ, Abimelech minis tantummodò deterretur? Et ſi ſatis ſunt minæ, dura cur infliguntur flagella? Et ſi flagella pernecesſaria, cur fulminãtur tantummodò minæ? Eadem in vtroque palatio vertitur cauſa, eadem ergo proferatur ſententia, ne perſonarum acceptio aut iuſtitiam denigret, aut prouidentiam infamet. Notauit id Rupertus lib. 6. in Geneſ. cap. 15. *Aliter hunc atque aliter Pharaonem Deus corripuit propter Abraham: Pharaonem namque flagellauit plagis maximis, & domum eius. Huius autem ſatisfactione ſuſcepta..... Et ego ſcio, inquit, quia per ignorantiam feciſti, & idcircò non permiſi te vt tangeres eam.* Ea ipſa nocte diem, qua Saram tulerat, inſequente, vt placet pluribus, ad Abimelechum Dominus venit: innuit textus: *Venit*, inquit, *Deus ad Abimelechum per ſomnium nocte.* Vt ergò recens appetitus frænaretur, ſatis fuit minarum terror; aſt vt Pharao retentam diu fœminam reſtitueret flagellis maximis vapulauit. Abimelechus deſiderium adhuc corde premebat: *non tetigerat eam*; Pharao verò diu pulchritudinis adſpectibus oblectatus, & quantumuis iniuriam neuter intulerit, diſpari vterque caſtigatione mulctatus eſt. Pharaonis de diuturnitate durior plaga: ideò acerbior medicina: nondum natum crimen minitatione tantùm reſciſſum eſt; diu verò adultus affectus duris verberibus infrænatus: inueterati morbi ægrè patiuntur malagma: ideò dura ſuſtinuere ſemper flagella.

Peccatori obdurato durius flagelli.

Verſ. 2. §. 4 Quid regem Abimelechum mouit vt Saræ nuptias tam auidè expetiret? Qua ſuper re ſic addubitat inibi Lyppomanus: *Sed mirum, & profectò valdè mirum, quod fœmina nonagenaria, & cui iam deſierant muliebria, eſſet tam concupiſcibilis, pulchra, & vegeta, vt & Abraham timuerit occidi propter illam, & Rex alienigena voluerit eam habere in vxorem.* Difficultatem adſimilem, aut potiùs eandem, de eadem Sara, & Rebecca nura ſua inferius mouens, ita philoſophatur: *Veriſimile eſt, Saram, ac Rebeccam fuiſſe non ſolùm moribus gratioſas, ſed etiam inſolita forma, & pulchritudine præ cunctis Palaſtinorum mulieribus:* (audis nouum venuſtatis lenocinium) *Caſtitatis gratia viuaciorem formam, ac perſeuerantiorem accomodabat.* Quaſi caſtitas ſit perſeuerantia, & vita pulchritudinis, quæ libidine marceſcit, ægreſcit, cadauereſcit. Fructus pulchritudinis libido eſt, & tamen pulchritudo libidine tumulatur. Sic venuſtas adulatur luxuriæ, & rurſus luxuria venuſtati inſidiatur.

Caſtitas eſt pulchritudinis vita.

§. 5 Quare Abimelech tulit in vxorem Saram effætam, & vetulam? Nobili Philoſophia dubium diſſoluit Procopius ibid. dicens: *Quia iuſtus erat, et ſciebat iuſtum Abrahamum, quoque iuſti, et æqui eſſe cultorem, cuius haud diſſimilem credebat Saram, magno ſtudio cenſuit liberos, ſeu ſemen, ex tali quærere muliere.* Vt enim tantæ fias compos felicitatis, breuibus erudijt, & decantauit, quod hominum vulgò ſudatum eſt; *Si vis nubere, nube pari:* Quam adamaſſe paritatem, Sanctiſſimum MARIÆ virum Ioſephum, ex eo oſtendit Aureus Doctor, quòd, licèt, neque natura Chriſti pater fuerit, neque originem ab eo deduxerit; in Chriſti tamen generatione recenſetur; (Matthæi cap.1.verſ. 19.) non autem MARIA, ad denotandum videlicet, non ex alia, quàm ab eadem tribu, ſponſam caſtiſſimam deduxiſſe, vt idem omninò fuerit, illius, ac iſtius genus Euangeliſtam texuiſſe. Et licèt ab alia Tribu, contrà legis præceptum, ducere vxorem potuiſſet, *cùm eſſet vir iuſtus* ducere recuſauit, ne moribus à ſe diſſimilem, ingenijque diſparem aſſociaret, quod aduertit S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 13. in Matth. *Quid verò, inquis, ſi legem ille tranſgreſſus eſt? Idcircò Euangeliſta præueniens, Ioſeph, iuſtum eſſe teſtatus eſt, ne tu ei temerè crimen impingeres, ſed vt virtutem eius potiùs agnoſcens, ſuſpicionem tranſgreſſionis adijceres.*

Verſ. 2. (§. 5)

Si vis nubere nube pari.

§. 6 Quare duo Abimelechi duas habentes domi in eadem Geraris ciuitate pulcherrimas mulieres, Saram vnam, alteram Rebeccam, Rex primus minis corripitur, ſecundus verò nullum ſiniſtrum habet? Imò vix formo- Verſ. 2.

ſiſſima Sara apparuit in Geraris ſtatim appetitur à rege Abimelecho, & rapitur ex conſortio Abrahami in Regiam. Rebecca autem formoſiſſima erat in Geraris, & viſitur à Rege etiam Abimelecho, nec appetitur, ne rapitur, nec paſſa eſt vllum pudoris diſcrimen, ſed potiùs protegitur. Vndè hoc? Vndè Abimelechus hic temperatior, & caſtior illo Abimelecho, vt nec appetat pulcherrimam fæminam? Sanè hoc efficiebant famis tempora: erat tunc in Geraris, ſicut in vniuerſa Palæſtina panis egeſtas, qua maximè, & rex, & regnum affligabatur: vbi autem corporalis afflictio, & preſſura regnat, vniuerſæ voluptates, & cupidines ſunt contemptui. Vndè ad rem noſtram opportunè ſcripſit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. de Ador. *Eſt voluptas intractabile malum, & vitiorum noſtrorum feritas eiuſmodi eſt vt difficilè manſueſcat: at ſi ſudor deprimat, ac labores impoſiti ſint, tunc verò is, qui ſe liberaturũ ab ijs incommodis pollicetur, facilè perſuaſerit, ipſas quoque ſummas voluptates contemnere.* Quæ voluptas non contemnatur, vbi labor, & ſudor regnat? Sit homo in afflictione, & preſſura corporali, & fallar, niſi facilè eueniat, quod nulla voluptas in eius mente veniat.

Vbi fames vrget, ibi libido macreſcit.

Voluptas quoque contemnitur vbi labor regnat.

Verſ. 2. §. 7 Quare Abraham, qui pro vno captiuato nepote Loth aduerſus quinque Reges exurgit, nunc pro erepta ſibi vxore ab vno ſolo Rege non magis iraſcitur? Et cur non magis colligit ſeruorum copias, & bellum infert? Sequebatur modũ Abrahamus Dei nutum, & qui Deum perfectè ſequitur, etiamſi nihil faciat, ſi quieſcat, ſi dormiat, Deus ſtat pro illo qui vniuerſos hoſtes deuincet, fugabit pericula. Ait enim textus: *Venit Deus ad Abimelech per ſomnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, &c.* Quid diuinius? vel dormiente Dei aſſecla, Deus perterre facit hoſtes illius, pulchrè ad hæc aiebat Egeſippus lib. 5. de Exeidio Hieroſolym. cap. 16. *Non in multitudine populi, ſed in timore Dei pater Abraham penetrauit Ægyptum, & cum abducta coniuge captiuam videret pudicitiam, bello abſtinuit, aſſumpſit pia orationis arma, defenſorem adhibuit, qui dormiente eo vinceret, & expugnato hoſte intaminatam ſibi coniugem repræſentaret. Redit Sara ſine armis, referens viro triumphalem victoriam. Dormiebat Abraham, torquebatur Pharao.* Ecce tibi, vel dormiente perfectiſſimo Dei aſſecla Abrahamo, eius hoſtis ſic terretur à Deo, vt viro vxorem reſtituat intactam, & illum metuat offendere in aliquo. Felices vos, qui ardenter feſtinatis implere Dei placita, fallar, niſi Deus, vel dormientibus vobis, omnes aduerſarios perterrefaciat.

Iuſti arma ſolus Deus.

§. 8 Quare Abraham Saram ſororem ſuam non vero vxorem prædicat? Verſ. 2.
Petis quare? dic mihi; Et quis homo ſibi periculoſam veritatem non tegat coram potentibus? Certiſſimum eſt illud Antiochi Prolemaides Epiſcopi teſtimonium de Chriſto Domino; ait enim Paſchaſius aduerſus Iudæos: *Non hominem purum dico Ieſum, ad hominem, per quem ſaluus factus es; hominem, qui de ſeipſo dicebat: Quid me quæritis interficere hominem, qui veritatem dixi vobis?* Et quidem non homo purus ſit ſed Deus, vel Deo plenus, & vacuatus homine, qui veritatem periculoſam ſibi neſciat tacere, ſed illam proferat potentibus. Vnde dic: hominem exuat neceſſe eſt, qui veritatem periculoſam manifeſtat.

Hominem exuat neceſſe eſt, qui veritatem periculoſam manifeſtat.

§. 9 Quare (ly *venit Deus ad Abimelech*) iuxtà hebraicam veritatem dicitur *venit Iudex*? Et cur hic Deus nomen Iudicis ſibi aſſumit? quia veniebat, vt vices iudicis ageret ad puniendum, nempe hominem, qui vxorem habebat ablatam à viro ſuo; ideò rectè nunc iudex dicitur; quia iudicem adimplere cogitur, qui ex nomine vrgetur ad officium. Aptè enim confirmat rem noſtram Caietanus ibidem dicendo: *Iudex nominatur Deus, apparens nunc ad iuſtitiam exercendam.* Verſ. 3.

Deus ex nomine excitatur ad iuſtitiam exercendam.

§. 10. Abimelech cum ignorantia matrimonij Saræ, ipſam accepit in ſuã. Verſ. 3.
Ioſeph ſanctiſſimæ Dei Genitricis ſponſus factum ignorans quòd virgo haberet *in vtero de Spiritu Sancto* (Matth. cap. 1. verſ. 18. & 19.) *voluit occultè dimittere eam.* Abimelech pro illa ignorantia reprehendit Angelus vice Dei imò mortem minatus eſt; Quare ergo etiam Angelus hic grauiter non reprehendit Ioſeph, quamuis interuenienti ignorantia, Virginem vellet dimittere; æqualis enim videtur defectus, alienam admittere, ac innocentem propriam dimittere. Dubium tangit, & ſoluit S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 4. in Matth. *Et certè,* ait, *alicubi Deus non idem fecit, ſed rege quodam, de muliere ſecùs, quàm oportuerat, cogitante, caſtigatoria ſermone vtitur, et comminationis pleniſſimo, cùm tamen ibi quoque ignorantia excuſaſſet admiſſum. Neque enim ſciens ille Saram alij copulatam in vſum vxoris acceperat; et*

Idem defectus minori ſigno notandus in viro probo, quam in oppreſſo multis criminibus.

tamen

Digitized by Google

tamen acrius eum increpauit: Hic verò multò mitiùs agitur, ac leniùs quippe hic, et maximarum rerum dispensatio continetur, & ingens inter virum vtrumque discrimen est. Blandissimè, & magna cum reuerentia hic se habet Angelus, tum ob præsentiam tanti Sacramenti, quod aderat: tum ob discrimen inter vtrumque virum. Ioseph vir erat præstantissimus; Abimelech vero idololatra, & leue defectus vestigium minori signo notandum in viro probo, quàm in oppresso multis criminibus. Deinde Rex Abimelech ob nimiam concupiscentiam volebat admittere, Ioseph vero ob iustitiam seruandam dimittere, & vbi tam dispar ratio, ibi & dispar euentus.

Vers. 3. §. 11 Quare ad arguendum Abimelech, vt reddat Saram viro suo in somnis Angelus venit; ad increpandum Dauid de Adulterio Bersabee venit Nathan cum parabola, & figura; Ioannes verò Domini Præcursor non in somnis, sed in vigilia, non in figura, sed propalanter, dixit Herodi: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*: Marci cap. 6. vers. 18.? Vt cognosceretur quàm imperterritus esset Baptistæ animus pro veritate, vt & vigilantis regis lasciuientem cupiditatem patenter, ac manifestè audeat increpare, & arguere? Et hæc tanta pro Religione, & virtute libertas ei ex dono Dei est concessa, & reseruata. Vndè Seleuca Eloquentia Orat. 18. dixit *O' dicendi libertas, quæ regiam iniuriam non metuis, linguam exibrabat, vt olim in vtero saltum edebat, tunc in partionem naturam impellebat, & ante partionem partionis, accusabat lenitudinem; & nunc adulterantem naturam accusat, vocemque iacit temperantiæ fulgorem coruscantem*.

Ioannes Baptista Reges vigilanter arguit.

Vers. 3. §. 12 Rapitur Sara à Pharaone, rapitur & ab Abimelecho. Igitur quare ob idem commissum Pharao magnis plagis flagellatur, cum Abimelech verò res magno rationis pondere discutitur? En morieris propter mulierem, habet enim virum? In hoc negotio Pharao intentione mala ducebatur, Abimelech bona, vt testantur S. P. N. Augustinus lib. 22. contra Faustum, S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, Lyranus, & alij. Cum ergo Pharao Luxuria, concupiscentia, omnique nequitia esset repletus cum eo omissa omni ratione ad verbera deuenitur: At Abimelech, cùm meliori esset indole imbutus, cum eo negotium examinatur iudicij libra, & tunc maximè cordis sui simplicitatem declarat, atque mundítiam. *Pharao territus*, inquit S. P. N. Augustinus loco cit. *Monstris, multisque propter eam malis afflictus, vbi eius vxorem didicit, illæsam cum honore restituit. Abimelech autem somnio commonitus, atque edoctus, similiter fecit*. Pharao, vt iniquus, necesse fuit, multis plagis vexari. Abimelech, vt melior, commonitione, atque doctrina profecit.

Cur Pharao plagis flagellatur, & Abimelech minis solùm corripitur, de raptu Saræ.

§. 13 Quare venit ad Abimelech Deus per somnium, & non per vigiliam? Quia nihil auidiùs Principes mundiales excipiunt, quàm ea quæ insomnia sunt, & nullo citius, quàm per somniorum narrationes, & explicationes quis valet apud illos. Quibus enim gradibus è carcere euolauit Ioseph ad Regis familiaritatem? Medijs insomnijs. Narrabat pincerna Regi. Genes. cap. 41. vers. 12. *Erat ibi puer Hebræus eiusdem militum ducis famulus; cui narrantes somnia*. (vers. 13.) *Audiuimus quidquid postea rei probauit euentus: Ego enim redditus sum officio meo*. (vers. 14.) *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, etc*. Ecce tibi è somniorum explicatione incepit Ioseph valere apud Palatinos, & Reges. Vbi de somnijs egit cum palatinis in carcere prosperitatis suæ aulinæ fundamentum iecit. Vers. 3.

Multum Insomnia valent apud mundiales Principes.

§. 14 Vel dic loquitur Deus Abimelecho per somnium; vt instruat; quia cùm de pœnis inferendis pro ausu lasciuo audiunt vigilantes Principes, insomnia putant, & quasi de insomnijs rident. Ad regem, diximus paulo ante, clamabat vox deserti Ioannes Marci cap. 6. vers. 18. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui*, Et rex vigilans excipiebat verba, & quasi non accipere. Quid faceret Rex dormiens ad verba similia? Quæ vigilanti non possunt, dormientis dicis? Et speras profutura? Equidem quæ à Deo venit per somnium disciplina non contemnitur, sed efficacissima est, vt hominem contineat. Aiebat enim D. Synesius lib. de insomnijs. *Hic vigilans, alter somnians edocetur, sed per vigiliam homo est, qui instruit; dormienti verò Deus virium suarum fructum objicit, vt idem sit discere, quod assequi*. Dum vigilantibus datur disciplina humanus est modus, in quo magnum chaos est inter audire, & facere; *discere, et assequi*: Verùm vbi dormienti per somnium disciplina datur, vt ea à Deo venit, virium suarum fructum ostentante; sic efficaciter homo persuadetur, & nihil mediat inter *discere, et assequi*.

Cum de pœnis inferendis pro ausu lascino audiunt vigilãtes Principes insomnia putant.

Vers. 4. §. 15 Vnde nam tanta fiducia prouenit regi vt dicat Deo; Domine nũ gentem ignorantem, & iustam interficies? Ad sui comminationem, ac damnationem declinandam, cùm ei dictum fuisset, morieris propter mulierem; quomodo animum non deponit, sed tantas vires resumit? Accusationem constantissimè multa cum fiducia repulit ex testimonio bonæ conscientiæ, quo nitebatur, non enim tetigerat eam, & ignoranter fecerat. Titelman. in cap. 11. Iob. opportunè scripsit. *Si tanta diligentia studueris te ipsum ab omni peccato mundare; tunc poteris cum omni fiducia ad Deum faciem leuare, poteris sine confusione, sine rubore, et sine vllius peccati remorsu, aut conscientia coram Deo opponere: quemadmodum cum quis bene Lotus fuerit aqua ab omni macula corporali, audet confidenter faciem suam ostendere, qui verò maculatam habet faciem erubescit eam in publicum ostentare.*

Conscientia bona dat confidentiam.

Vers. 4. §. 16 Si Abimelech non tetigit Saram quare mille argenteos (sicut infra dicitur) dedit, vt si eius fuisset virginitate fruitus? D. Ambrosius ingenij viuacitate expendit lib. 1. de Abraham cap. 7. pudoris visu solùm constuprati exhibuisse dotem, ingentique prætio mulctatum, & ad soluendum, si dicili-cet, compulsum: *Statim vocauit Abrahã, vxorem suam ei reddidit, pretio se ipse mulctauit, quòd vidisset alienam, dotem pudoris exoluit.* Quid pro teneritudine pudicitiæ exaggeratius? Quid pro leuissimæ voluptatis grauaminibus certius? Conspectæ dotem soluit, quasi iam pudicitia dum venaticis oculis iacuit, aspectus, quando Abimelech ad exhibendum se dotem teneri putauit, quia ipso visu defloratam quodammodò castitatem polluerit. Iam si ad voluptatis grauamina applices, expende quanti steterit non voluptas; sed curiositas: non illam tetigit; sed illam tulit: ergo suspicio dotem exegit: mulctatus est, vt posset ob adulterium, ob oculorum studium: *Pretio se ipse mulctauit, quod vidisset alienam, dotem pudoris exoluit.* Ingressus es virginis pulchellæ domum, nullam pudicitiæ vim intulisti; imò pudicitiam nullatenus obscurasti, & tamen compelleris exhibere dotem, etsi non personæ, prostitutæ tamen famæ: itaque mulctaris ingenti auro, quia adulteratus es otiosissimo desiderio.

Virginalis Castitas etiã oculis maculatur.

Vers. 4. §. 17 Sara cum à Pharaone capta fuit, & marito tradita non dicitur intacta dimissa; siletur enim ibi an tetigerit eam necne rex ille Pharao. At cum è domo Abimelech egreditur Sara, statim adijcitur, *Abimelech verò non tetigerat eam.* Quod sanè studium scriptoris Sacri misterio non vacat, nam in simili casu, quare non simili vtitur testimonio? si ad cofirmandam innocentiam Saræ, vel Abimelech, necessarium fuit adijcere, quod non tetigerit eam, quare simili modo necessarium non fuit Saræ pudicitiam, & Pharaonis continentiam non recensere? Mysterium reserauit Abulensis ibi. sciẽdum est enim Saram peperisse Isaacũ, quem ab Abrahamo ex Dei promissione conceperat, nondum elapso nouẽ mensiũ tempore, ab egressu domus Abimelech; quod non contigit ab egressu domus Pharaonis, in quam nec grauida ingressa fuerat, nec egressa suscepto fætu, ergo Moyses dum periculum imminebat, ne alicui homini inuido, & doloso in mentem aliquando posset venire Isaaco exprobrare esset necne legitimus Abrahæ filius, an verò suppositius, & ex fornicatione, aut adulterio susceptus, occurrit mendacio, & iniquæ cogitationi, asserendo Saram ab Abimelecho nullo modo contactam. *Quando alia vice* (ait Abulensis) *capta fuit, vt esset vxor Pharaonis non fuit tacta, sed non curat ibi textus dicere vtrum tacta fuerit tactu vel non, hic autem multum insistit in hoc, & ratio est, quia postquam exiuit Sara de domo Abimelech, quasi per octo, vel septem menses peperit Isaac, & ideo si Scriptura hoc non expressisset poterat dici; quod Isaac non erat filius Abraha, sed Abimelech, vel alicuius de seruis suis, quando autem exiuit de domo Pharaonis non referebat dicere hoc, quia non peperit, nec concepit.* Hæc ille: Cogita igitur quanta prouidentia Deus nobilissimi Abrahami prouidit famæ, & opinioni. Vt enim mos est hominum in nobilissimis familijs maculas inquirere, forte in Abrahamo, & eius filio maligni homines ducti quo tenentur desiderio nobilibus detrahendi, existimare possent non deficere sanguinis maculam, adulterium scilicet, & fornicationem, quod etiam præstitit Deus in honorem Vriæ Ethei nobilissimi militis: nam cum Rex ei diceret 2. Reg. cap. 11. vers. 9. *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos*, ipse nullo modo abiuit in domum, sed quo mysterio milles, qui ex castris venerat domum non ibat, etiam iubente Rege? Audi Aureum Doctorem hom. 1. in Ps. 50. *Ait*

Cur dictũ, Abimelech non tetigerat Saram.

Sudandum vt bona proximi fama æternet.

50. Ait autem ad militem, Abi in domum, balneumque adhibe, ac mensa da operam, tuaque vxore fruere, cur istud? Vt vlcus obduceres, ac puer ex ipso ede tus conseretur. At insomnis ille oculus vulnerati hominis saluti consulens id fieri minimè passus est.

Vers. 4. §. 18. Vel dic: vt sicut Iobus patientia excelluit, Dauid mansuetudine, Iosephus castimonia, ita & Abraham fide enituit, ob quod & Pater fidei nuncupari meruit: præclarè igitur cautum, ne in huius stirpe adulterinum, vel suspectum aliquid: (Vndè etiam Theodoretus quæst. 62. in Genesim scripsit: *Sara, tunc erat paritura Isaac, ne igitur semen*; Abrahæ suspectum esset, manifestè declarauit scriptura diuina, quod Abimelech illam non tetigisset) pugnant enim ad inuicem fides, atque Hæresis: fides aperta diligit, infucata, sincera: Hæresis de simulatione gaudet, de spurijs, & Personatis: Quoniam ergo Patris fidei soboles Isaac, quo Parente digna censeatur proles, ne vel opinio quidem remaneat ex adulterio conceptum fuisse; propterea de genitrice constet, Abimelechi ereptam potestate, quam ne tetigerit aliquo modo, non violare præsumpserit.

Quantum fides aperta diligit tantum Hæresis de simulatione gaudet.

Vers. 4. §. 19. Quare dicitur Bis in hoc capite; *Abimelech verò non tetigerat eam*, & paucis interiectis ait Deus, *Non dimisi vt tangeres eam?* Et cur tanto studio ostenditur dicente id Deo, & Moyse, quòd Sara intacta exiret, vel ad tam leuem tactum fœminea puritas teritur, vt multis persuadendum esset, quòd Sara dum amaretur à Rege omninò pura, & integra maneret. Quod vt nouum, & inauditum, sic ipse mirabatur Rex, vt notat S. P. N. Augustinus lib. 22. contra Faustum, inquiens de illo: *Plus in Sara admirans forma decus, quod amare potuit, violare non potuit.* Noua, & miranda fuit Saræ pulchritudo, quæ sic exposita, vt tangi visu amatorum posset, Nihilominus non abijt in sordes. Hoc adeo admirabile, & nouum in Sara fuit, vt vix credi posset nisi à testante, & prouidente Domino. Quod ideo dixerim, vt fœminæ cautæ sint, quando earum pudicitia vel in leuissimis sordet.

Fœmina caute pudicitiam seruet, nam in leuissimis sordet.

Vers. 5. §. 20. Quare tot, & tantis se excusat Abimelech rationibus, dicens: *Nonne ipse dixit mihi, soror mea est: & ipsa ait frater meus est?* Quæris ne huius dubij solutionem? Aduertè quod sequitur textus, *In simplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc*. Et quid mirum si Abimelech tanto animi ardore dicendi contra Deum agit? Testimonium enim ei reddebat conscientia propria, erit enim in conscientiæ gloria, quem etiam eum Deus terrere vellet inconcussum videmus Abimelechum, firmum, & constantem vtpote gloria bonæ conscientiæ præmunitum, & armatum, ideo dixit, & merito B. Ioannes in sua prima cap. 3. vers. 11. *Charissimi si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum*. Idest etiam aduersùs Deum, non quia Deus bonæ conscientiæ aduersetur: sed quia testimonium illius ita gloriosum est, vt à nulla potentia, nec sanè ipsius Dei possit euacuari. Constituitur enim in arce munitissima quam nulla possint euertere nec Dei minæ, nec diaboli machinæ. *Habet iustus* (ait S. Gregorius tom. 13. Moral. cap. 12.) *quasi arcem quamdam fortitudinis, simplicitatem suam; Vndè per Salomonem dicitur secura mens quasi iuge conuiuium. Quasi enim continuatio refectionis est ipsa tranquillitas securitatis*; Et S. Bernardus titul. de conscientia: *Nihil in hac vita securius, nihil iucundius possidetur bona conscientia premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa tamen semper erit secura. Secura est quoniam accusationem non timet, vel res pro tempore boni, vel pro præsumptione mali.*

Bona conscientia impauida ad omnia.

§. 21 Quare Deus si opponit criminis grauitatem, en morieris subdit inde scio quod simplici corde feceris? Criminis magnitudinem aperit Deus, vt ipse Abimelech à delicto fugiat, & illius remedium querat S. Ioannes Chrysostomus. Eripere eum volens ab iniquitate, dedit menti eius scientiam, multumque metum auxit, mortem interminando. Deinde eius simplicitatem declarat, vt eum à culpa excuset, ac à pæna liberet; si de culpa recordatur, innocentiæ, ac simplicitatis etiam meminit, vt à castigatione eum seruet, & eximat. Vers. 6.

Vt à culpa hominem extrahat Deus, ipsum terret flagellis.

§. 22 Quare Abimelecho interminata fuit mortis pena, & quidem à Deo, eò quòd nuptiarum contrahendarum animo in aulam tulerit Saram palam dictitantem, se esse Abrahæ sororem, quod etiam Abrahamus profitebatur? Esto, maritatam ducere nefas sit, sed prudens Abimelechi ignoratio, raptum excusat, qu in, & honestat. Quod vt Deum non latuit, sic & coràm confessus est, aiens: *Et ego scio quòd simplici corde feceris*; sed nota quòd addit: *Propterea custodiui te ne peccares in me.* Vers. 6.

in me. Quæ verba sic vertit & exponit Hugo Carensis ex S. P. N. Augustino *Propterea peperci tibi ne peccares*. Sententia planè ænigmati similis, peccatis enim parcere dicimur, non autem parcere, ne peccent: nam parcere, peccata importat, quibus ignoscitur: peccatis siquidem non perpetratis nemo parcit, nec parcere potest. Verùm enimuerò pijssimus Deus suo Abimelecho; qui bono animo, & corde prudenter simplici alienam ducebat, parcit, ne peccet, dum materiale peccatum auertit præpropera gratia. Estne in se fædum, aut iniurium in Deum, materiale peccati, vt illud diuertere, pepercisse sit? Sic licita (vt sic loquar) peccata, ad patranda illicita blandè pertrahunt? Sic diligenter cauendum est à vaga somniorum phantasia, & à raptu prudenter ignorato? Vel materiale delicti delictum perniciosè quodammodo afflat? Vide hic quàm sollerter ab omni occasione, & materia delicti suum Abrahamum extrahat Deus.

Vers. 6. §. 23 Si iustus fuit Abimelech Deo ipso testante; Scio, quòd in simplicitate cordis feceris; Quare in eum animaduertit quasi peccatorem? Oleaster dubium soluendo inibi sic differit: *Arguit Dominus opera, non peccamina contra iustos facta, vt nemo contrà eos audeat re vera peccare: qui enim ita arguit, quæ peccata non sunt; qualiter arguet, & puniet, quæ sunt re ipsa peccata?*

Vers. 7. §. 24 Quare si Deum Abrahamum Prophetam vocat verba inde dubitanter profert dicens, cogitaui mecum dicens, forsitan non est timor Dei in loco isto? Quæ præsumptio orta est in Abrahamo ex eo, quòd ipse optimè non calleret futurum rei euentum. Deus ipsum vocat Prophetam (*Redde viro suo vxorem, quia Propheta est.*) Qui apprimè rem futuram, & præsentem deprehendit: ille autem suam tantum imperfectam circa futurum rei euentum commemorat cognitionem? Abrahamus, vtpote iustus in consummata sanctitate, id in se solum considerabat, quod imperfectum, ac veluti quandam ignorantiam innuere videbatur: suæ autem propheticæ cognitionis excellentiam tacet, & dissimulat, diuinæque prouidentiæ ad publicandum submittit D. Paschasius in Psal. 41. *Iustus scientiam suam ignorat, ignorantiam agnoscit*.

Iustus scientiam suã ignorat, ignorantiã agnoscit.

Vers. 7. §. 25 Quare Abraham nunc *Propheta* nominatur, qui hactenùs nusquam Propheta dictus fuit? Et quidnam refert, quòd sit, aut non sit Propheta, vt sua viro vxor reddatur? Ad regis aulam adducta fuerat maritatà diu Sara, de eius commoratione in palatio vindicias agit Deus, illâq; marito suo restitui velut ex somni prouidentia in somnijs procurat; quid ergò nunc eius maritus Abraham prophetæ vocabulo à Deo nominatur? Vacetne nunc Prophetæ nomen? an attinet ad mulieris restitutionem à Deo intentam? Abulensis inibi sic ad Thema præsens opportunè præscriptum locum exponit: *Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia Propheta est: hoc*, inquit, *ponitur, quia forte Abimelech diceret Deo: Domine ipse nollet eam accipere, sed odio habebit, putans quòd ego cognouerim eam: ad hoc respondet Deus dicens, quod non formidet eam dare illi, quia vir eius Propheta est, & cognouit per spiritum quod tu non tetigeris eam: & ideò libenter recipiet*. O bellè! nimirum Sara erat fæmina valdè pulchra; & tamen & si satis perspecta erat Abrahamo suæ Saræ veracior & mutatior pudicitia matronalis, & quàm longè abesset ab aulæ lenocinio; at quia in regis aula tantillum commorata fuerit, sic vulgò putabatur impudicitiæ suspecta de non bona palatij fama, vt reijciendam ab Abrahamo Abimelechus censuerit, inhonoro charæ vxoris repudio, adeo vt tunc opportune Deus *Propheta* esse Abrahamum suggesserit, vt Regi intimaret, ipsum Abrahamum, per spiritum prophetiæ sciuisse, Saram adhuc in palatio castam, & pudicam fuisse. O! Spiritus prophetiæ necessarius est, vt procul sinistris suspicionibus indubiè sciatur, pulchram mulierem in aula castitatem colluisse? sic palatij aura puritatis famam infuscat? tot impudicitiæ lenocinia aulam ad impudicitiam subornat? *Vir eius Propheta est, & cognouit per spiritum, quòd tu non tetigeris eam*. Sic est aula inhonestatis suspecta!

Per spiritum Prophetia nouit Abrahã Saram in aula pudicam fuisse, quare?

Honoris fama in aula periclitatur.

§. 26 Quare ad Abimelechi salutem reportandam, mediatorem Abrahamum Deus exigit; *orabit pro te*, cum regis eiusdem preces in rem præsentem sufficere potuissent, quem, de raptu Saræ patrato sese purgantem, benignè adeò excusatum admisit; *scio, quòd simplici corde feceris*, & ideò, *custodiui te*? Breuibus Ioannes Gerson; *Quia vult Deus per sanctos suos orari*. Non refugit Deus clamantem ad se, subaudire peccatorem: non refugit clamorem pauperum exaudire: se gratissimos, & longè magis acceptos oratores in hoc aperit Vers. 7.

Deus vult per sanctos suos orari.

rit fore sibi oratores, si de sanctorum numero expediuerimus pro negotio salutis nostræ legatos, quia vult Deus per Sanctos suos orari; id quod & impius Pharao probè noscens, præstare non distulit cùm diris affectus de cœlo plagis; *Orate*, inquit ad Moysem, & Aaron, *Vt desint tonitrua, &c.*

Vers. 7.

§. 27 Vel dic; dicit Deus Regi vt pro eius salute mediatorem ponat Abrahamum orantem, vt duplici ex capite Patriarchæ Sanctitatem commendet. Vno quia dicit Abrahamum pro Rege Ahimelecho oraturum. Quid Sanctius? quid Clementius, quàm preces offerre pro eo, à quo iniurias acceperis? Altero quia dicit se precibus Abrahæ exorandum. Tantum enim gratia, & auctoritate apud Deum valebat Abrahamus, vt quidquid à Deo peteret, impetraret. Eximia igitur Patriarchę Sanctitas à Deo commendatur quo tempore iniqua de illo existimatio ferebatur: vt hæc de illo existimatio penitùs aboleatur: illa Sanctitas impensiùs celebretur. Ita ferè totum hunc locum diuus Ioannes Chrysostomus homilia quadragesima quinta in Genesim expendit, & ad præsens institutum quàm aptissimè interpretatur. Vides quàm diligenter Deus omnem scelerum suspitionem à seruis suis auertat, & eorum bonæ existimationi consulat, & prospiciat.

Sanctissimum est orationes offerre pro eo, à quo iniuriæ accipiuntur.

Vers. 7.

§. 28 Quare si simplex est Abimelech ipsum Deus mortis minis exagitat? Cur non illum magis allicit blanditijs, sed mauult hominem pium terrore mortis cogi, vt reddat vxorem viro suo? Planè quò magis pius est Abimelech, & maculæ, eò vehementior vi cogendus est, vt à carnalibus voluptatibus abstineat. Sic enim Deus se gerere solet circa iustos suos, quos videt in salutis via proficere, hos diris exagitat, & vi compellit carnalia relinquere. Hinc intelliges quare dixit Deus per Isaiam cap. 28. vers. 9. *Quem docebit hanc scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus*. Expende ordinem: prius ablactatos à lacte nominat; deindè proponit ab vberibus auulsos. In ablactatis solùm nulla vis intelligitur, nec coactio, at in auulsis, iam ibi coactio, & vis intelligitur. Nam quos ablactatos iam offendit Dominus, & in vita proficientes, de cælesti mensa videt, eos vi, & multis diris facit, vt à carnalibus abstineant. Sic notat Aureus Doctor Serm. de Iob & Abrahamo inquiens: dicit enim: *Ablactati à lacte, auulsi ab vbere, afflictionem super afflictionem suscipe, spem super spem. Non dicit; Ablactati ab vbere, sed auulsi. Proficientes enim ad perfectionem coguntur, vt cedant à lactando*. Asperè tracta Dominus proficientes, donec coacti saltem vi, & diris, carnis blanditijs renuntient.

Deus quos videt in salutis via proficere vi compellit carnalia relinquere.

§. 29 Quid intersit, vt vxorem marito Abimelech redditurus seruos suos adsciret, ac de somnio edoceret? Num vrgente Deo, ad consilium aduocandi à Domino serui, quorum, hac in re, placita, non fuerant expectanda? id putat Hugo Card. *Vocauit eos, vt ab eis acciperet consilium; nihil enim sine consilio faciendum* (Ecclesiastici cap. 32. vers. 24.) *Fili mi, nihil sine consilio facias, & post factum non pœnitebis*. Sed pace Hugonis; ad quid humana consilia, vbi diuina militant imperata? Arridet magis eorum sensus, qui aliquam contracturam sibi fuisse putant ignominiæ notam, Saram, vbi sanè causæ declaratione, repudiata fuisset, vtque adeò, honestissimæ fæminæ existimationi consuleret rex Geraræ, seruos aduocasse, ijsque dimissionis causam aperuisse: *Oportet enim*, (inquit S. Ambrosius lib. 2. in cap. 1. S. Lucæ) *& sanctos, & ab his bonum testimonium habere qui foris sunt*. Sed Glossa Interlineari fretus, sic statuo, veritum Abimelechum, ne turpem ignominiæ notam apud seruos contraheret, si à fide, quam dare decreuerat Saræ, coniugalem, ea pulsa defecisse, nullam ob causam videretur. Ne fæda igitur adeò nota macularetur, seruos suos aduocat: quid per somnium indixerit sibi Deus, communicat, & dimissionis causa expurgata, non se infidum, non se fidei fragum, satis superque publicauit, quid enim Principi indignius viro; quàm dolosis ludere artibus, & impletione vacua, promissionem non implere? *Vocauit, ne temerè videretur repudiare coniugium*. Et si iustus in hoc apparuerit rex Geraræ, quòd diuina implere iussa cunctatus non fuerit: quòd inconsultus nihil egerit; quod honestissimæ fæminæ existimationi prouiderit; fuisse tamen illum improbum, ac barbarum, euincunt plura, pro quibus, arbitror vnum, sufficere ad rem nostram, quod subijciemus infra cap. 26. Deo auxiliante.

Vers. 8.

Fœminæ honestissimæ existimatio, & fama publicè decantanda.

Vers. 8.

§. 30 Quare Abimelech dum Saram sibi vult accipere in vxorem non vocat seruos suos, nec cum illis de ea re loquitur; vt illam restituat etiam admonitus à Deo, adhuc seruos conuocat, rem-

remque eum illis tractat? Et cur ad accipiendam eam non fuit vlla consultatio, quæ modò intercedit, vt restituatur? Sanè in restituenda Sara res maximæ virtutis exercebantur, quæ ex se consultationis maturitatem, & pondus petunt, vt in gloriosum effectum abeant. Pulchrè hinc virtutem, & vitium discernit Philo lib. de Abraham fatus: *Virtus sedatissimo est ingenio, quam aiunt solere, quoties imparem se veretur aduersario, prius virium suarum periculum facere, vt confligat, si qua se ostendat spes victoria; sin minùs, ne descendat quidem in certaminis aleam. Vinci enim vitium se turpe non putat assuetum ignominia.* Ecce tibi vt è re vitij venit leuitas, & temeritas, qua inconsultè, & inconsideratè in omnia ruitur, vt quod nihil gloriæ veræ spectet; at è re virtutis semper est maturitas, & consideratio, & consultatio de viribus, nec nisi maturè, & eum rationis consultationisque pondere procedit, vt semper vincat. Victoria enim virtutis in eo consistit, quòd eum deliberatione, & consultationis pondere concurrat.

In re virtutis maturè consultandū: nam virtutis victoria ab hoc pendet.

Vers. 8. §. 31 Quare serui timuerunt cum supplicium Principi indicitur? Quia plerumque regis libido non potest nisi consentientibus familiaribus perfici. Ideo reges, ne tantum excitetur scandalum, deberent libidinis omnino eliminare affectum. Hinc nobile nobis documentum reliquit S.Petrus Damianus serm.71. de Vitio luxuriæ disserens, inquit: *Non sit ergo mens nostra apotheca mercium, non cupiditatis aravium, non area bellorum.....Sit ergo mens nostra, non obscana luxuria clibanus, non possionum sentina carnalium, non volutabrum vitiorum.* Hæc lasciuiæ epitheta manifestè produnt, quàm sit libido vitiorum fertilis.

Addensata luxuriæ vituperia.

Vers. 9. §. 32 Esto, rex Abimelech peccauerit maritatam Saram tollens in palatium, emendationis formæ venustate allectus, eius tamen regnum, nihil in ea re peccauit, quid ergò, & peccati reatui, & pænalissimo regię libidinis supplicio regnum innoxium, hic obnoxium efficitur? dicit enim Textus: *Induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande.* Peccatum igitur, peccatique pæna suum appellet auctorem; regem inueniat pæna, quem species inhonestæ culpæ patratorem cognoscit. Regiæ inhonestatis pænas regnum inculpatum luat? Tempestiuè indidem Aurei Doctoris Eloquentia, regij impudieè sceleris ad regnum etiam peracerbam mulctam deriuat: *Induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande. Non satis erat si ego punirer* (ait rex) *omne regnum meum simul puniendum erat,* (*peccatum hic pro pæna peccati* accipit S. Ioannes Chrysostomus cui consentit Abulensis, & communiter Interpretes) scilicet impudiea regis scelera; potestate regia perpetrata, non tantùm regem eulpant, & grauioris mulctæ reum faciunt; sed acerbissima etiam supplicia in omne regnum deriuant. Nesciunt subiecti crimen, & criminis debitum soluunt. Vnius culpa multos ad pænam trahit. Libido Principis ferax suppliciorum est, & pænarum fæcunda. *Non satis erat si ego punirer, omne regnum meum simul puniendum erat.* Impudicitia Principum, Regnorum excidium est.

Vnius culpa multos ad pænam trahit.

§. 33 Quare Abimelech sic moderate Abraham obiurgat vt quasi par eum æquali, non Rex eum subdito videatur? Vt superioribus exemplum nec non documentum politicè donaret nempe; si se habeat superior, quasi vnus è subditis, si velit illos sibi deuincire. Nam quis vnquam priuatus, ita moderatè egit cum eo, qui occasionem dederat summo discrimini? Quis pater, quis amicus sic obiurgauit ait filium aut amieum sibi periculosum? Bonus princeps Abimelech in nullo se ostendit Regem, in nullo se superiorem præbet, sic obiurgat Abrahamum, quasi non esset maior, sed illi æqualis existeret. O regalissimum principis ingenium! Nunquam princeps magis sibi subditorum animos deuincit, quàm cùm in nullo se ostendit alium ab illis. Hinc extollebat Traianum suum Plinius in Panegyr. aiens: *Quod quidem Patris nomen, qua benignitate, qua indulgentia exerces? vt cum ciuibus tuis quasi cum liberis, parens viuis? vt reuersus Imperator, qui priuatus exieras agnoscis, agnosceris? Eosdem nos eundem te putas par omnibus, & hoc tantum cateris maior, quo melior.* Expende illa *Eosdem nos eundem te putas par omnibus.* Quæ quidem stemmata sunt principis regalissimi, & arma, quibus vniuersos detriumphet. Vers. 9.

Superior sic se habeat quasi vnus e subditis, si vult illos de deuincire.

§. 34 Quare Abimelech tam acriter querulus inculcat, & increpat Abraham dicens, *& expostulans: Quid vidisti, vt hoc faceres?* Quanam iniuria hoc actus præstitisti? Quia non satis de alio expostulat, qui se videt, eius causa potuisse delinquere. Quid si illius causa se sæpius maculatum crimine comperiat. Vers. 10.

§. 35 Qua-

Digitized by Google

Verſ. 11. §. 35 Quare Abraham cogitauit intra ſe dicens *Forſan non eſt timor Dei in loco iſto?* Septuaginta legunt: *Fortè non eſt Dei cultus in loco iſto*. An quia Deum non timerent Gerarite, ideò dicendi cultu diuino deſtitui, cùm, & ab impiis Dęmonibus, licèt inuitis Deus omnipotens adoretur? *Mirifice*, occurreret Lyppomanus ibi. *Commendandi hic ſeptuaginta, qui timorem Dei verterunt pietatem, Deique venerationem, & cultum, declarantes, nihil aliud eſſe, Deum, in Sacris literis timeri, quàm apud gentes eum venerari, piaque colere.* Eſto, Abraham, colatur inibi Deus: eſto inibi Dei timor; an non venuſtæ vxoris tuæ præſtigium ad negotiandam, quam ſubuereris necem, ſalaces aliquos irritare poterit Geraritas? Non, ſuſpicor triſtem adeò euentum, reſerret Abraham; vbi enim diuinus timor, inibi & omnium procul dubio diuinarum obſeruantia, & cuſtodia legum erit, quas infringere audebit nemo; in Dei timore ſolidatus. In timore Dei, inquit Sedulius in Epiſt. ad Romanos 3. ad illud: *Non eſt timor Dei ante oculos ſuos &c. Omnia concluſit, qui, ſi timorem Domini ſemper ante oculos habuiſſent, non vtique deliquiſſent: neque enim audet peccare ſeruus præſente Domino.*

Timor Dei cultum, ac piam venerationem inuoluit, & eſt vinculū omnium legum.

Verſ. 11. §. 36 Vel dic: Dixit hoc Abraham: quia dum abeſſe timorem Dei credidit, nihil non petulans, & laſciuum aduerſus vxorem credidit exoriturum: Timor enim Dei eſt, qui valeat rabiem comprimere libidinis, quæ ſine dubio exorbitat, vbi deficit ille. Sic Tertullianus lib. 1. in Marc. ait: *Age itaque, qui Deum non times quaſi bonum, quid non in omnem libidinem ebullis, ſummum quod ſciam fructum vitæ omnibus, qui Deum non timent?* Efformarat Marcio Deum, vt nullius iræ capacem, ſic in nullo timendum. Aduerſus quem ſapienter argumentatur Africæ Eloquentiæ triplicitèr Tullius, quod eo ipſo, quod timorem Dei adimat, neceſſum ſit, vt adimat frænum libidinis. Nihil enim citiùs oritur ablato timore Dei, quàm effrænis luxuries, quæ maximè cohibetur fræno illo.

Vbi timor Dei deeſt, ibi omnia ſiniſtra penſanda.

Verſ. 11. §. 37 Si Abram erat Propheta ſciebat vtique, an eſſet in Geraris timor Domini, nec ne. Quare dubiè loquitur cogitaui mecum dicens forſitan non eſt timor Dei in loco iſto? Reſpondeo cum Lyppomano ibidem cuius eſt præſens dubiatio: *Spiritus Prophetarum non ſemper ſubditum eſſe Prophetis, iuxtà illud Propheta alterius* (nempè Eliſei 4. Regum cap. 4. verſ. 27.) *Dimitte illam: Anima enim eius in amaritudine eſt, & Dominus, celauit à me, & non indicauit mihi.*

Spiritus Prophetiæ non ſemper ſubditur Prophetis.

§. 38 Quare Abraham addidit, poſtquam Saram ſororē ſuam dixerat, *alias autem & verè ſoror mea eſt?* Sufficiens enim videbatur quòd ad excuſandum ſe Abrahamus dixiſſet illud fuiſſe, à ſe dictum ad euitandum mortis imminens periculum propter eximiam Saræ pulchritudinem; quia quamuis ſoror non eſſet, videbatur ſufficiens ſatisfactio ad illud aſſerendum mortis diſcrimen effugere, ad quid addidit Abrahamus, quod alias Soror ſua eſſet? Tam ignominioſum mendacium iudicauit Patriarcha, vt illius adæquatam expurgationem mortis declinationem non reputauerit, niſi aliàs rei veritas ita ſubſiſteret; (nam moræ gentis ſiuæ hoc dixerat Abraham, conſanguineos, ac nepotes fratres vocabant, Sara enim filia erat fratris ſui Aran) & ita aliàs pro ſuo honore tuendo addidit: *Quòd aliàs Soror mea eſt*. Diuus Odo lib. 18. Moralium capite 27. *Scriptum eſt, os quod mentitur, occidit animam, & perdes eos, qui loquuntur mendacium, hoc mendacij genus* (ſcilicet leuioris culpæ) *perfecti viri ſummopere fugiunt, vt nec vita cuiuslibet per eorum fallaciam defendatur, nec ſua anima noceant, dum præſtare carni nituntur aliena.* Verſ. 12.

Mortis declinatio nō excuſat mendacium.

§. 39 Quare Ly *Eduxit me Deus* quod dixit Abraham, & habet noſtra vulgata, in Hebræo habetur *Elohim* ideſt Dij? Quomodo enim concordat Scriptura *Dij eduxit*? Cum autem vnus, & ſingulariſſimus ſit Deus, quommodo Deos vocat? Et ſi Deus, quomodo concordant *Dij eduxit*? An quia Deorum nomine, perſonarum pluralitas; per verbum autem *eduxit*, eſſentiæ vnitas importatur? Dixit Lyppomanus ibidem. *Locus iſte eſt, ex quibus aptè poſſit intelligi, nomine. Elohim, Sanctiſſimam Trinitatem ſignificari, dicant quidquid velint praui Hebræi.* Verſ. 13.

Diuinæ Trinitatis vnitas vmbratica figura.

§. 40 Quare Abimelech ſpontaneis hiſce muneribus Sanctiſsimum onerauit Patriarcham? Ideò putat Paludanus. *Vt planè ſatisfaceret comminanti ſibi mortem; item, vt ſatisfaceret eidem Abrahæ de iniuria ſibi facta in ablatione vxoris ſuæ;* ſeu cum Oleaſtro, *vt quia, non ſolùm veras iniurias, ſed tales reputatas tenemur reſarcire, & iuxtà poſſibilitatem recompenſare: vbi ſimul aduerte, poſſe illatam iniuriam alijs rebus reſarciri*, vel cum Lyrano: *Vt honoraret eum, &* pro- Verſ. 14.

Iniuria etiam, quæ talis reputatur, vel pecunia ſi poſſit, repenſatur.

prouocaret eum ad orandum; id quod magis consonat oraculo Deoque consulenti; *Orabit pro te, & viues; nam, Deus, vult per Sanctos suos orari*.

Vers. 14. §. 41 Quare Abimelech non solùm restituit Abrahamo vxorem, sed etiam illum multis muneribus ditauit? Vt doceret Principes, & superiores non solùm subditis quid abstulerunt aut honoris, aut famæ, aut rei restituere, sed ipsos etiam multis ditare muneribus. Quid enim Principe dignius? Credant Principes, & Superiores, quiqui sint, non minuuntur, sed augentur, & crescunt bona in benefico, & largitore principe. Aiebat Pacatus in Panegyrico Theodosij: *Imperatori propriam maiestatem æstimanti non tam id suum videri debet, quod abstulit, quàm quod dedit. Nam cùm intra ipsum voluantur omnia, & vt ille, qui cuncta ambit Oceanus, quas suggerit aquas, terris, recipit è terris; ita quidquid in ciues manat a principe, redundat in principem, & rei, & famæ benè consulit munificus Imperator: lucratur enim gloriam, cum dat pecuniam reuersuram*. Hoc suo in animo fixissent nostri temporis Principes, & fallar, nisi in immensum crescerent bona illorum, & gloria, si munifici, & liberales essent in suos.

Principes si quid subditis abstulerint reddant, & amplius.

Vers. 15. §. 42 Quare ait Abimelech: *Terra coràm vobis est, vbicumque tibi placuerit habita*? Quia Deus voluit ostendere, quòd etiam iusti in temporalibus bonis prosperantur. Quod iam Lippomanus notauit exponens illa verba Exodi cap. 9. *Et faciet Deus mirabile inter possessiones Israel, &c. Vide autem*, inquit citatus Doctor, *quàm mirabile, vt in eisdem etiam campis, vt nonnulli asserunt, animalia Ægyptiorum mortua sint, filiorum autem Israel præseruata. Parcitur enim fidelibus, vt in fide proficiant, & ingrati durius puniuntur: Iuxta illud Peccator videbit, & irascetur*, & in Deuteron. *Si non audieris vocem Domini Dei tui, maledicta erunt armenta boum tuorum*.

Iusti etiam in temporalibus prosperantur.

Vers. 16. §. 43 Quare pro tàm magno beneficio sibi totique populo collato Rex tantus tam exiguum munus (*Eccè mille argenteos*) donauit? Licèt spectata Regis magnificentia videretur paruum, pro præsenti tamen occasione sufficiebat, vt Sara in oculis velamen haberet, & maritata appareret.

Vers. 16. §. 44 Si pecunia illa in gratiam Saræ dabatur quomodo non illi, sed Abrahamo tribuitur ecce dedi fratri tuo? Procopius rem dilucidat dicens: *Illud memorabile, quod illa summa, non Sara, sed marito eius dependitur*. Pecunia illa erat ad comparandum velum; benè ergo hoc non Saræ, vtpote mulieri, sed Abrahamo tamquam familiæ capiti committitur; negotia enim per virum exercenda sunt.

Quæ ad familiã spectant per virum disponenda.

§. 45 Quid est, quòd tunc præter oues, & boues, & seruos, & ancillas, quibus rex Abraham ditauerat, quo resarciret contumeliam; mille argenteis Saram munerat ad honorem vultus (vti explicat Aureus Doctor homil. 45. in Genesim dicens: *Ea quæ dedi fratri tuo, tua erunt in honorem vultus tui*,) hoc est ad comptiorem faciei ornatum, quo agnatam eius pulchritudinem comptiùs venustet, & pretiosis monilibus sumptuosiùs exaggeret? An non agnata Saræ venustas, quæ cruda, & incompta sic regis amorem allexerat sufficiens erat? Quare nunc natiuam Saræ pulchritudinem, pretiosi ornatus elegantijs exaggerare ambit? In Saræ infucata pulchritudine periculum ipse expertus, maius periculum alijs obijcit? O argutum excusationis ingenium! Mille drachmas Saræ tradit, quò eius vultum elegantiùs adornet, & ornamentorum, lenocinio exaggeratiùs venustet, vt certiùs ruinæ periculum alijs extruat, quo suum casum verosimiliùs excuset. Quasi dicat Abimelech: malè audio, quia hanc feminam vnicè, & ardenter adamaui, pretiosis ergo ornamentis eius elegantiam velut auctario elegantiùs adornabo, si fortè alij auctæ pulchritudinis illicio attracti, similes mei riuales existant, & eam incipiant deperire, in mei facti defensionem. Dulciorem escam in hamo venustatis apponam, vt in mei excusationem alij capiantur: Cecidisse existimor; sed aliorum certiori casu famam erigam meam, & de aliena ruina prolapsionis meæ excusationem extruam. Indè Saræ dixit: *Ea quæ dedi fratri tuo, tua erunt in honorem vultus tui*, vt dum tu pretiosis exquisiti ornatus munditijs vultum tuum adiectione nouæ venustatis honoras; honoris mei detrimentum nouo excusationis ingenio reficiam, & nominis mei iacturam hac pulchra defensione restaurem, arguto defectum excusandorum arbitrio. O regem barbaricum, qui de aliena malitia suam innocentiam struere molitur!

Vers. 16.

Pulchritudo periculosa velanda; nam dulce venenum.

§. 46 Si nil inhonestum Sara gessit, quid opus est illius oculos faciemque velari? Quid erubescat, vt faciei rubor velamine occultandus sit? Apposite Vers. 16.

Digitized by Google

fitè inibi Rupertus: *Ecce mille argenteos, dedi fratri tuo; ac deinceps deprehensa fugitans pudorem. Hoc, inquit, erat tibi in velamentum oculorum ad omnes qui tecum sunt.* Quasi dicat: tametsi indubium sit, quòd illibato pudore in aula commorata sis; tamen quia aliquod incontinentiæ periculum subijsti, & indè facta es sinistris vulgi maledici rumoribus obnoxia, faciem velamento absconde *deprehensa fugitans pudorem*. In honorem vultus tui faciem obuela, ne de tuo occursu memoriam periculi spectatoribus refrices, quod tibi indecorum erit, & quod faciem tuam rubore suffundat: & Palæstinæ matronis de principis fœminæ exemplo, valdè in re pudicitiæ nociuum: nam tuo periculo sua excusabunt stupra, & libidinem colorabunt. Ergò opportuno faciei velamine *deprehensa fugita pudorem, & obliuionem* periculi suspicionibus indicito, ne & tu de periculi memoria erubescas; & aliarum incontinentia petulanter præscribat.

Criminis occasiones amputandæ.

Vers. 16. §. 47 Quare propè vetula Sara nunc recens obnubitur sumptuoso velamine? An non iam Abrahamus rem totam verè excusauerat? Profectò pudoris Saræ recens velamen, vel apparentem saltem reatum reuelare videtur. Verùm vt sententiosè dixit S. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistola 87. *Excusationem nescit natura, veniam fœmina non habet.* Nempè sic vsitatus ad decipiendum sexus est, tam certò esse putatur blandientis vitrò fraudis amatorium vasculum, vt mulieris *natura excusationem nesciat*, idest, plerumque eius non admittatur excusatio: exindè *veniam fœmina non habet*, hoc est nulla ei parcit lingua, nam illi indulget suspicio; adeò vt Euæ seductionem circumferre putetur. Ergo pergit S. Isidorus ita suo scribens Sosandro (epist. 213. lib. 1.) qui post viduitatem secundas intentabat nuptias: *Non te, inquit, mulieris venenum corrumpat ad alterum voluptatis congressum, te tanquam præstigijs quibusdam illiciens, carnalesque blanditias, atque inutiles curas, & suspiciones docens.* Benè ac verè Isidorus! quasi mulier sit blandientium *præstigiarum* officina, *& suspiciorum* gymnasium.

Veniam fœmina non habet; nam eius excusatio semper suspecta.

Mulier quid sit.

Vers. 16. §. 48 Quare postquam iam rex comperit, Abrahamum esse Saræ maritum, adhuc *fratrem* appellat? Quem ex perspicua confessione scit esse maritum; cur adhuc nominat fratrem? Se periculosè deceptum expostulat fratris vocabulo, dissimulato mariti nomine, & adhuc fratrem nominat? Exulare potiùs debuisset exitiale fratris nomen, quod vitæ periculo illum exposuit, & illud adhuc inculcat? S. Ioannes Chrysostomus homil. 45. in Gen. exponens præscripta Dei ad Abimelechum verba. *Et ego scio quòd simplici corde feceris. Scio*, inquit, *quòd ipsi* (Abrahamus, & Sara) *hanc fabulam commenti sint, & quòd deceptus eorum dictis hoc feceris* (& post multa eleganter ad rem addit) *Ecce quomodo accepta à iusto Abrahamo doctrina, vt credidit eius dictis, etiam ipse Abimelech fratrem huius illum vocat. Ea quæ dedi, inquit, fratri tuo, tua erunt.* Scilicet vitæ & generis dignitate, tanta apud Palæstinos Abrahamus auctoritate pollebat, vt quamuis verborum ambiguitate Abimelechus deceptus sit, reputans Saram, sororem dumtaxat, non Abrahæ vxorem (quod illi propè exitiale foret) etiam postquam ambigua verba clarata sunt, & indubiè cōperit, propriè esse maritū, impropriè fratrem; adhuc Abrahamum Saræ fratrem appellet. Tanta auctoritate Abrahamus excellit, vt post commentæ fabulæ perspicuam expositionem, adhuc hæreat eius dictis, & dediscere nesciat, quod eo loquente nuper didicit. *Ecce quomodo accepta à iusto Abrahamo doctrina, vt credidit eius dictis etiam ipse Abimelech fratrem Saræ illum vocat. Ea quæ dedi inquit fratri tuo, tua erunt.* O diligentius attenderent, qui magna pollent auctoritate, ne quid per inconsiderantiam, aut imprudentiam, aut sagaciorem politiam, ambiguum excidat, ne eorum dignitas indigno adstipuletur errori, dum fortunatam reddunt falsitatem, infelici veritatis infortunio. Virgo veritas si dubio sermone non constupratur, saltem deuenustatur, & dehonestatur? Cautè veritas colenda, & tractanda est ab his præcipuè, quorum dignitas credibilitatis momentum est, & veræ testificationis suffragium: Veritatis olim fama nunc errori militabit!

Veritas cautè colenda, & tractanda ab his præcipuè quorum dignitas credibilitatis momentum est.

§. 49 Quare Abimelech dixit: *Hoc erit tibi in velamen oculorum tuorum, ad omnes, qui tecum sunt?* Cur addidit ly *ad omnes*? Consultò adiecit Abimelech, vt omnes videlicet, qui erat cum Sara, indubium præberent illius castimoniæ testimonium: Inquit ad rem Procopius formans, & dissoluens sibi ipsi dubium: *Quare adiunctum est, his, qui tecum sunt? illas cohortatur, vt suæ innocentia sint testes.* Sic boni nominis curam gerere fœminam illam satagebat. Hinc etiam bo- Vers. 16.

Bonæ proprij nominis existimationi consulendum.

næ tui nominis existimationi, & famæ; suadeo consulendum. Quare Nazianz. Carm. occinit.

Famam, nec nomen, nec nimis quaras velim
Probum esse præstat, quàm videri.

Vers. 16. §. 50 Cur Abimelechus suadet Saræ, vt omnia marito aperiat, quæ in regia illi domo contigerunt? dicit enim ei *Memento te esse deprehensam*, quod Septuaginta, & Aureus Doctor legunt *Omnia verè dicito*. Ac si diceret: Memento, vt omnia quæ tibi contigerunt sincero relatu aperias Abrahamo, nihilque illorum celes, quæ in regia sibi domo obuenere. Cur ita Principem compellit fœminam, vt cuncta suo reuelet marito? vt Abraham, de omni edoctus cum foret, ad feruidas preces coram Deo fundendas facilius flecteretur, moralissimè meditatus est Aurei Chrysostomi eloquentia: *Quare*, ait, *hac dixit, omnia verè dic? Vt cùm iustus, ab eo didicerit, multisque rationibus fuerit edoctus, pro eo, Domino preces offerat, & gratissimum Deo præstet obsequium, qui vult per sanctos suos orari.*

Vers. 16. §. 51 Si in Ly, memento, &c. Rupertus, Rabanus, Caietanus, ironiæ iocum agnoscunt, Vatablus, & Oleaster ex Hebræo legunt, *& fuit castigata* ioco illius *memento te esse deprehensam*, in quibus enim illorum verbis fuit hæc cum ioco, & ironia castigatio? Illa sunt, & iocosa dicta, & fæminæ punitiua verba: *Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes &c.* Aurea enim munera acquisita ob gratiam fæminæ, nunquam non sunt rubori, & dedecori fæminæ, ob quæ non aperta facie possit coram scientibus incedere. Hinc per iocum, vexans rex Saræ pudorem, repræsentat munera aurea, argenteaque à se propter illam fratri, vel marito exhibita, ne putet Sara sibi aliquid non esse pudori, & erubescentiæ, ob quam faciem velet coràm scientibus. Equidem ea fuerat Saræ pudicitia in aula, ea cautela in abijciendis etiam minutissimis munusculis Regis, vt inde palatinus homo occasionem nactus ad vexandum ioco pudorem fæminæ, munera à se data objiciat, quæ in velamen oculorum, nimirum quæ illi dedecori sint, & verecundiæ. Quando enim aurea munera in fæminis non verecundum quid, & punitiuum ionant?

Semper Aurea munera in fæminis verecundum quid, & punitiuum innuunt.

Vers. 16. §. 52 Quare in rege barbaro erga peregrinos Abraham, & Saram tanta liberalitas? Sufficisset ad mariti satisfactionem, quòd illi redderet intactam vxorem, cur insuper addidit tam ingentia, & armentorum, & pecuniarum dona? Si offendisset maritum rex, non mirares, quod donis offensam resarcire vellet, sed quando nulla fuit offensa, cur dona? E si non fuit in re mariti offensa, tamen in rege voluntas fuit, quæ data saltem pecunia debuit subesse castigationi. Ait Egesippus de Excidio Hierosolymitano lib. 5. cap. 16. *Eijciebat Abimelech alienam, & damnato crimine honorabat castimoniam, quam spoliare desideraverat. Additur aurum, & argentum ad Saræ pudorem, vt condemnaret voluntatem facinoris expertem.* Sola inueniebatur voluntas fine effectu in rege, quæ tamen non debuit manere à pœna libera, sed in eius damnationem tàm ingentia extorquentur ornamentorum, & argenti dona. Non solùm equidem prauum opus, sed, & sola voluntas praua fine opere non paruam substinet pœnæ damnationem.

Non solùm opus prauum sed praui operis praua voluntas sustinet pœna damnationem.

§. 53 Quare Abimelech Saræ ob velamen oculorum donauit argenteos mille? Vmbra huius velaminis non paucos Interpretum offuscauit, qui in hoc velamine exponendo egregiè caligant. Plures literales comentationes dedimus; nunc autem non omittam singularem expositionem, quam ex Magistro in Scholastica historia, hic Abulensis ex scribit: *Hoc erit tibi in velamen, idest, hoc quod factum est, scilicet, quòd ego te acceperim sic, & dederim tibi mille argenteos, sit tibi in velamen oculorum scilicet vt ex his mille argenteis emas sudaria ad sepeliendum te honorificè, & cooperiendum vultum tuum.* Nimirum eximia Saræ venustas, & aspectabilis pulchritudo, in ea regione insolens, opinatissima fuit, cuius pellacia regem regnique proceres ad eius amorem blando traxit illicio. Itaque etsi Saræ formosissimæ modestia, ac pudicitia vulgò foret notissima, tamen, vt rex tantam mulieris venustatem, quam sibi, ac suis visu periculosam putabat, aliquantisper inhiberet, & de arcanæ modestiæ arbitrio, blandum eius lenocinium temperaret, ne eam vel inuitam viri populariter deperirent; notamentum mortalitatis, & continuam mortis memoriam pulchræ Saræ consultissimè ingerit, dum illi offert *sudaria ad sepeliendum, & cooperiendum vultum eius in sepulchro.* O inopinatum barbarici regis consilium præmaturè Christianum! Nimirum venustissimæ pariter, ac modestissimæ fœminæ, à qua adhuc Vers. 16.

Mortis memoria habebat vibrata à pulchritudine iacula, ne fauciant castitatem.

adhuc timet, ne in eius eximia forma multi pereant, multò emendum tribuit sudarium; sudarium inquam, mortalitatis notamentum, & mortis memoriale; vt de arcana vi, qua mortis memoria modestiam afflat, sanctitates allinit, & virtutes spirat; sanctiùs adhuc Sara pulchritudinem honestet, ne pulchra fæmina sibi tuta, intutum viris spectaculum obijciat. O' sic vel passiua ardenter libido ad mortalitatis insignia sopitur, & ad mortis memoriam friget? De cogitatione mortis, & sepulchrali sudario, expromptiùs petendæ sunt, non modò propriæ, sed & alienæ etiam concupiscentiæ nives? Pulchritudo impudenter spectata, quæ est castitatis venenum; mortalitatis sudarium, inconceptæ libidinis antidotum, & continentiæ sacrarium mirè reformat: indèque fit pudicitiæ securitas, vndè maius incontinentiæ periculum timeri poterat, Ergò formosissimæ Saræ à se adamatæ ait Abimelechus rex: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, scilicet; vt ex his mille argenteis emas sudaria ad sepeliendum te, & cooperiendum vultum tuum.* O' sic mortis memoria hebetat vibrata à pulchritudine iacula? sic est: *Ad sepeliendum te, & cooperiendum vultum tuum.*

Vers. 16.

§. 54 Vel dic cum Hamero dedi tibi mille argenteos, vt emas tibi velamen vultus tui, quo vernantem pulchritudinem tectiùs operias, ne sit ea alijs, vt mihi fuit, illecebra, & irritamentum libidinis. Vela tu tui vultus bellissimam pulchritudinem, ne ipsa inuclata, & spectatorum oculis obiecta, te intuentium oculos perstringas, decipias; & veles. Quod pulchrè dixit Petrarcha lib. 1. de Rem. vtr. fortunæ: *Pulchritudo*, inquit, *est velum oculis, laqueus pedibus, vt non facilè vera discernat, nec virtutem sequatur, nec in altum animo euolet. Et hostis domesticus, rapter quietis; materia laboris, tormentum libidinis.* Nimirùm de comminata acerbiùs pœna, consultissimè cautus Rex satiùs putauit pulchræ Saræ vultui, gratias venustate spiranti, velamen oppandere, ne obuijs spectatoribus periculosè prostet; quàm de spectata eximia eius pulchritudine, intuentium oculis velum, prætendere, quo eorum ratio obumbretur, obnubiletur mens, & potior hominis pars cæcis libidinibus obscuretur. Tegatur velamine mulieris pulchritudo, ne spectatorum oculos ipsa velet, obscuret, cæcet, obtenebret.

Pulchritudo quid sit.

Vers. 17.

§. 55 Quare si Deus solùm promiserat per orationes Abrahami solùm Abimelechum sanaturum, non solùm ipsum, sed, & omnes fuere pristinæ redditi incolumitati? Deus tantùm promisit, quod si Abrahamus fudisset preces pro Abimelech, quòd ipse recepisset sanitatem, & tamen hæc non solùm restituta est Regi, sed etiam reginæ, ac ancillis, quæ ex sua sterilitate omnes sunt liberatæ, hæc est enim magnifica diuina liberalitas, vt plura concedat, quàm promittit, ac etiam ab eo postulantur, nam Abrahamus iuxtà diuinum consilium tantùm videtur orasse pro Abimelech. Quod diximus confirmatum remanet ab Eleganti D. Nili cap. 18. de oratione auctoritate dicentis: *Suorum vota Deus semper excedit, nec vnum, sed plura largitur.*

Deus, quæ promittit, & maiora, concedit.

Vers. 17.

§. 56 Quare dicitur sanatus Abimelech orante Abraham, & non post eius orationem? Non postquam cessauit Abraham ab oratione, tunc à Deo sanitas restituta est Abimelech; sed notanter dicitur, quòd eo orante incolumitatem recuperauerit, vt denotetur, quàm efficax sit oratio iusti apud Deum, vt illius finis, ac terminus non expectetur, sed antequam absoluta sit oratio donum acceptum est à Deo. Haymon in Psal. 4. ad illa Verba. *Cùm inuocarem exaudiuit me Deus.* Sic ait: *Nota simul esse vocationem, & exauditionem.* Ac si dicat, cùm vocamus, exauditi sumus à Deo, nihil inter vnum, & aliud est medium. Docens Christus Dominus suos discipulos orare, ait eis Matthæi cap. 6. vers. 7. *Orantes autem nolite multum loqui.* Taxat Dominus, homines qui longiores sunt orantes, & formam breuiter deprecandi inducit. Quid est quòd ipse docet nos breues esse in oratione, cum ipse fuisset valdè diuturnus? Lucæ cap. 6. vers. 12. habetur: *Erat pernoctans in oratione Dei.* Ipse orans noctes pertransibat, & tamen nobis tradit formam, vt breues simus? Ad loquendum cum Deo, ad fruendumque diuinis colloquijs longa sit oratio; at ad impetrandum, ad obtinendum, quod desideratur, sat est quod sit breuis, sufficit enim vnum illius verbum, & vt manifestaretur hæc diuina promptitudo erga nostras orationes, inde, vt sint breues docet Rauennas eloquentia serm. 67. dicens: *Breuiter Christus orare docuit, qui citò vult postulata præstare.*

Deus cito exaudit suorum preces.

Ad primũ verbum nostræ orationi Deus exaudit.

Vers. 17.

§. 57 Et vndè habet Abraham, vt oret pro Abimelech, qui eius vxorem

rapue-

rapuerat? Duplici ex titulo: primùm, quia etsi rapuerat ignoranter fecerat, secundò, quia & intactam dimiserat, imò & muneribus cumulatam. Indè accipit Abrahamus, quia gratitudinis studiosus orandi pro Abimelech occasionem, sanctitatis pristinę felicissimum incrementum. *Remeat* (ait Ægesippus lib. 5. de excidio Hierosolymitano) *Sanior saluo pudore, reuertit Abraham sanctior, qui coniugalis pudicitiæ remunerationem, sanitatis studio compensauisset*. Etsi enim perfectus antea fuerat; sed post gratitudinis exhibitionem vndequaque apparuit sanctior, & illustrior. Et meritò quia Deus actionem gratiarum loco beneficij habere consueuit; & ideò qui gratus est, quasi Deum beneficijs afficere videtur. Beneficium autem Deus ab inferiori creatura non potest accipere. Et ideò si beneficium accipit ab homine grato, considera in quo loco habendus sit ille, quem benefactorem suum non dedignatur appellare Deus. Audiendus S. Basilius Mag. homil. in martyrem Iuthe. *Quam rependis*, ait, *pro accepta gratia gratiarum actionem, innumerum refert Deus, & habet beneficij loco; qui licèt nihil aliud accipiat, quàm quod suum est, solidam tamen retribuit gratiam, ac si propria dedisset*. Nimirùm eam gratiam quam non solùm sanctus, & perfectus quis dicatur, sed Dei beneficijs. Quo nihil potest de gratitudine sublimius, nihil gloriosius?

Abraham sanctior ex gratitudine.

Vers. 18. §. 58 Quare Deus dicitur quòd concluserat omnem vuluam domus Abimelech? Lege quod sequitur, & dubium solutum restat: *Propter Saram vxorem Abrahæ*. Idest vt defenderet puritatem, & sanctitatem Abrahami, & Saræ sæuiuit Dominus in mulieres regis Abimelech; Deus semper sic suos seruos, sic iustos defendit. Hinc bellè Glossa ordinaria super illa verba 1. Regum cap. 25. *Anima Domini mei, erit custodita quasi in fasciculo*, exponens scribit: *Mirè autem omnipotentem prouidentiam supernæ protectionis describit, dicens animam sancti quasi vitis in fasciculo vitium, apud Deum esse custoditam. Sicut enim facile est cuilibet fasciculum herbæ, vel fœni, manu retentum conseruare: ita virtus Saluatoris nostri electos ab initio vsquè in finem conseruare, & custodire*. *Vnde* Ioan. cap. 10. vers. 28. *Non rapiet eas quisquam de manu mea, sicut autem fasciculus alligatur, ita sanctorum decus, vera charitate constringitur, & diuino munimine circumdatur*.

Deus suos seruos assiduè protegit.

Vers. 16. §. 59 Quare dixit Abimelech Saræ hìc erit tibi in velamen oculorum? Accipe acutam Abulensis explicationem, & dubium solues: *Hìc erit tibi in velamen oculorum, & refertur ad Abraham, qui erat velamen oculorum, idest, quoddam scutum, vel defensio à verecundia Saræ*. Scilicet Abrahamus grauatè admodum tulit pulchræ Saræ vxoris suæ charissimæ raptum in Regis aulam: & tamen ipse benè conscius vxoriæ adhuc in aula pudicitiæ, non potuit non validè concuti suspiciosis inconsulti vulgi rumusculis, qui cognata maledicentiæ garrulitate, etiam ex leuiori occasiuncula; grauiùs obmurmurandi ansam arripit. Sara etsì inuiolato pudore stans coràm Rege, ac marito, diffamiæ apud vulgus suspecta: virtutis colore genas verecundè tingit. Rex autem huius tragediæ auctor; quò huiusmodi malum procul arceat, restaurandæ famæ immeritò deuenustatæ, vxoriæ castitatis maritum Abrahamum sistit vindicem; & tanquam verecundiæ clypeum obijcit; qui maledicentiæ tela arceat, deludat, exarmet. *Hìc* (idest, Abraham maritus) *erit tibi in velamen oculorum, idest, quoddam scutum, vel defensio à verecundia Saræ*. O bene! Maritus est vxoriæ verecundiæ scutum, quò aduersùs malecogitantiæ, ac maledicentiæ in re pudoris vulgaria tela, vxoris verecundia tectiùs clypeatur. Quis mulierem inuerecundiæ accuset quam prudens maritus vxoriæ castitatis exactor, pudicitiæ vindex, & *verecundiæ scutum* defendit? Vxor cui boni, ac prudentis mariti suffragium adest, in tuto posuit pudoris famam, & inexpugnabilem verecundiam aut inuenit, aut fecit. *Hic*, nempè Abraham maritus prudentia ac probitate opinatissimus: *erit quoddam scutum, vel defensio à verecundia Saræ*.

Consultissimè maritus obijcitur, tanquam vxoriæ verecundiæ scutum.

§. 60 Ad supradictum dubium aliam solutionem, post tantas relatas explicationes de hac re velaminis affero, quam ipse datus Abulensis in locuplete huius capitis commentario, sic eleganter promit: *Hoc erit tibi in velamen oculorum. Idest, de illis mille argenteis emes vnum velamen, & quia mulieres honestæ, maximè virgines velant vultum suum, ne videantur, ideò vocatur velamen oculorum*. Nimirùm, & Deo reuelante, & vtroque iam coniuge palàm confitente, notum erat Abimelecho, Saram esse maritatam, & Abrahami vxorem. Fama etiam tota vrbe populariter percrebuit, Saram ob eximiam pulchritudi- Vers. 16.

dinem ad Regis palatium adductam, indeque emissam, vt Abrahamo marito restitueretur. Quare Sara inculpatæ pudicitiæ fœmina, de exprompta sinistræ suspicionis licentia, & inconsulta linguarum garrulitate, nonnihil forsan deuenustata fuit; tenera est enim in pulchris fœminis honestæ famę valetudo (tametsi, inquit D. Hieronymus in epist. ad rust. *Non est facile malum de perfecta ætate credendum; quam vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis*) Eccè tibi vulgare hominum artificium ad infuscatum famæ nitorem de facili (vt putant) recuperandum. Scilicet maritatæ Saræ tantisper deuenustatæ aura palatij, Rex Abimelech pretiosum donat faciei *velamen, quia honesta mulieres maximè Virgines velant vultum suum, ne videantur*. Benè est, donetur tunc Saræ velamen, quod est femineæ honestatis notamentum, & pudicitiæ insigne vulgare; at virginum habitus, & puellaris virginitatis in cultu nota, tunc forsan donari non debuit; nam excessus in pudicitiæ ostentatione affectatus, sinisteritatem suspicionum temerè etiam conceptarum, non arcet, sed apud malitiosè sagaces, potiùs è peruersò fundat. Habitus Virginitatis velamine assumptus, vt nuptam esse malè negat, sic in regis Palatium ob pulchritudinis lenocinium adductam fuisse, non benè defendit. Malè, opinor, exterioribus notis in oppositum exaggeratiùs adnitentibus tantisper deuenustata fama resculpitur. Affectatus in contrarium adnisus, non bonæ conscientiæ index esse solitat. Inaffectata simplicitas, & inquæsitus extraordinariè habitus, rem fideliùs loquitur sincera veritatis lingua. Idcircò Sara pudicitiæ seruatæ sibi benè conscia, istiusmodi velamine ornata non legitur. Regis fuit hoc arbitrium; Saræ sincerè vt hactenùs matronarum ritu amiciri refutantis has excusationes, tanquam suspicionum vberiùs fertiles. Hic ergo finem damus numine fauente, huic secundo nostri Sacri Bibliorum Theatri tomo.


Inaffectata simplicitas rem fideliter stare demonstrat secùs verò affectatus adnisus.

Si quid in hoc tomo, & in primò humana tenuitas deliquit, lubens subijcio correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ, & eruditorum cultiori Iudicio.

Si quid laude dignum appareat, illud vltrò destino Virgini Deiparæ, Sancto Laurentio, Diuo Augustino Protoparenti Optimo.

Finis Nondum Finis.

4,00.30h



INDEX
AD SACRAS CONCIONES.

Dominica I. Aduentus.

S. Lucas, Cap. 21.

Dominica II. Aduentus.

S. Matthæus, Cap. 11.

Dominica III. Aduentus.

S. Ioannes, Cap. 1.

gendæ, quæ frequentiores sunt, quantò attentiores Deo sumus. Cap. 15. §. 37.

5. *Medius vestrum stetit quem vos nescitis.* Nescit Deum cognoscere, qui ipsum præsentem nescit habere; & dum Deus præsens ignoratur longè à perfectione sumus: Præsentia enim Dei ad perfectionem impellit. Cap. 17. §. 5.

Dominica 4. Aduentus.

S. Lucas, Cap. 3.

1 IN *deserto.* Cur inibi Ioannes? Quidue illuc eum impulit? Primum quidem, castitatis amor: ea enim virtus inter mundi bona, & sæculi delicias non opportunè colitur. Audi S. Hieronymum Epist. 4. ad Rusticum: *Ioannes Baptista Sanctam habuit matrem, Pontificisque filius erat; & tamen, nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis.* Quid ergo tu, qui lubrica es, & ad peccandum propensa natura, inter vitiorum incentiua, & peccandi occasiones castitatem seruaturum speras? Scito quod castitas etiam oculis maculatur, cap. 20. §. 16.

2 *Et venit.* Emphasim habet: *Factum est Verbum, & venit.* Nulla mora, nulla tergiuersatione interposita; præsertim cùm ardua prouincia nouæ prædicationis, nuntijque hominibus non adeò grati, qualis erat Pœnitentia, illi committeretur: Sanè quòd egregius Christi discipulus, verusque obedientiæ custos Ioannes fuerit; nimirum, qui perfectè obedire nouit nil curiosè disquirens data sibi iussa exequitur; nam verus obediens moras nescit, cap. 14. §. 17.

In Natiuitate Domini.

S. Lucas, Cap. 2.

1 PEperit filium suum primogenitum. Nota ly *suum* vt sciamus quod de vtero Virginis Mariæ venit nobis Eucharisticum epulum, cap. 14. §. 42.

2 *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Sic Rex Regum, & Dominantium Dominus in præsepio ponitur, quia id stabulo nasci voluit. O' mirabile dictu! quem cœli capere non possunt, in Bethlemi misero, ac pauperrimo præsepio nascitur, & reclinatur? O' dic: Natiuitas Christi vera est humilitatis doctrina, cap. 11. v. 7. §. 30

3 *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax.* Vbi pax ista celebratur? in Bethlem; quid Bethlem sonat? *Domus panis.* O' belle! Vel vmbra Eucharistiæ sine pacis memoria haberi potest, cap. 14. §. 43.

4 *Hominibus bonæ voluntatis.* Cur Deus recens natus bonam strenuè voluntatem ab homine exigit? Quia venerat ad legem pænitentiæ, & suæ propriæ abnegationis, promulgandam; hinc dixit per Angelos suos: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ* (idest spontaneæ) *voluntatis* in bonum; nam spontanea voluntas ardui operis difficultates exarmat, cap. 16. §. 33.

In festo S. Stephani Protomartyris.

S. Matthæus, Cap. 23.

1 E*Ccè ego mitto ad vos Prophetas.* Idest Prædicatores virtute illustres. Porrò lingua suadet; bona vita virtutem iubet; sic enim verbo Dei virtus crescit, cap. 11. vers. §. 37.

2 *Ecce ego mitto ad vos Prophetas.* Ipse Christus eos mittit, vt eius nomine Euangelium prædicent. Hinc Concionatores ibi debent ire, quò maior Dei gloria eos vocat, cap. 12. vers. 1. §. 9.

3 *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c.* Et ex eis occidetis, & crucifigetis. Quare tot pericula, & mortem passuri erant isti Verbi Dei præcones? quia veritatem promulgare debebant. Ergo habes, quòd vmbra, & apparentia apud mundiales in amore est, veritas in odio, cap. 17. §. 12.

4 *Et ex eis occidetis.* Si veritatem non promulgassent, nec occisi fuissent. Quando nam verbi Dei præco, veritatis promulgator viuere passus fuit? dicerem: Hominem exat necesse est, qui veritatem periculosam manifestat, cap. 20. §. 8.

5 *Et ex eis occidetis.* Dum acerbior sæuit calamitas, triumphalem animum gerit Stephanus. Non cadit ipse, dum obiens in cœlum abijt; cadunt Pharisæi, dum Stephanus non terretur saxorum crepitantium minis; En quomodo in caput maligni retorquentur persecutiones iustorum, & in bonum istorum cedunt, cap. 15. §. 46.

In festo S. Ioannis Apostoli, & Euangelistæ.

S. Ioannes, Cap. 21.

1 I*Llum discipulum quem diligebat Iesus.* An nimis diligit, qui anthonomasticè diligitur? Deusne immoderantia amoris delectatur, qui exigit ex tota nimietate diligi? Quomodo omnes animæ potentiæ Deum diligere iubenter; Quomodo omnia nostra Dei amori, atque

In festo SS. Innocentium.

S. Matthæus, Cap. 2.

In Circumcisione Domini.

S. Lucas, Cap. 2.

In Epiphania Domini.

S. Matthæus, Cap. 2.

Dom. infra Oct. Epiph.

S. Lucas, Cap. 2.

1 *In venerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum.* Benè in medio, vt æquè omnes audiret, æquè omnes doceret, æquè omnibus benefaceret, quippè medius locus, Dei proprius, Principis proprius est, ne in vnum aut alterum duntaxat, sed in omnes sibi subditos beneficus, ac liberalis sit: Ita & Prælati gregem commissum, eleemosynis, sacramentis, & omni charitate æquè gubernent, cap. 14.§.32.

2 *Et erat subditus illis.* En veram humilitatem, dum, quantò quis maior est, humiliar se in omnibus: Et obserua quòd ibi vbi dicitur erat subditus, refertur quod: *stupebant omnes super prudentia, & responsis eius.* Et quare hoc? Audi. Quia humiles verè sapiunt, cap. 11.vers.4.§.13.

3 *Et Mater eius conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Opportunè; quippe verba Dei vt virtus conseruetur in corde in ipso seruanda; Virtus enim facile destruitur, si verbum Dei non auditur, cap.11.vers. 8.§.37.

Dominica 2. post Epiph.

S. Ioannes, Cap. 2.

1 *Vocatus est autem, & Iesus ad nuptias.* Inuitatur ad aliorum nuptias, & vocatur; sed ipse vt inuitet, quasi ad proprias nuptias aduenit. Hinc Tyrones Deus varijs donis ad se vocat, cap.12.vers.2.§.16.

2 *Et deficiente vino.* En quàm breue sæculi gaudium sit, & quam sæpè spem mentiatur leges. Sed impletis hydrijs aqua à Christo in vinum conuersa est. Quia gaudium est verum, quando venit à Christo, cap.17.§.53.

3 *Et deficiente vino... iussit impleri hydrias aqua.* Quare hæc aqua, diceres, & cur iussit impleri, si solo nutu poterat discumbentium necessitati subuenire, & patrare miraculum absque aqua? Vt discamus quòd non debemus solùm Deum operantem relinquere, sed nos cum ipso operemur, cap.12.vers.13.§.45.

4 *Nondum venit hora mea.* Quare? diceres nondum venit hora mea idest extremum horæ meæ; erat in hora sed non terminauerat hora; nam homines vix vna hora viua potiuntur, cap.18.§.26.

Dominica 3. post Epiph.

S. Matthæus, Cap. 8.

1 *Cum descendisset Iesus de monte, secuta sunt eum turba multa.* Filij Dei in carnem descensus adumbratur, vt rectam nos ascendendi viam doceremur. Hinc ad cælum non datur via sine Christo, cap. 15. §. 9.

2 *Ecce leprosus veniens.* Ecce dic, homo peccator lepræ flagello percussus, qui ad Deum pænitens recurrit; Assolet enim Deus vt à culpa hominem extrahat ipsum terrere flagellis, cap. 20. §. 21.

3 *Domine si vis potes me mundare.* Imò, & velle, & posse idem in ipso est. Sed nota; volebat ipse miserrimus lepram mundatam, & cur dicit Domine si vis? Quia semper tenemur velle quod Deus vult, cap.12.v.4. n.18.

4 *Et extendens manum tetigit eum,* Quid opus erat manum extendere, & eum tangere, qui verbo solo sanare poterat? Planè, vt indè disceret non solo verbo, sed bonis etiam operibus gratum esse. Opere enim, & actione, non verbis sit vera gratificatio, cap.17.§45.

5 *Et extendens manum tetigit eum:* Verbo poterat mundare, & tamen manu tetigit, & tacto sanauit? Forsan ne non salus etiam in Dei manibus, si vera securitas, & tranquilitas in ipsis manet? cap. 15. §. 14.

Dom. 4. post Epiph.

S. Matthæus, Cap. 8.

1 *Ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum Discipulis eius, & ecce motus magnus factus est in mari.* Itane suos in pericula atque discrimina proijcit Deus? Itane suos dilectos discipulos inter ærumnas ponit Saluator? Ita quidem; & cur? quia ibi erat ipse, Ergo habes, quòd, vbi ærumnæ æquanimiter tolerantur, ibi clarissimè apparet esse Deus, cap. 16. §. 7.

2 *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Timentes periculum suscitant dormientem magistrum; ab hoc enim timore nunquam alijs in periculis discipulos timuisse leges; hic timor, non amplius, fuit, timendi, præceptor; vndè timor in iustis nunquam frustraneus, cap. 15. §4.

3 *Et facta est tranquillitas magna.* S. P. N. Augustinus in Psal. 63. *Ipsa pericula nostra dulciorem nobis faciunt libertatem,* quippe tunc: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum,* vel, vt est in originibus, non est illis singultus, aut scrupulus; nam liquidò illis constat chariores Deo, quàm sibi

ipsis esse, nec alia quàm amoris causa; vt pater, dum ludit cum filijs, & in ioco seueriorem se illis ostendit exercere: siue etiam facta est tranquillitas magna, quòd opportunius post laborem quies post tenebras lux æternæ claritatis succedat, cap. 15. nu. 120.

Dominica 5. post Epiph.

S. Matthæus, Cap. 13.

1 *CVm autem dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit.* Subdolas Diaboli artes, occultè, & in silentio technas dolosque suos versat, ne de facie cognoscatur, sic semper sopor pacis vbi inuenitur, rixas dolosè superseminat; & si aliquando vnit homines ad ruinam futuram solummodo componit, cap. 11. vers. 8. §. 27.

2 *Vis, imus, & colligimus ea?* Mitem patremfamilias serui ad vindictam accendunt; fit sæpè nequitia famulorum, non solùm alienæ vindictæ, sed Dominorum discordiæ est origo, cap. 13. vers. 7. num. 13.

3 *Sinite vtraque crescere.* Non semper abaliennandi ex leges à iustis; nam societas iustorum, & malorum simul, sæpè vtilis, cap. 17. num. 98.

4 *Sinite* quanto lentu gradu ad iudicium, & sententiam procedat; hinc fit consultior sententia, ne sit præcipitior, cap. 18. §. 50.

5 *Ne fortè colligentes Zizanias, eradicetis cum eis simul & triticum.* Benè quidem; nam, vt virtutis triticum radices mittat, & robustius consurgat, exercitatione malorum opus habet; Sic enim virtus iusti ostenditur inter iniquos, cap. 13. §. 38.

6 *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* En finem vide malorum, alligate ad comburendum: Ignis iudex ignis pœna: alligate ad comburendum, cap. 15. num. 118.

7 *Alligate ea in fasciculos ad comburendum.* Iudæi, infæcundæ vires à Christo Domino præscisæ, igni traduntur comburendi, cap. 15. §. 57.

Dominica 6. post Epiph.

S. Matthæus, Cap. 13.

1 *SImile est Regnum cælorum grano sinapis.* Dignior in cælo micans, qui humilior in terra, cap. 13. §. 51.

2 *Grano sinapis.* Pulchrè cum sinapi virtus componitur, quæ tribulationibus perficitur atque dignoscitur; nam à tribulatione perfectio ipsa sublimatur, cap. 17. §. 37.

3 *Grano sinapis.* Tertullianus libro 4. contra Marcionem: *Modicum, & validissimum.* Apta id illis verbis S. Matthæi, cap. 5. vers. 9. *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, &c.*

Dominica in Septuag.

S. Matthæus, Cap. 12.

1 *SImile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane. Eccur primo mane?* Et quis hic Paterfamilias? Ipse Deus. *Primo mane* est inspiratio Diuina, vel gratia. Vndè habetur hic, quod Deus nos sua semper gratia, sua diuina conspiratione, atque auxilijs, præueniat, cap. 19. num. 75.

2 *Stantes in foro otiosos.* Sæculares homines notat forensibus negotijs, & curis mundi deditos, qui quantumuis in eis insudent, otiosi sunt, quòd nihil agant, nihil proficiant, & quantuncunque laborent, itidem, vt anteà sunt; En quomodo pro otio multi suscipiuntur labores, cap. 15. num. 120.

3 *Stantes in foro otiosos.* In foro otium, in domo nullum negotium; sic otium perdit familias cap. 18. num. 79.

4 *Quid hic statis tota die otiosi?* Reprehendit Dominus otiosos; nam tempus, vtpotè pretiosum, non est perdendum, cap. 18. num. 81.

5 *Circa vndecimam verò exijt.* Hic discrimen magnum est inter horas. Qui primo mane, qui ad nonam, qui ad vndecimam venerunt horam; & tamen singuli denarium acceperunt. Denarius quid est? Gloria: Horæ ad labores quid? Tempus, ætas, anni, ad perfectionem adipiscendam. Ergo habes, quod vt gloriæ denarius acquiratur omnis ætas ad perfectionem bona, cap. 17. n. 103. & §. 59.

6 *Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti.* Vide Inuidiæ malignitatem sibi decrescere putat quidquid in alterius bonum cesserit. Sic inuidus de bonis alienis cruciatur, cap. 19. num. 70. Si inuidiæ descriptionem habere desideras vide, cap. 13. §. 47.

Dominica in Sexagesima.

S. Lucas, Cap. 8.

1 *EXijt qui seminat, seminare, &c.* Diuinæ benignitatis, & affluentiæ largitas demonstratur, quę dat omnibus affluenter, & non improperat; imò & ingentia sua dona guttas appellat, cap. 18. §. 10.

2 *Aliud cecidit super terram, & natum aruit.* Hi videlicet, qui in tempore tentationis recedunt, qui vel leuiter difficultatibus resistere non nouerunt: variæ igitur sunt tentationes quibus Dæmones tentant nos, vt perdant, cap. 12. vers. 12. num. 90.

3 *Hi sunt, qui audierunt, & à sollicitudinibus, &*

diuitijs

Digitized by Google

diuitijs, & voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum. Peccatorum in diuitijs affectus apponentium quis finem scire desiderat; audiat: A diuitijs suffocantur, & non referunt fructum. Quasi diceret: Diuitiæ auarè reseruatæ auarum perdunt, cap. 11. vers. 4. §. 42.

4 *Et voluptatibus vitæ euntes*. Quid sequitur? *Suffocantur, & non referunt fructum*. O' considerabilis, imò terribilis sententia! Parum effet *non referunt fructum*; nam à voluptatibus nullus fructus. Sed, *Suffocantur*? O' magnum iudiciale verbum! *Suffocantur*! Vtique, vtique *Suffocantur*: idest: æterna infortunia expecta, si viuis inter voluptates, cap. 14. §. 10.

Dom. in Quinquagesima.

S. Lucas, Cap. 18.

1 *Ecce ascendimus Ierosolimam*. Forsanne discipuli post tot sudati itineris labores Ierosolymam ascendisse? Quid ergo opus habuit, vt à magistro diceretur. *Ecce ascendimus Ierosolymam?* Eccur non dixit: *Ecce ascendi*, sed *ecce ascendimus*? O' nobile Christi documentum Præsulibus datum! nempè dum Præsul laborat, etiam & subditi insudant, laborauerat, in ascensu ipse Christus, vtique & cum eo discipuli; hinc benè. *Ecce ascendimus*, cap. 18. §. 16.

2 *Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquàm flagellauerint, occident eum*. Mirum dictu! Apostoli laboriosi ascensus fatigati, & lassi, pro refectione, vel dulcis colloquij, vel cibi passionis dilecti magistri futuras audiunt amaritudines dolorosas. Eccur post aduersa, post labores itineris de Passione Domini fit mentio? Adhuc nescis? Quia Passionis Christi memoria omnia aduersa, omnes superat labores, cap. 14. num. 103.

3 *Cæcus quidam sedebat secùs viam, mendicans*. Non domum, nec Palatium habebat pauper iste, vnde confugere posset; sed in via, in platea mendicabat; & diuites cur non subleuabant miserum hunc vt non mendicaret dum cæcitatis miseria percussuserat? Fallar: Quia (vt mos est sæculi præsentis) quamplures pompaticè viuentes, nil habent, quod pauperibus tribuant, vt non mendicent, cap. 18. §. 20.

4 *Increpabant eum vt taceret*; Nota hic duo componuntur Increpatio, & silentium. Quid pro increpatione mysticè intelligeres, nil aliud quàm iniuriam. O' dic, quod patiens silentium in iniurijs martyrium. cap. 16. §.29.

5 *Quid tibi vis faciam*? Voluntatem huius miserrimi requirit Dominus; & de qua re? *Domine vt videam*, de visione occulorum reddenda: arduum opus. Eccur antequam dicat ei, *respice*, præmittit. *Quid tibi vis faciam?* Vt intelligamus, quòd spontanea voluntas ardui operis difficultates exarmat. cap. 16. §. 33.

6 *Fides tua te saluum fecit*. Redditur oculis visio, & dicitur. *Fides tua te saluum*, non te illuminatum, *fecit*. Hæc cæcitas, cæcitas est rationis, & intellectus, qui dum vitiorum captiuitate tenetur, lumen supernæ cognitionis, & æternæ veritatis nescit videre; venit fides, & saluum facit captiuum ex legem nam fides à captiuitate vitiorum liberat rationem, & intellectum, cap. 14. §. 29.

7 *Confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum*. Magnificauit Dominum statim, ac vidit, & inde magnificare sequebatur. O' nobile grati animi exemplum! quo docetur; grates subitò reddendas esse, cap. 13. num. 80. quia gratiarum actio est ænigma beneficij, cap. 15. §. 21.

Feria 4. Cinerum.

S. Matthæus, Cap. 6.

1 *Sicut hypocritæ, tristes*. Non damnat tristitiam qui paulò antè dixerat: *Beati qui lugent*. Sed eum prohibet mærorem, qui inutilis, & noxius, cuique desperatio annexa est: nam tristitia, quæ ex Deo est hilaris quidem, & iucunda est; hinc nil tribulato Deo acceptius, cùm hilarem datorem diligat, cap. 15. §. 42. Vnde opportunè Auctor operis imperfecti: *Nolite sine spe, & sine fide ieiunare, sine spe autem ieiunat, qui non se abstinet à peccato, nec facit iustitiam. Nam, sicut bona opera spem generant, idest, gaudium spirituale: sic mala opera desperationem, idest, tristitiam spiritualem*.

2 *Ex terminant enim facies suas*. S. Hieronymus. *Demoliuntur*. Quòd Hypocritæ, vt humanas laudes aucupentur, se ipsos excrucient, & natiuum, vegetumque candorem in pallidum, ac tetricum conuertant. Eusebius emissenus; *Facies suas exterminant, quia vltra sua pulchritudinis terminos, atque naturam, incultas, & informes horrescere sinunt: si enim informitas Deo placuisset, tam pulchra facie hominem non informasset*. Vt videas peccati iter mille difficultatibus obnoxium esse: virtutis verò viam facilem, & tranquillitam; cùm sint vitia ipsa gradus ad virtutem, & quomodo, cap. 15. num. 95.

3 *Vt appareant hominibus*. Quid ieiunio, pęna, atque tristitia quærunt? Quid exoptant? quid anhelant? Meram quidem vmbram apparere, videri, seu existimari ab hominibus

bus ieiunantes. En humanæ laudis, & ambitionis fructum: nomen quærunt sanctitatis apparentis, *vt appareant*: O mens nostra vbi arenam habet! Sic enim Ambitiosi dum nomen quærunt, spe falluntur; *Nam gaudium hypocritæ ad instar puncti*, cap.11.v.4.§.14.

4 *Receperunt mercedem suam*. Quid est, *suam*? Illorum, scilicet, studio, & meritis debitam. Sed quæ iam hæc est? Nulla quidem, sed nihil. Rauennas Eloquentia serm.7. sic elegantissimè. *Hypocrita, sit tibi licèt facies inculta, neglecta cutis, tristis vultus, exterminatus aspectus, nec ab hominibus inuenisti laudem, & apud Deum fructum ieiunij perdidisti. Hypocrita, elaborasti ieiunijs, vt labor tibi ieiunij non prodesset*. Et quidem magno iure: nam vt sapienter monet S. Maximus: *Nec possumus pro vno, eodemque opere, & laudem mundi adulantis expetere, & præmium vitæ cælestis accipere*. Ideò hypocrita vtrumque quærens, vtrumque perdit; iustus verò vni rei, Dei videlicet, obsequio intentus vtrumque inuenit. Habet vitæ æternæ præmium, quia Iustis ipse Deus est merces, & præmium, cap.15. num. 86. & habent quæ in mundo optantur; dum ipsi etiam in temporalibus prosperantur, cap. 20.§.42. Addo in Canticis dicitur: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*. Apta vero hypocritis ex Tertulliano verba: *Lippientibus oculis singularis lucerna numerosa est*. Qui enim duas res vident, nihil vident. Sic Hypocritæ: Iusti verò quia vnum vident solum Deum, omnia vident.

5 *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*: S. P. N. Augustinus Serm. 212. de tempore: *multos pænituit consilium Domini non recepisse, qui dixit*: Nolite vobis thesauros condere in terra. Et quidem meritò: plerumque enim *diuitiæ conseruata* sunt *in malum Domini sui*: Eccles.cap.5. vers. 12. *Multi enim in istis sæculi perturbationibus securiores pauperes fuerunt* (inquit ibi S.P.N. Augustinus) *Multi autem propter suas diuitias quæsiti, & correpti sunt. Multi se habuisse planxerunt, quod semper habere minimè potuerunt*. Ergo dic: quòd diuitiarum despectus, diuitiarum sit incrementum, cap. 15.§.19.& quòd diuitiæ sæculi in diuite non sint laudandæ, cap.13.§.4.

Feria 5. Cinerum.

S. Matthæus, Cap 8.

1 CVm *intrasset Iesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio*. Notanter priùs dicitur, Iesum Capharnaum introisse, quàm Centurionem ad ipsum accessisse: nimirùm, Capharnaum interpretatur *Ager pænitentia*; nec vllos hic ager fructus producit, quin Deus illi gratiæ suæ rorem infundat: ipse enim est, qui *operatur in nobis velle, & perficere*; Vnde à solo Deo bona cuncta procedunt, cap. 15. num. 90. & cap.13. nu. 55.

2 *Rogans eum, & dicens: Domine, puer meus*. Origenes hom. 5. in diuersos S. Matthæi locos: *Multi illo tempore pro diuersis rogabant infirmitatibus: nullus tamen pro seruo, nisi iste solus: & hoc ei ad beatitudinem, & coronam gloria erat*. Nimirùm, proprium Principis est minorum vtilitati, & bono prospicere: sed meliùs dixerim, proprium est humilitatis tantam in proximum charitatem habere; ex humilitate enim charitas prodit, ac erescit, cap. 18.§.52.

3 *Ego veniam, & curabo eum*. S. Petrus Chrysologus serm. 15. *Non Centurio ad pietatem pietatis traxit auctorem: neque ad hoc ille ire compulit Christum, ad quod venerat Christus: Sed Centurio magis, sic sentire, sapere sic docetur, quare ad seruum in seruo venerit Christus, quare ad hominem in homine venerit Deus: vtique, vt leuaret iacentes, elisos erigeret, solueret compeditos, & eos, quos iam nemo nec afferre, nec offerre poterat, ipse operis sui vector clementissimus baiularet*. Pende hæc extrema verba: *Ipse operis vector*, quasi ex primo homini beneficio collato teneatur quodammodo Deus alterum largiri: sic Dei largitas reddendo beneficia, plus est onerata, cap. 16. §.44. Et beneficij diuini acceptio, quasi fedus est ad habenda ampliora, cap.17. §. 10.

4 *Domine non sum dignus*. S. Ioannes Chrysostomus hom. 38. ad populum Antiochenum: *Nam & nos seruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm postquàm omnia beneuolè ministrauerint, nihil magnum se fecisse censent. Itaq; si tu quoque magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna tunc erunt: Sic & Centurio dicebat*: Non sum dignus: Hinc ab eo, qui se paruum putat, magna expecta, & maxima, cap. 18. §. 54.

5 *Et dico huic, Vade; & vadit: & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit*. Rauennas mirabilis Eloquentia serm. 103. *Iudæorum repulsam, vocationem gentium, Christiani populi obedientiam sic demonstrat*. Dico huic, *idest, Iudæo*, Vade; & vadit: & alij, *idest, Gentili, quia credidit*, Veni; & venit: & seruo meo, *hoc est, Christiano*, fac hoc, & facit. Ex quibus sic infert: *Oremus, Fratres, vt mereamur Christiani, non tantùm nomine esse, sed fide; & vt quæ iubentur, non tantùm audiamus, sed faciamus audita: quia, sicut deuoti serui est fecisse iussa; ita iussa contumacis est non fecisse*. Igitur Christianus ex opere, & effectibus cognoscitur, cap. 17. §. 11.

5 *Audiens autem Iesus miratus est*. Origenes in Catena S. Thomæ: *Attende quantum sit, aut quale, quod Deus vnigenitus miratur, aurum, diuitiæ, Regna, Principatus in conspectu eius sunt vmbra, vel flos decidens. Nihil ergo horum* in con-

in conspectu Dei mirabile est, quasi magnum, & pretiosum, sed tantùm fides: hanc mirantur bonorificans, hanc acceptabilem sibi æstimat. Define ergo ea mirari, quibus insana hominum libido pretium fecit; & ea solùm, quibus Deo charus, & pretiosus es, virtutem, scilicet, & bona opera sectare; nam sola virtus à Deo æstimatur, cap. 11. vers. 10. n. 79.

Feria 6. Cinerum.

S. Matthæus, Cap. 5.

1 *Diliges proximum tuum*: Oportet diligere, quia qualis tu proximo, talis proximus tibi, cap. 16. nu. 90.

2 *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Pacem quærit inter homines Deus. Eccur? Vt sint filij eius. O' pulcherrima sors: vt simus filij eius: verè, ergo, dicitur quod pacis amatores Deum videant, cap. 13. nu. 73.

3 *Diligite inimicos*. Quantò magis felicem te esse cognoscis, tantò plùs inimicos diligere debes; nam miserrima est fortuna, quæ caret inimico, cap. 16. §. 45.

4 *Inimicos*. Animæ qui maiores sint inimici: vide cap. 14. num. 101.

Dominica I. Quadrag.

S. Matthæus, Cap. 4.

1 *Ductus est Iesus à spiritu in desertum*. Vt honestiores pugnæ nec Christo indignę essent. Ita S. Cyprianus ferm. de Ieiunio, & tentationibus Christi: *Honestiùs cum spiritu, quàm cum carne luctamur: quia carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum, qui sibi adhæserit, aliqua ex parte contaminat, nec libidinis morsus quisquam euasit illæsus. Flatus ille pestilens etiam longè positos inficit: & hoc certaminis genus fugam potiùs, quàm assultum requirit*. Quòd si in deserto ipso, ex durissimis lapidibus ansam ad tentandum Christum diabolus sumpsit; quid ex blandissimis sermonum, & deliciarum lenocinijs, is, qui aliter, ac Dominus, fragilem, & ad peccandum lubricam carnem habet, sibi pollicebitur? O'! fuge delicias, si vitia vincere cupis, cap. 14. §. 21.

2 *Et accedens tentator*. Itane, eum, quem quadraginta dies ieiunio, & orationi omninò deditum fuit intuitus, tentare ausus est? Ita planè: imò verò iusti profectibus plùs ille accenditur, vt validiùs oppugnet. Quò etiam opportunè retulit S. Hilarius canon. 3. in Matthæum. Signatè post baptismum Dominum fuisse tentatum: *Tentatione sua* (ait ille) *indicans in sanctificatis nobis maximè diaboli tentamenta grassari: quia victoria ei est magis exoptata de sanctis*. Sic sanè sapiens: *Fili* (inquit) *accedens ad seruitutem Dei, sta in timore, & prapara animam tuam ad tentationem*, ac si dicat: tunc enim acriores erunt hostis insultus, cùm propiùs ad Deum accesseris: ita quidem cùm Dominus puerum à dæmone vexatum ad se adduci iussisset (Marci cap. 9.) cùmque benignè fuisset intuitus: *Statim spiritus conturbauit eum, & elisus in terram volutabatur spumans*. Idnè diuini oculi efficiunt, vt aeriùs indè miser ille vexaretur? Audi Venerabilis Bedæ sententiam: *Allatum Domino puerum spiritus conturbat: quia sæpè dum conuerti ad Dominum post peccata conamur, maioribus antiqui hostis pulsamur insidijs*. Ergo beatus vir, in cuius anima timor Domini adest, quia ibi omnia dextera: vbi verò timor Dei deest ibi omnia sinistra pensanda, cap. 20. §. 36.

3 *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem*. Eusebius Emissenus: *Nititur eos, quos tentat, ad excelsa ducere, & in altum eleuare: vt, sicut ipse eleuatus cecidit, & alios exaltando ruere faciat. Altitudinem, atque potentiam sæpè animæ peremptorium, sæpè sæpiùs periculosam esse*. Imo & corpori. Hinc timeat vir in dignitatem elatus, ne cadat infelix, c. 16. §. 9.

Feria 2. Dom. I. Quadr.

S. Matthæus, Cap. 25.

1 *Sedebit super sedem maiestatis suæ*. Inquirunt Interpretes, quid portendat hæc sedes, super quam Christus sessurus dicitur. Et quidem Origenes homil. 34. & Auctor operis imperfecti homil. 54. in S. Matthæum, respondent, per hanc sedem sanctos esse intelligendos, in quibus Christus ideò sessurus dicitur, quia in illis perpetuò manebit: nec ipsi deinceps vlli subiacebunt mutationi. Consta ergo tibi, & assuesce vnus esse, & in Dei obsequio constanter durare eris que sedes Christi, non solùm in altera, sed etiam in hac vita; nam vbi iustus, ibi Deus, cap. 14. num. 97.

2 *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*. S. Bernardus serm. 8. in Psal. *Qui habitat*. Sic hæc pendit: *Priùs benedicti vocabuntur in regnum, quàm maledicti in commune deijciantur ignis æterni: quò, videlicet, acriùs doleant, videntes quid amiserint*. En atrociùs damnatorum tormentum, beatitudinis occasionem turpiter neglexisse. Pende nunc quàm atrocior erit pæna ipsa gehenna intolerabilior Prælatis secedentibus è vita absque meritis, videre, quos subditos habuerunt, gloria Dei frui? cap. 15. nu. 88.

3 *Possidete paratum vobis regnum*. S. Ioannes Chrysostomus in Catena S. Thomæ. *Nota autem*

Digitized by Google

autem, quòd non dicit, accipite, *sed possidete; siuè hæreditate, ficut familiaria bona, ficut paterna, ficut vestra, vobis antiquitùs debita*. Sed quo titulo nostra, aut quo iure antiquitùs nobis debita? Sanè, quòd creationis, & redemptionis beneficia à Deo accepérimus: nimirùm, primum nobis à Deo collatum beneficium, alterius pignus, & cautio est, quia strictò quodammodo iure illud ab ipso repetere possumus. En quomodo iustus Deum quasi debitorem habet, cap. 15. §. 2.

4 *Esuriui enim, & dedistis mihi manducare*. Reuoca in memoriam, quæ de regno suis diuidendo dixit Dominus, Lucæ cap. 22. vers. 29. *Ego dispono vobis regnum, &c. Vt edatis, & bibatis super mensam meam*. En quomodo Rex gloriæ pro cibo sibi exhibito cibum, pro potu potum non solùm reddat, sed immensam beatitudinis gloriam, & regnum suum cæleste donat. Possidete paratum vobis regnum. Pro *calice aquæ*, etsi *frigida*, mercedem non perdiendam promisit; nunc pro calice aquæ: *Sitiui, & dedistis mihi bibere* regnum donat: O' quàm verum est, quòd Deus in largiendo liberalior, quàm in promittendo, c. 15. §. 60. Multa ad præsens Euangelium apta habes in Dominica prima Aduentus.

Feria 3. Dominicæ 1.

S. Matthæus, Cap. 21.

1 *ET intrauit Iesus in templum Dei*: Venerabilis Beda: *Ingressus ciuitatem primò templum adijt, nos quoque informans, vt in omni loco religionis diuinæ, studium orationis omnibus terrenis negotijs præponamus*. Vndè diceres: Templum statim adire bonum, non curiosa videre, cùm ad aliquam Ciuitatem accedimus, cap. 12. vers. 8. num. 83.

2 *Et mensas nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas euertit*. Notanter dicitur, vendentes columbas in cathedris sedere; Sed vt intelligamus, quærendum qui sint hi vendentes columbas, sedentes in cathedris templi? Qui? Concionatores in templo sedentes, dum verbi Dei prædicationem lucri causa, non zeli motiuo faciunt. O' Euangelicæ puritatis dedecus! Audite, Audite vos verbi Dei præcones; in concionando animarum, non pecuniarum lucrum quærendum, cap. 14. num. 106.

3 *Eiecit omnes ementes, & vendentes ..... Domus orationis vocabitur*. Cur eiecit tumultuariam vendentium, & ementium plebem? Quia domus illa, in qua erant, domus orationis vocabatur: Vt doceret nos; quòd oratio fieri debet extrà tumultum, cap. 13. §. 9.

4 *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*. Tàm ijs Sacerdotibus lucris, & terrenis bonis inhiantibus, quàm ijs, qui peculiari ratione Dei obsequio mancipati, concupiscentijs sæcularibus impediuntur, iure aptaueris illa Ieremiæ verba, cap. 7. vers. 4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes Templum Domini, Templum Domini est, &c*. Sed cur mendacia hæc verba erant? Nonnè Hierosolymis templum Domini erat? Audi Galfridum inibi: *An ideò verba mendacij erant, quia fecerant illam speluncam latronum? Timeamus & nos, & cogitemus, quomodo nos conseruari oporteat in domo Dei*. Primùm enim anteponenda est humilitas in orationibus, cap. 18. num. 59. Secundò; oratio bonis est socianda operibus. ibidem: num. 89.

5 *Accesserunt ad illum cæci, & claudi*. Auctor Operis imperfecti: *Quasi testis vocis eorum sanauit cæcos, vt cæci videntes, cæcos aspicientes viderent, & ipsi, vt istorum illuminatio corporalis fieret illis spiritualis lucerna cordis*. Sed, quæ hæc spiritualis cæcitas erat? Respondet Euthymius: *Cæcus est omnis, qui, quod bonum est, ac honestum, non intuetur*. Quis hìc claudus? Euthymius indidem: *Claudus est quisquis non rectè ad virtutem incedit*. At, cur dixeris, cæcos sub hoc sensu esse Pharisæos, & Scribas, qui in lege doctissimi bonum, ac honestum nouerant, ac intuebantur? Sanè, quòd vt oculatissimi ad videndum essent, ea tamen, quæ videbant, minimè exequebantur; hinc habes quòd scientiam homines in malum vsum conuertunt, cap. 11. vers. 27. §. 47. Vel dic quòd vera sapientia in maleuolam non intrat animam, cap. 15. num. 93.

Feria 4. Dominicæ 1.

S. Matthæus, Cap. 12.

1 *VOlumus à te signum videre*. Videre volunt, non obsequi, & obedire, sed voluntatem propriam potiùs explere, aliter quidem, ac Seraphini apud Isaiam cap. 6. Dei throno assistentes, hi nimirùm, velatos ad videndum oculos, & multos pedes ad obediendum Deique iussa explenda habebant; sic & tu habere debes; nam verus obediens moras nescit, quia oculos ad videndum habet nullos cap. 14. §. 17. & num. 100.

2 *Regina austri &c*. Pende hìc boni exempli efficacitatem, cùm in actis Apostolorum cap. 8. vers. 27. legas Eunuchum Candacis Reginæ venire solitum adorare in Hierusalem, & ea occasione sibi, & populo suo salutem obtinuisse. Hinc disce, quòd magis exemplo, quàm verbo instruitur, cap. 18. §. 41.

3 *Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida*. Eusebius Emissenus: *Eos, videlicet, tentando, in quibus malitiæ, & voluptatis humorem non inuenit*. Glossa. ordinaria.

Explo-

Explorat corda fidelium à mollitie fluxa cogitationis purgata, si quos gressus ibi figere possit: quod quia nequit, ad humida redit. Quærit ergo rimam, quà intret, vt videris, quanti momenti sit, nec locum illi, nec occasionis ansam præbere; hinc vt perdant, & vincant nos dæmones varijs tentationibus nos tentant, cap. 12. v. 12. num. 90.

4 *Reuertar in domum meam* Glossa Interlinearis *meam, quæ per incuriam vacat*. Concinit, quod sequitur: *Et veniens inuenit eam vacantem*. Quod Rab: apud S. Thomam explicat: *Vacantem à bonis actibus per negligentiam*. Et Venerabilis Beda indidem super Cap. 11. Lucæ: *Inuenit eam à peccatorum labe castigatam, sed nulla boni operis industria cumulatam*. Quasi ab otio, & inertia titulum sibi dæmon sumat ad animam possidendam, hinc disce tempus non esse perdendum cap. 18. num. 81. imò non solùm animam perdere facit otium, sed etiam familias ipsas perdit, ibid. num. 79.

Feria 5. Dominicæ 1.

S. Matthæus, Cap. 15.

1 ET eccè mulier Chananæa &c. Pulchrè Origenes hom. 7. in diuersos: *Mira res, ò Euangelista*. Et eccè mulier. *Caput peccati, arma Diaboli, expulsio Paradisi, delicti mater, corruptio legis antiquæ*; Et eccè mulier *veniebat ad Dominum Iesum. Mulier Chananæa, mulier alienigena, de gentibus nouella plantatio. Mirum negotium! Iudæi fugiunt, Chananæa sequitur: Domestici derelinquunt, alienigena hæret: iungere, & proximare cupit*. O'miraculum! Mulier perseuerat in bono? dic: magna Dei est fortitudo, quæ facit fœminam in virtute perseuerare, cap. 16. §. 56.

2 *Miserere mei, Domine, Fili Dauid*. Vndè tibi mulieri Chananææ, & infideli innotuit, Christum, & filium Dauid, & diuina ad miserandum virtute præditum? Nam, vt benè Origenes homil. 7. in diuersos: *Mulier hæc Euangelista efficitur. Probauit enim diuini consilij sacramentum, quando & diuinam virtutem obsecratur, & carnis naturam confitetur dicens: Miserere mei, Domine, fili Dauid*. Respondet S. Hieronymus. *Iadè nauit vocare filium Dauid, quia egressa iam fuerat à finibus suis*. Ergo ex mundi contemptu cælestia, & cognoscuntur, & suspirantur, cap. 13. nu. 45.

3 *Filia mea malè à dæmonio vexatur*. Dixeris otiosè additum aduerbium, *malè*: quis enim benè vexatur? Sed enim gratis id dixeris: benè enim, & salubriter vexatur, quisquis pro æterna salute labores, & tribulationes patitur, spes enim æternorum leuamentum laborum est, cap. 15. num. 120.

4 *Sumere panem filiorum, & mittere canibus*. Vide, vt appellentur Iudæi oues, & filij, Gentiles verò canes: recta fide eosdem specie homines tanquam mansuetos à feris, siuè tanquam homines à belluis discriminante: nam Gentiles ob idololatriam canes dicebantur. Vndè quidem Iudæis Dei filium negantibus. Gentilibus verò suscipientibus, oues in canes, canes in oues conuersi sunt. Pulchrè S. Hieronymus; *O' mira rerum conuersio! Israel quondam filius, nos canes. Pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur*. Circumdederunt me canes multi. *Et*: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. *Nos audiuimus cum Syrophœnissa, & muliere, quæ sanguine fluxerat*. Magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis, & fides tua te saluam fecit, qua fide salua? fide viua qua Deum videntem, & viuentem credebat. O'quot piacula procedunt ex mortua hominum fide putantium Deum minimè viuentem, & videntem, cap. 16. §. 59.

5 *Miserere mei, &c*. Quid? Vexarisne tu? Cur ergo non dicis: Miserere filiæ meæ, sed, Miserere mei. Respondet Glossa: *Quia dolor filiæ, dolor est matris*. En optimi amici specimen, dum quæ pro filia rogat, pro se ipsa petere credit, Sacramentum enim vnanimitatis est amicitia, cap. 15. num. 122. Inibi habes etiam quatuor veræ amicitiæ affectus, & qui; vide, num. 123.

Feria 6. Dominicæ 1.

S. Ioannes, Cap. 5.

1 PRobatica Piscina. Obserua Xenodochium iuxtà templum situm non solùm vt Deû ad misericordiam prouocaret, sed vt tibi documento sit, opem, & misericordiam in pauperes, & ægrotos exhibitam, gratissimum Deo sacrificium esse, tuncque orationem tuam maximè acceptam fore, cùm è vestigio bona opera habueris, cap. 18. num. 89.

2 *Hunc cùm vidisset Iesus*. Cum vidisset? Et quando nam Deo aspiciente non venit omnis securitas? cap. 14. §. 19.

3 *Hominem non habeo*. Felix, qui hominem non habes cui fidas, vt discas sperare in Deo viuo, & vero, Eccè triginta, & octo annos hominem habere exoptasti; nec hominem nactus es: Quis enim tot in angustijs patientiam tribuit? Quis? O' spes æternæ vitæ à quantis molestijs liberos animum, c. 15. §. 47.

4 *Surge tolle grabatum tuum, & ambula*. Quis opus fuit, grabatum statim tollere, atque inde educere? Nonnè illicò surgere, & abire, & posteà redire ad tollendum grabatum satis erat? Minimè quidem: vt hinc pænitentibus documento fuerit, ne modò à peccatis, sed ab ijs etiam, quæ eorum memoriam

riam refricare possunt, aufugiant: vt dicere videatur Dominus: Extrahe statim grabatum ab eo loco, in quo iacuisti, ne posteà incautus ad illum rediens, ibi infeliciter pereas; Imò & scito, quòd faciliùs remittitur peccatum quàm illius relapsus, cap. 19. §. 42. Vndè ad illa sequentia verba: *Eccè sanus factus es, noli peccare*. S. Cyprianus lib. 1. ep. 5. inquit: *Parum est adipisci aliquid potuisse: plus est, quod adeptus es, posse seruare: Sicut, & fides ipsa, & natiuitas salutaris non accepta, sed custodita viuificat. Nec statim consecutio, sed consummatio hominem Deo seruat. Dominus hoc magisterio docuit dicens*: Eccè sanus factus es, iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.

Dominica 2. Quadrag.

S. Matthæus, Cap. 17.

1 ET *transfiguratus est ante eos*. Opportunè *ante eos*, quibus, nimirùm, crucem, & passionem suam imitandam paulò ante proposuerat, vt obiecto ipsorum oculis cælesti brauio, ad virtutis stadium alacriter percurrendum, nullis difficultatibus, aut laboribus deterrerentur: quippè, *Spirituales Domini propugnatores non terrenorum quæstuum cupidi* (loquitur S. Ioannes Damascenus orat. de Transfiguratione Domini) *Nec fluxorum bonorum desiderio flagrantes, cùm ea, quæ in spe posita sunt, ipsis etiam oculis contuentur, eosque, qui priùs labores pertulerant, bonorum in se positorum delicijs fruentes conspiciunt, maioribus animis ad certamina se comparant*. Nec minùs opportunè S. Thomas 3. parte quæst. 45. artic. 1. in corpore inquiens: *Dominus discipulos suos, prænunciata sua passione, induxerat ad suæ passionis sequelam: oportet autem ad hoc, quòd aliquis directè procedat in via, quòd finem aliqualiter præcognoscat: sicut sagittator non rectè iacit sagittam, nisi priùs signum prospexerit, in quod iaciendum est, &c. Et ideò conueniens fuit, vt discipulis suis gloriam suæ claritatis ostenderet*. Sic enim iustus obiecto cæli præmio feruentiùs Deum diligit, c. 13. n. 74.

2 *Transfiguratus est ante eos*. S. Ioan. Damascenus oratione supracit. *Ceterùm discipulis transfiguratur, qui semper eodem modo glorificatus est, ac diuinitatis fulgore collucet*. Et post pauca: *Transfiguratur itaque, non quod non erat assumens, nec in id, quod non erat migrans: verùm id, quod erat, discipulis suis declarans*; En veræ virtutis, animique constantis specimen, qui vnus semper est, nec alium hodie, alium cras dixeris, vt de Eugenio Pontifice sic dicebat Mellifluus Doctor in procem. ad lib. de consid. *Non enim si benè te noui, quia pater pauperum factus, ideò non pauper spiritu es: in te hanc mutationem factam esse confido, non de te, nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse*. Paucis in verbis; viam cæpisti virtutis? Perseuera, nam in cæpto bono perseuerandum, cap. 12. vers. 10. §. 38. Et sola perseuerantia bonitas iusti coronatur, cap. 18. num. 51.

Feria 2. Dom. 2. Quadrag.

S. Ioannes, Cap. 8.

1 EGo *vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini*. Mirum est, eos infeliciter perituros, qui Dominum aliquando quæsituri dicuntur. Quid fuerit in causa? Sanè, quia quærent, & non inuenient. At, cur Deus à quærentibus non inueniatur, qui etiam à non quærentibus inueniri solet? Facilis responsio ex Origene, quòd non quæratur in tempore, sed cùm quærendi opportunitas non est. *Verbum autem præsens, & quod apparet*: (inquit ille) *cùm minimè approbatur, se abiturum minatur*: Ego vado. *Ac si, cùm abierit, ipsum quæramus, illum non inueniemus: sed moriemur in peccato nostro. Scit autem, à quo discedat, & apud quem maneat, nondum inuentum, & quæsitum in tempore*. Ergo non te promittas duraturum vsquè ad proximam horam (cap. 18. num. 84.) Sed pœnitentiam nunc age; nam pænitentia tunc est fructuosa, quando est sine procrastinatione, cap. 20. num. 42.

2 *Quò ego vado, vos non potestis venire*. Quare non potestis? Respondet Origenes: *Non possunt*, ait, *quia non volunt: si enim voluissent, & non potuissent, non rationabiliter eis diceretur: In peccato vestro moriemini*. Sed obserua eadem verba dilectis discipulis etiam dicta Ioan. cap. 13. Et sicut dixi Iudæis: Quò ego vado, vos non potestis venire. Quod ergo bonorum ab impijs discrimen? Aut quomodo vna, eademque sententia, & iusti absoluuntur, & impij damnantur? Aperit Dominus post verba discipulis dicta subijciens: *Et vobis dico modò*, in quæ S. P. N. Augustinus tract. 38. in Ioan. *Non abstulit spem, sed prædixit dilationem: quando enim hoc discipulis Dominus loquebatur, tunc non poterant venire, quò ille ibat; sed posteà venturi erant: isti autem numquam, quibus præscius dixit: In peccato vestro moriemini*. Vbi vides, ideò iustis dictum, *Non potestis venire*. Quod reipsa tunc ire non possent; pijs verò, quòd ire nollent. Vt noueris, quò peccandi consuetudo deueniat, vt paria quodammodo sint, siuè eodem penè modò difficilia, velle bonum, ac exequi illud non posse; Hoc enim oritur ex consuetudine inueterata, quæ difficilè tollitur. cap. 14. §. 53.

Feria 3. *Dominicæ* 2.

S. Matthæus, Cap. 23.

1 *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite*. Ergonè impijs facerdotibus, & Scribis parendum est? Quidni? In obedientia, dignitas Imperantis, non conditio præcepti attendenda est, sic enim superiori obedire debet subditus sicut Deo, cap.12.verf.1.num.61.

2 *Omnia quæ dixerint vobis seruate, & facite*. Quid trepidas, si peruerso imperitanti morem geras? Quando Deus iubet, vel Superior sine discretione præcepti exequi debes, cap.12.verf.1.§.1.

3 *Alligant onera importabilia*. Dicerem cum S. Theodoreto in Epist. ad Romanos 3. quòd Deus, *Cum vult eos, qui peccant castigare, à malis magistratibus regi permittit*. Vnde ex talium Rectorum imprudentia oneribus importabilibus subditi puniuntur. Ergo ad nostram mentem. Prudentis Principis est humanè se gerere cùm præcipit difficilia, cap.17.§.56.

4 *Dilatant phy'acteria*. In Prælato superbia, monstrum est immanissimum. In eodem humilitas, propriæ figuræ, Imago est. Humilitatis enim ea est conditio, vt dùm magis descendit, tantò plus ascendat, cap. 18. §.47. *Quantò fastum comprimit, tantò gratiam attrabit, & modus amplificanda gratiæ est humilitatis vis*. Scripsit olim S. Basilius orat.2.

5 *Amant primos accubitus in cœnis*. Eccur in cœnis, & non in nobiliori loco nempè in foro, in senatu? Quia superbus nihil est quod non tentet licèt vile, vt ascendat, cap. 11. verf.3. §.5. Hinc Mellifluus Doctor serm. 6. in Psalmum: *Qui habitat &c*. Ambitionem describens sic dicit: *Ambitio Mater hypocrisis, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, virtutum erugo, tinea sanctitatis, vitiorumque origo*.

6 *Qui se exaltat humiliabitur*. En superborum præmium! *Nihil enim periculosius, id quod rerum experientia satis didicimus*, inquit Aureus Doctor homil. 46. in Genesim, hinc habes quòd superbus se ipsum cruciat, & vituperat, dum magna molitur, cap.11.verf.3.§.5.

7 *Qui se humiliauerit exaltabitur*. En caræ humilitatis præmium; exaltatio; nam quod superbia demeretur, meretur humilitas, cap. 11.verf.7.§.58.

Feria 4. *Dominicæ* 2.

S. Matthæus, Cap 20.

1 *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus à dextris, & alter à sinistris..... non est meum dare vobis*. Et cur Dominus dicit eius non esse filijs Zebedæi regni cælorum sedes donare? Ex Mellifui Doctoris sententia in epist. ad Genuenses collige: *Nunc quid restat charissimi, nisi vt admoneamini de perseuerantia, quæ sola meretur viris gloriam, coronam virtutibus*. Hæc causa cur Dominus sic fatus est? Erant sui imitatores Zebedæi filij, ad Patriæ sedes tendebant, sed ni perseuerantiæ gressibus pergerent, sedes beatas, annuit Christus, non obtinerent. Ergo in cæpto bono perseuerandum, cap.12.verf.10.§.38. nam bonitas iusti sola perseuerantia coronatur, cap.13.nu. 51.

Sacrum Theat. Bibl. Tom. 11.

2 *Potestis bibere calicem? Possumus*. O' dignissima responsio! *Possumus*. Ideft volumus. Nam ly *posse* ex libertate arbitrij proueniens voluntariè ad gloriam, quam anhelabant cooperabant, ergo audi: Non debemus solum Deum operantem relinquere; sed nos cum ipso operemur, cap. 12. verf. 13. §. 45. Vndè benè scripserat Aureus Doctor. homil. 8. S. Matthæum dicens: *Rogo, atque obsecro ne velitis cuncta ita Deo tribuere, vt oscitandum, dormitandumque vobis putetis, ne rursùs si vigilatis, laboribus vestris rem aliquam fieri arbitramini*.

3 *Potestis bibere calicem*. Mater exorat: & ad filios conuertitur diuinus sermo; *Potestis bibere calicem*. Quid docet veritas? Non alienis meritis fidendum; sed proprijs operibus studendum, vt Deo acceptus sias, & gloriam assequaris. Nam qui operibus virtuosis occupatur, nil mali experiri potest, cap.18. §. 31. *Gratia* enim, (non longè ad rem nostram dicebat S. Faustus Tom. 2. Biblioth. Patrum.) *De gratia nascitur, & profectus profectibus feruiunt: lucra lucris, & merita meritis locum faciunt*.

4 *Potestis bibere calicem? Possumus*. En quomodo spontanea voluntas ardui operis difficultates exarmat, cap. 16. §. 33.

5 *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Possumus*. Diceret aliquis incautè loquens: Audax nimis ista responsio. Sile; nam nescis; Quod in iustis vitium apparet, sæpè virtuti est eruditio, cap. 14. §. 52.

6 *Potestis bibere calicem*. Eccur calicis amarum potum proponit Christus istis filijs Zebedæi, quos diligebat? (O' audirent tribulati!) Quia nil tribulato Deo acceptius, cap. 15. §. 42.

Feria 5. *Dominicæ* 2.

S. Lucas, Cap. 16.

1 *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, &c. Erat quidam mendicus*. Cur Lazarus in oculis diuitis Epulonis constitutus? Diceret Rauennas Eloquentia

ferm. de diuite, & Lazaro, *Vt diues fameret de vulnere pauperis medicinam*. Sed addubitarem, & cur Euangelium non ponit, quòd diues homo iste pauperem Lazarum ante se videbat? Cur si cupere noscis; pondera quod scripsit Euangelista. Audi; *Homo quidam erat Diues*. Eccè cur. *Ly diues*; quia diuitiæ oculos cæcant, cap. 19. §. 21.

2 *Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè*: Nota in Epulone quot scelera. Auaritia, qua nihil erogabat in pauperem. Libido, & Vanitas, quibus induebatur pomposè. Gula, qua splendidè epulabatur. Heù quot crimina! Sed quid mirum? *Erat diues*, hoc sufficit: Copia enim diuitiarum, origo est vitiorum, cap. 13. §. 39. Hinc cecinit Poeta

Diuitias fugito, pondus graue, celsa petenti,
Impediunt animum, nec benè velle sinunt.

3 *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*. S. P.N. Augustinus ferm. 15. de Verbis Domini dicit: *Sepultus est in inferno, quia hic pecuniarum pondere pressus*, velociùs descenderat, quàm, vt venisse diceretur. En quomodò diuitiæ auarè reseruatæ auarum perdunt, cap. 11. v. 4. §. 41.

4 *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis*. Cur non *ab Angelo*? Cur vnus non sufficit vni portando Lazaro? Vt cognosceretur, putarem, quanta sit affectuosa Angelorum custodia erga homines, cap. 16. §. 24. de qua Angelorum custodia S. P.N. Augustinus lib. Soliloq. cap. 26. scripsit: *Magna cura, & vigilanti studio adsunt nobis omnibus horis, & locis, sunt currentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos, & te Domine, gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, vt impetrent facilè tuæ benignitatis propitiationem, & referunt ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem*. Et ad præsens Lazari mendici demortui ab Angelis in sinum Abrahæ delati dixit S. Ioan. Chrysostomus homil. in hunc Euang. de diuite, &c. *Gaudet enim vnusquisque Angelorum tantum onus tangere, & libenter talibus oneribus non grauantur, vt adducant homines ad Regna cælorum*. Hinc deduc, vt adducant homines ad cælum, & ipsi virtuosè & sanctè viuant, quòd Angeli assiduè sunt propè nos ad auxiliandum, cap. 18. §. 5.

Feria 6. Dominicæ 2.

S. Matthæus, Cap. 21.

1 PLantauit vineam, & sepem circumdedit ei. Quæ vinea nisi Anima hominis? Quæ sepes, nisi custodia Angelorum? Vnicuique nostrum Angelus de cælo ad custodiam deputatur. *Magna dignitas animarum* (inquit S. Hieronymus lib. 3. coment. in cap. 18. S. Matthæi) *vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodia sui Angelum deputatum*, qui Angelus custos nunquam ab alumno suo recedit, cap. 16. num. 33.

2 *Plantauit vineam*. Inquit D. Antonius à Padua hic: *Vinea ista homo, vel hominis anima est*. Et vinea hominis anima bellè dicitur: quia sicut vinea semper fructum profert, sic anima fructificare debet; vnde Anima secundùm Deum non viuens mortua dicitur cap. 12. vers. 5. §. 27.

3 *Hic est hæres*. Christi hæreditas cum mortificatione pignus crucis, cap. 17. §. 38.

4 *Hic est hæres, venite occidamus eum*. Eccur tale capiunt consilium? Vt hæreditatem filij Patrisfamilias acciperent. O quàm verum! quòd Auaritia radix omnium malorum est, cap. 11. vers. 4. §. 42.

5 *Malos malè perdet*. Qui benignè locauit vineam istam, & expectauit fructus ab illa vberrimos, malè perdet in futuro iudicio, quia Dei misericordia pugnabit contrà impios. Homini enim satis impio excidium prouenit non tàm ab ira Dei, quàm ab eius misericordia, cap. 18. §. 57.

6 *Malos malè perdet*. Cur de futuro pœna indicitur impijs, & non de præsenti *perdit*? Quia longa Dei patientia grande quidem supplicium peccatoribus parat, cap. 14. §. 12.

Dominica 3. Quadrag.

S. Lucas, Cap. 11.

1 ERat Iesus ejciens Dæmonium, & illud erat mutum. Quinam hic Dæmon mutus, nisi qui ruborem infundit peccatori, ne peccata in confessione pandat; à quibus tamen aperiendis, nullus retrahere debet pudor. *Heù* (inquit S. P. N. Augustinus lib. 2. de visit. inf. cap. 5) *Cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti?* Et Aureus Doctor ferm. de Confess. peccat. *Quid horres fateri, quod libenter, ac properè commisisti? Cur confunderis dicere, quod non confusus es perpetrare? Cur vereris Domino indicare, quod non veritus es ipso præsente committere?* Et Mellifluus in sent. *Cur te pudet peccatum tuum dicere, quod non puduit facere? Aut cur erubescis Deo confiteri, cuius oculis non potes abscondi? Quòd si fortè pudor est tibi, vni homini, & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die iudicij, vbi omnibus exposita tua conscientia patebit?* Hinc sequitur S. P. N. Augustinus vbi suprà: *Meliùs est coràm vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui repulsa deputatum tabescere*. Vndè (quamuis Deus peccata omnia sciat) confessio peccatorum est facienda, cap. 16. num. 83. quæ

83. quæ confeſſio nuda peccatorum de ſola vena veræ penitentiæ oritur, ibidem §. 58.

2 *In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*. S.P.N. Auguſtinus ſuper illud Pſalmi 108. *Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi*. Dicit: *Nec parùm aliquid putari debet, quia non ait pro eo, vt diligerent me, interficiebant me, ſed detrahebant mihi: ideò quippè inter ſe gerunt, quia detraxerunt, negantes Dei filium, & dicentes; quòd in Principe Dæmoniorum eijceret Dæmonia*. O' peſſimum murmurantium genus! Sic igitur nec Chriſti maieſtas ipſum confundit? Confundit & maieſtate, & verbis, *Si autem* (dicens) *ego in Beelzebub eijcio Dæmonia: filij veſtri in quo eijciunt?* Sed audi: Murmuratores omnibus noti, omnibus malè olentes confundit Deus non ſolùm quæ dicunt, ſed quæ faciunt, cap. 11. verſ. 2. §. 3. & verſ. 3. §. 7.

3 *In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia*. O' cæca inuidorum mens, & malignantium hominum nimis temerè patratum iudicium! Quando Chriſtus *in Dei digito* eijcit Dæmonia, in Principis Dæmoniorum virtute eijcere dicunt. Sic modò inquit S.P.N. Auguſtinus ſerm. 120. de Tempore; *Maxima pars generis humani indiſcreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata eſſe probatur*. Homines enim facilè putant proximum ſuo crimine infectum; ſicut Iuſtus alterum ſua virtute ornatum, cap. 12. verſ. 15. §. 60. Sed crede Iudicij temerarij tantus eſt horror, vt etiam ab eo perditiſſimi abſtineant, ibidem.

Feria 2. Dominicæ 3.

S. Lucas, Cap. 4.

1 *QVanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua*. Inuidia quærebat miracula non deuotio; ſed quia Chriſtus non fecit, iraſcebantur; ſic enim impius cruciatur ſemper inuidendo proximi fortunæ, cap. 19. num. 70. At verò *Tale malum eſt inuidia vt nulla vnquam malignitas peior inueniri queat*, Dicit S. Ioannes Chryſ. hom. 4. in S. Matthæum.

2 *Duxerunt illum vſquè ad ſupercilium montis, vt præcipitarent eum*. O' dic cum Ven. Beda in hunc locum, *Inuidi peiores vos Diabolo*! Sathan Matth. cap. 14. Ieiuno Saluatori dixit ſolùm: *Si filius Dei es, mitte te deorſum*; Ipſi verò duxerunt vſquè ad montem vt eum proprijs manibus præcipitarent. Hinc S. Ambroſius in cap. 4. S. Lucæ dicit: *Eſt peior magiſtro diſcipulorum hæreditas. Ille verbo Dominum tentat, iſti facto. Hic dicit, mitte te deorſum, illi adoriuntur, vt mittant*. Sed nota quod dicit Textus. *Duxerunt eum*: Eccur generaliter loquitur? forſan ne in hac Domini Patria nulli boni erant viri? Audi. Inuidia etiam facilè accenditur in bonis, cap. 13. §. 47.

3 *Nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus*. Cur mundandus Naaman ad Iordanem mittitur ab Eliſæo? Arbitror, quia inducta peccati lepra, non prece, non alienis meritis, ſed vnda dumtaxat lacrymarum mundanda; hinc benè lacrymæ ſpongiæ comparantur, cap. 15. §. 56. *Peccata tua* (ait S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 2. in Pſal. 50.) *In libro ſcripta ſunt; ſpongia autem inſtar ſunt lacrymæ tuæ: lacrymas mitte, & obliterantur, lacrymas funde, & purus ille liber inuenitur. Magna lacrymarum vis eſt*.

Feria 3. Dominicæ 3.

S. Matthæus, Cap. 18.

1 *VAde, & corripe eum*. Hoc quod Chriſtus Dominus Euangelij ſequacibus iuſſit, etiam Gentilis Plato lib. 1. de leg. ſcripſerat: *Si quis ob aliquod delictum (ne abeat impunis) in carcerem inductus fuerit, ad illum vadant optimi quoque ciues, & inculpatæ vitæ, qui ante oculos ponant ſceleris enormitatem*. Sed relicto hoc gentilis dictamine Philoſophi; ad Redemptoris præceptum te volue; quo iubet, vt lucreris fratrem tuum, ipſum corripere de peccato, quia non qui tacet, ſed qui monet emendare deſiderat, cap. 16. §. 26.

2 *Vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum*. Cur inter te & ipſum ſolum? Quia correctio ſimilis ſemper eſt blanda; & D. Ambroſius lib. 3. offic. dicit *Plus proficit blanda, quàm dura correctio*: Hinc iſta ex amore procedat, cap. 19. §. 20.

3 *Lucratus eris fratrem tuum*. S. Gregorius Magnus homil. 26. in Moral. *Si magnæ mercedis eſt à morte eripere carnem quamquam morituram, quanti eſt meriti à morte animam liberare in cæleſti patria ſinè fine victuram?* Quo admonentur Concionatores animarum, non pecuniarum lucrum quærere, cap. 14. num. 106.

4 *Vbi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo*. Nota ly *in nomine meo* ideſt in vnitate ſermonis. O' ! dic: Magnum Dei donum vnitas ſermonis in communitate, c. 11. v. 1. §. 1.

5 *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram: de omni re, quamcumque petierint, fiet illis*. Nobile orationis Elogium: *Fiet de omni re, &c*. Sed obſeruandum quod anteponitur, *Si duo ex vobis*: Hinc habetur, quod oratio fieri debet extrà tumultum, cap. 13. §. 9. Quæ tamen oratio humilis eſſe debet, cap. 18. num. 59. & cap. 19. num. 80. Nam dixit Sapiens Eccleſ. cap. 35. *Oratio humiliantis ſe penetrat cælos, & deprecatio illius vſquè ad nubes appropinquabit, & non deſcendet donec Altiſſimus reſpiciat*. Super quæ verba ſcripſit Mellifluus Doctor

ſerm.

Digitized by Google

serm. 82. in Cantic. *Quando fidelis, & humilis oratio fuerit, cælum sinè dubio penetrabit, vndè certum est, quòd vacua redire non possit.*

Feria 4. Dominicæ 3.

S. Matthæus, Cap 8.

1 *HOnora Patrem, & matrem*. Habes in cap. 12. vers. 4. num. 19. Quomodò filij teneantur obedire parentibus.

2 *De corde exeunt cogitationes malæ*. Vndè habes quòd parùm est habere Deum in Domo, si non sit in corde, cap. 18. §. 2.

3 *De corde exeunt cogitationes malæ, &c.* A dæmone malæ immissæ cogitationes abigendæ, quæ frequentiores sunt, quantò attentiores Deo sumus, cap. 15. §. 37. & nu. 89. vbi etiam habes cogitationum sex species, & quæ. Vndè si *de corde exeunt cogitationes malæ*, vt cor sit Dei, omnis nostra cogitatio sit in Deo, & nihil in mundo, cap. 15 §. 58.

Feria 5. Dominicæ 3.

S. Lucas, Cap. 4.

1 *SOcrus Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea*. Quinam fuerint isti qui rogauerunt Dominum à Diuo Luca non explicantur. Putarem fuisse Apostolos, qui Magistrum comitabantur. Ipsi erga iacentem Simonis Socrum compassione commoti pro eius salute Dominum rogantes impetrauerunt quod optarant. O' vide quantum valeat iustus apud Deum! cap. 18. num. 97. Sed dic quæso: Iusto quid non concedit Deus, etsi ille non petat? cap. 18. §. 48.

2 *Alijs ciuitatibus oportet euangelizare regnum Dei*: Disce à summo Concionatore Christo Iesu, ò Prædicator quam adgnatum sit cum tuo munere saluti proximorum incumbere. Hinc concionatores vtilia semper inculcent documenta, quia numquam satis dicitur, quod non satis impletur, cap. 17. nu. 82.

3 *Alijs ciuitatibus oportet euangelizare regnum Dei*. Ex hoc collige, quod Prædicatoribus nulla fixa est Patria cap. 12. vers. 1. §. 9. Nam Concionatores ibi debent ire, quò maior Dei gloria eos vocat, ibidem.

4 *Egressus ibat in desertum locum*. In desertum pergit Christus, docens, quòd Deus suis loquitur cùm ab hominibus separantur, cap. 13. §. 41. nam solitudo apta est ad profectum gratiarum cap. 16. nu. 81. & si vis scire quàm sit vtilis solitudo: vide cap. 16. §. 25.

Feria 6. Dominicæ 3.

S. Ioannes, Cap. 4.

1 *IEsus fatigatus ex itinere sedebat sic suprà fontem*. De labore Christi fit mentio ab Euangelista, qui labor ad Samaritidis salutem directus, docet nos, magnum stipendium esse pro Deo, idest pro animarum salute, laborare, cap. 14. §. 56.

2 *Sedebat supra fontem*. Qui fons, nisi lacrymarum, quem dari sibi Vates, ad plorandum die, ac nocte vehementer optabat? Ad hunc, peccantem fæminam præstolatur bonus Iesus, nam lacrymæ extinguunt peccatorum rogum, cap. 15. §. 56. O' *quanta vis lacrymarum*? diceret Rauennas Eloquentia serm. 39. *Rigant cælum, terram diluunt, extinguunt gehennam, delent in omne facinus latam diuina promulgatione sententiam*; hinc habes quòd lacryma est peccati purgatorium, cap. 15. §. 56.

3 *Sedebat supra fontem*. Qui fons, nisi gratiæ, quo omnia huius mundi despectui habentur? cap. 14. §. 55.

4 *Sedebat supra fontem*. Qui fons, nisi Baptismus? est enim fons de ventre profluens, & emundans, hinc baptizatis vestis candida datur in signum custodiendæ innocentiæ, cap. 17. §. 2.

5 *Sedebat supra fontem*. Qui fons, nisi tribulatio, qua sublimatur perfectio? cap. 17. §. 37.

6 *Hora erat quasi sexta*. Nota ly *quasi*: determinata enim hora ab Euangelista non describitur; sed solùm dicit *quasi sexta*, vt doceat, quòd homines vix vna hora viuâ potiuntur, cap. 18. §. 26.

Dominica 4. Quadrages.

S. Ioannes, Cap. 6.

1 *ET sequebatur eum multitudo, quia videbant signa, quæ faciebat*. Quærendum hic non est, cur tàm numerosus hæbræorum populus Saluatorem mundi sequebatur; nam est per se clarum, dum legitur, quia videbant signa, ergo non quia conuertebantur: O' quàm mirabili patientia exleges expectat Dominus! sed longa Dei patientia (nesciunt insani) grande quidem supplicium peccatoribus parat, cap. 14. §. 12.

2 *Accepit Iesus panes*. Eccur à se facit quod per alios facere potuerat, nempè per discipulos; vt diceret, quòd Charitatis officia per nos ministrentur, non per alios, cap. 18. §. 8.

3 *Ecce iam triduo sustinent me*. O' prodigium! obliti homines illi cibo vtpotè ad viuendum necessariò, absquè fame alterius panis, quàm verbi

verbi Dei ſequebantur Dominum. O'dic. Verbi Dei ſames animæ bonæ ſignum, cap. 11.verſ.8.§.37.

4 *Cùm gratias egiſſet*. Adhibe Deo gratiarum actionem, etiam in oculorum Ieſu eleuatione adumbratam. In quibus adhibenda ſit, vide fuſiſſimè V. *Gratiarum actio*.

5 *Vndè ememus panes, vt manducent hi?* Homines iſti verbo Dei pleni neceſſario victu obliti, panem non quærebant; ſed Chriſtus Dominus prouidentia ſpeciali de panibus, & piſcibus ſuperabundanter omnibus prouidit. Sic enim cognoſcitur ſpecialis Dei prouidentia erga iuſtos, cap. 18. num. 109. & cap.13. §. 5. de qua Dei prouidentia Moraliſſimus Seneca lib.4.de Beneſ.cap.5. 6. & 7. ſcripſit: *Neque enim neceſſitatibus, tantummodò noſtris prouiſum eſt, vſquè in delicias amamur. Tot arbuſta non vno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum per totum annum digeſta, vt inertes quoque fortuitu terra alimenta præberent*. Sed meliùs ipſo S. Cyprianus lib. de operibus, & eleemoſyna, dicens: *Quando factum eſt, vt iuſtu poſſent deeſſe ſubſidia vitæ, cùm ſcriptum ſit: Non occidet Dominus fame animam iuſti? Elias in ſolitudine coruis miniſtrantibus paſcitur; & Daniel in lacu ad leonum prædam, iuſſu Regis incluſo, prandium diuinitùs apparatur, & tu metuis ne operanti tibi, & Dominum promerenti, deſit alimentum? Vndè hæc incredula cogitatio?*

Feria 2. Dominicæ 4.

S. Ioannes, Cap. 2.

1 *CVm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo*. S. Vincentius Ferrerius ſerm. 3. Domin. 4. Quadrag. dicit: *Non legitis quòd Chriſtus vnquam proprijs manibus peccatu correxerit; niſi hic, quia* fecit flagellum de funiculis. *Hinc apparet quantum diſplicet is, qui tangit Eccleſiam ſponſam ſuam*. Vndè Templum Domini non obſcenitate platearum polluendum eſt, ſed omni reuerentia venerandum. Hinc in cap. 12. verſ.8. num. 34. Habes quòd domus Dei ſocianda eſt cum Sacrificio laudis.

2 *Zelus domus tuæ comedit me*. Diſce Prælate, quomodò Zelo flagrare, & amore ardere debeas; & crede, quòd qui pro animarum Zelo incommoda ſuſtinent, & labores, Numen æternum in omnibus propitium habent, cap. 15. §. 3.

Feria 3. Dominicæ 4.

S. Ioannes, Cap. 7.

1 *ASeendit Ieſus in templum, & docebat, &c.* Prælatorum in Eccleſia typum, docens Ieſus in templo, gerit. Fulgeat enim, neceſſe eſt, Prælatus, doctrina, & ſapientia, nam ipſe eſt ſpeculum, in quo, quod vident ſubditi, agunt, cap.17. num. 106. Sed ſi prudentes, & docti, humiles, & manſueti vt ipſe Chriſtus, Dominus, & Magiſter. Vndè Mellifluus Doctor ſerm. 23. in Cant. ſcripſit: *Audiant Prælati, qui ſibi commiſſis gregibus ſemper volunt eſſe formidini, vtilitati rarò: diſcite ſubditorum vos matres eſſe debere non Dominos: Studete magis amari, quàm metui, & ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica*.

2 *Qui loquitur à ſe ipſo, gloriam propriam quærit*. Heù quàm inanis acquiſitio! Heù gloriæ vanæ acquirendæ quanta cupiditas! cap. 11. verſ. 4. num. 65. Et ſcito quòd gloriæ vanæ deſiderio ſequitur inſamia, ibid. Vbi etiam habes, quomodo ſit gloria acquirenda. De cætero Audi: Abſit gloriari niſi in Chriſto, cap. 17. §. 19.

3 *Nolite iudicare ſecundùm faciem ſed iuſtum iudicium iudicate*. Quàm fallax, qui proximi tui cauſam attentè non examinas! Nam non eſt facilè iudicandum de proximo, cap. 11. verſ. 5. §. 45. Vndè Diui Bernardi præceptum obſerua, quod publicauit in ſerm. 10. in Cantic. Sic. *Caue alienæ conuerſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius iudex. Excuſa intentionem, ſi opus non potes, puta ignorantiam, puta ſubreptionem, puta caſum. Quòd ſi omnem omninò diſſimulationem rei certitudo recuſat, ſuade nihilominus ipſe tibi, & dicito apud temetipſum. Vehemens fuit nimis tentatio*.

4 *Nolite iudicare*. Chriſtus Dominus tibi præcipit. A Deo ergo qui omnia videt diſcendum non iudicare fratres ſuos, cap. 11. verſ. 5. num. 67.

Feria 4. Dominicæ 4.

S. Ioannes, Cap. 9.

1 *VIdit hominem cæcum à natiuitate, &c. Quis peccauit hic, aut parentes eius?* Quaſi Deus infirmitates immittat, vel in pœnam peccati, vel ad peccantium correctionem. Quid ni? Aſtruo, cap.12.verſ.17.& 18. §. 53.

2 *Me oportet operari, donec dies eſt*. Operatur Deus donec dies? Tempore ad pænitendum celitùs dato abutetur peccator? Timeat, ne illud contrahat de cælo Deus, & pereat impænitens. Vnde non te promittas duraturum vſquè ad proximam horam, cap. 18. num. 84. *Emenda igitur* (audi quod ſcribit S. P. N. Auguſtinus ſerm. 120. de tempore.) *Frater vitam tuam, dum tempus datur, implora nunc auxilium diuinum, cùm locus datur; fleto nunc, dum lacrymis non intercluditur via: Noli pænitentiam differre, dum hoc in tempore viuis, in quo tantùm eius fructus eſt vtilis*.

Feria

Feria 5. Dominicæ 4

S. Lucas, Cap. 7.

1 Eccè defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Nota ly Eccè: Demonstratiua particula est: quasi dicat Euangelista: Eccè defunctus: mortuum aspice non tàm oculis corporis, quàm mente; nam mortis memoria inordinati affectus cohibentur, cap. 12. vers. 16. §. 49.

2 Eccè defunctus. S. Basilius Serm. de mort. Mortalem te esse recordare, circumspice illos, qui ante te similibus splendoribus efflorebant; vbi nam sunt illi, qui ciuilibus dignitatibus ornati erant, vbi inuicti rhetores, atque oratores, vbi duces? Vbi Tyranni? nonnè omnia puluis, nonnè fabula; nonnè in paucis ossibus memoria vitæ conseruatur? contemplare sepulchra, vide num possis discernere, quisnam seruus, quis Dominus, quis pauper, quis locuples fuerit? Ergo ò quàm verum quòd morte cogitata omnia properantur, cap. 18. §. 33. Immò mortis crebra meditatio homines sanctos facit, cap. 15. num. 115.

3 Accepit omnes timor, & magnificabant Deum. Eccur timendo, Deum magnificabant? Quia timor Dei piam venerationem inuoluit, cap. 20. §. 35.

4 Accepit omnes timor, & magnificabant Deum. Huiusce erga Dominum venerationis timor erat causa; ergo dic quòd vbi timor Dei deest, ibi omnia sinistra pensanda, c. 20. §. 35.

5 Misericordia motus, dixit illi noli flere. Peccator humiliatus à Deo consolatur, qui afficitur ad pietatem ex humilitatis imagine, cap. 19. num. 79. Hinc S. P. N. Augustinus serm. de vtilit. pœnit. dixit: De venia nemo desperet, quoniam Iudam proditorem non tàm scelus, quod commisit, quàm desperatio veniæ interire fecit. Et in lib. de Spiritu, & Anima: Nemo de Dei pietate diffidat; quoniam maior est eius misericordia, quam nostra miseria, & quisquis ad eum toto corde clamauerit, exaudiet illum; quoniam misericors est. Tardiùs siquidem ei videtur misericordiam dare, quàm ipsi peccatori accipere.

Feria 6. Dominicæ 4.

S. Ioannes, Cap. 11.

1 Lazarus mortuus est, & gaudeo. Cur lætatur Iesus in Lazari morte; fleuit in resurrectione? Plura occurrerent dicenda; sed dicam: Gaudet Christus dum mortis tristitias audit, ad erudiendum, quòd vbi maior molestia, & tristitia, ibi maius debet esse gaudium, cap. 15. §. 41.

2 Lacrymatus est Iesus. Lazarum quatriduo fætentem, idest, peccatorem (in figura) mortuum in peccato. Mors enim malorum non iustorum, fletu celebranda: Econtrà iustorum obitus non est vocandus nomine mortis, cap. 11. vers. 10. §. 59.

3 Iesus venit ad monumentum. Eccur ad mortuum excitandum è sepulchro exprimitur Iesum ad monumentum venisse? Audi. Quia vnus Iesus omnes mortis horrores aufert, cap. 15. §. 48.

4 Lazare veni foras? Hìc peccator adumbratur, qui in mundi monumemto viuens ad Religionis vitam vocatur: vndè sicut Lazarus monumentum reliquit, vt obediret, sic vocatus à Deo ad Religionem, debet omnia relinquere, cap. 12. vers. 4. num. 69. Imò à Deo vocati spem æternæ retributionis habent, dum obediunt, cap. 17. §. 13.

Dominica in Passione.

S. Ioannes, Cap. 8.

1 Nonnè benedicimus, quia Dæmonium habes? Ego Dæmonium non habeo. Audacem Hebræorum intrepationem vt corrigat Dominus modesta ac humili correptione dicit Ego Dæmonium non habeo. O' disce & tu correptor, quòd correptio humilis (cap. 19. num. 66.) Et ex amore procedere debet ibid. §. 10. Hoc quod dixit Platina refert in vita Pij II. Hunc Pontificem actu fecisse, de quo scribit ita: Quos vel inscitia, vel ignauia deliquisse deprabendisset, paterna potiùs charitate admonere, quàm seuera obiurgatione corripere solebat.

2 Si quis sermonem meum seruabit mortem non gustabit in æternum: Immortalem vitam promittit Deus vt homines legis præcepta ad non obseruanda nullam haberent causam: dum obseruationis talia præmia spopondit; sed crede ex nullo motiuo reuocari debemus à Dei præceptis, cap. 12. vers. 20. num. 101.

3 Tulerunt lapides vt iacerent in eum. Tantum audet peccatorum obdurata Ceruix? Tulerunt lapides, vt iacerent in ipsum filium Dei? Heu lacrimabile euentum! Sed ò deplorabilis miseria; quòd non parua crimina, sed magna semper anhelent iniqui, c. 19. §. 11.

4 Iesus autem abscondit se. Misera anima quando Deus absconditur. Vndè discendum: supremum malum inter calamitates esse peccatoribus, quòd videantur à Deo derelicti, cap. 18. §. 59.

5 Iesus autem abscondit se. Blandus Dei oculus si misericors, seuerus si ad vindictam. Infelix ergo à quo benignus, hic oculus auertitur. Felix à quo non auertitur: nam Deo aspiciente securitas omnis, cap. 14. §. 19.

Feria

Digitized by Google

Feria 2. Dominicæ Pass.

S. Ioannes, Cap. 7.

1 *QVæretis me & non inuenietis?* & cur *quæretis me* Peccatoribus dicitur? Quærere quod non inuenitur molestiam affert. Quid ni? forsan breuis peccatorum vita? Vtique: Peccator enim nequit sinè molestijs diu vitam agere, cap. 14. §. 3.

2 *Miserunt Principes, & Pharisæi ministros.* Pessimi erant hi principes, & ministri (dic) eis similes. O' quàm verum, quòd ex ministris, quis sit Præsul cognoscitur, cap. 17. §. 7.

3 *Miserunt Principes &c. vt apprehenderent Iesum.* Dominum nempè innocentem; eccur? Quia ab hominum iniquo iudicio sola in mundo damnatur innocentia; Deus autem econtrà; nam à Dei iudicantis rigore sola innocentia protegitur, cap. 20. num. 39.

4 *Adhuc modicum tempus.* Quare modicum? Quia homines vix vna hora viua potiuntur, cap. 18. §. 26.

5 *Adhuc modicum tempus.* De tempore fit mentio, non de annis: eccur dicit *Adhuc modicum tempus*, Et non adhuc & modici anni? Quia vitæ tempus non ætate, sed bonis moribus computatur, cap. 12. vers. 4. §. 25.

6 *Flumina de ventre eius fluent.* Qui fluuius iste est, cedit S. P. N. August. nisi *Beneuolentia, quæ vult consulere proximo? Si enim putat, quia, quod bibit soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viua de ventre, quia fides sinè operibus, mortua est:* Vnde habes quòd non sufficit sola fides ad iustificationem, cap. 15. num. 35. & 36.

Feria 3. Dominicæ Pass.

S. Ioannes, Cap. 7.

1 *AMbulabat Iesus in Galilæam; non enim volebat in Ierusalem ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere.* Iudæi hic figuram peccati habent. Vndè hoc textu indicatur, quòd vbi, & Populi fræquentia, & deliciæ quamplurimæ, ibi æternæ perditionis est occasio, cap. 19. §. 22. hinc *nolebat Iesus in Ierusalem ambulare*; quia vitiorum occasio fugienda, cap. 11. vers. 31. §. 49. quo pacto scripsit S. P. N. Augustinus Serm. 250. de tempore: *In occasione peccandi apprehende fugam si vis inuenire victoriam, nec tibi verecundum sit fugere, si palmam desideras obtinere.*

2 *Quidam dicebant quia bonus est: alij quia non.* Quàm incerta apud homines in mundo fama propagatur. Vnde sudandum vt bona proximi fama æternet, cap. 20. §. 17.

3 *Quidam dicebant, quia bonus est; alij, quia non.* Hæc opinionum diuersitas oritur ex diuersitate morum; nam quisquis est vnusquisque, talem suum socium esse putat: Mali enim homines facilè putant proximum suo crimine infectum, sicut iustus alterum sua virtute ornatum, cap. 12. v. 12. §. 60.

Feria 4. Dominicæ Pass.

S. Ioannes, Cap. 10.

1 *OPera, quæ ego facio in nomine Patris mei, & hæc testimonium perhibent de me.* Ad hoc vt Christus cognoscatur Messias, opus adducit in testimonium. Et cur? Vt Christiani discant, si tales cognosci desiderant, opera testimonium faciant; nam ex operibus Christianus cognoscitur, cap. 17. §. 11. Vndè ad rem nostram bellè scripsit S. P. N. Augustinus lib. de Doctrina Christ. sic: *Christiani nomen ille frustra sortitus, qui Christum minimè imitatur; Quid enim tibi prodest vocari, quod non es, & nomen vsurpare alienum; sed si Christianum te esse delectat, quæ Christianitatis sunt gere, & meritò tibi nomen Christiani assume.*

2 *Multa bona opera ostendi vobis in patre meo; propter quod eorum opus me lapidatis?* O' vulgus ingratum! Semper magna beneficia, maxima ingratitudine compensantur, cap. 16. nu. 69. & plures gratos se exhibent dum sperant, si tamen acceperint de affectata obliuione inueniuntur ingrati, cap. 16. §. 51. Mellifluus Doctor serm. 40. in Cantic. Ingratitudinem describens, sic dixit: *Ingratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio: Ingratitudo ventus est vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.*

Feria 5. Dominicæ Pass.

S. Lucas, Cap. 7.

1 *ECcè mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Eccur in ciuitate exprimitur? Vt cognosceretur, quòd sola hæc mulier vtpotè inhonesta in tota ciuitate nominabatur. Sic econtrà Feminæ honestissimæ existimatio, & fama publicè est decantanda, cap. 20. §. 29.

2 *Eccè mulier quæ erat in Ciuitate peccatrix.* Quare si nonnulli Mariam Magdalenam peccatricem excusant, peccatrix in Ciuitate mulier dicitur? Cape ex hoc: Fæmina abscondita maneat vt viuat, ne vagans pereat, cap. 18. §. 22.

3 *Stans retrò secùs pedes eius.* S. Paulinus epist. 4. ad Seuerum scribit de Magdalena: *Ad pedes Christi encurrit atque ipsos sibi sacrarium, &*

Altare constituit, in quibus libauit fletu; litauit vnguento, sacrificauit & affectu; sacrificium enim Deo spiritus contribulatus. Sed cur ad pedes? Quia gloriam, quam perdiderat æternam, humilitate quærebat: nam nonnisi humilibus cæleste regnum datur, cap. 17. §. 51. & sola humilitas est vera ad ascendendum via, cap. 11. verf. 5. §. 19. v. 9. §. 44.

4 *Stans retrò secùs pedes eius*, Benè sic posita dicitur hæc mulier, vt cognita eius verecundia, in scelere obstinata non iudicaretur; nam Peccator obstinatus verecundiam ignorat, cap. 13. num. 72. & in cap. 20. num. 30. habes vbi sit verecundiæ sedes.

5 *Capillis capitis sui tergebat .... Et vnguento vngebat*. Quare talibus vtebatur instrumentis ad manifestandam pænitentiam, si hæc ipsa instrumenta fuere suæ peruersitatis? Audi, & nota Magdalenæ pænitentis nobile documentum: virtuti dediti non solum à vitijs, sed etiam ab ijs, quæ ad ipsum ducunt recedere debent, cap. 11. verf. 31. §. 49.

Feria 6. Dominicæ Pass.

S. Ioannes, Cap. 11.

1 *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium aduersùs Iesum*. Consilia mala, quàm facilè amplectantur, cap. 11 verf. 3. n. 61.

2 *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium aduersus Iesum*. Imprudentia inconsulta omnia tentat, cap. 14. §. 22.

3 *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi consilium aduersùs Iesum*. Infida sunt hominum consilia, cap. 16. num. 78.

4 *Caiphas cùm esset Pontifex anni illius prophetauit*. Eccur impius prophetauit? Quia Prophetiæ donum etiam scelestis datur, cap. 11. verf. 4. num. 15.

Dominica Palmarum.

S. Matthæus, Cap. 21.

1 *Soluite, & adducite mihi*: Peccator in iumento exprimitur. Ad se ipsum adducere iubet, vt ostendat quomodo ad mundana redeat, qui ad se ipsum non accedit; Nam qui à Christo recedit, ad voluptates accedit, cap. 11. verf. 10. §. 69.

2 *Inuenit asinam, & sedit super eam*. Christi humilitas in triumpho Ierosolymæ ad exemplum, cap. 16. §. 18. Et Cur asinam ascendit ibidem habes.

3 Triumphum Euangelicæ paupertatis deducere potes in Christi Domini triumpho; pro quo habes nonnulla in verbo *Paupertas*.

Feria 6. Hebdomadæ Sanctæ.

S. Bernardus serm. 3. de Passione dicit: *Volue, & reuolue vitam boni Iesu, & non inuenies eum nisi in Cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit, in amaritudine, & in angustia*. Et S. Bonauentura in opusc. de perf. vit. cap. 6. scribit. *A prima die natiuitatis suæ, vsque ad vltimum diem mortis suæ Christus Dominus semper fuit in Passionibus, & doloribus, sicut ipse testatur per Prophetam, dicens: In laboribus à iuuentute mea*.

Christus moriendo nos viuificauit, cap. 11. verf. 28. num. 82.

Christus affligi voluit; vt disceret consolari, cap. 16. §. 17.

Christus non timuit mortem, quia vltrò illam subijt, cap. 16. §. 33.

Christi vulnera non sunt à nobis occultanda; cap. 17. §. 31.

Christum crucifixum qui habet omnia possidet, cap. 13. §. 1.

De Cruce.

Vera Requies homini sub arbore crucis; cap. 18. num. 71. Crucis virtus triplex ibid. num. 72. Tres sunt cruces, & quæ? ibid. num. 74. Quæ omnes habent quatuor diuersas diuisiones, ibid. Ex cruce, & Passione nomen Dei efficacissimum, cap. 13. §. 7.

Dominica Resurrectionis.

S. Marcus, Cap. 16.

1 *Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata vt vngerent Iesum*. Quid consultius diuites fœminæ præstare poterant, quàm vt in Christi obsequium diuitias erogarent? Hinc erudiantur huius sæculi diuites, & sciant, quòd diuitiæ sęculi in diuite non laudandæ, cap. 13. §. 4.

2 *Dicite Discipulis, & Petro*. Cur signanter Petro aperitur mysterium resurrectionis? Quia Petrus de Christi negatione eruditus, errare in fide ampliùs nesciebat, vnde vt magistro fidei aperitur tale mysterium: Sic econtrà errorum Magistri maximè fugiendi, cap. 11. verf. 31. §. 51.

Vide in primo Tomo in quo multa concinnauimus Euangelio apta huic.

Feria 2. Paschæ.

S. Lucas, Cap. 24.

1 *TV solus peregrinus es in Ierusalem*. Verè peregrinus, qui verè iustus; nam vt peregrinus debet esse iustus in hac vita, cap. 12. vers. 1. num. 60. & §. 6.

2 *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit*. Peregrini non solùm sunt vocandi, sed cum instantia trahendi, cap. 19. num. 60. & cap. 12. vers. 15. num. 46.

3 *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis*. Quæ verba aptissimè de Eucharistia intelliguntur, Vide V. Eucharistia.

4 *Dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* Scriptura Sacra Turris fortissima in omnibus sibi concors, cap. 11. vers. 8. parag. 34.

Feria 3. Paschæ.

S. Lucas, Cap. 24.

1 *PAx vobis*. Eccur Iesus in medio positus dixit discipulis suis pax vobis? Quia magnum Dei donum Pax idest vnitas sermonis in communitate, cap. 11. vers. 1. §. 1.

2 *Pax vobis*. Hæc dicit Christus, vt discant Prælati pacem quærere inter subditos, cap. 14. num. 88.

3 *Nolite timere*. Iusto timendum etiamsi varijs donis sit ornatus, cap. 12. vers. 11. §. 40. Sed quomodo dicit Christus discipulis suis *Nolite timere*, adde de phantasmate; *Ego enim sum*; Nam timor in iustis nunquam frustraneus, cap. 15. §. 4.

Dominicæ quæ sequuntur; Vide Tomum Primum; & multa hic in indice Rerum, & Verborum.

De Annunciatione vide Virgine Maria, & V. Angelus.

Sic in alijs Festiuitatibus ad indicis nomina supradicti te benignum Lectorem remitto.







INDEX
RERVM NOTABILIVM.

Amici-

Digitized by Google

Auli-

Digitized by Google

Diui-

Digitized by Google

Ossa

G

Gra-

Digitized by Google

Digitized by Google

Filiæ

In

Digitized by Google

Obe-

Digitized by Google

Volun-

Digitized by Google

Per

Digitized by Google

Abra-

Seruus.

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google